PAVLI BVSII IC.

COMMENTARII BREVIS IN PANDECTAS

DNI. IVSTINIANI,

cum differentijs

IVRIS CANONICI,

ET

CONSVETVDINVM GERMANIAE, GALLIAE, & BELGICAE, Ad usum huius seculi compositi,

Tomus primus.

EDITIO AVCTA, indice adiecto,

Ex legato Ill.mi Cocini

ZWOLLAE,

EXCVDEBAT ZACHARIAS HEYNS, DD. Ordinum Transisulaniæ Typographus, 1610.

Cum Privilegio C. M. ad Decennium.

ILLVSTRIBVS, GENEROSIS.

NOBILISS. ERVDITISSIMISQVE DNIS, CVRIAE SEV CAMERAE SPIRENSIS, TOTIVS IMPERII SVPREMAE PRAESIDIBVS ET ASSESSORIBVS

P. Buis IC. S. P. A. D.

EA, Viri Illustres, consilij curiæque vestræ in iure administrando præstantia est, vt quam ei comparemus aliã facilè censeat nemo. Ac meritó proinde par meritis eidem accedit fama. Vt veró imperium Romanum iam indè ab initio sui, ob insignem legum & politiæ, qui in eo, statũ, in immensum conscendit: itá imminutum id ipsum protinus est, cum iurisprudentia barbarorum illuuie fasces submisit ignorantiæ trophæis. Vndè quidem mihi probabile fit, rudera ea quæ videmus priscæ Maiestatis, Germanicæ inquã & Italicæ rei summam, non alio perinde medio constare, quám applicatione iuris ciuilis ad vsum seculi præsentis; id est, re vnâ cuius ingenuo cultu Ordo vester eminentissimus pene omnem præsentis æui gloriam superat, excedit. Et absit velim huic scripto inuidia, cum diversi Senatores excellentissimæ curiæ istius, ea nobis observationum suppeditárint monumenta, quibus in isto scribendi genere penitus obstructum videatur luminibus reliquorum. Ceterum vt de instituti mei ratione pauca referam vobis: opere hoc mihi propositum est, ipsa iurisprudentiæ monumenta; perpetuâ serie ad vsum præsentis æui applicare. Qualis quidem commentatio

mentatio iam diu vniverso iurisperitorum ordini fuit desiderata, sed (quod illustri Generositati & Excellentiæ vestræ quàm maximè constat) quæ non sinè immenso studio conficiatur. Tomum proinde primum hunc noui accessione indicis auctum, dedicare visum fuit vobis. Edideram equidē eum exemplaribus aliquot ante biennium, & serenissimo Dno Christiano Quarto Daniæ Regi dedicaram: Verum Maiestatis eius editio illa erit, sed vestra hæc & propagatio operis huius ad seram posteritatem. Monitus id ago, & quidem consilio duplici; primo quippe, quòd mutatio dedicatoriæ mihi exemplo præstantissimorum. Iureconsultorum permissa sit; altero quod nullius iudicio aut censuræ res omnis hæc commodius submitteretur, quam præstantissimi collegij istius. Accipite igitur Domini eminentissimi inscriptionem hanc, rogo, quam benignâ manu. Zuollæ. 1. Martij. 1.6 10.

NOBILI ATQVE AMPISS. V.

D. CHRISTOPHERO STICKIO

DIVERSORVM PRINCIPVM CONSILIARIO & AD Cæsarem legato.

P. B. IC. S. P. D.

QVOD sospes ab aula Cæsaris redieris, lætissimo mihi nuncio allatum est. Nec intermittere idcirco debui adventui tuo, ac successui rerum feliciori, gratulari. Dolorem mihi quandoque infixit absentia tui tantâ temporis ac locorũ intercapedine diversi. Sed recreavit facilè, quod amicus ac familiaris meus in honorifica legatione res magnas cum dignißimo Principe terrarum orbis tractares, eáque res principibus tuis cederet non meo pro voto, sed & gloria tuæ ac parentum voluptati. En verò hic excellentißime Sticki, Commentariorum meorum tomum primum, quem ex parte tibi jam antè visum, liberali judicio significas perplacere tibi, cum ob stilum, quem in eo laudas, tersum, tum ob ipsam tractandi rationem. Et quidem magno id mihi solatio foret, nec exili præmio immensi, quod in hoc opere exantlavi, laboris. Verùm metuo mi Sticki, ne judicio tuo imponat affectus. Ego certè (quæ tua in jurisprudentia peritia est, quod ingenium, quæ Latiæ Linguæ selectißima omnium elegantia) reipublicæ causâ exoptem, tantùm tibi à Principum negotijs otij esset, quò tu vel ipsa hæc quæ de Iure nostro vulgamus, præstares, vel alia non dißimilis argumenti. Cederem ego tum campo isto meritò ac lubens. Verùm occupationes tuæ vetant, & Principum quibus te dedidisti, negotia atque actiones. Gratificatus interim occasione functionum tuarum, magnopere mihi es, quod privilegium ampliùs impetrasti quàm sperarem. Si quidem accepißimo mihi nuncio significasti, quod referente viro Illustri ac Magnifico Domino IOANNE MATTHÆO VVACKERO A VVACKENFELTS, EQUITE, IC. ET CONSILIARIO CÆSAREO *(qui ipse quoque me sibi hoc nomine non leviter obligavit)*

vis, amplissimum omnino privilegium cudendis lucubrationibus meis à S. C. M. mihi collatum est. Maximè verò, cum id non minusculum sit, aut quale impetratur quotidie, sed quale per paucis, ac vix ulli hac tempestate contingit. Equidem omnen excipio, quod scripta mea Augustæ Majestatis consilio sunt probata, Gratiam interim Illustribus ac Magnificis viris debeo, Domino IOANNI BERVICIO *Consiliario primario, ac Domino* HEGEMOLLERO, *& ipsi ICconsulto ac Consiliario dignissimo S. M. Nec dubites mi* Sticki, *quin in vita mea actionibus, scriptisq́ meis etiam post hac edendis, is sim futurus, ut ista ipsa digna censeri debeant, quæ tanto præjudicio, quantum est, quod à* Serenissimo *mũdi* Principe, *in amplissimo privilegio Busio tuo contigit, maturiùs excitentur. Quod verò exigis, ut adolescentes N. N. fratres tuos, Henricum ac Ioannem Stickium in amicitiam quoque meam recipiam, quod ij & jurisprudentiæ studio devoti, & iam antè erga me meaque quàm maximè sint affecti, arctiusque futuri ubi id dabitur per ætatem: omnino frustrà jubes. Ingenia enim mihi eorum jam olim talia probata sunt, ut ipse jam tum quoque optarim, necessitudine ijs quàm arctissimâ jungi. Quando verò illi se jam altioribus studijs dabunt, habeant sibi ab amico librum principio hunc, qualem si ego in ea Pandectarum parte habere potuissem, dum in scholis degebam, me & authorum plurium copia sublevatum putassem, & quæ moribus nostris in plerisque obtinent, didicissem ab ineunte mox ætate, quod tamen mihi illo tempore, ceterisque collegis eius ætatis meis, negatum fuit. Duos reliquos Tomos exspectent quàm primùm mihi otium maius continget. Continget autem si Deus volet, post paucos menses.*

Zuollæ, 1. Martij. Anno 1610.

INDEX

INDEX TITVLORVM IN

Quo prior numerus librum, alter titulum ostendit.

Ne quis

DE INSTITVTI OPERIS RATIONE AD VSVM EIVS commodiorem.

BENIGNE Lector, qui fortè rationem instituti operis requires, scire te velim, ab ineunte me ætate literarum studijs deditum, pubertatis annis attactis, paulò statim post à parẽte meo dilectissimo, Iano Busio viro in re civili non leviter versato (sed quem me laudare pudor vetat) Iurisprudentiæ propè devotum esse. Ea enim est hominum securitas ut maxima illorum pars quæ veram felicitatem tribuunt, parvi æstimet: minima morem præpotenti Deo gerere, alterique inservire, decoro satis studio nitatur. Qui tamen hæc uti par est curant, ij ad res honestas, quibus Ecclesia aut Respublica (quæ illius causa est) promoveatur, animum seriò adjungunt. Sed vix aliqui rectiùs quàm ij qui se legum disciplinæ penitus devovent. Inter eas enim res quæ conservandæ hujus societatis gratia sunt comparatæ, magna & maximè præclara laus juris est. Id is demum cõperit, qui civitatem nullam absque eo conservari, nec momento adeo consistere posse advertit. Si quisque id quod velit queat, singuli pacta, contractus frangere, aliena vi fraude parare, tenere, crimina patrare pro arbitrio impunè queant, nemo Lege aut More bono coërceatur: Orbis mox corruat oportet. Tanta nimirum affectus mortalium corruptio est, ut quàm paucis sua sorte contentis longè plures appetant aliena. Hos lædendi libido, & ad scelus omne paratum, studium obsidet; alios ad mala quæque rerum inops egestas invitat, ita denique rari legibus parent, ut maxima ubique civium pars, fraudem ijs, si possint, faciant, bonis, famæque alterius imponere in virtute habeant. Quæ quia in clara juris constituti, quod ubique est, luce contingunt, sublatâ eâ, eversionem imminere quis non prospicit? Etsi enim interdum ali-

quantulo tempore improborum hominum spumam coalescere vides: perire tamen eam paulò pòst, uti spumam, ac penitus dissolvi, vel sua malitia vel aliorum virtute necesse est. Quamobrem, credo, Cæsar à piratis Cilicibus captus, se illos facilè fracturum si evasisset, prævidebat. Nam detentus apud eos dum pretium redemptionis cōquiritur, magnâ licentiâ usus, eos ferè uti famulos habuit, cum quieti se daret, silere illos jussit, & palā, dum ei non parent, barbaros vocat, omnesque se cruci affixurū, ni auscultent, minatus est. Hanc libertatem dum illi simplicitati cuidam imputāt, risere. Ceterùm paulò pòst, allato pretio, dimissus Cæsar ex Milesiorū portu instructis navibus piratas aggressus, magna ex parte in potestatem redegit, redactos omnes furcæ authoritate sua affixit. A bonis quidem mala, ab honestis inhonesta dijudicare, per nosmet valemus, idque prudentia quadam naturali: ast animorum corruptio in plerisque adeò prævaluit, ut ingenuam hanc mentis facultatem perpauci, acceptent. Si eam uno cuncti animo sequeremur, leges decretaque frustrà forent. Meritò igitur ista facultas, & innata prudentia, LEX NATURÆ vocatur, namque ita nobis insita, ut si ab ea deflectamus, confestim nos minùs rectè agere sentiamus. Ergo legi etiam ante Moisen paruimus? dicet aliquis, imò, & qui aliter fecère quàm natura præceperat, graviter luerūt. Orbem universum ob delicta hominum perijsse sacræ literæ perhibent, scriptoresque alij (Berosus inquam, Iosephus & Metasthenes) autumant. quod si delictum est ante legem per Moisen latam, sine dubio lex aliqua fuit. Nam si id facias quod lex non vetat, ferè & impunè feceris, nec delinques. Igitur contra, si delinquas, lex aliqua violetur oportet. Quādo ergo ante Moisen deliquerunt aliqui, legem quampiam fuisse oportuit, Ea verò Lex naturæ fuit. Rectè ergo Tullius, *non à lege* XII. *Tab. Ius Civile Romanorum* deducit, *sed à natura & ratione humana menti ingenua*, Neque tamen hæc intra septa animi cujusque simpliciùs remansit: sed, electa cohabitatione, turba plurium, selectum sibi degēdi modū posuere. Qui ipsus tamen in rebus aliquibus diversus apud diversos,

Plutarchus in Cæsare.

pro

pro diversitate locorum & circumstantiarum fuit. Inde jus non scriptum quod vocamus, originē trahit. Hoc magnæ ab initio authoritatis fuit, & Reges (*nam in terris nomen imperij id primum fuit*) illud exsequebātur. Is quippe qui aliter fecerat, quam pro dictamine, rationis, & more recepto fieri consueverat, mutare id ipsum jussu regis cogebatur, & damnū, si quod dederat, pro re nata, luere aut resarcire. Atque illud est quod Pomponius ait, MANU A REGIBUS OMNIA GUBERNARI SOLERE. Iustinus, *Arbitraria Principum pro legibus esse*; Tacitus, *Nobis Romanus ut libitum imperitaverat*. Neque tamen probabo per omnia Cujacij sententiam, qui ad illum Pomponij locum ait, manu hoc est vi ac potestate, nō jure ac legibus. Hoc quidem de legibus, si usum vocis consideres, ita est, quandoquidem vox ipsa omnino nova est, ut & regum ipsorum nomen. Sed juris observationem (quam paulò antè legem diximus naturæ) cui postea vox legis cum scriptæ tum non scriptæ, successit: omnino vetustam existimo, & jam inde à conditis imperijs receptam. Atque eo Fabius Pictor alludit, dum ait: PRINCIPES, *quia justi erāt, & religionibus deditis, Iure habiti Dij & dicti. Non enim arbitria illorum ab æquo, vel populus à Iure innato discedebāt*. Tāetsi haud dubiè & inter principes interdum eâ quoque tempestate tyranni fuere: hoc est reges crudelitate immanes. Hæc vivendi ratio eousque servata est, donec populi ferè omnes certum sibi in vita degendi modum monumētis consignavere. Namque hodie paucos fortasse in novo orbe aut intimo Indiæ recessu moribus magis, quā legibus, utentes barbaros invenias. Reliquæ autē nationes Asiæ, Europæ, atque Africæ humaniores omnes Iure scripto utuntur. Sed cum leges justæ omnes laudandæ sint, tum nullæ mihi Romanis majorem laudem adeptæ videntur. Neque verò fortuna & successus Reipublicæ eius, tam bellicæ virtuti quā præstantiæ legum, quæ apud illos semper summa erat, ascribēda venit. Quia P. R. virtus in bello nunquam tanta fuit, quin & aliarū gentiū longe interdum major esset. Eloquētia & literarū studijs Græcos, bello Gallos Scytasque Romanis cōstat

ante fuisse. Neutrorum tamen latum perinde ac stabile imperium fuit. Præterea eâ maximè ratione quàm Sparta felicior Roma habita est, quod cives hìc sibi potissimum in actionibus proposuissent æquitatem. Apposite proinde Bodinus monet, Iurisconsultos in tractatu reipublicæ, velut antesignanos habendos. Cùm omnis magnæ istius reipublicæ successus optimis de Iure Publico & privato legibus debeatur, quarum ipsi aut consultores fuere, aut authores. Denique & plerique populi Europæ, excusso Romanorum jugo, leges eorum nihilominus servavére, ut his solis & linguæ magnificentia illi etiamnum multis, magnisque provincijs imperitare videantur. Gothi hos quandoque ab imperij soleo dejecerunt, sed quia mores illorum necdum legibus ijs accommodari potuere, deturbati paulo pòst sine summa difficultate fuere. At ecce, an non etiamnum florẽtissima Europæ regna, Galliæ inquã, & Hispaniæ usurpatione Iuris Romani tanquam in immota rupe consistunt, & imperium Germaniæ ac Italiæ quasi reliquias quasdam ac rudera suspiciunt priscę majestatis? Sed præpotentes Britannorum ac Danorum Reges, & ipsi multarum gentium cum humanissimarum, tum barbararum domini, tametsi Iure Romano non utantur, palam tamẽ & notum plerisque est, in conservandis formandisque regnis omnibus suis, adeoque legibus ipsis constituendis, subinde consilio eos uti jurisconsultorum. Prætereo quod de Principe Turcarum nuper nobis relatum est, tametsi plerasque provincias suas in publicis saltem, manu, prisco regum more, per legatos gubernet, Codicem tamen Iustinianæum magistratibus ab ipso, in administratione justitiæ, datum. Sed ut redeam ad populos humaniores Europæ. Quinam Principes orbis politissimi hujus (Christiani inquam) non & Iurisconsultos, hoc est Romanæ Iurisprudentiæ peritos, in actionibus publicis, Pacis, Fœderum, Societatis, denique & decretis salutaribus, sanciendis, tanquam rerum earum solos magistros, habent? Et rursus qui jurisconsulti in Principum consilijs aut actionibus, lingua Romanorum aut lege quadam singu-

lari, quoties occasio est, non utuntur tanquam diademate aliquo orationis suæ aut propositionis, velut ex intimo politiæ sacrario deprompto? Atque hæc omnia palam arguũt præstantiam majestatemque juris nostri. Verum enimvero quantò excellentius id ipsum est, tantò majori cum dolore animi mei, vidi pestiferum istud scribendi cacoëthes in nulla scientia aut disciplina tantopere invaluisse, atque in hac ipsa tam illustri ac magnifica præ ceteris facultate. Omnes siquidem artes ac disciplinæ quas Græci præcipuè, pòst & Latini coluere, nulla in re hac tempestate humiliùs, sed & in plerisque præstantiùs tractatæ sunt, quam unquam antè aliàs ab authoribus suis. Vna jurisprudentia & ipsa in sese dignitate, & stilo authorũ præstanti præclarior omnibus, nullum hactenus ita barbarum interpretẽ aut authorem invènit, qui non & jurisconsulti nomẽ usurparet, & à turba talis haberetur. Neque tamen velim interpretibus juris nostri, Accursio inquam, Bartolo, Alexandro, Iasoni, Angelo, Castrensi, & consimilibus, quicquam per hoc derogatum. Viri profectò isti & graves & in jure ipso tractando, quæ temporum illorum ratio fuit, non infelices fuère. Sed quod in multis à recto intellectu descivêre, non imputandum ipsis, sed injuriæ temporum donandum est. Quibus scilicet Dominus Deus orbem terrarum summis tenebris barbrriei affligebat. Ac ut veram de Accursio sententiam proponam meam (hunc enim ut ijs, quos præterea memoravi, vetustiorem novimus, ita longo intervallo existimo præstantiorẽ) imperitia idiomatum & rituum antiquorum, scrupulosum ejus judicium reddidit. Hoc igitur vel maximè ceteris prudentior habeatur quod ferè sententijs pluribus de eadem re propositis, suam lectori eligendam reliquit. Sed eum stilum cùm ceteri prætereunt, sæpiùs eos quàm aliàs hallucinatos videmus. Denique Bartolus quidem ipsi secundus habetur, sed meritum hoc fortasse non tam ingenio aut explicandi modo, quàm magnæ industriæ dandum, quâ usus est in applicandis moribus Italiæ sui ævi. Ingenio enim aut judicio non video quamobrem Iason, Alexander aut Castrensis ipsi

posteriores sint. In judicio tamen hoc meo, benivole lector, velim intelligas, me reprehensionem non mereri, quasi temerè prolato, aut sine ratione. Qui rem intelliget cōferat, de quibus agimus, authores, & periculū faciat an proponamus à vero aliena. Nam quod judicem de iis, excusationem ob hoc mereor, quia id ferè omnes hujus seculi prudentes fecere. Alciatus inquam, Zasius, Duarenus, Cuiacius, Hopperus, Viglius, & qui non? Quanti verò faciam eos, ampliores testes appello commentarios hos ipsos meos. Sed qui gratiam non tantùm ijs debeo, at huius seculi præstantissimi Iureconsultis, parum honestè fecerim, si eos præteream è quibus ipse, si quicquam in jure sum adeptus, profeci plurimum. Inter quos, si primùm, nuncupaturus sim Principē ac de Iurisprudentia meritissimum, non video quis *Antonio Augustino* Archiepiscopo Tarraconensi, sit conferendus. Nō minimus inter primos jurisprudentiæ reformatores apud Germanos Oldendorpius erat, Alciatus inter Italos, cōplures inter Gallos, & Gallis ac ceteris etiam omnibus facilè prestantior *Cujacius*, post eum Duarenus, Donellus, Hotomannus, Connanus: sed Antonius Augustinus liberè scribam (quia sine affectu) --- *Nulli veterum est virtute secundus.* Non hoc quia multitudine scriptorū excellat, sed quia præstantia ac utilitate. Fuere præter eos, aut sunt etiamnum, in Italia, Germania, Gallia, Hispania, Belgica, Zasius, Viglius, Zvvichemus, Everardus à Middelburch, Didacus Cavarruvias, Damhauderus, Vvesenbecius, Dionysius Gotofredus, Iulius Pacius, Antonius Faber, Hermannus Vulteius, Ioannes Goddæus, Althusius, Fachinæus, Everardus à Brōchorst, Mollerus, Hieronymus Treutlerus, Pinellus, & alij cōplures, quorum in excolenda jurisprudentia insignis ac laudāda opera est. Denique eorum omnium catalogū scripta ac vitas, meditamur, ac promittimus, quoad habere quid eorū possumus, si Deus vitā ac otium dederit universo comētario hoc perfecto. Ceterū ut ad rē ac causam operis instituti: video jā nunc præjudicia hominum malevolorum, & lacerari tractationem hanc calūnijs multorū. Namque hic rem nullius

lius difficultatis cessebit, post tot elaborata seculi hujus scripta, dare quippiam luci quod omnibus usui esse queat; alter stilum culpabit quasi ab ævo jurisconsultorum parum apposite translato in hoc tempus: denique & erit cui res hæc ac tractandi ratio universa displicebit, tanquam pretij nullius: quod sc. & jurisprudentia ipsa facilis. & applicatio consuetudinis hodiernæ ex Pontificiis placitis ac Constitutionibus aut Moribus Germaniæ & Galliæ, tantum laboris sit, & quidem à quovis facile præstandi, nullius tamen ingenij aut eruditionis. Ceterùm, benigne lector, respondebo paucis. Quod si ingenue judicare velis, ut contra primum morsum me defendam, etiam apes gratiam merentur, quæ vere atque æstate bene constituta, ex quocunque florum genere, & ipso quidem jam tum dulcedine exuberante, mellis copiam legunt, adhibitâ tantum operâ in distributione favorum. Quãtum ad stilum attinet, defendam me, ac dicam, deliquisse qui eo usus sum, quo juris authores ingenui usi sunt semper: E diverso vero minus recto stilo usos eos qui vel parum Latinè, vel suasorio quodam orationis genere, sua in lucem edidere. Regias esse leges oportet hoc est magnificas & majestate orationis concisas, & tales Romanorũ leges fuisse, manifestius est quàm ut negari queat. Igitur & interpretatio ijs concisa convenit. *Quam enim absurdum foret, si quis Rex veste rustica aut aliàs humili, ac majestati minus decora, in publica ac solenni pompa utatur, tam absurda interpretatio legis futura sit oportet, qua ad istud sacrum adhibeatur stilo suasorio aut aliàs minùs eleganti.* Ad tertiũ quod attinet, fateor equidem rẽ hanc & ab alio præstari potuisse, inventionẽ tamen eius mihi accepto ferendã. Ius enim Iustinianæũ & ab innumeris præstãtissimis viris tractatũ jam olim fuit, sed & consuetudines ac cõstitutiones pontificiæ à multis sunt explicatæ. Iurisprudentiæ verò Romanæ tractationẽ facilẽ esse negabo, principio ob antiquitatum peritiam quâ fidelẽ interpretem eius instructum esse oportet, dein' ob magnitudinem eius, demum ob inconditam interpretum in explicatione eius varietatẽ. Faciliorẽ tamẽ fateor ei erit, qui opera

novi-

novitiorum scriptorum, Vuesenbecij inquam, Gotofredi & paucorum præter eos, prudenti studio utetur. Institutionum enim studium faciliùs est, sed eas tantùm pro fundamento esse oportet. At in cognitione Pandectarum paranda, Commentarij Vuesenbecij relecti in singulis titulis generalem priùs notitiã imprimen, quâ perceptâ textus ipse methodo logica à definitione per partes, species, causas, & effecta penetrando, leges seu capita singulorum titulorum in ordinem redigenda sunt. Præclara verò ad intellectũ singulorum capitum Dionysij Gotofredi opera est. Sed præter eum Accursij quoque glossæ refugio sint, & multorum lucubrationes hujus seculi, quorum meminimus paulò antè. Operam demum meam hanc ita accipias, non ut explicet quæque facilia & per se plana, sed quasi omittat pleraque ista, tanquam summario Vuesenbecij commentario satis explicata, ac tractet tantùm quæ in disputationem cadunt, hoc est difficilia aut obscura, eaque non ex ratione modo ac juris prisci fundamentis, sed vel sæpissimè ex moribus nostris. Quo scilicet juventutem ab initio sublevemus duplicata molestia ac labore, inquam, ne, cognita semel theoriâ, ubi paulò pòst in forum prodierit, quasi rem penitus novã denuo discere cogatur. Sed ne quis insistat è contrario cõtendens, rem hanc infinitæ experientiæ, ingenij, lectionis & eruditionis esse: dicam quod res est, infinitæ lectionis aut laboris rem, me non negare. Profecimus enim in utrisque, partim ab usu, partim à lectione, in cognitione Consuetudinum Germaniæ ex Minsingero, Gailio, Hartmanno, (quos quidem ego decisionum authores omnium omnino præstantissimos censeo) Vuesenbecio, Schneiduino, Vulteio, Gotofredo, Georgio Rhemen, constitutionibus ipsis, in fructu morum Galliæ ab Imberto, Rebuffo, Boërio, Costalio, Molinæo & alijs, in moribus Belgicæ à Paulo Merula, Nicolao Everardo, diversarum eius provinciarum statutis, usuque ipso. Absit verò ingenium jactem aut eruditionem quicquid enim mihi hîc scriptum, à summo labore est, exigua tantùm face eruditionis atque experientiæ lustratum.

PAULI

PAVLI BuSII IC.

COMMENTARII BREVIS
IN PANDECTAS DNI IVSTINIANI
CUM DIFFERENTIIS IURIS CANONICI.

Pars I.

LIBER PRIMUS
De Iustitia et Iure.

TITULUS I.
Ad l. 1.

1. *Iuris Etymon.* 2. *Iuris definitio.*
3. *Ius Canonicum.* 4. *Ius pro legum summa.*
5. *Decretum iniquum pro jure.*

EST AUTEM A IUSTITIA APPELLATUM.] Ius Vlpianus à justitia derivat, † rectè quidem si effectum consideres, (nam justitia velut causa, seu, ut Accursius, mater, jus ipsum producit) sed si nominis notationem quæras, contrà dicam, justitiam appellatam à jure, quasi stationem ejusdem. Quãquam & si jus ponas pro prima juris & æqui notitia, mentibus insita, rei quoque intuitu, justitiam à jure ductam dicas rectè. 1

IUS EST ARS ÆQUI ET BONI.] † Artem Celsus pro genere ponit, sed tropicè: neque enim ea vox propriè huic rei convenit, quia artium præcepta universalia sunt & perpetua, quod de unius civitatis legibus dici non potest. *vide subtil. nostras. l. 2. c. 8. per tot.* Etenim juris Romani mutationem arguunt Consuetudines eidem 2.

Iuris Canonici sanctio. quotidie derogantes: adeoque ipsius juris Canonici sanctio, † quæ crescente ecclesia & ipsa quotidie incrementum assumpsit, donec
3. Pontifices inutilibus capitulis sublatis, certum ejus corpus effecere. *Dan. Ven. lib. 1. Analys. Pont. c. 1.* Igitur hîc jus † accipitur pro
4. legum summa & universæ æquitatis peritia. An verò jus aliquod iniquum esse possit, ponimus infrà, *in l. in ambigua 19. de Legib.* Sed & alias jus designat id quod prætor in singulis causis statuit. Quod
5. † usque eo ita est, ut & cùm iniquè quippiam decernit, jus reddere dicatur, *l. pen. h. t.* Hoc tamen cum moderamine accipiendum est, nisi judicet contra consuetudinem aut legem: per id enim decretum ejus nullum est. *l. 1. de fer.* & consequenter jus administrare non censetur. *l. cum prolatis. 32. De sent. & rejud. l. 1. §. item cum contra. in prin. Quæ sent. sine app. resc.*

1. *Partitio juris.*
2. *Ius publicum quid.*
3. *Aurea bulla Caroli 4.*
4. *Privatum jus quid.*
5. *Agricola notatus.*

1. HUIUS STUDII.] Partitio hæc ex objecto desumpta est. † Publicum enim jus dicimus quod præcipuè conservationem sta-
2. tus publici † respicit, ut: legum rogatio, edictorum propositio, reipublicæ in quolibet ejus munere administratio. *Duar. latiuscule. c. 4. h. t.*

De hoc verò Iustinianus nominatim non egit, eò quod plurima antiquioris juris publica, ut sacra Deorum, vetustæ legum rogationes, tempore ipsius jam erant absoleta; cetera, Byzantium translatâ imperij sede, multum mutata. Invenias tamen de honoribus, magistratuum officiis, muneribus & privilegiis passim tractatum. *lib.*
3. *hoc. i. lib. 49. & 50. & in 1. tribusque posterioribus Codicis.* Ad mores † verò imperij Germanici accommodata est Aurea Bulla Caroli Quarti; itemque recessus imperij pluribus retro annis ab Ordinibus ejusdem confecti. Privatum jus † dicimus commerciorum, actionum, negotiorum, ceterarumque rerum quæ præcipuè utili-
Consuetudo regendi imperij ex Aurea Bulla Caroli IIII
4. tatem respiciunt privatam. Præcipuè inquam, quod & jus privatum ad civitatem totam spectat, ut & publicum ad utilitatem singulorum. Ac tametsi alterum horum gratiâ alterius sit, utrumque tamen magis pertinet ad salutem singulorum, consequenter modo universorum.

PRIVATUM IUS TRIPARTITUM EST.] Cave hanc divisionem

sionem censeas. indicat enim Vlpianus materiam juris privati triplicem, & jus per Metonymiam ponit pro materia eiusdem. Temerè † proinde Rodolphus Agricola consultum carpit, quòd minùs 5.
aptè jus privatum ita diviserit, quia & eadem divisio juri publico conveniat. Nam Vlpianus solummodo causam ex qua proponit, quam ipsam nec iuri publico adimit, sed alteram modò distributionis partem jus sc. privatum, in Institutionibus, unde hoc caput est, prosequitur.

1. Ius naturale & commune dicitur.
2. Quomodo Brutis tribuatur.

IUS NATURALE EST QUOD NATURA OMNIA ANIMALIA DOCUIT.] Ius gentium † & quod hîc describitur, utrumque generali nomine jus naturale, & aliter commune dicitur. Na- 1.
turale in specie pro summa primaque ratione menti à Deo infusa, unde id alii nuncupant ius rationis. *Wesenb. in §. jus autem. Inst. tit. 2.* Nec ad † rem facit quod idem hic brutis communicatur, quæ 2.
ratione prædita non sunt: namque id haud eò fit quod iuris quædam notitia sit apud illa: sed quod ea quæ bruta faciunt instinctu naturæ, si nos faciamus adhibita ratione, iure naturæ agere dicamur. *Cujac. in not. Inst. tit. 2.*

1. Ius gentium, jus ratiocinationis dictum.
2. Ius primævum & Secundarium.
3. Defensa Doctorum distinctio.

IUS GENTIUM.] Id ratiocinationis † Wesenbecius dicit, eò quod 1.
per mentium experientiam ac discursum, inter omnes ferè gentes constitutum sit & observatum. Quod ipsum quoque ius naturale dicitur. *l. 1. inf. loc. l. 1. inf. De acq. rer. dom. §. singulorum. Inst. de rer. div.*

Iuris verò magistri ipsum quoque gentium ius in Primævum dividunt & Secundarium. † Primævum dicunt quod cum ratione 2.
ipsa natum, Secundarium quod ab operatione illius profectum ex post facto est. *Bart. & Ias. in l. si id quod. De condict. indeb. Zas. hic. num.* 20. Quam divisionem tamen alii improbant, eò quòd ius gentium alibi unius modò generis dicitur. *l. omnes populi. §. fin. h. t. Dominus Bronchorst, Cent. 1. controv. c. 3.*

Magis tamen est † melioris doctrinæ gratiâ eam non aspernan- 3.

dam. Neque verò ad rem facit quod jus gentium unum modò dicitur & commune, quia id fit respectu juris civilis, quod toties inter se diversum est, quoties civitas aliqua separato imperio tenetur, & pro re nata juri gentium addit aliquid vel demit. *l. jus civile. inf. eod.*

Ad l. ut vim. 3.

1. *Solvitur arg. oppositum.*
2. *Vim vi repellere quatenus licitum, remissivè.*

1. VT VIM ATQVE INIURIAM PROPULEMUS.] † At contra videtur, violentiam avertere juris potiùs naturalis esse. *c. jus naturale. distinct.* 1. cùm idem brutis quoque animantibus sit permissum. *l. 1. §. cum arietes. Si quadr. paup. fec. dic.* Sed distingui oportet, inter propulsationem violentam quæ sine animo injuriandi fit. *de qua in d. §. cum arietes.* & cum bestiis etiam communis est, quæ injuriandi animum non habent: & aversionem injuriæ (cuius causa solum propositum est injuriandi. *l. 3. § 1. de injur.*) eoque hominibus solis concessa, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quatenus
2. † verò se, vitamque & bona tueri cuique concessum sit, quod Doctores plerique hîc tractant, infrà explicamus suo loco. *vide quæ ponimus infra in l. sed etsi. 5. Ad L. Aq.*

Ad l. Ex hoc jure. 5.

1. *Servitutes, bella, &c. quare juris gentium sint, cùm juri naturali repugnent.*
2. *Emptio Venditio, an juris gentium.*

1. EX jure † gentium distinctiones dominiorum, bella item & servitutes sunt. *tex. hic. & l. prox. sup.* Sed hoc ab initio non ita fuit, cùm bella & servit. juri quodammodo naturali primò contraria sint. Ista ipsa tamen talia sunt, ut justo Dei judicio, meruerit ea pravitas nostræ naturæ. Sed quæsitum † est an satis appositè hoc loco
2. Emptio Venditio juri gentium tribuatur. *à Jas. num. 21. & 22. hic Castr. num. 29. Bal. in rub. C. de Contr. Emp.* Dubium movet, quod jus gentium cum ipso genere humano proditum refertur. *l. 1. De acq. rer. dom.* nummus verò primâ ætate nullus fuit. *Plin. l. 33. c. 3. Eutrop. lib. 2.* sed jus gentium ibidem pro naturali seu gentium primævo accipitur, in proposito verò de jure ratiocinationis seu gentium

entium secundario. Vtrumque enim promiscuè modò gentium is, modò naturale juris authores vocant. *l. 1. locati. §. singulorum. nst. de rer. div.* Quoties verò eadem distinguuntur, jus gentium icitur, non quod cum genere humano proditum est: sed quo entes humanæ communi quadam observatione utuntur. *l. 1. §. n. h. t. §. jus autem. Inst. tit. 2. Bart. in l. 1. De Contr. emp. Connan. l. 1. omment. c. 5.*

Ad l. Ius civile. 6.

1. *Ius Civile quid.*
2. *Turcæ Codice Iustinianæo utuntur.*
3. *Singularis significatio juris civilis.*
4. *Conciliatio argum. oppositi.*

IVs civile † seu proprium est quod quisque sibi populus, per eminentiam, quod populus Romanus addendo vel detrahendo juri ommuni sibi sancivit: *ut hic.* præstantiaque sui etiamnum potiori rbi Christiano pro sanctissima lege est. Tametsi † Turcæ quoque 2. Codice Iustinianæo Græco utantur. *Ioan. Leuclau. in præf. antiq. aratit. quæ è Græco in Latinum vertit.* Quandoque tamen † id solum 3. us civile vocamus quod ex interpretatione prudentium venit. *l. 2. his legibus. 5. De orig. jur.* Magna enim horum in jure condendo uthoritas erat, adeò etiam ut ipsi ob hoc juris authores singulaim sint nuncupati: Quà ratione & Iustinianus *in Novell. 22. c. 43.* it: Quintus Mutius Scævola hoc præsanciverat, Sed & interdum mnes Iuris Romani partes edictis prætorum oppositas, hoc nonine dicimus. *ut inf. l. 1.* Quod verò in † fine huius legis dicitur, V- 4. uimqu odque jus civile ferè detrahere gentium juri, ei fortè obstae videatur quod dicimus, jus naturale immutabile esse. *§. jus naturale. Inst. eod.* sed ibi mutare significat penitus tollere. Quanquam d quoque de summo naturæ jure accipi queat, verbi gratiâ, pietae & justitia erga Deum & proximum, quæ nullo jure tolli queunt.

Ad l. Nam & ipsum. 8.

1. *Ius Honorarium viva vox juris civilis.*
2. *Majestas Prætoris.*

IVs † honorarium est VIVA VOX, id est, vera & ingenua IURIS 1. CIVILIS interpretatio: *ut hic.* Nec ad rem facit quod in præce-

denti lege dictum est, ius honorarium quoque introductum esse,
corrigendi interdum iuris civilis causâ: nam corrigere ibi non si-
gnificat abrogare, sed quod legibus fortè indistinctè cautum erat,
distinguere, & contra earundem rigorem graviori de causa quic-
2. quam asserere. Quia verò † potestas ea maxima erat, eadem MA-
IESTAS IMPERII PRÆTORII dicta est. *v. lib. 1. Subtil. nostra-
rum. c. 2.* Quantum verò licuerit Prætori in interpretando aut le-
niendo iure, pleniùs alibi tractamus. *lib. 1. Subtil. c. 3.*

Ad l. omnes populi. 9.

1. *An quivis populus aut Princeps jus condat.*
2. *De potestate juris condendi, quæ competit populo aut municipio alteri subjecto.*
3. *Conciliatur & explicatur l. Antiochensium. De reb. auth. jud. poss.*
4. *Explicatio eius rei paulò latior.*
5. *Mores hodierni in statutis condendis.*
6. *Principes imperij supremam ferè exercent in jure condendo potestatem.*
7. *Statuta quomodo interpretanda.*

1. QVivis populus † rectè sibi ius peculiare condit vel civile. *tex.
hic.* Quod de republica & principe eo qui alteri non paret, ex-
peditum est, verbi gratiâ de Rege Galliæ, [redacted]. Quod † sine controversia in
2. Gallia fit. *Costal. hic. Imbert. lib. 4. Inst. for. c. ult.* Itemque Venetiis,
Belgio, & Helvetia, ut ego observavi. De reliquis meritò dubites,
eò quod leges condere soli Principi summo concessum sit. *l. ult. C.
de legib.* Ceteri † ergo magistratus & municipiorum ordines non
nisi decreta condunt. *gl. Bart. & alij in l. 1. inf. quod quisq. jur. in al.
stat.* quæ tamen & leges municipales dicuntur. *l. ult. de decr. ab ord.
fac. l. 3. §. Divus de sep. viol.* Hodie verò communi loquendi usu
nominantur statuta. *Bart. & alij hic.* Sed hæc olim, si ambitiosa es-
sent, nec è re populi, rescindebantur. *l. ambitiosa. De decr. ad Ord.
fac.* nulliusque adeo momenti erant si adversarentur juri commu-
ni *l. deprecatio. in fine inf. Ad L. Rhod. de iac l. 3. §. Divus de sepul.
viol.* Nec mutat l. Antiochensium † De reb. auth. jud. poss. Ubi An-
3. tiochenses privilegium hypothecæ dicuntur habere lege suâ: quia
ibi

Mores Galliæ, Belgicæ, Helvetiæ.

Statutorũ vox Moribus recepta.

bi lex sua non est quæ ab Antiochensibus condita, sed more privilegii ipsis à Principe concessa. *gl. ib. Cujac. in l. 2. C. de jure reip.* Planè quod dicimus, statutum contra legem non admitti, cum moderamine acceptum est, de lege sc. prohibente aut jubente. In ijs enim quæ permittuntur simpliciùs, ita statuendum est: quia singulis quibusque civibus liberum est frui illis, vel non frui, conventione quoque aut decreto ordinum municipalium decerni de ijs rectè, *l. tit. de Decr. ab Ord. fac.* Sed moribus † Germaniæ, Italiæ, & Belgicæ, receptum est, ut civitates imperio immediatè subjectæ, quas liberas dicimus, statuta etiam contra jus commune condant. Vnde est, quod, licet olim Constitutione Principali posteriore Statuta etiam priora abrogari solent, *d. l. 3. §. Divus de Sepul. viol.* Id tamen hodie non ita fit, præterquam si nominatim cautum sit, ut Statuta singularia etiam per eam perimantur. *c. 1. de const. in 6. Panorm. in c. ult. de Const.* Confirmatio autem Statutorum in Germania à Principe quoties is novus eligitur, solet peti. *Zas. hic.* At † vero Principes imperij ne quidem confirmationem petunt. nam ut in plerisque rebus, ita in iure quoque condendo potestatem absolutam usurpant *Bart. in l. infamem num. 14. de publ. iud. Gail. lib. 1. de pace pub. c. 6. num. 11.* Idque ita à nonnullis privilegio à plerisque longa consuetudine, quæ instar privilegii est, receptum videmus. Subiectas vero principibus civitates, vix invenias, quæ absque superiorum expresso consensu aut approbatione sequenti, Statuta condant. Quod in collegiorum quoque decretis obtinuit, & tutius est. † At quia de statutis hîc locus fere communis est, videamus pauca quædam de eorum interpretatione. Statuta igitur Doctores plerumque in stricto proprioque significatu accipiunt. *Gail. 2. ob. 97. num. 3.* Quod tamen cum moderamine accipiendum, ut propriam significationem intelligamus proprium loquendi usum, mentemque adeo statuentium redundantem ex eo, arg. *l. Labeo. §. 1 & 2. De suppell. leg. Jas. in rub. de novi op. nun. num. 7. Gail. d. lib. 2. ob. 80. num.* . Quæ si obscurior fit, interpretatio ex jure communi desumenda est. *arg. l. 2. C. de nox. act. c. cum dilectus. §. quia nobis: ubi Pan. num. 21. de consuet. Gail. 1. ob. 50. num. ult.*

4. *Consuetudo Germaniæ, Italiæ, Belgicæ in Statutis condendis.* 5. *Consuetudo Germ. in Statutis confirmandis.* 6. 7.

Ad l. Iustitia. 10.

IVSTITIA EST CONSTANS ET PERPETUA VOLUNTAS, &c.] *ut hic. & ap. Cic. 4. Quæst. Tusc. Macrob. 1, Satur. c. 8.* Voluntas autem hîc pro habitu voluntario accipitur, qui respectu quasitus imperfectæ (quam dispositionem Logicij habitui oppositam, censetur.

censetur talis. *Arist.* 5. *Eth.* Cùm aliàs in homine constans & stabile deprehēdatur nihil. *N.* 7. *c.* 2. Accipimus autem hoc loco iustitiam non universalem, sed quam Ethici specialem dicunt, virtutem tribuendi cuique suum.

IURISPRUDENTIA.] Quod suprà *in l.* 1. *eod.* Ius dictum, id hoc loco iurisprudentia. Accipienda autem definitio hæc non de omni notitia rerum divinarum & humanarum, sed quatenus de iisdem agitur in foro & iure. Id enim est pro materia subiecta.

Ad l. pen. et ult.

Vide quæ posuimus obiter suprà *ad princip. l.* 1. *h. t.*

DE ORIGINE IVRIS, ET OMNIVM MAGISTRATVVM & successione prudentium.

TIT. II.

Ad l. 2.

1. *Prudentum responsa jus non scriptum.*
2. *Authoritas eorundem.*
3. *Creandi Doct. consuetudo.*
4. *Seculo præsenti Doctorum authoritas quanta.*
5. *Communis sententia cujus authoritatis.*
6. *An sent. lata contra com. op. sit nulla.*

Paucula quædam hîc trademus, quæ ex usu videbuntur, eò quod Cuiacius hoc Caput luculentis annotationibus illustravit.

1 §. HIS LEGIBUS. *& ad* §. POST HUNC. 47.] Prudentum responsa ex non scripto descendunt. † *hic &* §. *in civitate. inf.* Sed postquā in corpus iuris relata sunt, in iure scripto sunt. §. *scriptum Inst. tit.* 2. Observandum verò est, primis temporibus † unumquemque consultum fiduciā studiorum respondere solere, quod Augustus maioris authoritatis gratiā mutavit, ita ut ab eo tempore ius respondendi à Principe impetraretur. *ut hic. & l. fin. C. de assess.* Et † quia ex hoc textu facultas creandi Doctores est ex iis quæ

2

3

Principi

Principi reservantur, ideo etiamnum receptum est ut in plerisque promotionibus authoritas Principis memoretur. Quod in Baccalaureis creandis non ita est. *Middendorp. in lib. de Acad.* Sed ad rem. Hodierno † quoque tempore decisiones superiorum curiarum uti Cameræ, & Parlamentorum Galliæ non exiguæ authoritatis sunt; uti nec Glossæ Accursij, & aliorum prudentum peritiorum. Sed quorum omnium responsa non aliter authoritatem juris in causis ceteris habent, quam si lege aut recepta consuetudine firmentur. *Fac. gl. in l. 1. C. de profess. Bal. in auth. & generaliter. C. de sacros. eccle. Minf. in §. responsa. Inst. de jure natur. gent. & civ.* Ad sententias verò communes, quod attinet, quæ † pluribus à diversis collectæ sunt libris: de his penè idem judicium est. Sunt tamen eæ non exigui momenti in causis jure vel moribus minùs definitis. *Bal. in l. 1. de off. quæst. Schrader. in tract. feud. par. 9. princ.* Vnde quæsitum † est, an sententia contra communem opinionem lata sit nulla, quod Panormitanus putavit. *Abb. in c. 1. de re jud.* & alij quos allegat *Viu. lib. 1. opin. 128.* sed hoc alij improbant. *Castrens. & Bolog. in l. qui Roma. § duo fratres. De verb. obl.* Quos ita concilio, ut si communis sententia nitatur disertá lege, aut ratione legis perspicua, prior opinio procedat, sin minùs, procedat posterior, *arg. l. cum prolatis. De sent. & re jud.* An verò credatur Doctori de Communi Opinione testanti? & admissum est, eum præsumptionem generare, donec constet contrarium. *Anton. Mart. Corat. in tract. de Recep. sent. tit. 9.* Planè quod de authoritate Communis sententiæ dicimus, id ita accipi oportet, nisi pauciorum fortasse rationibus potior sit. *in præf. Pandect.* Ac tametsi ea limitatio patrum ævo difficiliùs in judicando effectum sortiri solet: hodie tamen in bene constitutis curijs Germaniæ & Belgicæ, eleganter admissa est.

Consuetudo creandi Doctores. 4. 5. 6.

DE LEGIBVS SENATVSQVE CONSVLTIS, ET LONGA Consuetudine.

Ad l. 1. & 2.

TIT. III.

1. *Legis definitio.*
2. *An femina Princeps legem condat.*

1. DEfinitio † legis hîc proposita, ferè communis est, si addideris Populi Romani, peculiaris huic reipublicæ erit. Vox tamen hæc in specie accepta, differt à Plebiscito, ut alibi latiùs. *vide tex. & interpretes in l. 2. sup. tit. prox. & ad tit. Inst. de jure nat. gent. & civ. Itemque Anton. Aug. in lib. de legib. sing. Forster. in hist. Iuris.* Quod autem Bartolus quærit, an femina Princeps legem condat, ineptè proponitur in Rep. Romana, ubi femina principatum non gerit; ineptius in ceteris ubi id interdum factum. Nam † quin Semiramis Assiriorum regina, Elisabeta Angliæ, Iacoba Hollandiæ comes, pro More suarum rerumpublicarum leges condiderint cui dubium sit.

Mores aliarum rerum publicarum diversi.

2.

Ad l. 3.

REceptum est leges de plurimùm contingentibus constitui *tex. hic.* Et quidem oportet de speciebus sæpè evenientibus constitui, de ceteris (ait juris author) non oportet, id verò est, non esse necessarium. *ut hic. & l. 1. 2. 3. & 4. inf. l. 3 si pars her. pet.* Statui tamen de raro contingentibus potest. *ut in l. 3. si pars her. pet. l. 7. §. insula. De acq. rer. dom. l. si major. C. de legit. her.*

Ad l. 7.

Vide Subtilit. nostras. *lib. 7. c. 7.*

Ad l. jura. 8.

IVra generatim constitui solent. *tex. hic.* quæ verò speciatim de persona una aut paucioribus caventur, privilegia sunt. *vide inf. ad tit. de Const. princ.*

Ad l. non ambigitur. 9.

1. *Senatus jus facit.*
2. *Conciliatur l. ult. C. eod.*

1. SEnatus † jus facere potest. *tex. hic.* Hujus exempla sunt Senatusconsulta omnia. Nec † mutat quod alibi refertur, soli Principi

2. condendi juris potestatem esse. *l. ult. C. de Leg.* quia id de solis legibus relatum est, quas populus demum condere solet. Consulendi enim Senatus morem vel maximè Principes observavère, cùm & post legem Regiam juris condendi potestas Senatui reservata perpetuò sit. *l. humanum. 8. & d. l. ult. verb. nihil hac lege derogante veteris*

Juris conditoribus. C. eod. Et verò si servata accuratè d. l. 8. esset nulla universalis lex à Principe data valeret sine approbatione Senatus. Quod & à Probo constitutum Vopiscus perhibet.

Ad l. non possunt. 12. l. 13. 14. & 15.

1. *In casibus non definitis quod remedium adhibendum.*
2. *Generalis lex quomodo in consequentiam producenda.*
3. *An specialis lex ad consimiles casus possit produci.*

NOn omnes † species legibus queunt comprehendi, proinde ex sententia earum procedi potest ad similia. Id verò fit cùm eadem ratio subest. *tex. hic.* Atque id de generali lege dubium non est, 1.
† prout XII. Tab. legitima agnatorum tutela, producta est ad tutelam patronorum, parentum, fiduciarum. Si specialis † lex sit, hoc 2.
est de una aliqua persona vel re contra rationem juris communis 3.
constituta, in consequentiam trahenda non est. *l. quod vero. inf. h. t.* nam cùm ratio ejus singularis sit, alijs communicaretur parum rectè. *l. jus singulare. inf. h. t.*

Ad l. in ambigua. 19.

1. *In ambiguo quomodo leges accipiendæ.*
2. *Conciliatur l. placuit. C. de judic. cum l. prospexit. Qui manum. lib. non fi.*

IN ambigua legis sententia † ea eligenda est quæ vitio caret. *hic.* Id 1.
autem est, quæ desumpta ex lege tota, non parte aut verbis aliquibus, *l. incivile. 24. inf. hic.* verosimilior apparet. *l. 115. de Reg. jur.* hoc est, quæ æquior & benignior. *l. benignior. inf. h. t. l. semper in dubiis. De reg. jur.* Non tamen æquum est, nimiam lenitatem sectari aut severitatem, sed medium utriusque sequi. *l. perspiciendum. 11. De pœn.* Si verò perspicua legis mens sit, eam tamen judex in proposito duriorem putet, leniet illam Princeps solus. *l. 1. C. eod.* quod de ea mitigandi juris potestate acceptum est, qua olim prætor in juris interpretatione fuit usus. Iudici videlicet satis est, tametsi lex dura sit, eam ita esse conscriptam, dura igitur tametsi sit, non tamen iniqua est. *l. prospexit. Qui manumiss. lib. non fiant.* Nec mutat † l. placuit. C. de judic. ubi in omnibus æquitatis ratio refertur habenda. 2.
quia id toties ita est, quoties mens legis obscura est. *convenit Nov. 15. c. 1. §. fin. ex qua tamen paulo corruptiùs transcripta est. Auth. hodie. C. de iud.*

Ad l. nulla. 25.

1. *Argumentum legis.*
2. *Eiusdem interpretatio.*

1. QVæ † in favorem alicujus introducuntur, non sunt duriori interpretatione detorquenda in odium aut severitatem. *tex. hic. & l. 19. C. de fide instr.* Odia enim restringi, favores ampliari convenit. *c. odia. de reg. iur. in 6.* Vnde est quod filius ex re certa institui hæres potest, non etiam exhæredari. *l. cum quidam. De lib. &*
2. *posth. her. inst.* Notandum tamen † est, quod Modestinus ait, interpretatione duriore. Inde enim oritur hanc demum procedere in dubio. Aliud proinde est, si quid in odium retorqueatur jure disserto. *ut in specie. l. 44. in fine. De excus. tut. & in l. 13. C. de Iude. l. 1. Quod quisq. iur. in l. 2. §. exercitium. De his qui not. infam.* aut pacto convento. *l. si vina. 6. De per. & comm. rei vend.*

Ad l. non est novum. 26. l. 27. & 28.

1. *Priores leges trahi ad posteriores.*
2. *Posteriores pertinent ad priores.*
3. *Quid de negotiis præteritis.*
4. *Legis effectus post lapsos à promulgatione menses binos.*
5. *Iuris Canonici diversitas.*
6. *Iuris Gallici diversitas.*
7. *Quomodo ea accipienda.*

1. REceptum est † priores leges trahi ad posteriores. *ut hic.* poste-
2. riores † quoque ferè ad priores pertinent, nisi ijsdem contrariæ
3. sint. *l. 28. h. t.* Ad negotia † verò præterita an lex nova pertineat videamus, magisque dicimus id non aliter ita esse, quàm si nominatim unà de præteritis sit cautum. *l. leges. 7. C. eod.* uti fit in jure nostro non raro. *l. un. § fin. C. de contract. iud. & l. ult. C. de Pact. pign.* Sed & lex nova ad negotia præterita pertinet, si confirmandæ prioris legis causa sit lata; ad negotia inquam pertinet, quæ post legem prius datam sunt gesta. nam hæc quoque vel contra vel secundum leges.

leges sunt pro re nata. *l. 5. C. de legib. Bart in l. omnes populi. sup. de Iust. & Iure. Bal. in d. l. 7. C. eod. Immola in c. fin. ex. de const.* Quod si de † negotiis præteritis unà non sit cautum, lex nova post duos primum menses à publicatione sortitur effectum. *Novell. 65. & in ea Cujac.* Quid ergo si ea prius cuiquam innotuerit, dicam nihilominus negotium aliter gestum, manere ratum. nam etsi Novellæ ejus ratio est præsumpta civium ignorantia: sanctio tamen generalis est, legem demum valere post publicationem elapso mense secundo. Constitutiones tamen Pontificiæ † statim à tempore promulgationis obligant. Quod & in † Gallia servatur. Quanquam † Felinus & Imbertus id omne arbitrarium putant. *Imbert. lib. 1. Inst. for. c. 3. vers. Accepimus tamen.* Quod tutius est, modò post elapsum tempus legitimum lex nova effectum sortiatur in omnem eventum.

4. 5. 6. 7.

Ad l. Princeps, 31.

1. *Princeps legibus solutus.*
2. *Quomodo id accipiendum sit.*
3. *An Princeps obligetur contractibus.*
4. *Privilegia Augustæ.*
5. *Iuris Gallici diversitas.*
6. *An femina Princeps leges condat.*

PRINCEPS † LEGIBUS SOLUTUS EST.] Id de lege Papia † accipit Cujacius ad quam hic locus à juris authore positus est, *lib. 11. ob. 30.* non quidem absurdè. At verò quia id caput sub titulo de legibus generali à Triboniano constituitur, specialem ejus interpretationem hoc loco non cogemus. Maximè cùm alibi quoque relatum sit idem. *§. fin. Inst. Quib. mo. test. inf.* Planè tametsi Princeps supra leges sit, eò quod ipse condendæ legis potestatem haber, submissum tamen se legibus profitetur. *l. digna vox, C. eod. l. ex imperfecto. De leg. 3. l. 3. C. de testam. d. §. fin. Inst. quib. m. test. inf.* Iuris quidem solennibus alligatus non est; cum præsentia ipsius suppleat omnem juris solennitatem. *l. omnium. 19. D. de Test. l. adoptio. 38. De adop. l. qui in provincia. 57. De rit. nup.* Sed quoties ipsi Principi quid confertur, ex imperfecta dispositione nihil participat.

1. 2.

3. An † verò etiam ex conventione obligetur & contractibus, quæri potest, rectiusque dicimus eum obligari, *c. 1. de nat. feu. arg. c. 1. de prob. Bal. in l. 1. de const. princ.* Vnde est quod Principes ipsi decrevêre contractus suos etiamsi præter jus civile sint, subsistere instar legis. *l. pen. C. de don. fac. l. Cæsar. De Publ. & Vect. DD. in d. l. digna vox.* Quod autem alij perhibent Principem quidem naturaliter obligari ex consensu. *arg. c. 1. de Pac.* non tamen civiliter. *Canonistæ in d. c. 1. de prob.* id ita moderandum est, ne interpretatione istiusmodi fraus fiat juri naturæ. Denique fraus fiet, si non obligari, principem firmiter dicamus.
4. † Vnde est quod moribus nostris Principum quæstores & procuratores ubique non minus quàm quosvis cives in jus vocari videmus. *Consuetudo communis.*

AUGUSTA AUTEM LICET LEGIBUS SOLUTA NON EST, PRINCIPES TAMEN EADEM ILLI PRIVILEGIA TRIBUUNT QUÆ IPSI HABENT.] At obstat huic rei, quod legatum Principi, si is ante diem decesserit, nihilominus debetur successori. *l. quod Principi. 56. De leg. 2.* quod in relicto Augustæ non ita est. *l. 57. eod. illo tit.* Sed his casibus diversa utriusque ratio est, nam quod Principi relictum est, majestati potiùs quàm personæ relictum censetur; quod verò Augustæ legatur, personale est. Sed *Consuetudo Galliæ.*
5. in † Gallia hoc casu idem in Regina servatur quod in Rege. *Costal. hic.*
6. An † verò femina Princeps legem condat, quod Bartolus quæsivit, suprà ponimus. *ad l. 1. h. t.*

Ad l. de quibus. 32.

1. *Consuetudo quomodo succedat juri scripto.*
2. *Quid differat à lege.*
3. *Ejusdem requisita.*
4. *Solvuntur opposita.*
5. *An ad consuetudinem pariendam actus judiciales esse oporteat.*
6. *Quando consuetudo obtineat vel minùs non decennio sed arbitrio judicis finiendum.*
7. *Mores Saxoniæ in consuetudine introducenda.*
8. *Consuetudo pro usu patrisfam.*
9. *Pro Præscriptione.*
10. *Quomodo testibus probetur.*
11. *Mores Galliæ in hac re.*

12. Con-

12. *Consuetudo notoria non eget probatione.*

13. *An credatur Doctori de consuetudine testanti.*

14. *Aliarum gentium jus ad dispositionem juris Rom. relatum.*

DEficiente † jure scripto consuetudo succedit. Si de ea non con- 1.
stet, succedit id quod proximum & consequens ei est. *hic. & gl.*
1. *C. quæ sit long. consf.* Eo verò deficiente, obtinet jus quo urbs Roma utitur, *hic & ll. Seqq.* Consuetudo † verò jus non scriptum dicitur, idque ad differentiam legis quæ plerumque scripto concipi solet. 2.
Vnde quæsitum est, an ad essentiam legis requiratur scriptura, Qua in re admissa est Schraderi distinctio, qui ait juxta receptam Doctorum sententiam, inter jus scriptum & non scriptum non essentiale, sed tantum accidentale discrimen esse, quod alterum pictura literarum conceptum fit, alterum moribus aut usu. *Schrader. tr. feud. p. 9. princ. & p. 2. sect. 3. num. 115. & seq.* Forma enim utriusque ratio est, uti causa utriusque efficiens, populi consensus, *per vulg.* Denique requisita consuetudinis sunt, † Tacitus populi totius vel majoris partis consensus, *hic & l. seq. junc. l. quod maior. 19. Ad municip.* Continuata actuum similium frequentia, *l. nam imperator. 38. inf. eod.* Itemque dein' ratio, *de qua ag. mus in vers. ult. huius l.* Quod verò alij perhibent actus binos sufficere. *gl. Bart. Jas. hic.* id nec legibus nec rationi convenit, eoque nec moribus receptum. Neque enim exemplis, sed regulis judicandum est. *l. nemo. 13. C. de Sent. & interloc.* eoque necesse est ut idem contigerit sæpe & frequenter. *l. 1. C. quæ sit lon. consf. l. 3. §. fin. De testib.* Frequenter autem non fit quod fit bis aut ter. Nec ad † rem facit l. 3. C. de episc. aud. quia ibi non agitur de inveterata consuetudine provinciæ vel civitatis, de qua modò dissertio est: sed per hyperbolen de moribus hominis unius. An † verò actus modò judiciales esse oporteat, non videtur. Quòd in his non tam judicandi authoritas, quàm tacita populi conventio, diuturnis moribus recepta, considerari solet, *l. 1. inf. & l. sed & ea. eod.* Nec mutat l. 2. inf. h. t. quia ea potiùs contrarium innuit, nimirum videndum in consuetudine, anne quãdoque ea contradicto judicio sit firmata, nam & inde colligas eam sine judicato subsistere, sed authoritate sententiæ nihilominus non leviter muniri. *Gail. 2. ob. 31. num. 8. alleg. Bart. hic. num. 13. Jas. 41.* Revera enim sententia declarat potiùs consuetudinem quæ est, quam faciat eam quæ non est. Planè † quod interpretes diuturnitati consuetudinis decennium tribuunt. *gl. & DD. hic.* id perinde nec juris authoritate probatum est. Iure quidem huic rei statuta annorũ plurimorum observatio est, *d. l. sed ea quæ. h. t.* antiqua & tenax approba-

probatio. *l* 3. C. *de long. conf.* Vsus longævus *d. tit.* inveteratus populi consensus. *hic.* consuetudo semper observata. *l. sine harede.* §. *pen.* De *adm. tut.* Quibus verbis omnibus designatur tempus potius infinitum & decennio amplius. Nec mutat tit. C. de longi temp. 10. vel 20. ann. præs. quo longum tempus dicitur decennium: quia id ita est in præscriptione certo tempore definita. Rectiùs proinde ceteri qui totum hoc an consuetudo invaluerit vel minùs, prudenti judicis arbitrio relinquunt. *Azo in sum.* C. *quæ sit lon. conf.* Duar. c. 11. *in h. t. circa fin.* Cuiac. 20. *ob.* 1. *Bal. in l.* 3. C. *de Episc. aud. Petr. Salas. in tr. de usu & consuet. c.* 7. *num.* 1. *ubi ait Bart. huic sententiæ cōsentire.* Dominus Bronchorst. *Cent.* 1. *Enant. c.* 8. Moribus quidem Sa-
7. xoniæ, † ut minimū requiritur lapsus 31. annorum & 6. septimanarum. *Ius Provin. Sax. lib.* 1. *art.* 29. Sed aliàs id plerumque arbitrarium est. Denique † illud prætereundum non est quod patrisfamilias etiam quædam consuetudo, id est, agendi loquendi usus dicatur, *not. in l.* 3. C. *de ep. aud.* Quemadmodum & apud juris magistros,

Saxonia ius Provinciale

8.

9. consuetudo † pro præscriptione usurpatur non raro. At hoc cùm fit, minus propriâ significatione utimur. *Raven. in alleg. consuet. Pet. Salas. in trac. de Vs. & Cons. c.* 8. *num.* 1. 2. 3. & 4. Consuetudo verò quia facti est, probanda venit. *arg. c.* 1. *de Const. in* 6. Probatur autem
10. † testibus, qui unà causam scientiæ perhibent. *Gail.* 2. *obs.* 31. *nu.* 15. *cum ibi alleg.* Tutius támen est interrogationes testimonij ejus gratiâ per tribus, curias aut centurias deduci. Cuiac. 20. *ob.* 1. Et hoc
11. olim in † Gallia usitatum fuit, ac postea Constitutionibus Regijs mutatum; cautumque est, ut deinde mores regionis cujusque, formidandi sumptus causâ, exciperentur scripto. Si igitur postea consuetudo invaleat nova, consultum est ei cujus interest ut privilegio impetret, quò consuetudinem ordinarijs remedijs sibi liceat pro-
12. bare. *Imbert. Rupell. lib.* 1. *Inst. for. c.* 43. *in fin.* Consuetudo † tamen notoria probatione non eget. *Gail. d. lo. n.* 17. *cum innum. ibi alleg.* Ea enim, uti jus quodcunque judici ex officio supplenda est. *l. un.* C. *ut*
13. *quæ des. pat. adu. iud. suppl.* Sed & Bartolus † perhibet credendum eximio Doctori de cōsuetudine testāti. *Bart. hic. n.* 44. *in prin.* Quod tamen Iason vix probat. *Ias. hic. num.* 88. *Menoch. cons.* 407. *n.* 25. Temperanda proinde utriusque sententia est, ut quidem præsumptionem ejusmodi attestatio pariat, sed quæ contraria probatione queat refelli.

Mores Gallia.

14. Ad id verò † quod consuetudine deficiente, dicitur recurrendum ad mores civitatis Romanæ fore, *hic.* & *c.* 1. *dist.* 12. singulatim notandum, Gallos, tametsi imperio Romano non parent, nihilominus ejusdem jure uti. Idémque ità est in Hispania. Licet utrobique leges Re-

Mores Gallorum.

ges Regiæ pro statu temporum non pauca mutarint. Perinde & Saxonum jure Poloni, Lituani, Lusati, Silesij utuntur, licet illos nullâ ratione imperio contingant. *Petr. Rois. in præf. decis. Lituan.* *Polonorum ius ad Saxonia ius directum.*

1. Leges per desuetudinem abrogari.
2. Explicatur l. 2. C. quæ sit longa consuet.
3. Ratio Quartum consuet. requisitum.

VERS FINAL.] Receptum est † ut leges per desuetudinem abrogentur. *hic & § pen. Inst. tit. 2.* Nec mutat † l. 2. C. quæ sit long. consuet. ubi relatum est usus longævi authoritatem tantam non esse ut rationem vincat aut legem: quia id ita accipi oportet, quod sola longa usurpatio sine ratione contra legem rationemque ejus commissa, eam non abroget. Vti enim † lex ratione constat, ita consuetudo quoque quæ valeat in vim legis. *c. consuetudo. distinc. 1.* nam quod non ratione, sed errore primum dein consuetudine obtentum est, non est producendum in consequentiam. *l. quod non ratione. inf. h. t. & c. fin. ex eod.* Quæ verò consuetudo ratione constet in arbitrio judicis consistit, *not. Host. in sum. de consuet. vers. quia sit consuetudo. gl. in c. 1. verb. rationabilia. de const. in 6.* His positis supervacua Bartoli disputatio est, quâ prolixiùs inquirit, an consensus erroneus consuetudinem producat. *Bart. in § ex non scripto. num 8. Inst. de just. & jure.* quia enim expeditum est, ejusmodi usum in consequentiam non trahi, evenit etiam vim juris ei non inesse. Conservat etiam consuetudo legem quæ est. *l. ult. C. quæ sit lon. consc. c. in istis distinc. 4.* & quoties de legis interpretatione quæritur, ipsamet optima ejus interpres est. *l. si de interpretatione. inf. h. t.*

1. 2. 3.

Ad l. cum de consuetudine 34.

AD probationem consuetudinis magnoperè valent res judicatæ. *tex hic. fac. l. 1. C. quæ sit long. consuet.* Non tamen idcirco ad consuetudinem actus requiruntur judiciales, *dixi suprà in l. de quibus. eod. tit. num 5.*

Ad l. si de interpretatione 37.

COnsuetudo optima legis interpres est. *tex. hic.* Quod de interpretatione tacita accipiendum, cùm interpretatio juris omninò dubij soli principi sit reservata. *l. 1. C. eod.* Vide tamen quæ ponimus suprà, *in l. non ambigitur. eod.*

Ad l. Nam imperator. 38.

Rerum perpetuò similiter judicatarum authoritas, vim legis obtinet, *tex. hic*. Nec mutat l. nemo. 13. C. de sent. om. jud. quia ibi solummodo cavetur non esse judicandum exemplis, quod haud ita est in perpetuo similiter judicatis quæ consuetudinem jam effecere. *ut hic*.

DE CONSTITVTIONIBVS PRINCIPVM.

TIT. IV.

Ad l. 1.

1. Principis constitutio quæ.
2. Iure Can. quæ Constitutiones dicantur.
3. Consuet. Germ. & Gal.
4. Privilegia quæ.
5. Conciliantur opposita.

Post legem regiam, quâ populus omne imperium in Principem transtulit, quod ipsi placuit, legis habet vigorem, sive id edictum,
1. sive rescriptum, sive interlocutio sit †. *ut hic*. Sed quod de interlocutione dico, id ita verum est, si constet, voluisse principem, ut edicti vim obtineret. *l. 2. & 3. C. de legib.* Eaque placita ferè Con-
2. stitutionum nomine venire solent. *ut in h. t.* Iure † quoque Cano- *Ius Can.*
nico Constitutiones dicuntur Statuta cōciliorum authoritate Pontificis Romani, Patriarcharum, Primatum, vel Metrapolitanorum, & decreta, quibus jus Canonicum constat, *c. 1. & 3. distinct. 1.* Qui-
3. bus hoc † ex Moribus Germaniæ addendum est, Constitutiones ho- *Consuet. Germ. & Gal.*
die non fieri præterquam in plena principum & ordinum congregatione. Tametsi Dñs Imperator quotidie privilegia tribuat solus. Quod & in Gallia servatur.

§. PLANE.] Quod Princeps † uni modo personæ indulsit, perso-
4. nam ejus non egreditur, & privilegium dicitur. *ut hic*. Nec mutat
5. † l. si quis 3. Quod quis. jur. in alt. stat. quia ibi agitur de jure quod quis postulatione propriâ contra tertium impetravit, hic verò de privilegio alicui merâ principis liberalitate concesso. Minùs verò ad rem

ad rem facit l. ult. C. de fruc. & lit. exp. quia ibi privilegium circa litium expensas alteri tributum, idcirco adversario communicatur, ut in judiciis servetur æqualitas; & ne is qui minores expensas faceret, alteri facilè molestus sit. *fac. l. pen. C. de postul.*

Ad l. Beneficium. 3.

1. Privilegia interpretanda plenissimè.
2. Quomodo id accipiendum.
3. De potest. Principis in bonis adimendis.
4. Ius Canonicum.

BEneficium seu † privilegium Principis plenissimè interpretandum est *hic. & l. 4. de jure imm.* Id ita est, si liberalitatem concedentis spectes. nam † si jus tertij consideres, cavendum est, ne interpretatione ejusmodi alteri præjudiciũ fiat, *l. 1. §. merito & §. si quis à Principe. Ne quid in lo. publ.* aut privilegium egrediatur personam. *l. . sup. cod.* De potestate verò Principis in bonis privato adimendis alibi pleniùs agimus. *in l. ucium. 11. De evict.* 1. 2.

Plane iure † Canonico concessio beneficij ecclesiastici strictissimè accipienda est, cùm habeatur ambitiosa. *c. quamvis. de præb. in 6. ubi gl. & Panor.* 4.

DE STATV HOMINVM.

TIT. V.

Ad l. 3.

1. Hominum summa divisio.
2. Servorum usus moribus sublatus.
3. An quis operas suas per omnem vitam locare queat.
4. Iure Can. Monachi pro servis.
5. Ascripitij an servi an liberi sint.

HOmines † aut liberi sunt aut servi. *tex. hic.* Hoc ita priscorum temporum respectu, sed moribus Christianis obtinuit, † ut servorum usus nullus esset. Famuli enim nostri conductitij sunt. Unde quæsitum est, an quis famulus † in perpetuum operas suas locare queat lege locationis. Dubium movit, quod eà ratione fraus 1. 2. *Consuetudo Europa Christiana.* 3.

quædam fieret consuetudini receptæ; & tametsi id Accursius vix admittit. *gl. in l post certi. C. de lib. caus.* Alibi tamen contrà perhibet *gl. in l. antiquitas, verb. nunquam C. de usufr. & in l 3. ad verb. reverti. D. de usufr.* quia nimirum obligatio ea ad factum sit, & obligatus præstatione ejus quod interest liberetur *communem dicit Schneid. ad §. fin. de jure pers. num. 7.* Ego rem ita explicandam existimo, ut obligatio quidem eo modo contrahi queat; idque argumento colonorum adscriptitiorum, itemque juris feudalis evincitur, nec obstat consuetudo servitutis sublatæ, quia famulus est, nec ipse nec posteri ejus servi fiunt, aut alienari inviti queunt, sed solummodo se ad operas obligant. Planè si quæras an præcisè ad præstationem operarum in perpetuum compelli queant, alia quæstio est: in qua cum plerisque dicimus, si quæ gravior ratio impedimenti sit, rem ita censendam, ac si præstare operæ perpetuo non queant, eoque præstatione ejus quod interest famulum liberari. Sed quod ad minimam summam redigi velim. *l. ult. De præt. stip.* cùm versemur in re utcunque odiosa, quam extendi non oportet. *c. odia. de reg. jur. in 6* At hic addendum † ex I. Can. est, quod Mona-
4. *Ius Canonicum.* chi quantum ad eorum bona attinet, habentur pro servis; cùm & mundo mortui censeantur, & acquisita monasterio parent. Hoc tamen in servitutem veram non cadit. Planè adscriptitij, quorum usus
Mores huius seculi. 5. † etiamnum ex jure antiquo superest, licet videantur servi, servi tamen non sunt. *l. 2. C. de cap. civ. cens. exim. Cujac. ad rubr. C. de agr. & cens. lib. 10.*

Ad l. libertus. 4.

1. Servitutis origo.

2 *Causa.*

3. Servus an quis sine domino sit, & quomodo dicatur.

1. SERVITUS EST CONSTITUTIO IURIS GENTIUM.] Id de origine † & causâ servitutis primò institutæ accipiendum est.
2. Nec mutat † igitur quòd quidam servi jure civili fiunt: quia id de secunda servitutis causa intelliges.

QVA QVIS DOMINIO ALIENO.] Quia relatio est à servitu-
3. te ad dominium, † servum neminem sine domino esse manifestum fit. *per hunc tex.* Singulare proinde est quod hæreditas etiam servos habet: quippe quæ personam domini in hoc repræsentat. *l. denique 13 §. quæsitum. Quod vi aut clam.* licet aliàs res hæreditaria in nullius bonis sint quamdiu hæres non existit. *l. 1. in princ. inf. l. tertdin.l.*

in l.3.in princ.inf.de pecul. Denique, quando homo liber, cujus ususfructus venditus est, servus nominatur. ut in l.si usumfructum 3.inf.de lib.caus. Itemque servus manumissus, cujus ususfructus alienus est, ut Ulp.in §.servus tit. de libert. (is enim hodie ex Constitutione Iustiniani liber est, licet quasi servus apud usufructuarium degat. l.1.C.comm.de manumiss.) quia relatio propria non subest: metaphora utimur, desumpta à propria serviendi qualitate.

Ad l.& servorum.5.

1. Vox conditio quid hic designet.
2. Conditionis significatio diversa alibi accepta.
3. Servi olim fiebant.
4. Servitutum usus hodiernis morib. sublatus.

ET SERVORUM UNA EST CONDITIO.] Conditio hîc statum significat: nam si eam accipias pro servi munere, aut serviendi qualitate, non una ea est, sed vel maximè varia, l.sed si quid. §.1.inf. De usufr.leg.& l.ult.§ fin.inf De aedil.edic. §.1. Servi olim fiebant quicunque ab hostibus capti. tex.hic.& alibi in jure nostro saepe. Id moribus hodiernis non ita est, quia bello inter Principes Christianos capti, servi non fiunt, sed pretio redimuntur. Nisi quod prisco jure contra Turcas utimur. Quanquam & res bello interceptae etiamnum inter Christianos hostium fiant. Schneid. ad tit.Inst.de jure pers.in princ.num. 10. Sed hoc de mobilibus acceptum est, immobilia enim manent eorum quorum antè fuere; nisi fortasse ex singulari delicto in fiscum redigantur. 1. 2. 3. Consuetudo Europa. 4.

Ad l.eum qui in utero.7.

1. Qui in utero est pro jam nato habetur, ita tamen ut alteri non (prosit.
2. Conciliantur opposita.& num.3.

GEnerale est, eum qui in utero est, pro jam nato haberi quoties de ejus commodo agitur. Alij tamen priusquam nascatur non prodest. ut hic & l.quod dicitur. 131. de verb.sig. Quod ergo matri accusatae partus eatenus cõmodo est, ne quaestioni subjiciatur, multò minùs supplicio afficiatur extremo quamdiu nõ est editus. l.imperator.18.h.t.l.3 inf. De poen. id magis partus gratia fit, quò is maneat illaesus, quàm ut ipsa mater ob hoc excusetur. Quemadmodũ & è diverso, quod needum nato collatio non fit. l.ult.de coll. idcircò accidit, quod incertũ sit, an nasci debeat, vide quae post.mus.ad d.l.ult. De coll. 1. 2.

C 2 Ad l.im-

Ad l. Imperator. 8.

Hæc lex pertinet ad ea quæ de fide testium contra instrumẽta admittenda alibi ponimus. *Vide in l.2.inf. De fide instr. Vbi & hæc relata est.*

Ad l. quæritur. 10.

Consuetudo Feudalis. Hermophroditus ejus sexus judicatur qui in illo prævalet. *text. hic.* Quod [1] in feudis etiam servari ex Baldo Costalius annotat. *Cost.hic.* & magis est.

Ad l. Paulus 11.

De consensu parentum in nuptiis liberorum requisito, alibi plenè agimus. *Vide quæ ponimus latè infrà, in l.2. De ritu nupt.* Vbi & hæc relata est.

Ad l. non sunt. 14.

1. Monstrosi partus liberorum loco non sunt.
2. Quatenus id ita sit.

1 Monstrosi partus [1] liberorum loco non sunt. *ut hic*, ideoque nec testamentum rumpunt. *l.3.C. de posth.hær.inst. l.ostentum.De*
2 *verb.sig.* Si tamen commodum [2] ex enitendo spectemus, parentibus ferè prodesse solent, neque enim quod fato accidit, parentibus damno erit. *l.quæret.135. De verb.sig.gl.& Bart.hic.* Quamobrem rectè Costalius autumat, ubi numerus liberorum parentibus commodo est, ut in excusatione tutelæ & similibus, ibi & prodigiosa pro liberis esse.

Ad l. in orbe. 17.

Vide ad hanc l. quæ ponimus infrà, *ad l. Roma. D. ad municip.*

l. Imperator. 18.

Relata est supra, *in l.7.eod. tit.*

Ad l. cum legitimæ. 19.

Vide quæ scripsimus infrà, *ad l.2. De nupt.*

Ad l.

Ad l. homo liber. 23.

1. *Argumentum legis.*
2. *Conciliantur opposita.*

INgenuè natus † posteaque servus factus, si manumittatur, statum nativum non recipit. *ut hic & l. cum pacto. 40. De lib. caus.* Nec mutat † §. fin. Inst. de ing. quia ibi agitur de manumissione ex servitute injusta vel facti. 1. 2.

Ad l. lex naturæ.

Ex illegitimo coitu nati sequuntur matrem. *ut hic & l. 2. unde cognati. ubi vide.*

Ad l. ultimam.

LIbertus à patrono adoptatus, nihilominus manet conditionis libertinæ. *ut hic.* Attamen in familia patroni consequitur jura ingenuitatis. *l. sciendum. 32. De ritu nup.*

DE HIS QVI SVI VEL ALIENI IVRIS SVNT.

TIT VI.

Ad l. 1.

1. *Servitutis jus Moribus sublatum.*
2. *Quando id acciderit.*
3. *Servitiorum usus reductus.*

§. IGITUR IN POTESTATE.] Dominorum † in servos potestas, adeoque servitiorum jus omne, diu in Europa universa sublatum fuit. Sed & Bartolus † annotat suo quoque tempore fuisse id absoletum. *Bart. in l. hostes. De capt. & postl. rev.* Quod & Panormitanus animadversione dignum censet. Fuerunt tamen Friderici Secundi Imperatoris, in Placitis regni Neapolitani, de servis fugitivis Constitutiones. Vixit autem Fridericus A° 1212. Bartolus verò A° 1309. Unde probabile est, post Friderici tempora servos esse desiisse. Bellis † tamen quæ à Lusitanis, reliquisque Hispanis in India & 2. 3.

dia & Africa locisque finitimis hodie geruntur, effectum est, ut ex Indis, Turcis, Barbarisque quàm plurimis, servorum usus reducatur. De iis igitur jus omne quod de servis proditum est, servamus. Nisi tamen quid aliud regionum lege aut consuetudine singulari pareat introductum.

Ad l. 2.

1. Libera in servos potestas quanta sit.
2. Conciliantur opposita.
3. Fuga in Ecclesiā delinquentibus ingenuis parata sit quādo.
4. Iuris Canonici diversitas.
5. An servis injuria fiat.
6. Dominorum in ascriptitios potestas minor.

1. Libera quidem † dominis in servos potestas est, plenissimaque coercitio, *l. locum. 17. §. 1. inf. De usufr.* nimia tamen domini asperitas cohibenda est, ad ò ut & officio Magistratus interdum cogi possit, servum alienare. *l. ex. hic. & § sed hoc tempore Inst. eod.* Nec
2. mutat quód † alibi relatum est, culpandam quidem nimiam domini sævitiam, non tamen cohibendam. *l. si constante. 24. §. si maritus. Sol. Matrim.* quia id de sævitia pro modo delictorum domino usitata accipi oportet, cùm hîc agatur de crudelissima & maximè immani. Propter eam igitur servis ad ecclesiam confugere licuit.
3. Quod hodie etiam † in ingenuis delinquentibus admissum est. Nec eum qui eò confugit, facilè abstrahere licet. *l. 2 C. de his qui ad eccles. confug.* Ni fortè delictum atrox sit, verbi gr. homicidium aut adulterium. *Novell. de mand princ. c neque autem homicidis.* Sed Iure
4. Canonico † ne quidem ob grande delictum abstrahi posset, nisi in ipsa Ecclesia deliquisset. *c. fin. junc. c. inter alia. de imm. eccl.* aut ex proposito. *c. 1. de homicid.* *Ius Can.*

5. INFAMI INIURIA AFFECTOS.] Inde quæritur, an servis injuria fiat, quod magis est, si æquitatem naturæ spectes. *ut hic & §. pen. Inst. eod.* juris tamen civilis intuitu non quidem servis, sed in eorum personis domino injuria fieret. Habentur enim servi jure nostro pro mortuis. *l. quod autem. 32. l. servitutem. 209. De reg.*
6. *jur.* Denique si † prisci principes eâ tempestate qua servitutum jus adhuc integrum fuit, sævire dominos in servis supra modum vetuerunt: multò accuratiùs cavendum etiamnum est, ne qui dominis ascripti- *Consuetudo in ascriptitios severior mitiganda.*

ne ascriptitiis suis abutantur instar servorum. Proinde consuetudines locorum hac in re quàm maximè mitigandæ sunt ex bono & æquo; ne vel infrenis dominorum potestas sit, vel petulantia colonorum, quàm par est, major.

Ad l in potestate. 3.

1. *Qui liberi in patria potestate sint.*
2. *An jus patriæ potestatis cesset apud Francos.*
3. *Apud Belgas patria potestas quanta.*
4. *Ius Gallicum, Saxonicum, Belg.*
5. *De bonis à compatrib. datis.*

IVre Romano † filij ex justis nuptiis nati in potestate patris sunt *hic & tit. Inst. de patr. potest.* Vnde consequitur, naturales non legitimos in potestate non esse. *convenit l. fin. inf. eod.* Patria autem potestas adeò olim ampla fuit, ut & impunè filium occidere liceret. *l. in suis. 11. De lib. & posth.* quod tamen postea absoletum est. Reliqui verò ejus juris effectus ab aliis referuntur latè, *a gl. & aliis in §. ius autem. Inst. de patr. pot.* Quod verò † Accursius annotat jus patriæ potestatis apud Francos cessare *gl. d. lo. quam laudat Bal. in c. 1. an mar. succed. Vx. in benef. Costal. hic.* id Imbertus, accuratior Iuris Gallici author de moribus temporum glossatoris, dictum putat. Iam enim communi Galliæ consuetudine receptum perhibet, Quod filij 25. annis majores etiam cœlibes pro emancipatis habentur. *Imbert. in Enchr. Iu. Gall. c. Gallorum filij. pag. mihi. 193. cum ibi allegatis.* Licet eodem capite *in princip.* scripserit, filium usque ad 20. annum in patris potestate esse, nisi seorsim habitaret annū & diem. Quod tamen cum moderamine accipiunt, si proprium negotium annum & diem tractarit. Planè tametsi patria potestas ab eo tempore quodammodo exspiret, magis tamen dicimus reverentiam & authoritatem naturalem adhuc durare. Quod singulatim † de Moribus regni Arragonum relatum est, quibus patriam potestatē quidem sublatam perhibent, sed authoritatem naturalem nihilominus durare. *Martin Monter. lib. 1. decis. Arrag. c. 32.* Denique & apud Belgis † ferè perinde servatur, unde liberi de adventitiis proprioque lucro quæsitis, etiam non solenniter emancipati, liberè testantur, donatū à patre jure quærunt, fructus rerum peculiarium habent, præterquam si substantiā bonorum maternorum exigua sit. Eo enim casu pro obventibus bonorum liberi à parentibus ali

1\. *Gallorum consuetudo.*

Mores regni Arragonum.

Mores Belgarum. 3.

solent, donec vel vicesimum quintum ætatis annum excesserint, vel matrimonium sint ingressi. Post alterutrum enim horum, patria potestas finita intelligitur, & filij sibi res suas habēt; nisi anteà consensu patris separatim habitarint, resque ipsi suas egerint. Quod
4 ipsum & Galliæ † ac Saxoniæ moribus admissum est. *Imbert. d. lo. Const. Iur. Sax.* 10. *par.* 2. adeoque Germaniæ totius, ut usus docet. Quanquam id hodie, in Europa saltem, apud plerasque gentes receptum videtur. *Pet. Greg.* 11. *synt.* 10. *num* 10. *Zas. in l. mirum. De V. O.* Belgicæ tamen moribus pater, magnæ substantiæ quàm liberi habent Vsufructu non frueretur. Hoc ita, nisi mater adhuc superstes esset, & filio aliunde bona obvenissent: hoc enim casu receptum est, patrem iis frui, donec filius liberatur, vel habitatione se-
5. parata, vel matrimonio. De † his quæ liberis à compatribus ex consuetudine in baptismo dari solent, videamus. Et quia illa in speciem tantùm liberis conferuntur, re verò ipsâ parentibus dantur in sumptuum diminutionem: Vsitatum videmus, parentibus tam dominium eorum quàm fruendi commoditatem quæri. Nisi tamen lege donationis aliud esset cautum. *arg. Auth. excipitur. C. de bon. qua lib.* Ad profectitia quod attinet, magis est ea etiam moribus nostris parentibus acquiri, nisi vel aliud actum pareat, vel in separatione habitationis filio sint relicta. *arg. l. si Sticho.* 53. *De pecul.*

Mores Galliae et Saxoniae.

Ad l. filium. 6.

1. *Filius quis.*
2. *Si maritus diu domo absfuerit, an natus præsumatur filius vel minùs.*
3. *Conciliatur l. 1 §. idem Iulianus inf. De lib. agn.*
4. *An marito neganti filium credatur.*
5. *Matre adulterij convictâ, an filij illegitimi sint.*
6. *Filius in dubio præsumitur legitimus.*
7. *An ex eo quis filius præsumatur, quod tanquam filius sit tractatus aut educatus.*

1. Filius est † qui ex viro & uxore ejus natus est. *tex. hic. & l. quia. inf.*
2. *De in jus voc.* Si tamen maritus tam diu domo abfuerit †, ut constet, infantem tempore absentiæ natum, filium ejus non esse, aliud est, Vti & aliud est, si infirmitas intervenerit talis quæ facultatem
3. generandi sustulerit aut prorsus impedierit, *tex. hic.* Nec mutat †.

l. 1. §.

l. 1. §. item Julianus, inf. De lib agnosc. Ubi inspectâ editione vulgata contrarium refertur, *in vers. si quis longo tempore abfuerit.* Conjungendus enim is versiculus est cum verbis superioribus: esse videlicet satis injuriosum, ut is qui post longum tempus redit natum agnoscere cogitur pro suo. *Anton. Aug. 1. emend. cap. 9.* Plane ex leviuscula causa marito affirmanti, filium suum non esse †, fidem non habemus. *tex. hic. in verb. non tamen ferendum Julianus ait.* Quod admitti oportet, etiamsi maritus juramento firmaret, filium suum non esse, idémve in actis professus sit. *l. imperatores 29. §. fin. De prob. c. per tuas ex. eod. Bart. hic.* Amplius † Covarruvias autumat, si mater adulterij convicta sit, non tamen ob hoc filium illegitimum aut adulterinum haberi. Quod ut benignus est, ita moribus & communi Doctorum sententiâ probatum est. *Covarr. in tract. de Sponsf. par. 2 c. 8. §. 3 num.* 8. *Suar. in thes. sent. ad lit. f. num.* 182. Ratio est quòd in dubio quis præsumatur legitimus † *gl. & Panorm. in c. lator q. si fil. sint leg.* maximè quando de matrimonio constat. *Cas. de Gras. in decis. Rota Rom. decis.* 176. An verò quis probari † queat filius, ex eo quod à conjugibus tanquam filius educatus sit & tractatus, quæsitum est. & hoc quidem nonnullis visum est, *Anton. Butr. in c. transmissæ col. 3 qui fil. sint leg. Paleot. de noth. & spur. c. 22. num.* 5. *Covarr. trac. de sponsal. p. 2. c. 8. §. 3. num.* 6. Movet eos l. 1. §. ad quæstionem. De quæst. & tort. Alij non ita sentiunt. *Bal. consil. 180. incip. mortuo. lib. 3. & in c. per tuas de prob. Idem Bal. Cin. & Abb. in l. neque professio. C. de test* qui præsenti textu moventur. Quorum sententias ita conciliamus, ut oriatur quidem præsumptio ex educatione ejusmodi, quâ suppositum cum nō facilè credamus. *d. l. 1. §. ad quæstionem.* sed quæ non aliter ad plenam rei probationem conducat, quàm si actor unà doceat, se ex marito & uxore natū. *per hunc tex.* Ita responsi Satrapæ Sallandiæ in processu hæredū ab Haerst, de facto. Quanquam si is qui se filium contendit, si in quasi possessione ejus rei sit, ad probationem ulteriorem non astringatur, sed onus probandi contrarium, in adversarium redundet. *arg. l. circa. De prob.* Quod non ità foret si actoris partes sustineret ipse. *Fachin. lib. 1. controv. c. 73.*

Ad l. filiusfamilias 9.

1. Filius in publicis loco patrisfamilias est.
2. Quæ dignitates patriam potestatem solvant.
3. Doctor & Clericus an soluti patriâ potestate sint.
4. Ingressus Monastery potestatem patriam solvit.

5. *Quatenus id verum sit.*

1. Filius † in publicis causis loco patrisfamilias est, verbi gratiâ in administratione magistratus & tutelæ. *ut hic & l. cum Prator. 12. De judic.* Adeò etiam ut patrem ipsum cogere possit. *l. ille à quo. 13.*
2. *inf. ad SC. Tertull.* Non tamen † ob hoc in reliquis patriâ potestate solvitur, præterquam ob summam Patriciatus dignitatem (quæ nimirum in Senatoribus aut Consulibus, sed intimis Principum consiliariis & electis ipsis patribus competebat) *§. filiusfam. Inst. Quib. m. d. jus p. potest sol.* Quanquam Iure Novellarum omnis dignitas à curia liberans, patriam quoque potestatem solvit, cujusmodi est
Consuetudo communis. dignitas consularis, *auth. sed episcopalis. C. de episc. & cler.* Sed hoc de doctoribus † & clericis non ita dicimus, quoniam id nusquam
3. relatum est. *Bart. in l. prox. sup. h. t.* Rectè tamen dicimus, eos quasi castrense peculium habere, ut in eo saltem quasi patresfamilias sint.
4. Quod moribus obtinet. Denique & cõsuetudine obtinuit, † ut ingressu Monasterij patria potestas intelligatur soluta, licet quoad successionem maneat suus. *l. Deo nobis. §. 1. C. de episc. & cler.* Et verò tametsi Speculator contra disputat, *in tit. de statu monach. ut eum refert & sequitur. Faber in d. §. filiusfam Inst.* tamen sententia ejus de jure civili accipienda est. Cum moribus contrarium obtineat. Neque verò mutat quod multis in locis monachi etiamnum ab intestato jus succedendi habent. namque id & emancipati habent. *l. meminimus. C. de legit. hær.* nec tamen ob hoc subjecti amplius sunt paternæ potestati. Sed † de ingressu monasterij quod dicimus rectè acceptum est, si accedat consensus parentis. aliàs enim pater filium quasi ex Iure Quiritum vindicare posset, ut appositè Cujacius autumat. *in par. C. de manc. lib.*

Consuetudo de monachis patria potestate solutis.

Ad l. ultimam.

1. *Inviti liberi naturales vel emancipati non rediguntur in potestatem.*
2. *Quibus casibus id non ita sit.*

Inviti filij naturales vel emancipati non rediguntur in potestatem. *tex. hic.* Quod verum est, nisi quis filius infans sit, *arg. l. jubemus. 5. in fine. C. de emanc. lib. Bart. hic.* aut quem matrimonium subsequens legitimum reddat. *v. tex. & DD. in § fin. Inst. de nupt. Canonistæ. in c. tanta. Qui fil. sint legit.*

De Adop.

DE ADOPTIONIBUS.

Ad l. generalis. 2.

1. *Argumentum & phi.*
2. *Conciliata l. 39. De jure dot.*

1. ILLUD.] Spado † adoptare potest *tex. hic & inf. in l. 40. §. fin. h. t.* Hoc tamen de eo accipe qui vitio quodam naturæ generare nequit, quod accidit quando nimia frigiditas impedimento est. nam hic & matrimonium contrahere potest. *l. si servo. 39. inf. De jure dot.* Quod si Spadonis vocem † absolutè accipias pro eo qui castratus est, aliud dicimus. *l. adoptio. 16 h. t.* Differentia enim est inter spadonem plerumque ita dictum, & castratum. *§. sed illud. Inst. eod.* 1. 2.

Ad l. si consul. 3.

1. *Argumentum textus.*
2. *Ius Novum in patria potestate tollenda.*
3. *An quis in actu solenni duplicem personam sustinere queat, & quatenus.*

CONsul † vel præses filiusfamilias apud semetipsum emancipari potest vel in adoptionem dari. *tex. hic.* Sed jure † novo emancipatione iis non est opus, quia consul, præses, & quicunque à curiæ onere liberi (qui sint ij vide in l. fin. C. de decur, lib. 10.) quàm primùm ad dignitatem ejusmodi pervenerint, patriâ potestate intelliguntur soluti. *Novel. 81. c. 1.* Sed ad hanc legem † quæsitum est, an in actu solenni, quo plures personæ requiruntur, unus quispiam duplicem gerere personam queat, *à Bar. & aliis hic Cn. & Immol. in l. ille a quo. §. tempestivum, inf. ad Trebell. Bal. in proœm. C. §. ideoque.* magisque dicimus, id toties fieri posse, quoties vel nihil absurdi ex eo re sequeretur, vel aliàs id permitteretur diserto jure. *ut hic. & l. si plures. prin. inf. de pact. l. 2. inf. De Off. proc. & in l. Domitius. inf. qui test. fac poss. cum similib.* Sed in actibus jurisdictionis contentiosæ id admitti non potest. *l. ille à quo §. tempestivū. Ad Trebell.* Quemadmodum nec testis quispiam in causa sua esse potest. *per vulg.* 1. 2. 3.

l. 16.

Relata est *ad l. 2. §. illud* supra h. t. ubi vide.

Ad l. Adrogator. 22.

Vide ad hanc l. quæ scripta sunt infrà *in l. sed si plures*, 10 *§. in arrogato. De vulg. & pup subst.*

Ad l. post mortem. 25.

1. *De injusta emancipatione post mortem filiæ pater queri nequit.*
2. *Conciliatur & explicatur l 2. C. si advers. rem jud.*
3. *Intentio l. 5 C. ne de statu defunc.*

1. EMancipatione † factâ, pater post mortem filiæ, quasi illâ non jure peracta esset, queri nequit. *hic* Nec mutat † l. 2. C. si advers.
2. rem jud. namque ibi vivæ filiæ quæstio intelligitur mota. *Bart. hic.*
3. Sed neque ad rem facit † *l 5. C. ne de stat. def.* Vbi etiam post quinquennium à morte filij queri de emancipatione ejus permissum est: quia id de fratre accipiendum est, qui ob injustam emancipationem contendere potest fratrem non sui juris fuisse, eoque nec habuisse testamenti factionem. In proposito verò de patre agimus qui contra factum proprium venire nequit.

Ad l. non potest. 31.

1. *Argumentum hujus l.*
2. *Tres species quibus ea cessat.*

VTi filius naturalis vel emancipatus cogi non potest subire patriæ potestati, *l. ult. tit. praeced.* ita & pater è contrario ad emancipandum cogi nequit, *hic. & §. fin Inst. Quib. mod. jus patr. pot. solu. l. pen. in fin. inj. Si tab. test. nulla exst.* Sed hoc cessat. Primò si pater filiam peccare coegerit, *l. si lenonis.* 10. C. *de episc. aud.* Dein, si eam alias contra officium pietatis paternæ, peiùs tractaverit, *l. ult. si à par. quis manum.* Denique etiam si legatum sub conditione hac, agnoverit, si filium emancipet. *l. si cui legatum.* 92. *De cond. & dem.* In quibus casibus officium judicis extra ordinem implorari potest, quandoquidem aliàs inter patrem & filios constitutos in potestate, difficilius actio esset.

l. Adrogato. 40.

§. final.] Relatus est suprà *in l. 2. §. illud. h. t.* ubi vide.

DE RERVM

DE RERVM DIVISIONE ET QVALITATE.

TIT. VIII.

Ad l. 1.

§. Eæ autem.] Vide quæ ponimus infrà in l. 2.

Ad l. 2.

DIvidit *hic* Marcianus Res, in Communes, & quæ Vniversitatis, aut Singulorū sunt. Quod igitur *paulò ante in l. 1. sup. eod.* eædē divisæ sunt in publicas & privatas, publicæ intelligendæ sunt vel jure gentium universali publicæ. *ut in l. prox. inf. junc. l. riparum. princ. verb. publica jure gentium. inf. eod.* vel jure civitatum singularum. *d. l. 1. vers. quæ publica. sup. junc. l. in tantum. §. universitatis. Inf. eod. & l. inter publica. 17. De verb. sign.* Vide præterea quæ nos latiùs alibi. *lib. 3. Subtil. cap. 1.*

Ad l. in tantum. 6.

1. Argumentum principij hujus legis.
2. Conciliatur l. 7. §. cum in suo. De acq. rer. dom.

LIttus in quo ædificatum est, ædificij domino cedit, sed tam diu 1
modò quam consistit. diruto enim ædificio, dominium denuo commune est. *tex. hic.* Idque ita est, etiamsi justum præscriptionis tempus impositum habuisses. *l. præscriptio. 54. ubi dixi infra. De usucap.* Nec † mutat quod dicimus ædificium solo cedere, eoque & 2
in publico ædificatum videri commune. *per l. 7. §. cùm in suo. De acq. rer. dom. §. cum in suo. Inst. eod.* quia in proposito speciale est, ut littus ædificanti non cedat diutius quàm locus fuerit occupatus.

Ad §. 1.

1 An civis in causa universitatis testari queat, remissivè.

QVæ universitatis sunt singulorum non sunt. Vnde quæsitum est an collega vel membrum alicujus corporis in causa universitatis testimonium perhibeant. Quod infrà tractamus. *in l. nullus. De testib. ubi vide.*

§. penult.

§. penult.

1. *In sepulchrum commune mortuum inferre licet.*
2. *Explicata l. Sabinus.28. Com. diu.*

Vni etiam † ex sociis in sepulcrum commune mortuum inferre
1. licet. *tex. hic. & §. religiosum. Inst. eod.* Parumque ad † rem facit quod
2. dicimus, in re communi uni ex sociis nihil agere permissum. *l. Sabinus.* 28. D. *comm. diu.* quia id de mutatione propriæ qualitatis seu formæ acceptum est, in qua uni soli nihil facere permissum est. *l. cum duobus.* 52. *§. Item Mela. Pro soc.* Vnde promanat quod unus quidem mortuum inferre sepulcro communi potest; in locum purum verò quo is religiosus fiat, non item *§. religiosum. Inst. h. t.*

Ad l. sacra. 9.

§. 1.] Dedicatione Principis, vel alterius, principis tamen permissu factà locus quisque efficitur sacer. *ut hic.* Sed Iure Canonico sacrum locum facit Antistes loci. *Ius Can.*

Ad l. ultimam.

Quod hic dicitur Remus punitus quia muros transcendere voluerit: voluisse cum effectu delicti accipimus cùm aliàs nudæ cogitationis pœnam patiatur nemo. *l. cogitationis. De pœn.* Moribus tamen hodiernis muros transcendens capite non punitur. Sed in publica columna exponi solet, & ita infamià affici; aut alio modo puniri pro arbitrio judicantis. *Consuetudo communis.*

DE SENATORIBVS,

TIT. XI.

1. *Senatoris filius quis.*
2. *Senatore natus differt à filio Senatoris.*
3. *In Decurionibus idem juris quod in Senatoribus.*
4. *Infamia patri accidens post filij nativitatem.*
5. *E duobus regum filiis quorum unus jam ante partum patri regnum est natus, uter prior sit.*

Senatoris

SEnatoris † quoque filius est, qui natus est priusquam pater senatoriam dignitatem adipisceretur. *tex. hic.* Nec mutat l. Senator. 11. C. de Dignit. ubi refertur, Senatorem ante acceptam dignitatem filios habere privatos: in posterioribus enim verbis ejusdem legis elatum est, senatoriam eis dignitatem non invideri. Sed neque hoc cum parte priori pugnare putandum est: quia illa de functione glebæ accipienda est quam senatorij pendere solent, ut Cujacius *ibidem* ex C. Theodosiano explicat. Quæ tamen dein sublata est. *l. 2. & seq. C. de pratoribus. lib* 12. Etenim subtili † ratione differunt senatoris filium & Senatore natum esse. *arg. l. Titius. 25. De test. mil.* Quanquam prosit magis ante dignitatem esse natum, quàm nocet. *d. l. 11. C. & ibi Cujac.* Quod & de decurionibus constat † ex iuris nostri locis diversis. *l. 2. §. in filiis. l. moris. §. penult. De pæn.* Vti nec remotio Senatus post nativitatem patri adveniens, filiis nocet. *l. filium. inf. h. t. fac. l. imperialis. §. hic illud.* C. *de Nup.* Vter verò † è duobus Regis filiis, quorum primus ante quæsitum regnum natus, alter postea est, succedat, luculentâ disputatione Hotomannus tractat *in Q. Ill c.* 2. de qua judicio meo, in regnis hæreditariis & iis quæ jure feudi succedunt. Statuit rectè, ut censeatur regnum in... r bonorum vel juris cujuscunque post prius natum quæsiti. In eo nimirum nulla consideratio est, antè an post nativitatem primi acquisitum sit, proinde nec aliud statuendum hoc casu esse. Atque illud de Galliæ, Angliæ, Hispaniarum regnis censendum est. Quod quidem magis est, præterquam si regna ab electione dependeant. Vtpote in quibus constat liberorum jus perquam esse exiguum. *Videri potest Vincent. Cabat. lib. 1. Disp. c. 8. 9. & 10.* Ejusmodi verò regna sunt Daniæ, Poloniæ.

1

2

3

4

5

Ad l. emancipatum. 7.

§. final.]

1. Argum. textus.
In quibus is precedat vel minus.

QVi patrem & avum senatores habet, & filius & nepos Senatoris est, nec si pater senatu moveatur, ideò minus Senatoris nepos est. *tex. hic.* Nam nec alias casus patris nocere facilè filio sol[e]t. *l. filium. 9. inf. eod.* Vnde & nepos Senatoris Lege Iulia prohibetur libertinam ducere uxorem. *l. Lege Iulia. De Ritu Nup.* Planè in quæstionibus & torturis Divo Marco placuit, nepotes Senatorũ, quo-

rum parentes Senatu moti sunt, à plebeiorum quæstionibus non excusari. *l. Divo. 11. C. de quæst. Bart. hic.* Quia tamen Constitutiones novæ strictiùs accipiendæ sunt, id haud alibi quàm in torturis admittendum est. *V. Pac. Cent. 1. enant. c. 40.*

Ad l feminæ 9.

1. *Femina sequitur statum mariti.*
2. *Idque etiam ita est post mariti mortem.*
3. *Uxor sequitur forum mariti.*

1. FEmina † participat dignitatem mariti, proinde & si plebeia Senatori nupserit, senatoria quoque fit ipsi. Si è diverso persona clarissima plebeio aut inferiori nubat, ejusdem quoque conditionem sequitur. *tex. hic. & l. mulieres. C. de dign. lib. 12.* Nec defuncto
2. † marito plebeio illam recipit, uti & femina nobili nubens, defuncto marito manet talis. *arg. huius tex. Guid. Pap. in Decis. 380. &*
3. *378.* Perinde † nimirum ut forum ipsum quoque uxor à marito mutuatur. *d. l. mulieres. c. 1. ex. de cler. conjug. gl. in c. eos. 32. distinc. Panorm. in c. 2. de foro comp.*

l. Filiam. 9.

Relata est suprà *in l. 7. eod.*

DE OFFICIO CONSVLIS.

TIT. X.

Ad l. un. §. fin.] Vide quæ ponimus infrà *in l. apud eum. 14. De manumiss. quæ solet opponi. solut. vide ibidem.*

DE OFFICIO PRAEFECTI VRBI.

TIT. XII.

Ad l. Vn.

Ad §. Solent] Vide quæ scripsi infrà, *ad l. in eos. De tutel.*

1. Officium

1. Officium Præfecti.
2. Decurionibus quid Moribus Germaniæ permissum.

AD §. Cura.] Ad officium præfecti Vrbi pertinet, curare ut cario justo pretio præbeatur, *ut hic*. Non tamen ideo quis cogitur invitus sua vendere, justum enim est, cuique arbitrium committi suæ rei. *l. non enim. 9. inf. Rer. Am. l. nemo. 9. C. de Iudais*. Sed ordini decurionum cujusque civitatis pretium grani constituere non est permissum *l. 3. §. 1. Ad L. Iul. de Ann.* Quod tamen moribus absolætum est præcipuè in urbibus Germaniæ, liberis, ubi ea res plerumque ad authoritate curiæ spectare solet, vel duûmvirorum.

1 *Conciliatio l. ult. inf. eod.*

Ad §. Initio.] Commissa intra urbem aut centesimum lapidem ad cognitionem Præfecti urbi pertinent, *tex. hic*. Quod ergo principio hujus l. refertur, eum cognoscere de omnibus quæ accidunt in Italia, de Italia intra centesimum lapidem intellige. Nec mutat l. ult, inf. eod. nam ea agit de Præfecto urbem egresso, quia videlicet extra urbem potestatem in facinorosos non habet, licet jubere judicari possit.

Ad §. & Vrbe.] vide l. ult. inf. De pœn. & quæ nos in eam.

l. ultima.

Relata est suprà. *ad l. 1. §. cura. h. t.*

DE OFFICIO PRAETORVM. TIT. XIV.

Ad l. 1. & 2.

Vide quæ posuimus suprà, *in l. 3. De Adopt.*

Ad l. Barbarius. 3.

1. Argumentum legis.
2. Ratio dubitandi.
3. Barbarius an re ipsâ fuerit Prætor.
4. Quare acta ejus rata.
5. Conciliantur opposita.

6. Communis error an faciat jus. 7. Conciliantur opposita.
7. An acta per tabellionem qui talis re ipsà non erat, sint rata.
8. Conciliantur opposita.
9. Iuris Canonici diversitas.
10. An ob vitium testium post detectum actus insecutus rescindatur.

1. HÆc lex nonnullis difficilior † visa clariùs explicanda est: Quæsitum est, An quæ à Barbario Philippo servo fugitivo, qui populi suffragiis, ad Prætoriam dignitatem evectus erat, edicta, decreta fuêre, detecto errore forent rata. Quod utilitatis gratiâ ad-
2. missum est. Dubium movebat, Quod † servi munerum civilium participes non sunt. *l. cum Prætor. 12. §. fin. De judic. l. ult. ubi not. De Reg. Iur.* Nec igitur si ipso facto ad aliquam dignitatem sint provecti, functio munerum eximet aliquem à statu servili. *l. non mutant. 11. l. non idcirco. 38. C. de liber. Caus. l. 2. C. si serv. aut lib ad decur. aspir.* Proinde Barbarius † re ipsâ Prætor non fuit (aliter quàm
3. Bartolus sensisse visus est) maximè cum honores non fraude, sed legitimis gradibus aut mediis quærantur. *l. Herennius. inf. De decur.* Quod igitur acta ejus rata † fuerunt, humaniùs quidem admissum
4. est, quanquam stricto jure id vix ita foret. *tex. hic.* Nec † mutat L.
5. nulla. Qui & à quib. manumiss. lib. non fiant, quæ nullam libertatem asserit ab eo datam qui postea deprehensus est servus; uti nec quòd nullum dicitur judicium quod is qui postmodum servus apparuit, instituit per procuratorem *l. non idcirco. 44. §. 1. De judic.* Distinguenda enim sunt quæ quis servus privato nomine gessit, ab iis quæ multa, grandia, magnique momenti acta à servo putativo magistratu. quia hæc publicè authoritate Populi aut Principis (qui eum manumittere ex plenitudine potestatis possent. *per hunc tex.*) prævia gesta sunt; non item illa. *Hotom. in lib. Q. Ill. c. 17. Cujac. lib.*
6. *12. Ob. 33.* Si † tamen inde colligas communem errorem facere jus, graviter erribis. nam quod id in proposito admissum est, humanitatis causâ fit & publicæ utilitatis: proinde id in consequentiam trahi non oportet. *l. quod non ratione sup. De LL.* Neque verò id axioma ex l. 3. De sup. leg. stabilitur: quia ibi testatoris mens manifesta erat; eoque non impediente errore verborum, voluntas legantis perspicua, sortitur effectum. Quod igitur ibi error jus facere dicitur de nudo errore verborum accipiendum est, qui jus legarii ob non dubiam legantis voluntatem non impediat. Minus verò ad rem facit

rem facit l.3. Ad SC.Maced. quia ibi solummodo refertur justam facti ignorantiam juvare creditorem ne exceptione Macedoniani submoveatur. Sed disputatum est, An acta confecta † ab eo qui pro notario aut Tabellione habitus est, pro jure confectis habeantur? aut si quis se pro judice gesserit, cùm judex vel non esset, vel esse non posset, an sententia ejus justa sit? & admissum est, si quæ evidens utilitas subsit quæ conservationem actorum suadeat, non considerari an talis fuerit re ipsâ, sed an talis publicè sit habitus qualem se gessit. *per hunc tex. & l.1. C. de Testam. l.2. C. de sent. & interloc. & tex. disert. in Novell. 44. de Tabell. c.1.§. fin. in fin. verb. ipsis instrumentis propter utilitatem contrahentium non infirmandis. Bart. hic. Bal. præcipuè. in l.1. C. de Emanc. lib. Abbas in c.1. de fide instr.* 7.
Nec † mutat l. actuarios. C. de numerar. quia is textus demum ita procedit, si nulli utilitati per actorum infirmationem præjudicium fiat. Quod necessariò subintelligendũ est, ne actuarij munere functus, malitiâ suâ præjudicet publicæ utilitati. Denique & illud annotant, si qui in quasi possessione alicujus dignitatis vel juris patronatus est, postea comperiatur illud sustinuisse non jure, dein removeatur, eum qui præsentatus beneficium ab illo accepit, non removeri. *arg. hujus tex. Castall. hic post Bart.* Et hoc respondendum censui cum Prætore Ommensi defuncto, qui & unà Officialis Principis essendæ erat, filius ejus munus istud sine assensu Principis legitimo continuasset. Rata nimirum habenda utilitatis causâ quæ per eum erant gesta. Quod & Iure Canonico expressè statutum † est, modo collator tempore collationis in quasi possessione juris patronatus fuerit. *c. consultationibus. ext. de jure patron.* 8. 9.
Perinde si testes alicujus actus sint tales † qui jure non possent ad eum admitti, tamen aliis communiter idonei visi sunt, itaque sine contradictione testimonium dederint: ex vitio pòst aperto actus ipse non vitiatur, *d. l.1. ubi not. C. de testam.* Quod si nulla utilitas subsit, harum legum argumenta in consequentiam trahi non oportet. *l. quod vero. 14. cum ll. seq. sup. De legib.* 10.

Ad l. ult.

Vide posita infrà, *in l. 9. De Off. præf. & in l. 1. De jurisdict.*

DE OFFICIO PRAEFECTI VIGILVM.

TIT. XV.

Ad l. 3. §. 1.

AN incendium ortum præsumatur culpâ inhabitantium, quod multi hoc loco tractant, dicam infrà *in l. si vendita. 11. De peric. & comm. rei vend.* ubi vide.

DE OFFICIO PROCONSVLIS ET LEGATI.

TIT. XVI.

Ad l. 2.

1. Iurisdictionem contentiosam extra territorium suum nemo exercet. & 3.

2. Iuris Canonici ritus de beneficio extra provinciam conferendo.

3. Iuris Transisulaniæ diversitas.

1. PRoconsul aut similis † magistratus extra provinciam suam jurisdictionem contentiosam non habet, voluntariam habet. *te. v. hic.* Huic convenit, Quod Iure Canonico †, episcopus aut prælatus etiam extra territorium beneficium territorij sui conferre potest, *gl. & Panorm. in c. novit. ex. de Off. leg. per c. post electionem. de Concess. preb.* Sed hoc nec Iure † Canonico in jurisdictione contentiosa fieri possit. *tex. in d. c. novit.* vide quæ ponimus infrà, *ad l. ult. De jurisdict.* Moribus tamen † Transisulaniæ admissum est, ut judices unius territorij etiam in alterius territorio consensu partium jurisdictionem contentiosam exerceant, idque etiam ad instantiâ partis, quæ id sumptibus suis postulet, unius. Quæ consuetudo ob gravitatem periculi quod bellicis his tumultibus ab hostibus majus uno atque altero loco imminebat, originem sumpsit.

[Margin: 2. — *Ius Canonicum.* — *Ius Transisulaniæ.* — 3.]

Ad §. final.

1. An apud

1. An apud legatum proconsulis manumitti possit.

Quod † hîc dicitur apud Legatum proconsulis manumitti non posse, adeoque nec jurisdictionem voluntariam ullam esse, id intelligi oportet quamdiu provinciam non est ingressus. Obstat enim aliàs l. apud proconsulem §. 1. De Manumiss. vind. Certum quippe est, eum quàm primùm mandatam jurisdictionem in provincia suscepit, jurisdictionem habere. *l. 4. §. fin. l. 5. l. 12. h. t.* 2.

Ad l. observare 4.

§. Proficisci.] Proconsul uxorem suam unà in provinciam ducere potest. Sed ex SC. si quod damnum ex ea te fiat, ipse proconsul resarcire tenetur *tex. hic.* Quod in iis qui ad officia proficiscuntur, speciale est, quia aliàs maritus pro uxore conveniri non potest, & vice versâ. *l. 3. C. Ne ux. pro mar.*

Quæ verò pertinent ad §. final. relata sunt infrà, *in l. 1. De Off. ejus cui.*

Ad l. solent. 6.

Apud proconsulis legatum accusatio criminis institui non potest: cognitio tamen de iis qui apud proconsulem jam antè accusati sunt, mandatur legato non absurdè. *hic. & l. un. C. eod.* Quod verò tutor suspectus accusari apud legatum potest, id Severi & Antonini constitutione singulatim introductum est, ut nimirum pupillis quàm citissimè consulatur. *l. 1. §. an autem. de susp. tut.*

§. Sicut autem.] Hic §. pertinet ad ea quæ notavi infrà, *ad l. non quicquid. De judic.*

§. Non verò.] Quæ Bartolus & alij hoc loco de annua præstatione tractant, non ponuntur suo loco. Qui verò de ea multa requirit, videat integrum tractatum nostrum quem vulgavimus de Annuis Reditibus jam olim.

Ad l. nec quicquam. 9

§. De Plano.] Quando magistratus vel judex de plano cognoscat, tractamus infrà, *in l. 3 § sciendum. D. ad exhib.*

Ad l. legatus. 12.

Legatus mandata sibi jurisdictione, judicis dandi jus habet. *hic & l. 12. De judic.* Parumque ad rem facit l. 5. C. eod. quia ea agit de ju-

de judice dato seu delegato. Ab eo enim diversus est cui ipsa jurisdictio mandata est. *vide quæ ponimus infrà, ad l. 1. De off. ejus cui mand est jurisdic.& l. 1. De jurisdict.*

Ad l. pen.

Legati proconsulum tutores dare possunt.] Quod verum est, non quidem vi jurisdictionis sibi mandatæ, sed quia id Constitutione Divi Marci singulatim ei fuit permissum. *l. 1. §. infrà. De cur. & tut. dan.* Aliàs enim tutoris datio, uti ipsi proconsuli speciatim concessa, mādata jurisdictione non transfertur, adeoque ipsa mandari nequit. *l. nec mandare. 8. in princ. De tut. & cur. dat.* Quanquam hodie id etiam magistratibus municipalibus sit permissum. *l. 3. De Tut. & cur. dat.*

DE OFFICIO PRAESIDIS TIT. XVIII.

l. 2.

Relata est suprà, *in l. 5. De adop.*

Ad l. præses provinciæ. 5.

1. Magistratus se ipsum olim judicem non dabat.
2. Vetus judicandi mos remissivè.
3. Transisulaniæ judicum in cognitione & definitione causarum consuetudo.

1. IVdicādi munus olim + magistratui non incubuit præterquam in causis extraordinariis. Quamobrem nec se ipsum regulariter judicem dare, aut interponere causæ cognitioni ultra jurisdictionem sibi competentem potuit. *ut hic & l. 3. De Tut dat. & l. ult. su-*
2. *prà De Off prat.* Moris enim + erat ut ipse simplicius de jure partium statuendo actionem & exceptionem daret, ad facti verò cognitionem & pronunciationem judicem daret alium. *vide quæ nos la-*
3. *tiùs infrà in l. 1. De jurisdic.* Cui non ita dissimilis + mos in Transisulania Belgicæ provinciâ patria meâ obtinet etiamnum. Prætores enim seu Magistratus pagorum causarum quidem summariam cognitionem habent, & in levissimis rebus ipsi interdū interloquuntur, sed

tur, sed ad sententiam ferédam vel interlocutionem etiam alicuius præjudicij, eligere judicem ex circumstantibus tribunal tenentur. Et enim commendantur acta, quæ communicat dein cum Iurisconsultis, atque ita nomine quoque suo, subscripto tamen nomine ac manu Iurisconsulti, sententiam pronunciandam ad judicem refert.

Ad l. illicitas.

§. veritas]

1. Argumentum textus.
2. An judex secundum acta & probata, an verò conscientiam suam sententiam ferat.
3. Conciliantur opposita.
4. Quatenus probationes arbitrariæ sint.
5. Consilium judici utile quando aliter existimat factum atque probatum est.
6. Quando causa ocularem inspectionem requirit quatenus probationibus standum.
7. Supplendum jud. quod advoc. deest.
8. Princeps supremus an partium probatis sit astrictus.

QVod re ipsâ factum † constat aut probatur, ob errorem intervenientem vitiari non oportet, idcirco fidem eorum quæ probantur, sequetur præses. *tex. hic. & in l. 1. C. plus val. quod ag. l. fin. §. item quæsitum. inf. De jur. & fac. ign. l. imperatores. in fine. De Prob.* Ponamus conductorem ad tempus longum, juris factive ignorantiâ ductum, se gessisse tanquam emptorem & locatorem, vel ad hoc connivere, vel perinde juris factive ignorantia seductum ignorare, quòd perperam agat alter. Res nihilominus, si id probetur, conducta erit, & hoc in cognoscendo sequi oportebit. Tractant hoc loco plerique (licet vix suo loco) An judex † secundum sententiam aut scientiam, an verò secundum ea quæ probata sunt, judicare teneatur; puta, cùm ipse aliter quàm probatum est, factum sentiat aut sciat. Qua in re magis est, quod plerique probarunt, judicem alligari fidei probatæ arctissimè, strictissimè. *arg. hujus tex. Bart. hic. sequuntur Gl. Felin. & Canonistæ communiter in c. pastoralis §. quod verò ex. De Off. Deleg. Covarr. lib. 1. Resol. c. 1. & præcipuè. c. 2.* Quod verò Corrasius veterem glossatorem Martinum secutus, aliter sensit, id

ex eo confutatur quod judex qui contra probationes judicat, litem suam facit. *l. argentarius.* 10 §. *fin. De Eden. & arg. hujus tex.* Nec ad
3. † rem facit quod dicimus probationem judici faciendam, *l.* 12. *in fine De Prob.* itemque eam ferè esse arbitrariam. † *l.* 3. *De Testib.* quia id
4 verum est in dubio: nam si talis sit ut recipi eam oporteat jure, arbitrium ejus protinus cessat. *d. l.* 10. §. *fin De Ed.* Planè † si judex gra-
5. viùs putat contra notitiam, quam ipsemet se de facto habere existimat, pronunciare, judicis personam exuat; accusatoris denuo, vel testis, si causa eorum sit, ut hoc jure possit, suscipiat. Quod & Cujacius probat, *lib.* 12. *Obs.* 19. Hotomannus item. *lib. Quæst. Ill c.* 27. & Bodinus *in tract. suo de Repub.* Qui & ita Azonem consultum à præside Bononiensi, respondisse perhibet. Denique si res talis sit,
6. † ut ocularem judicis considerationem requirat, non quod fortè probatum erit, sed quod ipse adhibitis mensoribus, verum deprehendet, judicabit. *l. si irruptione.* 8. §. *fin. Fin. Reg.* Quod si fortè caput
7. aliquod † juris partibus aut eorum advocatis fuerit omissum, supplere id judex non potest modò, sed & tenetur. *l un. C. Vt quæ des.*
8. *part. adv jud. suppl.* Sed de Principe † judicioque ejus supremo nonnullis ita visum est, ut is & rem facti ex sententia conscientiaque suâ, supplere queat. Idque argumento ejus evincunt quod Sapientissimus Rex olim sine probationibus puerum controversum alteri feminarum adjudicavit. Quanquam re bene inspectâ Salomon ibi non ex conscientia contra quam probatum parebat: sed ex indiciis valdeque probabili præsumptione judicavit. In ceteris igitur tutiùs erit, etiam supremos judices personas interim suas deponere, & testimonij dicendi suscipere onus, Neque enim magistratus facilè faciet, quod Princeps ipse præstat difficilius. *Vide Dec. consil.* 699. *num.* 16. *Costal. hic. qui allegat. Guid. Pap. in Decis. c.* 29.

Ad §. qui universas.]

1. *An gladij potestas omnem coercitionem contineat.*
2. *Præses jus Deportandi non habet.*
3. *Conciliatio oppositi.*
4. *Locus quo gladij potestas ponitur pro omni graviorum delictorum coercitione.*

1. QVod hîc dicitur †, eos qui universas provincias regunt habere gladij potestatem, quæstionis monuit, An ubique gladij potestas omnem graviorem coercitionem contineat, magisque dicimus

dicimus id non esse perpetuum. *ut hic ubi damnatio in metallum à gladij potestate separatur. & l. 6. §. 1. De interdic. & releg.* Præses † enim jus quidem gladij habet, & in metallum damnandi *(ut hic.)* 2.
non tamen deportandi, quippe ob quod Principem consulit. *d. l. 6. §. 1.* Quod & Duarenus annotat. *Duar. hic.* Nec † obstat quod à majori ad minus hoc loco argumentari licet, ita, ut qui jus gladij habet, habeat & deportandi. Quia hoc argumentum non procedit in 3.
iis quæ lege alicui specialiter fuere concessa, ut rectè Cujacius monuit. *Cujac. in l. si quis. 6. §. eius qui. De iniusto & rup. test. Faber in l. 70. num. 8. & 9. de Reg. Iur. Vincent. Cabot. lib. 2. Disp. c. 5.* Est † tamen 4.
interdum quando gladij potestas pro omni graviorum delictorum coercitione accipitur, *ut in l. 3. inf. de Jurisd.* Sed hoc fit per metonomiam.

Ad §. finalem.]

An judex sententiam suam mutare possit, alibi pleniùs agimus, & quidem suo loco. *Vide quæ ponimus infrà. in l. quod iussu. De re iud.*

Ad l. Senatusconsulto. 16.

PRæscriptio temporis non nocet ei qui actione temporali agere non potuit, *iuxta l. 1. in fin. C. de Ann. excep.* Proinde & ei qui agere quodammodo cum præside aut ejus comitibus potuit, quia difficilem spem felicis eventus habet: quæ ob eam causam instituta non est, postquam quis eorum eà provinciâ excessit, restituitur. *ut in tex. latius.* vide quoque infrà, *in l. pars literarum. de Iudic.*

DE OFFICIO PROCURATORIS CAESARIS VEL RATIONALIS.

TIT. XIX.

Ad l. 1. §. fin.

Vide quæ scripsimus infrà. *in l. per procuratorem. de Acq. her.*

DE OFFICIO EIUS CUI MANDATA EST IURISDICTIO.

TIT. XXI.

1. Speciali lege concessa an transeant mandata jurisdictione.
2. Bartolus notatus.
3. Conciliantur opposita.
4. In casu absentiæ an gladij potestas mandetur.
5. An Iure Can. quid in hac re sit mutatum.
6. Consuetudo diversa
7. Castro in feudum dato ubi Princeps absoluto imperio usus est an transeat unà imp merum.

1 QUÆCUNQUE SPECIALITER † LEGE, VEL SENATUSCONSULTO, VEL CONSTITUTIONE PRINCIPUM TRIBUUNTUR, MANDATA IURISDICTIONE NON TRANSFERUNTUR.] Exempla sunt gladij potestas, *ut hic in §.1.* consilium exercere, *l.2.inf.eod.* decernere de transactione alimentorum. *l.cum hi. De Transac.* tutorem dare. *l.8. De tut. & cur. dat.* cognoscere de suspecto tutore *l.4.inf.h.t.* Sed † Bartolus parum aptè hunc

2 textum ita explicat, ut ex eo merum & mixtum imperium magistratibus majoribus privilegio concessum, mandare non possint. Cùm nihil pene horum in proposito referatur.

Igitur (ut ad rem) observandum est. gladij potestatem & reliqua quæ meri imperij sunt, ipsique jus dicentis officio non cohærent, mandatâ jurisdictione non transferri, adeoque nec ea separatim cuiquam posse mandari. *tex.hic. & l.nemo potest. 7. De R. Iur.* Nec

3 ad rem facit † l. solent, sup. de Off. procon. quia ibi non ipsa potestas, sed sola causæ cognitio post accusationē jam institutam, mandari posse refertur. Ipsa enim condemnatio & absolutio proconsuli reservatur expressè. *l.un.C. de Off.procon.* Perinde nec mutat *l. & legati. 15. de Off. proconf.* quia legato proconsulis Constitutione Divi Marci tutorē dare concessum est. Idemq; de cognitione suspecti tutoris judicandum *l.1.§.an autem. De susp.tut.l. cognitio.inf.h.t.*

4 In casu † tamen absentiæ merum quoque imperium mandari posse receptū est. *tex.hic* Exceptâ ipsâ gladij potestate. *Novell. 128.c. adhæc prohibemus. D. Bronchorst Popularis meus. Cent.1.enant.c.16* quā Nov. tamen Accursius, Bartolus, & alij de causæ ipsius cognitione & definitio-

& definitione accipiunt, ut potestas interim exsequendi maneat apud principalem *Gl.Bart.Cost.hic.Bal.in l.2. C. de pedan.jud.* quò & Cujacius inclinavit. *in operibus postumis ad Papinianum.* An + verò Iure Canonico merum imperium delegari queat, quæsitum est, & hoc quidem plerique probarunt. *gl.in c.quod sedem.de off.jud.del. Costal. hic.* Sed nusquam relatum est. ideoque differre in hac re Canones à jure civili non dicemus. *arg. c.1.& 2. de Novi op.nunc.* Nec ad rem facit c.in Archiepiscopatu. ex. de rapt. quia ibi de Rege agitur, id est Principe regni sui supremo. Tametsi enim regnum Siciliæ (de quo ibi) sit beneficium Ecclesiæ Romanæ, tamen constat plerosque Reges etiam aliorum vasallos, in gubernatione saltem, supremâ uti potestate. Minusque obstat c.licet.de off.vic. *in 6.& c.si episcopus.de off.ord.eod.lib. 6.* Vbi episcopo conceditur delegare causas criminales. Id, n. eò fit quia episcopis ipsis causas ejusmodi agitare non licet. *tex.in c.ult. ne cler.vel mon.* Planè si gravior causa subsit, absolutionem à delicto interdum committere licet. *c. ult ex.de off jud.ord.* At + morib. obtinuit ut speciali lege cōcessa ipsis magistratuū officiis cohæreāt, & mandentur hodie pro arbitrio. *Azo.in Sum.C.h.t.Ferrar.in l.nemo.De reg jur.Wesenb.in Par.h.t.n.3. Zas.in.l.3 inf. De jur.Marau. par.4. distinc 5.n.66.* Quod hodie in potestate Principū, Comitum & Baronū servatur in majori Europæ parte; præcipuè in Germania ubi Principes fere majore quàm alibi, utuntur potestate, licet olim solūmodo fuēre magistratus perpetui. 5. 6.

In qua tamen re delectus habendus est, ne cuique periculum alieni capitis committatur. Illud quæsitum est, + an castro à Principe in feudum dato cum pertinentiis & jurisdictione cohærente, ubi Princeps absolutissimo imperio uti solet, imperium etiam merum concessum videatur. Ego respondi rem in facto cōsistere, & si Princeps mero imperio in castro & territorio ejus sit usus tanquam ejusdem annexo, ipsum quoq; unà sub annexæ jurisdictionis nomine intelligi translatum. Nam merum imperium etiam jurisdictionis nomine venit haud rarò. *ut hic in verf.veluti.& l.si in aliam.7.§.fin.cum ll.seq.de Off. proconf. & hoc ferè Menoch.probat. lib.5.praes. c.97. Covarru.c 1.Pract.quæst. Fachin. lib.7. controv. c.69. per tot.* Denique & regulare est ut beneficium Principis quam liberalissimè interpretemur. *l.1.sup. De const princ.* Nec ad rem facit quod mandatâ jurisdictione non transferuntur ea quæ speciali lege sunt concessa. quia id non de collatione beneficij Principalis, sed de mandata jurisdictione magistratus, dictum est. Accedit quod diximus moribus nostris plerumq; imperiū quoque merum officio magistratus contineri. Sin verò mero imperio Princeps ibi speciatim seu velut annexo 7.

 uso

usus non fit, sed è diverso sub universali cognitione principatus sit, contrà dicimus. Quià quod de cohærente jurisdictione dictum est, haud aliter accipi potest quàm de eo quod contractu feudali est comprehensum. Ideoq; id in præjudicium imperij meri quod apud Principem vel consiliarios ejus generatim fuit, interpretari non potest. *per l. semper in stipulationib. De reg. jur. ff. Felin. in c. quo ad sedē. ex. de off. ord. cujus sententiam communem dicit Cagnol. in l. imperium. num. 93. inf. de Iurisdic. seq. Dñs Broncharst. Cent. 1. Enant. c. 17. in fi.*

Ad §. Qui mandatam.

1. *Imperium merum an apud solum Princip. sit.*
2. *Ratio dubitandi.*
3. *Azonis & Lotharij concertatio.*
4. *Quæstionis definitio.*

QVI MANDATAM IURISDICTIONEM SUSCEPIT, PRO-
1. PRIUM NIHIL HABET.] Id quidem † de jurisdictione & ei adjuncto imperio mixto dictum est. Sed quæsitum est an Imperium merum apud solum Principem sit, an verò & magistratus qui-
2. bus id speciali lege fuit concessum. Dubium † movit, quod in principio hujus legis refertur, magistratus publici judicij exercitionem habere delegatam. Inde enim inferri videtur, proprium eos in hoc habere nihil. Nam qui mandatā jurisdictione utitur munere quidem alterius fungitur, adeoque magistratus est, proprium tamen in eo nihil habet. *ut hic. & l. 3. inf. eod.* Accedit, quòd jurisdictionem nomine suo habens eam mandare possit. *l. more. inf. de Iurisdict.* Quia verò merum imperium mandari non potest, *ut in prin. sup. eod.* contra dicendum magistratum id suo nomine non habere. Lotarius
3. igitur contra Azonem † certavit imperium merum apud solum Principem esse. Qui & arbitro Imperatore Henrico Lucelburgensi palmam tulit, & equum sub eodem certamine depositum. Azo contra, quia eos qui universas provincias regunt, jus gladij habere traditum est. *l. illicitas. §. qui universas. de Off. præs.* Accedit quod de legatis relatum est, propriā jurisdictione ipsis à Præsidibus data, & cognitionem eos de suspectis tutoribus habere. *l. cognitio. vers. cùm propriam. inf. eod.* Respondet autem Azo argumento Lotarij, quod exercitium *in princ. hujus l.* pro jure exercendi ponatur, tanquam nimirum causa pro effecto. Et hæc sententia plerisque placuit. *DD. hic.* licet Alciatus Lotarium sequatur. *lib. 2. Paradox. c. 6.*

Et verò

Et verò † tametsi Azo priori se argumento satisfecisse putet, quod exercitium pro jure exercendi positum autumet; tamen ea distortio paulò magis violenta est. Neque argumento, quod ego addidi, responsurus quispiam ita facilè sit. Si enim is demum jurisdictionem mandare potest, qui eam suo nomine habet. *d. l. more.* consequitur eum qui illam mandare nōn potest, habere nomine alterius. Vnde ita argumentari licebit, Quicunque jurisdictionem nomine suo habet, eandem alteri mandare potest, Qui verò gladij potestatem habet, eam mandare non potest, ergo eam non habet nomine suo. Nec obstat quod dicimus, Præsidem provinciæ jus gladij habere. *d. l. illicitas. §. qui universas.* quia id quidem ita est, sed habent interim illud à Principe sibi specialiter concessum, & consequenter, concedentis ipsius nomine. Prorsus ut qui mandatam jurisdictionem habet, quidem magistratus est, *l. 3. inf. eod.* sed interim propriū in eâ habet nihil. *ut hic.* Quantum attinet ad d. l. cognitio. inf. eod. certum est eam Lotharii sententiam firmare: nam dum juris author ait, legatum à proconsule propriâ jurisdictione acceptâ, & cognitionem de suspectis ex Constitutione singulari habere: eo ipso indicat jus gladii, & quæ ejusdem qualitatis sunt, proconsulem propria non habere. Atque id igitur magis est. Ego quidem is sum qui non facilè in definitionibus quæstionum à plurium sententia sim discessurus, dabo etiam operam ut ipsorum interpretum sententiæ, industriâ meâ quàm minimum pugnare deprehendantur: sed in iis quæ errorem habent manifestum, à veritate legem ne latum quidem unguem discedam. 4.

Ad §. final.

1. *Imperium mixtum mandari potest.*
2. *Explicatio legum oppositarum.*

PAULUS NOTAT: ET IMPERIUM QUOD IURISDICTIONI COHÆRET MANDATA IURISDICTIONE TRANSIRE VERIUS EST.] Id imperium mixtum dicimus. *l. 3. inf. tit. 2. ubi nos late.* Constat igitur ex hoc textu Imperium Mixtum ¹ Mandari posse. *convenit l. cognitio. §. fin. & l. ult. inf. eod.* Et quidem quod plerique olim † aliter sensere. *gl. Bart. & alij.* donandum est ignorantiæ antiquitatum quâ illi penitus fuere destituti. Neque verò ad rem facit l. quicquam. 73. §. ubi decretum & l. omnia. 77. De reg. jur. & l. nequicquam. §. ubi decretum. De Off. proconf. in quibus Accursius & Iason libellum pro judicis delegatione acceperunt; aliique id saltem ex iis evincere cona- 1. 2.

re conati sunt, in iis quæ mixti imperij sunt propriam cognitionem magistratuum requiri: gemina enim earum legum mens est, Quia proconsul, ubi nulla facti quæstio sit, juris interim definitio clara, plerumque libelli subscriptione decretum interponere solet, id in omnibus causis non ita esse. *rectè Alciat. 2. Parad. c. 3. Budæus in d. l. nequicquam. §. ubi decretum. de Off. proconf. Ioan. Ferrar. in d. l. omnia. de reg. Iur.*

l. 2.

Relata est suprà *in l. 1. & infrà in l. 1. eod.*

Ad l. 3. & l. fin. princ.

1. *Argumentum legis.*
2. *Qui mandatam jurisdict. habet, judicem dare potest.*
3. *Differunt judicem dare & jurisdictionem mandare.*
4. *Loci servator differt ab eo cui jurisdictio mandata est.*
5. *Præsidibus vetitum constituere loci servatores.*
6. *Consuetudo contraria.*

1. Magistratus quidem est qui jurisdictionem mandatam habet, sed quia proprium in ea nihil habet, alteri illam mandare ne-
2. quit. *ut hic & l. more. inf. de jurisdic.* Planè quin judicem dare † possit etiam is cui mandata jurisdictio est, dubitari nequit, *l. cum prætor. 12.*
3. *§. 1. de Iudic.* Ceterùm † id lõgè diversum est à jurisdictione mãdata: judex enim delegatus cognitionem modò facti habet, is verò cui mandata jurisdictio est, officio magistratus fungitur; dando nimirum judicem, & eidem actiones, exceptiones præscribendo, formulam judicandi, denique etiam judicatum exsequendo. Delegatus verò judex, qui & datus seu pedaneus dicitur, judicem dare non potest (præterquam si à Principe ipso datus sit. *l. à judice. C. de Iudic.*) Quanquam ne hic quidem causas meri imperij alteri mandare posset. *l. 1. princ. & quæ nos ibi sup. eod.* quia nimirum solam cognitionem facti habet, deq; eò facultatẽ statuendi ex Prætoris præscripto, jurisdictionem non item. *l. 5. De sent. & re jud.* Et hæc tametsi inter majores nostros ob antiquitatum ignorantiam utcunque sint dispu-
4. tata, hodie clarissima sunt. Denique & † ab iis quibus jurisdictio mandata est, distinguendi sunt loci servatores. *l. 1. princ. de Tut. & cur.* nam & loci servatores sequuntur ea quæ lege cuiquam speciali

concessa

concessa sunt. *d. l. 1. & l. 2. C. de Off. ejus qui vic.* præter ipsum jus gladij. *Nov. 128. c. adhac prohibemus.* eos quibus jurisdictio mandata est, non item. *l. 1. sup. h. t.* Iure tamen Novellarum Præsidibus † vetitum est loci servatores constituere. *Nov. 8. Nov. 17.* Præterquam ex gravissima causa. *Nov. 128. Nov. 134.* Quibus derogatum videtur titulo C. de Off. ejus qui vicem al. jud. vel præs. obt. Quanquam Consuetudine † denuo admissum sit, ut etiam præsides in casu necessitatis constituant loci servatores.

LIBER II.

DE IURISDICTIONE.

TIT. I.

Ad l. 1.

1. *Iurisdictio unde dicta.*
2. *Azo defensus.*
3. *Ius dicere quid.*
4. *Iuris dicundi priscus mos.*
5. *Iudicis dati seu pedanei munus.*
6. *Iurisdictionem qui habuerint.*
7. *Delegatus à Principe.*
8. *Prætor judicare ipsemet regulariter non solet.*
9. *Mutatio ejus rei Constitutionibus introducta.*
10. *Consuetudo Gelriæ & Transisulaniæ.*
11. *Iurisdictio hodierna quæ.*
12. *Magistratus datorum à se judicum exsequuntur sententias.*
13. *Magistratus municipales.*
14. *Bart. & alij jurisdictionem quomodo definiant.*
15. *Officium judicis quotuplex.*

A Iure dicundo † dicta jurisdictio est, (nam qui eam à juris ditione † derivant, *Azo, Fulg. Zas.* non analogiam nominationis,

 sed genus

sed genus quoddam loquendi sequuntur quod allusionem vocamus. Ut cùm juris authores testamentum dictum perhibent quasi
3. testationem mentis. Ius verò † dicere, non hoc est judicare simpliciter, sed de causa primò summatim cognoscere; deinceps actionem formulamque agendi, mox judicem dare coram quo causa utrimque ventiletur, & à judice sententiam latam exsequi, *l. cum prætor.*
4. *12. De jud. hic. & l. à Divo Pio. De re jud.* Denique † jure veteri non quicunque pro arbitrio agebat, sed à magistratu priùs actionem postulabat. Eam verò denegabat Prætor, si postulanti juris ratio vel honestas refragaretur. *arg. l. si debitor, 30. De solu. l. 1. §. de inspiciendo. & §. fin. De ven. insp. l. 27. inf. De verb. obl. l. 15. §. itaque 44. De Injur. cum simil.* Perinde & exceptiones ac replicationes dabat vel negabat *l. 1. §. Labeo. De Flum. l. un. §. sunt qui putet. Ne quid in fl. pul.* tametsi bonæ fidei judiciis nonnullæ exceptiones inessent ipso jure, *l. si d. § ideo. 21. Sol. matr. l. huiusmodi. 48. §. qui servum. 5. De leg. 1.* nec datione proinde earum esset opus. Actione data, prætor judicem & plerumque ex corpore judicum *(authore Gellio in Noct. Att.)* singulari dabat, eidemque præscribebat formulam definiendi. Iudex
5. igitur † Pedaneus seu datus solùm de facto cognoscebat, idemque finiebat ex præscripto Prætoris. Prætoris cognitio & juris dicundi potestas, jurisdictio, *tot. hoc tit.* judicis cognitio propriè judicium, dicebatur, vel interdum etiam notio *l. 5. inf. De re jud. & l. notionem.*
6. *De verb. sig.* Dandorum † verò judicum potestatem habebant Prætor, Præses, Proconsul & eorundem legati, & ii adeo quibus id More vel lege concessum fuit. *l. cum prætor. 12. De jud.* Quanquam ve-
7. rò delegatus † judex alium dare judicem non poterat, in delegato tamen Principis contrarium erat, *l. à iudice. 5. C. de iudic.* sed in causa solùm sibi commissa. In ea enim quovis ordinario maior habebatur. *Cuiac. 12. ob. 1. Gail. 1. Obs. 97.* De duplici verò cognitione hac videre licet latiùs alios, *Revar lib. Protribun. singul. c. 20. Cuiac. 10.*
8. *ob. c. 10. Duar. c. 1. 2. & 3. in h. t.* Prætor igitur † de facto non cognoscebat, præterquam in extraordinariis, *tot. tit. De Var. & ex. cogn.* ac ne judicare quidem de facto in ceteris potuit, ut rectè Duarenus annotat, *lib. 1. Disp. c. 53.* namque id apertè indicat *l. ult. de Off. præt. suprà l. præses. 5. de Off. præs. l. 3. de Tut. & cur. dat.* Quæ si non hoc dicunt, uti paucos ante annos Iureconsultus alioqui insignis docuit, revera nihil dicunt. Imo constat hoc ipsum clarissimè ex Constitutione Diocletiani † & Maximiani, *l. 2. C. de Ped. iud.* quâ cau-
9. tum est, Præsides in posterum ipsos cognituros necessariò, de causis
10. quibus ante necessario judices dabant. Denique † nec valde diversa est ab ea re Geltriæ & Transisulaniæ Belgicæ provinciis recepta cons-

pta con-

ista consuetudo, quâ non à Prætoribus ipsis, sed processu concluso per unum ex judicii circumstantibus, cum jurisconsulto uno aut pluribus consilio habito, causa definitur. Cæterùm id hodie in hisce provinciis singulare est. Siquidem antiqua dandorum judicum ratio, strictáque formularum impetratio absolescere paulatim more cepit, deinceps Constitutione jam allegatâ, penitus est sublata. *l.2.C.de Ped.iu.l.1.& 2.C.de Form.& imp.subl.* Itaque & hoc respectu † jurisdictio hodie definiri potest, Iusta potestas cognoscendi 11.
statuendique de quavis re quæ officio judicis rectè expeditur. Iusta dico, quia nisi jure parata sit, jurisdictio nulla est. *l.3.* C. *eod.* Cognoscendi statuendique dico, quia jurisdictio omnis convertitur in cognoscendo statuendoque de rebus ad quarum definitionem magistratus authoritas requiritur. Statuendi verò potestas alia † exse- 12.
cutionem habet adiunctam, alia non item. Adjunctam exsecutionem habet cognitio magistratuum quibus mixtum imperium est, itemque eorum quibus est imperium merum (quippe quod ipsum quoque latiori jurisdictionis nomine continetur.) *l.2.§.& quia. 23. de Or.iur.l.1.prin.de Off.eius cui.*nam & utrique hi sententias etiam judicum exsequuntur à se datorum.*d.l.§.Divo Pio.inf.de Re iud.* Exsecutionem igitur adjunctam non habent judices dati. Ampliorem tamen paulò †quàm hi potestatem magistratus municipales ha- 13.
bent. Nam tametsi hi magistratus nomen habent. *arg. l.1. Si quis ius dic. non obt.* & modicam coercitionem etiam.*l.12.inf. h.t.* quæ tamen ad majorem imperii potestatem pertinēt, exercere non queunt. *l. ea quæ inf. ad municip.* Quale est in bonorum possessionem mittere *d.l.ea quæ.* & eum qui quod extremum in jurisdictione est, non facit, punire.*d.l.1. Si quis ius dic. non obtemp.* Parum tamen referre existimatem, si dicas magistratus municipales etiam hoc ipsum quod imperium habent, imperium mixtum: nam vel maxime id cum imperio conjunctum est. *vide tamen Subtil. nostras lib.2.c.14.* Paulò autem † aliter, quàm nos, jurisdictionem definit Accursius, 14.
*gl.& Bart.hic.Azo in Sum.*C.*eod num.1.Brant.in parat.h.t.num.1.* neque usque adeò ineptè. Inter jurisdictionem verò & officium judicis parum differentiæ est. Vt enim jurisdictio dicitur potestas cognoscendi & statuendi: ita eandem dicimus officium judicis cùm ad actum exercitii respicimus, *l.qui restituere.68.de Rei vind.tot.tit. de Reb.auth.iud.poss.* Quemadmodum & † prætor ipse dicitur ju- 15.
dex. *l.1.& 2.inf.de Iudic.* Respectu verò Consuetudinis hodiernæ dividunt Doctores Officium judicis in Nobile & Mercenarium. Nobile dicunt quod judex motu suo exercet, Mercenarium quod actioni deservit. *gl.Bart. Zas.hic,Oldendorp.in prælud.Act.Forens.*

tit.de Off.jud. Schneid. in princ.Inst.de Act.num.10. Quanquam si rem ritè consideres, nemo eorum sit qui accuratè illa distinxerit. Et verò est divisio ea, uti juri nostro peregrina, ita nulli omnino usui commoda. Quod & alij annotant, *Corras. hic. num.9. Godd.ad.l.22.num.18. De verb.signif.* At hac de re qui plura requirit, videat tractatum nostrum, de Officio Iudicis singularem *c.2.per tot.*

Ad l. 2.

CUI IURISDICTIO DATA EST, EA QUOQUE CONCESSA VIDENTUR, SINE QUIBUS IURISDICTIO EXPLICARI NON POTEST.] Hoc de jurisdictione specifica, seu magistratuum officio accipe, non de notione judicum pedaneorum seu datorum: nam quas hi sententias dicunt, magistratus ipse exsequitur, *l.à Divo Pio.De re jud.* Explicare enim jurisdictionem est hoc loco imperio uti. Sed neque pedaneo judici jurisdictio, at sola de facto notio est. *dixi in l.prox.sup.eod.*

Ad l.3.

1. *Merum imperium quid.*
2. *Potestas gladij pro mero imperio.*
3. *Malè nonnulli jura Majestatis retulerunt ad imperium merum.*
4. *Anne mulcta dictio ad merum imperium pertineat.*
5. *Mixtum imperium quid.*
6. *Mixtum imperium qui habeant.*
7. *Germaniæ & Belgicæ consuetudo.*
8. *Explanatio hujus textus.*
9. *Explicantur l.prox.inf.& l.ea quæ. Ad municip.*
10. *Imperium mixtum in quibus consistat.*
11. *Explicatur l.fin.C. ubi & ap.quem in int.rest.pet.*
12. *In carcerem ducere non est meri sed mixti imp.*
13. *Mulcta dictio ad quod imperium pertineat.*
14. *Iudicem dare Imperij an jurisdictionis sit.*

B. IMPERIUM AUT MERUM AUT MIXTUM EST.] Merum 1 imperium sic dictum est, quod lege speciatim tribuitur, & à Magistratus officio seu jurisdictione penitus divisum est. *l.1.sup.de Off.*
D *ejus cui.* Idem rectè 2 describitur gladij potestas ad animadvertendum

dum in facinorosos. *ut rectè hic.* Nam cùm quæsitum sit an id tantùm pro exemplo, an verò descriptione positum esset, plerisque placuit justam descriptionem fore. *Alc. lib. 2. Parad. Duar. lib. 1. Disp. c. 53. Cujac. 21. Obs. 30. Corras. hic. num. 6.* quod magis est. Parumque ad rem facit, quod damnatio in metallum, judicij publici exercitio, & quævis graviorum criminum coercitio venit imperij hujus nomine *l. solent. sup. de Off. procons. l. 1. sup. de Off. eius cui.* gladij enim potestas uti summa meri imperij pars, ceteras per synechdochen aut metonumiam potius designat, *ut hic & c. dilecto. de sent. excomm. in 6.* Malè verò Bartolus & qui eum secuti, in eo quod † merum imperium retulerunt ad ipsius jura Majestatis, veluti legis condendæ, 3
vectigalia constituendi, &c. Quos ut ex neotericis jam ante alij ob hoc reprehendêre, *Alc. hic. n. 16. Corras. num. 29. Godd. in l. 3 1. num. 19. De verb. sig.* ita ab eo tempore in errore hoc & ignorantiâ antiquitatum, nemo, quod equidem sciam, cordatus secutus est. Illud tamen † quæri video, Anne mulctæ dictio veniat nomine imperij meri, quod non putamus. Atque id argumento ejus evincitur quòd mulctæ dictio conceditur ei, cui jus est publicè judicium exercendi. *l. 2. §. fin. inf. de Jud. Cujac. in par. C. de Modo mulc. vide inf. num. 13. eadem l.* 4

MIXTUM EST IMPERIUM †, CUI ETIAM JURISDICTIO INEST.] Atque hic textus arguit ad differentiam imperij hujus, imperium merum dici quod à jurisdictione divisum separatumque est. Mixtum igitur prætoris seu præsidis officio inest, eidemque, unde & nomen habet, permistum, cuivis etiam alteri magistratui, † verbi gratia. Ædili Curuli officij ratione competens; sed singulis in caussis quæ pertinent ad jurisdictionem suam. *l. fin. C. h. t. cum sim.* Istud Moribus nostris magistratus plerique omnes, etiam duumviri municipales & pagorum præfecti habent, non tamen adeo definitione juris, *ex l. fin. C. eod.* quam consuetudine quadam jam diu receptâ. Sed & Rectores scholarum publicarum, quas Academias dicimus, iisdem Moribus † (in Germania & Belgica præcipuè) hoc imperio gaudent, *notant nonnulli in Auth. habita. C. Ne fil. pro patre.* quanquam in Italia ferè aliud intelligo consuetum. Plane quod ad textum hujus † legis attinet, constat de intellectu ejus variè laboratum esse. DD. *diversi diversimode.* an nimirum jurisdictio ab imperio mixto separata sit, an minùs. In qua re tractanda (intermissa inutili relatione opinionum) breviter notari oportet, Mixtum imperium dici quod jurisdictioni cohæret. *ut hic.* nihil enim id aliud est, quam imperium magistratui competens munere jurisdictionis. Deniq; non existimandũ est, Ulpianum hæc duo separare; quia re 5
6
7
8

9. ipsâ individua sunt. *l. ult. sup. de Off. eius cui. & l. 2. h. t.* Nec mutat † l. 1. inf. hic. & l. ea quæ D. Ad municip. nam quod ibi dicitur, In possessionem mittere, imperij magis quàm jurisdictionis esse, id nec eligit alterum ab altero; multoque minus separat, sed comparatione quâdam magis uni quàm alteri ascribit. Magis enim imperij esse dicuntur, quæ magis in exsequendo consistunt quàm cognoscendo. Quod & Cujacius, *lib. 21. Ob. 30.* ac Duarenus, *lib. 1. Disp. c. 3.* probarunt. Tria enim ferè hoc textu proponuntur, Imperium Merum, Mixtum, Iurisdictio. Quorum duo primò describuntur generatim. Sequitur dein descriptio quoque jurisdictionis ipsius. Nam quando nuncupat eam judicis dandi licentiam, intelligendum est, id & ad cognitionem ex jure, itemque actionem, exceptionemque dandam, demum etiam ad præscribendam formulam judicandi referri, uti docui latius suprà. *ad l. 1. eod.* Non igitur eadem sunt jurisdictio & imperium, individua tamen. Mixtum enim imperium dicitur quod jurisdictioni cohæret, *ut hic.* id verò nihil aliud est quã imperium magistratui competens munere iurisdictionis. Igitur †
10. Imperium Mixtum in danda bonorum possessione consistit, jubendo caveri Prætori â stipulatione; & in possessionem etiam mittendo. *hic & l. seq. l. 4. §. 1. sup. de Off. eius cui.* Eodem pertinet in integrum
11. restitutio, *l. ea quæ inf. ad Municip.* Nec † mutat l. fin. C. ubi & apud quem. in Int. rest. pet. nam quod ibi de judicibus datis dicitur, peti apud eos in integrum restitutionem posse, de iis accipi oportet
12. quibus mandata jurisdictio est. Sic & † incarcerationem mixti imperij esse constat. *ex l. 2. inf. De in jus voc. l. 2. §. exactis. 16. de Or. Iur. l. 9. in fin. Ad l. Iul. Pecul.* Planè quod eadem meri imperij sit, ut Bartolus, Baldus & Alexander autumant, id nusquam relatum est: Imperij enim meri potissimum illa sunt quæ speciali lege alicui
13. conferuntur. *l. 1. sup. de Off. eius cui m and.* Perinde & † mulctæ dictionem ad imperium mixtum puto referendum: nam & hæc isti imperio ascribitur quod habet is qui pignora capiendi jus habet, id est magistratib. plerisque, *d. l. 9. Ad L. Iul. pecul. dixi suprà num. 4.* hæc imperij mixti sunt, quæ verò dicantur jurisdictionis esse, fusiùs
14. suprà relatum est. *vide quæ pono suprà ad l. 1. h. t.* Illud disputari † video, An judicem dare quod hîc jurisdictioni ascribitur, ejusdem propriè sit, an non imperii potiùs. Dubium movet l. 12. §. 1. De jud. inf. ubi magistratus judicem dare posse dicitur propter vim imperii. Ceterùm ego existimo id utrique tribui rectè, nimirum quia jubere judicare intelligitur imperii esse, *ex d. l. 12. §. 1. inf. de Iudic.* formulam verò judicandi præscribere jurisdictionis, Quod constat ex iis quæ latiùs relata sunt suprà, *ad l. 1. h. t.*

Ad l. 6

Ad l. si quis 9.

1. *Pœna ejus qui violat edictum.*
2. *Contra quem non procedat.*
3. *Cui hac pœna veniat applicanda.*
4. *Consuetudines hujus seculi.*
5. *Qui non habet in ære luat in corpore.*
6. *Jus diversum in contractibus.*

QVi edictum † à magistratu propositum violat dolo malo, in eum quingentorum aureorum judicium datur quod populare est. Sed hoc non † ita est contra eum qui non dolo malo, non etiam eum quid fortè quod prout res exigit, affligitur; ad citandum fortè aliquem aut monendum. *tex. hic.* Fisco † verò an agenti pœna applicanda sit quæsitum est, magisque dicimus partem unam fisco, alteram actori applicandam, idque juxta proprium popularium actionum morem. *l. Lege Cornelia.* 25. *§. fin. ad SC. Syll. l.* 3. *§. Divus. De sep. viol.* Sed edicta † publica hodie corrumpens ferè pro magistratuum arbitrio mulctari solet. 1. 2. 3. 4.

§. IN SERVOS.] Qui ex hoc † edicto reus non habet in ære, luet in corpore. *ut hic. & l. fin. inf. De in jus voc.* Sed id in delictis & pœnis quæ illa subsequuntur, singulare est. In † contractibus enim sufficit, si debitor cedat bonis. *l.* 1. *C. qui bon. ced. poss.* Planè quia intermissio solvendarum exactionum in delictum propriè non cadit, nec etiam ob eam plecti quis corpore potest. *l.* 2. *C. de Exac. lib.* 10. 5. 6.

Ad l. si familia 9.

Vide quæ scripsi infrà *ad l. illud. 32. in princ. Ad L. Aq.*

Ad l. qui jurisdictioni. 10.

1. *Argumentum hujus l.*
2. *Explicata l. 77 De judic.*
3. *Hodie an et quatenus sibi suisque quispiam jus dicere possit*
4. *In iis quæ jurisdictionis voluntariæ sunt, sibi suisque quis jus dicit rectè.*
5. *In arbitris idem.*

6. An ma-

6. An magistratus qui se læsum existimat vindicare semetipsum queat.
7. In principe læso quid juris.
8. Consuetudo hodierna.

1. QVi jurisdictioni + præest sibi suisque jus dicere nequit, *tex. hic.*
2. Nec mutat + l. in privatis. 77 inf. de Iud. tametsi enim utriusque huius legis conciliandæ causa diversæ rationes allatæ sunt, tamen potior mihi Duareni sententia visa est. Is existimat patrem rectè in causa filij iudicare posse, non exercitio iurisdictionis, sed iudicii privati, quo nimirum utuntur judices dati. Atque ita accipienda est d.l.77. Ius verò dicere pater filio non posset. *per hunc text.* Diversa enim multò sunt, ius dicere, quod Prætoris & magistratuum est, quorum præscriptis formulis judices astricti sunt præcisè: & judicare, id est facti inquirere veritatem. Planè + quia magi-
3. stratus hodie officii quoque ratione notionem facti ipsimet habent, *l. 2. C. de ped. jud.* rectius dicimus neminem in causa sua aut suorum judicem esse. *tit. C. ne quis in sua cans. jus dic. c. postremò. de Ap-*
4. *pell.* Sed hoc non ita est in jurisdictione + voluntaria, *l. 1. sup. de Off. prat.* quia in ea periculum præjudicij verti non solet. *l. 1. sup. de Off.*
5. *prat.* Sic & + arbitris partium voluntate electis in causa suorum judicare permissum est. *l. quin etiam. 6. inf. de Arb.* An + autem magi-
6. stratus læsus ab eo qui ipsius jurisdictioni subditus est, semetipsum vindicare queat, videamus, & existimo si ipsemet in persona sua sit læsus, vindicare seipsum non posse. *hic. & d. l. un. C. ne quis in sua. cauf. jud.* Diversum tamen erit, si jurisdictio vel in persona ipsius, vel quo alio modo violetur. *arg. l. 7. sup. eod. tot. tit. inf. S. quis jus dic.*
7. *non obtemp. l. 2. in fin. de Iudic.* Princeps + tamen hac in re ob sanctam personæ regiæ majestatem, potestate uteretur majore. *Menoch. consil. 403. num. 1. 2. & 13.* Sed hoc quoque cum moderamine accipiendum. *vide elegantem text. in l. un. C. si quis Imp. maledix.* Quamobrem moribus in pleraque Europa obtinuit + ut Principes
8. etiam læsæ majestatis crimen per alios judices expediant.

Consuetudo hodierna.

Ad l si idem. 11.

1. Argumentum legis.
2. In mutuis petitionibus non attenditur jurisdictionis modus.
3. Secundus casus quo jurisdictionis modus non attenditur judicato authoris confirmatur.

In reditu

4. *In reditu annuo petito tertius casus quo modus jurisdictionis non attenditur.*
5. *Quartus casus similis.*
6. *Casus unus à regula praecedenti exceptus.*
7. *Casus alter exceptus in cognitione arbitri.*

PLuribus actionibus † coram eo cujus jurisdictio infra omnium quantitatem est infra singularum non est, agitur rectè; nec jurisdictionis modus eo casu attendi solet. *tex. hic.* Idem in † mutuis petitionibus est, ut si quantitas primò postulata infra finitum jurisdictionis modum sit, posterius verò petita eum excedat. §. 1. *hic.* Sed neque modus jurisdictionis † attéditur cum initio minor quantitas postulata, postea multò apparuerit major, *l ult. § fin.* C. *de Appell.* Neque enim quantum debeatur, sed quantum petatur in hac re attendi solet. *l. pen. §. fin. h. t.* Quanquam si id actor dolo faciat, in expensas condemnandus sit, *gl. Alex. Ias. in d. § fin.* Notandum proinde ex hoc textu eu in fui danda jurisdictione qualitatem actionis institutæ attendi, non etiam actionis ejus quæ jure potiori competeret actori. Verbi gratia, Si quis petitorio agere potens non autem possessorio, nihilominus possessorium instituat: Non hoc attendendum an actio ejus hærere possit, quia id ad statum causæ principalis pertinet, sed solummodo an eo modo instituatur ut jurisdictioni judicis ejus conveniat: nam quia attenditur status præsens, *per hunc tex*, res non dirigitur ad eventum, *Bart. Al. Jas. hic.* Atque ita respondi de facto consultus à Sattrapa Sallando inter hæredes ab Haerst ter Leemcoulem. Denique idem † dicimus in debito annuo, tametsi id ex contractu procedens sit unum. *l. 16. § stichum. De verb. obl.* sed hoc ipsum in debito singulorum annorum non etiam universo redituum jure vindicando magis est. Quod si quantitas † seu res postulata quoque creverit contumaci rei, quantitas seu res petita attendenda est. *d. l fin. C. de Appell.* Magis tamen † est si plures pro partibus singulis agant, verbi gr communi dividundo, familiæ erciscundæ, quæ tota tamen superet jurisdictionis modũ: quantitatem præfinitam non attendi, id eò quòd certum jam ab initio sit, rem totã uni soli adjudicari posse. *§. fin. hic. l. pen. & Auth seq.* C. *de sent. & interloc.* Sed neque hæc lex † procedit in cognitione arbitri, quia coram eo ne quidem reconventio est. *c. cum dilectus. ex. de arb. gl. Bart. Ias. in l. e ſt receptũ. inf hic.* Quod tamen in judicis dati cognitione cõtra foret. *c. 1. et 2. ex. de mut. pet* perinde nimirũ ut cõtra & in eo est cui cõsensu partiũ prorogata jurisdictio est. *gl. Bart. et Ias. d. lo.*

H Ad l. Ma-

Ad l. Magistratibus. 12.

AN magistratus municipalis mixtum imperium habeat, quæque ei permissa jurisdictio sit vel minùs, latius alibi tractamus. *vide sup. in l. 1. num. 13. eod. & Subtil. nost. lib. 2. c. 14.*

Ad l. eum qui 13.

§. 1.] MAgistratus non potest judicari jubere eo die quo privatus futurus est. *tex. hic.* Nec obstat l. venditor. 49. §. 1. de Iudic. Vbi dicitur, judices datos ab iis qui magistratu abierũt, durare etiam in tempus successorum: namque id verum est, cùm judicium fuit inceptum, priori magistratu qui jusserat, adhuc durante; cùm hîc è diverso agatur de eo apud quem tum demum judicium inciperetur, cum magistratu abiisset.

Ad l. si per errorem 15.

1. *Consensus partium quatenus jurisdictionem proroget.*
2. *An errans videatur consentire, remissivè.*

COnsensu partium magistratus jurisdictio recipitur, etiamsi causa aliàs ad cognitionem eius non pertineat. *l. 2. inf. De jud.* Non
1. † tamen hoc ita est si in quempiam consentiatur qui nulli præest jurisdictioni. Tametsi enim in eum quidem compromitti queat, *tot tit. De recep. arb.* privatorum tamen consensus non tribuit jurisdictionem. *l. 3. C. eod.* Quemadmodum nec alius pro alio aditus judex, si id per errorem fiat, jurisdictionem per hoc sortitur. *tex. hic.*
2. An † verò errans aliàs consentire videatur, & quatenus contractus per errorem initus valeat vel minus, alibi tractamus. *vide quæ ponimus infrà in l. 9. & seqq. de Contr. emp. & lib. 1. Subtil. c. 10.*

Ad l. solet prætor. 16.

TAmetsi prætor vel universam jurisdictionem mandare poterat, vel speciem aliquam unam, *per hunc tex.* de delegato tamen dicimus eum causæ alicuius articulũ solum mandare alteri non posse. *Alex. Ias. & alij in l. à judice. C. de jud.* Ratio est quia hic nihil in jurisdictione habet proprium. *l. more. sup. eod. cum sim. l. 1. §. qui mandatam. De off. eius cui.* Ac tametsi Bartolus aliud autumat, *in d. l. more.* sententia tamen ejus non est recepta. *DD. qui suprà. Fach. lib. 1. Controv. c. 46.* Reliqua ad hanc materiam pertinentia tractavimus suprà, *in d. l. 1. § qui mandatam. & l. 3. De off. ejus cui.*

Ad l. si

Ad l. si convenerit. 18.

1. Argumentum legis.
2. Aditus judex quando dicatur.
3. Conciliatio & explicatio l. si quis in conscribendo. C. de ep. & cler.
4. Iuris Canonici diversitas.
5. Clericus forum feudale declinare non potest.
6. Quid juris si quis promisit se convenire posse ubicunque fuerit deprehensus.

SI inter partes † convenerit, ut alius prætor jus diceret, quàm cujus de causa jurisdictio esset, & mutetur alterius volũtas priusquam judex adeatur, nemo compellitur conventioni ejusmodi stare, *tex. hic.* Aditus autem † judex intelligitur vel litis contestatione, *gl. hic.* vel dilatoriarum, (quæ omissa declinatoria proponuntur) oppositione. *Bart. hic. seq. Paul. Alex. Ias. per l. sed et si susceperit. §1. verb. & aliis defensionibus usus hanc omiserit. inf. de Jud.* Quo facto resilire non licebit. *l. 1. inf. eod. tit. de iud.* Nec ad † rem facit l. si quis in conscribendo. C. de Ep. & cler. & l. pen. C. de pact. quia ea procedit in renunciatione privilegii quo quis foro alterius eximitur, hæc cùm quis se subjicit jurisdictioni ad quam communi jure res non pertinet. *gl. & Bart.* Alii tamen ita autumant, hic de pacto nudo agi, in opposito verò de pacto contractui adjuncto. Cùm enim id ad actionem prosit, rectiùs dicimus parti resilire non licere. *Cuiac. ad Afr. in hac l. Gouean. ibid.* quod magis est. Quoniam hoc casu in id quod interest, actio foret *arg. l. diem proferre. §. fin. De recep. arb. Panorm. in c. 1. de Iud.* Illud notandum, † Iure Canonico clericum privilegio fori renunciare non posse *c. si diligenti & c. significasti. ex. de for. comp.* Ratio est, quia eo jure privilegium id non singulorum causa, sed universi ordinis beneficio adeoq; ipsius ecclesiastici judicis nomine censetur introductũ, in quo genere renunciationi regulariter non est locus. *Bal. in d. l. si quis in conscribendo. Gail. 1. obs. 40. num. 10.* Quâ ipsâ ratione † ligatus, clericus, forum feudale recusare non posset, cùm id magis domini quàm vasallorum gratiâ sit introductum, *tex. in d. c. si diligenti.* Quid ergo † si convenerit, quem conveniri posse ubicunque fuerit deprehensus? & obtinuit, eodem quo suprà dictum est modo, posse resiliri. *arg. huius tex. Bart. & Ias. in l. non utique. §. si quis ita. inf. de Eo quod cer. lo.* Nisi quis directiùs promiserit dare vel solvere, ubicunque inveniretur: tum enim magis

dicimus, ubicunque inventum posse conveniri, eò quod quisque ibi contraxisse censetur ubi solvere promisit. *l. contraxisse. De ob. & act. l. quamvis. §1. 2. resp. De jud. Bart. hic.*

Ad l. penult.

Vide quæ posuimus suprà, in l. 1.

Ad l. ult.

1. *Argumentum legis.*
2. *Sententia ab incompetenti judice lata est nulla.*
3. *Quomodo id accipiendum.*
4. *Res judicata pro parte valere, & pro parte non valere non potest.*
5. *Quando id non ita sit.*
6. *Conciliantur & explicantur l. 2 si quis in jus voc. non eat. & l. si quis ex aliena. De jud.*
7. *Responsum authoris.*

1. Extra territorium † jus dicenti impunè non paretur; idemque est, si quis suprà jurisdictionem jus dicere velit. *tex. hic.* Unde sen-
2. tentia † ab incompetenti judice lata nulla est ipso jure. *l. si per errorem. h. t.* Idque verum est † etiam in ea quantitate quæ infra ejus ju-
3. risdictionem est. Cùm sententia † ex parte valere & ex parte non
4. valere non possit. *l. in hoc judicio. inf. Fam. ercis.* Nisi distincta † quæ-
5. stionum capita essent. *Bart. & Alex. l. f. hic.* Nec obstat quod alibi †
6. relatum est, eum qui ex aliena jurisdictione ad prætorem vocatur, venire debere, ut judex cognoscat an sua jurisdictio sit: id enim ita est quando dubium est an causa ad jurisdictionem ejus pertineat an minùs. Aliud proinde est si illud liquido constet. Quamobrem sententiam latam ob contumaciam ejus, quem manifestum erat isti jurisdictioni non subesse, respondi nullam, cùm de facto essem consultus super sententia magistratus Hasseltani, dum ex ea forte pro tribunali Zwollano ageretur actione judicati. Planè si citatio fiat ad locum minùs tutum, perinde dicimus vocatum impune non parere. *Clem. pastoralis. §. desiperet. de Sent. & re jud.* Vide latiùs hac de re infrà, *in l. si quis ex aliena. §. De judic.*

QVOD

QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVERIT, VT IPSE EODEM IVRE VTATVR. TIT. II.

Ad l. 1.

1. Edictum præsens quando locum habeat.
2. Cogitationis pœnam nemo patitur.
3. Si quis alterum iniquè accusaverit quid juris.
4. An hoc edictum locum habeat in privilegiis & rescriptis. & n. 5.

EDictum hoc † habet locum adversus eum qui jus iniquum in alterum statuit vel impetravit. *ut hic.* Sed utrunque hoc cum effectu accipimus. *l. 3. h. t.* Cogitationis † enim pœnam patitur nemo. 1 2
l. cogitationis. de Pœn. Quod Cujacius propriè de hoc edicto scriptū putat. *Cujac. lib. 8. obs. 22.* In criminibus † enim, & maximè in gravioribus, si cogitatio modò ad actum qualemcunque pervenerit, contrarium dicimus. *l. si quis non dicam. C. de Episc. & cler.* Planè si quis alterum accusaverit, nec crimen probare queat, ipse accusator similitudine supplicij tenetur. *l. ult. C. de Accus. ubi gl. & DD. latè,* An verò edictum † hoc quoque locum habeat in privilegiis & rescriptis, Bartolus quærit. *Bart. hic.* magisque dicimus, quia non egrediuntur personam. *l. 1. §. planè. de Const. prin.* in iisdem edictum cessare. Quod tamen non ita foret, si rescripta obreptitia essent. *tit. C. si contra jus vel util. publ.* aut non omnino singularia in favorem vel odium unius. Cùm beneficia principis plenissimam interpretationem recipiant. *l. pen. sup. de Const. princ. ubi dixi.* 3 4

Ad l. 2.

1. Iudex malè judicans consilio assessoris, an cadat in pœnā edicti.
2. Litem suam facit.
3. Iurisconsultus malè consulens an cadat in hujus edicti pœnam.

IVdex si † consilio assessoris malè judicet non suo, non cadit in edicti pœnam. *tex. hic.* Litem † nihilominus suam facit, actioneque ob hoc in factū tenetur parti læsæ. *l. ult. inf. De var. & ex. cogn prin. Inst. de Obl. quæ ex quasi del.* Ita Bartolus memorat, se multos rectè conventos vidisse, qui syndicorum suasu tempore officij malè judicassent. *Bart. hic.* Sed & jurisconsultum † qui de causa ritè proposita perperam consuluit, si res ad effectum pervenerit, ex hoc edicto tenetur utiliter. *Jas. in l. 1. sup. h. t. num. 10. Zas. ib.* 1 2 3

Ad l. 3.

Ad §. Si is pro quo.] Vide quæ ponimus infrà. *de Pact. l. fin.*

Ad §. quod autem ait.]

1. *Hoc edictum transit in hæredem.*
2. *Conciliatio oppositi.*
3. *Explicatio hujus textus.*
4. *Doctorum sententia hoc loco probata.*

1. Pœnale est hoc edictum † ac nihilominus transit in hæredem. *ut*
2. *hic.* Nec † mutat quod aliis dicimus, pœnas ad hæredes nõ transire. *l. Constitutionibus. 33. inf. de Obl. & act. & l. sicut. 38. de Reg. jur.* namque id quidem regulare est, quando pœna non cœpit initium in persona defuncti. Si verò initiũ in defuncto cepisset, contrarium dicimus. *per hunc tex. cum sim.* Secluditur enim meritò hæres jure eo quod ipsi per defunctum est ademptum. Proinde, cùm defunctus si superesset, alio jure uti vellet quàm ipse quandoque impetrasset, exceptione hujus edicti secludi posset: meritò quoque de
3. hærede dicimus idem. Atque eà mente hoc loco † relatum est, hæredi exceptionem pœnalem ex hoc edicto præjudicare, nec ulla in-
4. terim actionis mentio fit. Quod † & alii hoc loco annotant, *gl. Bart. Ias. hic.* qui ipsi id quod hîc de exceptione dicitur, rectè quoque ad replicationem & duplicationem transferunt.

SI QVIS IVS DIC. NON OBTEMP.

TIT. III.

Ad l. un. §. si procurator.

Contumacia procuratoris domino nocere non solet. *tex. hic. & l. si procurator. C. de procur.* Quod Bartolus cum moderamine accipit, ut in rebus quidem minoris momenti domino præjudicium fiat, in magnis non item. *Bart. hic. seq. Salic. in l. 3. num. 3. C. de procur.* quod magis est, ne in minutis ob minimam rem maximæ facilè præjudicium fiat. *arg. l. 4. De in int. rest.*

DE IN

DE IN IVS VOCANDO,

TIT. IV.

Ad l. 1.

IN IUS VOCARE EST IURIS EXPERIUNDI CAUSA VOCARE.] Hoc † est ad eũ vocare qui jus dicturus est. §. *fin. Inst. de pœn. tem. litig.* Vt sciatur puta actio cõperat an minùs, juxta ea quæ
1. latiùs explicuimus suprà, *in l. 1. de Iurisdict.* Sed & † idem interdum
2. in judicium vocare dicimus *l. 2. §. 2. inf. Qui satisd. cog. l. tutor. 28. in prin. de Adm. & per. tut.* Vocatio verò † ea priscis temporibus in-
3. terdum etiam nullo adhibito viatore fiebat, & si vocatus non sequeretur aut satisdaret, manus etiam injectione. *v. Cujac. lib. 7. obs. c. 16 & lib. 10. c. 10. Brisson. 5 de form solen. P. R. Duar. lib. 1. Disp. c. 1.*
4. Poterat † tamen adhiberi viator volente ita actore. *a. g. l. 5. de Iud.* Quod alij necessarium fuisse autumant, *Donell. in l. vinum. 22. de Reb. cred Robert. 3. Sent. c. 1.* Sed hoc alij improbant, quia nusquam sit relatum. *Cujac. Rob. & alij paulò antè allegati.* Illud constat, si vocatus satisdare paratus esset, & vocaretur nihilominus, gravem ei injuriam inde illigi illatam. *l. 5. §. 1. inf. Qui satisd cog.* quod argumento est, si satisdatio intermitteretur, reum quodam modo vocandum potuisse tractari, Ceterum ille vocandi mos jam olim cum judiciorum formâ ipsa mutatus videtur. Tametsi v. in jus vocatio subtili
5. ratione † non per omnia eandem significationem habuit quàm citatio, quæ magis ad judicium pertinuit delegati: hodie tamen voces eæ promiscuè usurpantur. Neque etiam alio fit modo quàm per judicij nuncium aut viatorem. Præterea nec sequitur statum vocatus, sed deliberandi spatium impetrat. *tex. & DD. in Auth. offeratur. C. de lit. contest.* Denique ad † citationem ex moribus requiritur
6. primo ut legitima sit, dein ut rectè perficiatur. Vt legitima sit, requiritur 1. Nomen judicis. 2. Rei, 3. Citantis. 4. Causa. 5 Locus judicij. 6. Tempus idoneum. Iure tamen Canonico diem expressum designare vix opus esset, sed comparendum foret quaquâ occasione primùm oportunâ. *c. cum Paratus. in fine. de appell. ubi Pan. & Dec. in c. eos. in fin. de sent. excomm. in 6.* An verò † in judice dele-

Mores citationis hodie recepti.

7. gato requiratur ut commissionẽ citationi inserat ab aliquibus quidem in dubium vocatur: sed tutiùs est copiam commissionis unà transmitti. Quod & in praxi sequimur. *fac. Gail. 1. obs. 48. num. 19. 20 & 21.* Atque hac de re qui plura requirit, videat prolixè Gailiũ. *d. lib. 1. c. 48. 49. 50. 51. Marant. par. 6. de Citat. num. 115. & seqq. DD. in §. fin. Inst. de Pœn. tem. litig.* nihil enim ferè in his rebus dif-
8. ficultatis est. Ipsum tamen libellum citationi † inseri nec juris necessitas, nec judiciorum usus exigit, *d. Auth. offeratur. Bart. in l. inter. n. 6 inf. de Publ. jud. Quod & Gail Ordinationi Cameræ convenire testatur d. Ob. 51. num. 3.* Inseri tamen utiliter potest; quia eo casu non datur ulterius spatium deliberandi, sed dies præfixa responsioni desti-

si destinatur *c. propterea. ex. de Dilat. ubi gl. in verb. pleni. Panorm. ibidem. num.* 8. hoc in Transisulania coram tribunalibus satraparum est receptum. Quanquam si justa dilationis subsit causa: illa denegânda non sit. An verò præsens ad aliquam † causam citatus, ad aliam quæ ipsi insinuata non est, teneatur respondere, quæsitum est: & quidem, quia finis effectusq; citationis haud alius est quàm partium comparitio, magis dicimus eum ad responsionem teneri: nam etsi citatio nulla sit, verius tamen est comparentem denuo non citandum, *not. in l. 1. De fer.* cùm † vitium citationis comparitione partis purgetur. Atque id judicatis Cameræ receptum perhibent. *Minsing Cent. 3. ob. 90. per tot. Gail. 1. obs. 48. num. 3. & 4.* & ego memini in causa quadam magni momenti Nobilium de Rhede, fuisse judicatũ. Planè † si citatus postulet, sibi tempus deliberandi concedi, negari id ei jure nec debet nec potest. Atque id in causis alicuius momenti perpetuò servandum est, quanquam in exiguis quæ nullius præjudicij sunt, vix ita foret; & tutius sit arbitriũ ejus rei judicis relinqui. 10. 11. 12.

Quid † ergo si dies judicio præfixa cadat in feriatam? receptum est, & quidem jure civili cautum citatum vocatione istiusmodi non astringi. *l. 2. infra. Si quis in jus voc. non ierit. l. fin. C. de fer.* Iure † Canonico verò ipso jure hoc casu citatio ad proximam diem juridicam intelligitur dilata, *per tex. in c. cum dilecti. de dolo & contum. Canonistæ in c. 2. de fer.* Vnde † moribus obtinuit ut utilis clausula citationi adjungatur hæc: Si illa die juridica non erit, sequenti erit. quippe quæ terminum intelligitur differre. *Minf. 1. ob. 77. Gail. 1. ob. 53. num 2. & 3.* Ad † citationem verò rectè exsequendam requiritur hodie, in plerisque judiciis commissio judicis nuncio data, *not. ad l. ult. C. de exh. reis.* quod maximè ita est in reali apprehensione, *Mar. p. 6. tit. de Citat. num. 61.* quam ipsam tamen aliqua delicti informatio præcedit, quæ ex qualibus indiciis fieri debeat, æquo judicis arbitrio relinquendum est. *Clar. lib. 5. Quæst. 28. 9. fin.* Prætereaquam † quod in crimine flagranti receptum est, ut reum ubicunque inventum apprehendere liceat. *l. 1. ... ubi sen. vel ill. conv. l. 1. ubi DD. C. quan. lic. se sine jud. vind.* An verò credatur nuncio de commissione testanti, quæritur, & moribus receptum est ut ei credatur, si juramento judicio sit obligatus. *fac. tex. in l. apparitores. C. de exac. trib. lib. 10. Gail. 1. Ob. 54. num. 5. Specul. in tit. de Citat. §. sequitur. nũ. 7. Soar in thes. Recep. sent. lit. N. num. 6. Vide tamen de Vsu Cameræ Minsing. Cent. 1. ob. 78.* Secundò requiritur † exsecutio citationis à qua terminus initium sumit. Tertiò † verò Citationis expeditæ relatio actis insinuanda. neque enim aliàs contumaciæ argui posset, *Maran. & Gail. d. lo.* Vnde quæsitum est an relatione nuncij actis 13. Iuris Cano. diversitas. 14. 15. Mores citationis exsequenda. 16. 17. 18. 19.

non inserta, si aliunde constet citationem peremptoriam transsitam an sententia in contumaciam lata sit nulla: quod non admittimus. arg. c. bona memoria 1 §. contra. ex. de elect. & ei. pet. Atque ita respondi de facto consultus inter Wierwic & Broeckhuisen. Maximè cum in rescissionibus curandum sit, ne per rem minimam præjudicium
20. fiat majori. l. 4. de Rest. in int. Singulatim † tamen in his rebus omnibus singulorum judiciorum mores sunt attendendi. Illud disputa-
21. tum est, An in alieno territorio † degens rectè citetur: quam quidem quæstionem Angelus & Iason decisione Cæsareâ dignam reputant.
22. Sed res facilis expeditu est, aut enim † jurisdictio pertinet ad judicem citatem, ut fit in realibus, & in quibusdam personalibus quando citandus sub judices citantes res sitas habet in quas executio fieri posset, ac citatur rectè, cùm in contumaciam contra ipsum procedi queat: aut bona ibidem vel res nullas habet, & rectè dicimus, extra territorium jusdicenti impunè non pareri. l. ult. sup. de Iurisdic. Vtimur verò contra eum qui in alieno territorio degit citatione edictali. De qua latiùs infrà agimus. in l. & post edictum. De judic.

Ad l. 2.

1. Edicti Prætorii prohibitio de quibusdam in jus sine venia non vocandis.

2. Qui magistratus in jus vocari possint vel minus.

3. Doctor aut Miles reali citatione vocari non potest.

4. Pontifex dum sacra facit non citandus.

5. Idem de Sacerdotibus & verbi ministris hujus seculi dicendum.

6. Qui ipso actu litigat apud aliud tribunal, non rectè citatur.

7. Parentes qui in edicto dicantur.

8. An hodie hoc edictum habeat locum & quatenus. & 9.

10. An vasallus dominum sine venia vocare queat.

11. An sine venia vocari noverca queat.

12. Mores hujus seculi.

13. Moribus nostris magistratus perpetui sunt, & an idcirco vocari queant.

14. Litigans ad aliud tribunal vocari nequit.

15. [illegible]

Cùm

CUm † in jus vocatio olim reali fieret apprehensione: Prætori Romano visum fuit, quasdam personas omnino vocari pro tempore non posse; quasdam non aliter quàm veniâ prius impetratâ. 1
Omnino † vocari non possunt quicunque cum imperio sunt magistratus, ut prætor, præses provinciæ. *hic.* nisi tamen magistratus sint minores, aut qui aliàs sine imperio sunt. *l. nec magistratibus. 32. inf. de Injur.* Sed & majores ob delicta tempore magistratus commissa conveniri posse certum est, *l. 2. C. ubi Senat. vel clar. conv. l. 4. C. ad L. Jul. Rep. Nov. 86. c. 4. Ias. hic. num. 6.* Neque etiam furiosus aut infans citari potest. *not. in tex. l. neque impuberes. inf. eod.* Præterea † Doctorem & militem uti personas honestiores realiter non citandos magis dicimus. *l. 6. C. de Profess. & med. Gail. lib. 1. obs. 48. num. 6. cum ibi allegatis.* Sic & carcere detenti non rectè citantur: nam si quid contra eos non comparentes in præjudicium constituatur, in integrum restituuntur. *l. 9. in princ. l. 15. Ex quib. caus. maior.* Præter † hos vocari nequit Pontifex dum sacra facit, quique propter loci religionem inde se movere nequit. Huc † referédi ex moribus sunt, Sacerdotes verbum Dei actu ipso tractantes. Sed neque citatur rectè qui ex causa publica in equo publico transvehitur. *tex. & in eo Budæus hic. paulò tamen aliter Cujacius lib. 13. obs. 29. Ravar. lib. 2. Var. c. 15.* Sic † nec vocari potest qui apud Prætorem causam agit, *hic. & l. seq.* puta ipso actu, alias enim certum est, pendente lite unâ ad alteram quis vocari non ineptè. *l. contra pupillum. 54. De re iud.* Parentes † verò *l. 4. §. 1. hic.* etiam naturales, *l. 6. h. t.* patronus, patrona, liberi parentésve eorum vocari nequeunt sine venia Prætoris. *l. 4. §. 1. h. t. vide l. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & seqq. h. t.* Sed quæsitum est, † An hodie, reali vocatione absoletâ, parentes & reliquos, quos sine venia olim prætoris vocare non licebat: vocare liceat hodie veniâ non impetratâ, & hoc Cujacio ac Donello visum est. *Cuiac. 10. Ob. 10. Donell. in §. pœnales. Inst. de Act.* quia sublatâ causâ tollatur effectus. Fachinæus contra, Quia nec olim cum Digesta componerentur realis citatio amplius erat consueta, & nihilominus hoc edictum iis insertum sit & explicatum. *Fach. lib. 10. Controv. c. 87.* Quorum sententiæ ita conciliantur ut in iis tribunalibus ubi viatore demum à magistratu postulato citare licet, singulari veniâ non sit opus; Idque ex Cujacij sententia, in reliquis contrà sit. Idque ex sententia Fachinæi. *& eorumque allegat.* An autem † ubi citatio ex stilo non fit nisi veniâ prius à magistratu impetratâ, vasallus Dominum sine venia in jus vocare queat, quæsitum est: magisque dicimus id supervacuum esse. Et quanquam alii haud ita sentiunt, *Specul. in tit. de feud. num. 43. vers. 17. Jas. post Alex. in l. generaliter. inf.*

2. 3. 4. 5. *Mores hujus temporis.* 6. 7. 8. *Consuetudo hodierna.* 10.

I 2 cum

eod. opinio tamen illorum moribus repudiata est. *gl. & DD. in c. 1. De mil. vas. qui contum. Mynsf. cent. 4. Obs. 91. Angel. in §. generales. num. 8. Fab. ibidem num. 2. Zas. 26. Schneid. n. 45. Inst. de Act.* Parumque ad rem facit, Quod Domino reverentia debetur, *d. c. 1. de mil. vas. qui contum. ubi not. in verb. salvâ reverentiâ* in jus autem vocari sine venia nequeant quibus reverentia debetur: id enim de ea reverentia acceptum est quæ parentibus debetur & iis quibus similiter penè sumus obligati. Nec mutat, quod vasallus liberto interdū comparatur. *Pref. Ever. in loc. leg.* quia id simile omnino fragile est, eò quod libertus inæstimabilem rem à patrono accepit, ipsam dico libertatem: Vasallus solum beneficium, cui insuper tamen dominus ipse quoque mutuò obligatus manet. *c. 1. §. fin. De forma fid.*

11. *Schenk in d. c. 1. §. si vero vasallus. de mil. qui contum.* De noverca † dubitatum est, & Curtius autumat, eam sine venia vocari non posse. *per d. l. generaliter. inf. eod. communem dicit Cur. Iun. in l. 1. C. eod.* eò quod loco matris sit. *§. socrum. Inst. de nupt.* Accedit quod idem honor uxori qui marito debetur. *Arg. l. Princeps. in fine. de legib.* Alciatus contra *in d. l. 1. num. 11.* quia inter prohibitas noverca non reperiatur. Quibus & illud addunt quod plerumque liberis mariti injuriosa sit. *arg. l. 4. de inoff. test.* Ac tametsi benignè dicimus veniam contra eam priùs impetrari decere: durum tamen foret, impetratione omissâ ob hoc ex edicto pœnæ locum dare, cùm odiosa non

12. oporteat extendi. Quanquam omnis hæc disputatio, † ob communem veniæ impetrationem in plerisque curiis ac tribunalibus receptam, hodie rectiùs supervacuam dicimus; nisi duplicem vocationem hoc casu statuamus unam quasi ex privilegio edicti, alteram pro more recepto, Sed hoc absurdum foret. Atque ita respondi de facto consultus inter Bake & Berentsen pro tribunali Dalfsensi.

13. *Consuetudo hodierna.* Planè † quia moribus nostris magistratus etiam majores ferè perpetui sunt, idcirco etiam obtinuit eos impunè in jus vocari Quod & consequenter ad illos relatum est qui magistratu pro tempore funguntur. *Oldend. in Act. for. cl. 1. act. 4. num. 4. De in jus voc.* Hoc tamen minimè ad judicem dum de causa cognoscit, referri oportet; ut nec ad sacerdotem dum sacra facit, ceterosve quos eodem beneficio gaudere, supra relatum est. *vers.* NEC EUM QUI ALIUD PRÆ-

14. TOREM CAUSAM AGIT.] Qui causam † apud Prætorem agit, in jus vocari ad tribunal aliud nō potest, quin vocans incidat in edictum,

15. *tex. hic.* Nec † mutat l. contra pupillum. 54. De sent. & re jud. ubi excusatur quidem litigator ad majus tribunal vocatus & sequitur hoc enim ad vocatum pertinet, ne in contumaciam incidat, tamen id vocantem non excusat. *per hunc tex.*

Ad l. 4.

1. Parentem] vide quæ ponimus infrà *in l. 10. §. parentes, De grad. cog. & aff. quæ solet opponi.*

Ad l. adoptivum. 8. fin.

Vide quæ scripsi infrà, *ad l. qui contra. 15. De jure patron.* quæ solet opponi.

Ad l. sed si hac lege 10.

PRincipium hujus legis relatum est infrà, *in l. 7. De jure patron. ubi exposui.* Nec obstat huic l. 34. De evict. quia eam solvi ibidē.
Ad §. Liberos.] vide quæ ponimus infrà, *in l. 10. §. parentes. De gr. & af.*

Ad l. generaliter. 13.

Hæc lex, & quæ ad eam pertinent, latiùs relata sunt suprà ad l. 2.

Ad l. plerique 18.

1. Citatio facienda in personam.
2. Aliàs in domum.
3. Quid si quis certum non habeat domicilium.
4. An quis avelli invitus asylo aut templo possit & ad judicium trahi.
5. Quid juris de navi.

QVoties † citandus aliquis est, vocatio in personam facienda est, *gl. & Panor. in c. 3. De dolo & contum. Bart. in l. 1 De lib. agnos.* 1
Sin † ejus copia habeatur difficilius, in domum eam fieri oportet. *l. 1. inf. h. t. l. 4. §. toties. De dam. inf. d. c. 3. de dolo & cont.* Quod si quis in 2
loco judicij non habitet, moribus receptum est, ut partes domiciliū eligant citandi, *Imbert. lib. 1. Inst. for. c. 30.* Dñs. *Merula. lib. 4. Prax. Hollan. distinc. 4. sect. 3. tit. 5. c. 1. num. 4.* Quid † ergo si quis vagabū- 3
dus sit? & receptū est hoc casu citationē usurpari edictalē. *Gail. lib. 1. Obs. 57. nū. 4. Mar. par. 6. tit. de citationum 83. cū seq. ubi tredecim casus ponit quibus quis per edictū citatur. Gail. d. ob. 57. per tot.* Habetur. item perinde ac si citatus lateat, quo casu ejusmodi citatio recepta est. *not. in l. et post edictum. de jud.* Citati tamen in domo qui erant recantiquitus quidē ducebantur. *l. 21. inf. h. t.* cum et nemo dū rec vocari ab asylo, *Nov. 17.* aut aliàs satisdare parati erant. *l. 1. inf. in jus voc. ut eant.*

4. *vel satis aut cautum dent*. Quod † de asylo diximus id hodie etiam ad eos pertinet qui ad ecclesiam confugiunt *tit. C. de his qui ad eccl. confug.* de quibus tamen pleniùs ex utroque jure suprà egimus. *in l. 2. De his qui sui vel alieni jur. sunt. ubi vide. Bart. hic.* Sed † an idem de navi dicendum sit, quæri potest, & magis est idem in navi quod in domo esse, modo citandus eam habeat pro habitatione. *argum. huius tex. Petr. Peck. de jure sist. c. 6. num. 1. ubi ait communem.* aliàs & inde eum avelli posse dicendum esset. *arg. l. 1. §. si quis de navi. De Vi & vi arm.*

Mores huius temporis.

5.

l. 19.

Relata est suprà n *l. 1. eod.*

l. 21.

Relata est suprà *in l. 18. h. t.*

Ad l. penult.

1. *An pœna edicti teneantur qui vocant eos quos vocare omninò non licet.*
2. *Edictum Prætoris de quinquaginta aureis quando locum habeat.*
3. *Magistratuum vocatio an edicto primum prohibita.*
4. *I. Paulus Iureconsultus laudatus.*

1. AN † judicium 50. aureorum quoque in eos detur qui vocarunt omninò in jus vocari prohibitos, quæsitum est: sed magis est pœnam in eos solummodo arbitrariam esse. *l. medicos. C. de Profess. & med. lib. 10. Bart. hic. Zas. Inst. de Act. in §. pœnales num. 26.* Acce-
2. dit † quod edictum hoc tantum de parentibus & iis agit quibus re-
3. verentia debetur. *ut hic. & l. 4. §. 1. sup. eod.* Reliquorum † enim in jus vocandi prohibitionem ex incerto magis jure aut more quam edicto aut lege venisse palam est. Quod & responsum Pauli arguit, qui hanc in rem rescriptum Divi Hadriani allegat. *in l. pars literarũ.*
4. *De jud.* quod non fecisset, (Paulus † inquam juris author gravior) si res hæc directo ex edicto esset profecta.

SI QVIS IN IVS VOCATVS NON IERIT.

Ad l.

Ad l. 1.

Satis notabile est quod ex hoc textu colligunt, fidejussorem alienæ jurisdictionis, si personæ suæ sit contra iu ius subjicere tribunali apud quod fiet jussit. Cùm alias contractus forum tribuat. *ut in l. 2. de Iurisdic.*

Ad l. 2

Vide quæ perfuimus suprà, *in l. ult. de Iurisdic.*

NE QVIS EVM QVI IN IVS VOCATVS EST, VI EXIMAT.

Ad l. 1.

§. fin.] QVi contra edictum de in jus vocando citatus est etiam si actio justa sit, ob quam citatur, vi tamen eximi impunè potest. *tex hic.* Nec mutat igitur l. 4. §. item. inf eod. ubi per calumniam vocatus, si vi eximatur, nihilominus pœna committitur: quia ibi non proponitur citatio facta contra edictum.

Ad l. 3.

§. final.] VI exemtum esse sufficit sine dolo. *tex. hic.* Neque enim absurdum est dicere dolum quandoque sine vi esse. *per hunc tex. §. Inst de vi bon. rapt.* Quanquam in edicto prætoris de vi bonorum raptorum, contra sit, quippe in quo vis non intelligitur sine dolo, *l. 2. §. doli. De vi bon. rap.*

QVI SATISDARE COGANTVR, TIT. VIII.

Ad Rubricam.

DE satisdationibus in genere parum aut nihil hîc tractamus, cùm ob facilitatem rei; tum quod modus cavendi hodie in judiciis pro regionum diversitate sit diversus. Illud generatim observandum est. Moribus Galliæ cautione judicatum solvi & judicium peragi, hodiè non observari. *Imbert lib. . Inst. for. c. 30.* *Consuetudo Gallica diversa.*

Ad l. 1.

Ad l. 1.

1. Satisdatio quid.
2. Cautionis nomen generale.
3. Satisdatio solis fidejussoribus fit.
4. Morib. contrarium obtinet.

1 Satisdatio † est quæ fit datis fidejussoribus. *tex. hic* Cautionis † e-
2 nim nomen generale est, omnemque securitatis designat præsta-
tionem. *l. plus cautionis. de Reg. J.* Ipsa tamen satisdationis vox inter-
dum nec minùs latè accipitur. *l. promissor. 21. § fin. de Constit. pec.* Li-
cet aliàs denuò pro nuda ponatur repromissione. *l satisdationis. §.*
1. de Verb. sign. ideoque non quidem ubique hæc vox coarctata in-
telligenda est ad fidejussionem, verùm modò angustiùs, modò la-
3 tius accipi. Quanquam id proprium prætoriis stipulationibus † est,
ut in his solis fidejussoribus caveatur. *l. prætoria. 7. de Præt. Stip.* At-
que inde est quod satisdatio frequentiùs in specie pro præstatione
4 fidejussionis accipi solet. *ut hic & tot. h. t.* Moribus † tamen obtinuit
ut cautiones judiciales quoque fieri pignoribus possint, ut Wesem-
becius author est. *num. 7. in par. h. t.* Sed hoc perpetuum non est, nec
igitur alibi quàm ubi id receptum, in consequentiam trahendum.
Quod si quis fidejussores præstare nequeat, suæ promissioni relin-
quitur. *§. sed hodie. Inst. de Satisd. Auth. generaliter. C. de Episc. et cler.*
aut etiam si partibus ita placeat, promissioni nudæ. *gl. hic.* Quod ta-
men Moribus Transisulaniæ ita mutatum est, ut, nisi fidejussores
præstentur, aut partes conveniant de simplici repromissione aut ju-
ramento, per arrestum citatus ipse manere teneatur custoditus.

Consuetudo hujus temporis.

Ad l. de die. 8.

§. 1.] Marito fundi dotalis quæstione mota, mulier rec[illegible] ju-
bet in rem suam. *tex. hic.* Itaque ei hic beneficium Velleiani non
obstat. Nec ad rem facit quod constat possessorem immobilium liti-
giosarum regulariter satisdare non teneri *l. 15. §. pen. inf. eod.* in pro-
posito enim existimandum est, cautionem sponte esse interpositam.
v. Pacium. Cent. 1. q. 68.

Ad l. Ab arbitro. 9. & l. 10.

1. An ab arbitro appellari queat.
2. Explicatio hujus textus.

QVæsitum † est an ab arbitro appellari possit, quod non videtur. *l. 1. ubi Bal. Sal. Angel. C. eod. l. 32. §. cum quidam. inf. de Rec. arb.* Nec † mutat hic textus, quia arbitri nomine hoc loco designatur judex à magistratu partium consensu datus. *ut & in l. ex consensu. inf. de Appell. & in l. 1. quis & à quo appell. l. ult.* C. *de Iudic.* Vide præterea quæ hac de re ponimus infrà, *in d. l. 32. de Arb.*

Ad l. Iulianus. 11.

1. *Argumentum legis.*
2. *Solvitur oppositum.*

HOc † caput Bartolo & aliis perdifficile visum est, quod diligentiùs animadvertenti tamen non ita parebit. Definitur enim hîc simpliciùs: Fidejussores à negotiorum gestore acceptos per subsequens mãdatum aut ratificationem meam non liberari. Non † obstat igitur l. si ante. 7. in fine, inf. Iud. solvi: quia ea procedit quando rei defensor judicatum solvi satisdedit. tum enim, si postea domini mandatum superveniat, dominus ipse judicatum solvi satisdat, & consequenter fidejussores à gestore dati liberantur, *d. l. 7. in fine.*

Ad l. inter. 12.

HÆres institutus sub conditione, pendente conditione à substituto, ut de hæreditate caveat, compelli potest, *ex. hic.* Contra venit l. Paulus. 8. De Prætor. stip. namque ibi verba textus postrema per interrogationem legenda sunt, ut conveniant prorsus cum textu præcedenti. *Gotofr. ibidem.*

Ad l. sciendum. 15.

1. *Possessores immobilium non satisdant.*
2. *Quod cessat in criminalibus.*
3. *Possessores immobilium an jurato promittant.*
4. *Consuetudo hujus seculi.*
5. *An possessor immobilia sua obligare teneatur.*
6. *Casus duo excepti.*
7. *Bartoli observatio.*
8. *Possessor immobilium quis.*
9. *Filio an prosit possessio patris.*

K 10. *In*

ineptè. Non † tamen filio profuerint immobilia patris, licet enim 9
filius spem habeat successionis, *l. in suis. De lib. & posth.* non tamen
idcirco jam nunc possessor est. *Bart. & Cast. hic.* De † usufructuario 10
verò & creditore cui pignus obligatum est, perinde dicimus posses-
sores eos non esse, *tex. hic. vide plura de hac re infrà in l. 35. §. 1. De
pign. act.* Sed quid † de redituum annuorum domino? Bartolus qui- 11
dem eum possessorem censet, si reditus ex immobilibus præstentur
bonis, verum duriùs id admitti videtur per rationem hujus textus.
cùm reditus fundum oneratū plerumque haud aliter arctent quàm
solius pignoris jure. Quanquam aliàs reditus inter immobilia com-
putantur. *vide lib. meum 1. de Ann. Redit. c. 3. per tot.* Bartoli tamen
sententia in non paucis locis moribus admissa est.

§. TUTORES.] Relatus est suprà in princip.

§. DIVERSA CAUSA.] Qui † fundi petitionem personalem ha- 12
bet, quod ad satisdationem attinet, possessor non censetur. *tex. hic.*
Idem Doctores & ad petitionem realem extendunt. *gl. & Bart. hic.*
Quod rectè recipitur, si dominus rei possessione penitus sit priva-
tus. † Nec obstat quod dicimus, eum qui actionem in rem habet, 13
videri ipsam habere rem. *l. id apud. 143. de Verb. sign. l. is qui actionem.
15. de Reg. jur.* neque enim id perpetuum est, unde & aliàs respon-
sum constat, Minus esse habere actionem quàm rem ipsam. *l. is qui,
De rei vind.*

SI EX NOXALI CAVSA AGATVR.

TIT. IX.

Ad l 1.

Relata est infrà, in l. pen. eod.

Ad l. 4.

SI cum uno ex dominis servi communis ex noxali causa agatur, in solidum is defendere servum tenetur. *tex. hic.* (Quod in individuis ferè perpetuum est *vide inf. in l. via. De serv.*) nisi ante litem contestatam eum prorsus defendere nolit. tum enim liberatur, si paratus sit cedere sua parte. *l. si servus. 8. De Nox. act.*

Ad l. penult.

1. Argumentum textus.
2. In conditione ejus qui deliquit quod tempus considerandum in pœnis.
3. Conciliatio & explicatio l. 1. De pœn.
4. Cujacij laus.

1 QVia † constat servum in eadem causa sistendum quâ fuit tempore satisdationis, *l. 1. princ. sup. h t.* quæsitum est an in eadem causa sistatur jam factus liber: quod Vlpianus nō admittit, eò quod
2 aliter servus quàm liber puniatur. *tex. hic.* Vnde & consequi † videtur, in pœnis considerari conditionem rei, non quæ fuit tempore judicij accepti, sed sententiæ. Quod † tamen singulare videtur, cum
3 regulariter in irrogandis pœnis cōsideretur tempus delicti, reusque puniatur pro conditione cujus erat dum delinquebat. *l. 1 De pæn.* In proposito igitur aliud ideo est, quia palam fit jam nunc liberum esse eum qui deliquit, difficultasque probandi ob hoc redundaret in actorem, quod eum servum fuisse demonstrare cogatur: & consequenter, quia aliter servus quàm liber punitur, non intelligi delinquentem sisti in eadem causa. Et hoc etiam Cujacius annotat.
4 *lib. 10 Obs 22.* Multò maxima † mihi semper hujus viri eruditio visa est, & si verū fatear, plerisque is hujus seculi prædoctis viris palmam præripuit ita, ut nullâ in re priscis juris authoribus sit postponēdus.

DE EO PER QVEM FACTVM ERIT, QVO MINVS QVIS IN IVDICIO SISTAT.

Ad l. 1.

§ fin.] Vide posita infrà, *in l. item Mela. §. sed si plures. vers. & si cum uno. inf. ad L. Aq.*

Ad l. 3. princ.

Ex hoc textu colligi videtur, actionem quæ paulò post tempore expiratura est, citatione non conservari. Nec mutat quod alibi refertur, præscriptionem 30 anno um solâ interrumpi conventione *l. cum notissimi. 7. C. de 30. & 40. ann. præs.* quia ibi convenitur nec citatio-

citationem, sed actionis editionem designat. Itaque in hac re cautè agendum est advocatis, ut si fortè exiguum spatium præscriptionis restet, libellum in citatione unà transmittant; siquidem ea citatio pro conventione est. *Auth. offeratur. C. de lit. Contest.*

§. Planè si is.] Impeditus dolo tertij quo minùs in jus vocatus sistatur, contra impedientem ob hoc actionem habet, non etiam contra adversarium. Sed hoc perpetuum non est. Primò enim, si impeditus non sit solvendo, restitutoria actio conceditur contra principalem reum. *ut hic.* Secundò, si reus ipse unà sit in dolo, tenetur unà quoque ipse. *arg. hujus tex. Cost. hic. post gl. in l. sed eximendi. sup. Ne quis eum qui in jus voc. vi ex.* Tertiò si quis à magistratu suo (sine collusione tamen rei) sit detentus. *arg. l. 3. §. fin. inf. tit. 1.*

§. Si & stipulator.] Quæ hic de compensatione doli tractantur, ea nos alibi. *vide in l. si ambo. inf. De compens.*

SI QVIS CAVTIONIBVS IVDICII SISTENDI NON OBTEMPERET.

TIT. XI.

Ad l. 1.

PRætor jubet vicena millia passuum judicij sistendi causâ dinumerari in singulos dies, præter eum diem quo cautum promittitur, & in quem sistere in judicium oportet. *tex. hic.* Hoc ita nisi inter partes aliud convenerit. Quod si id factum non sit, & quæstio de termino oritur, actor quidem eâ de re proponet, sed judex statuet. ea *l. de die. sup. Qui satisd. cog.* Moderatio verò ea redigenda erit ad tempus hic præfinitum. *convenit l. 3. De Verb. signif.*

Ad l. 2.

§. SI quis tamen.] Quod hîc inter cetera refertur, eum qui judicio sisti debuerat, fluminis aut maris vi impeditum non excusari, id probavimus de facto consulti inter Principem Luneburgensem, & D. Sandium Gelriæ consiliarium.

Ad l. 4.

SIngulare existimatur, quod excusatio ob capitis minutionem accidentem principali, quem judicio sisti cautū est, producatur ad fidejussorē. *ut hic.* Cùm aliàs regulare sit, defensiones quæ ob statum

mutationem accidunt, ad fidejussores non extendi. *l. exceptiones. 11. C. de excep. l. 5. C. de fidejuss.*

ILLUD SCIENDUM.] Qui judicio sisti caverat, non si accusatus, sed ita demum, si condemnatus sit, exceptione utitur. Quod perinde est ac si dicamus, receptum inter reos, nisi vinculis aut custodiâ coerceatur, ob accusationem institutam non excusari. *ut hic.* Nec mutat l. 1. in fin. de Cust. & exh. reor. quia ejus loci mens est, ut, quemadmodum publico judicio accusatus accusari interim ab alio non potest, ita nec qui privato judicio sistere promisit, interim ad aliud judicium privatum vocari possit. Non ut accusatio efficiat, ne reus ad judicium privatum vocetur, nec etiam vocatio ad jus privatum efficiat, ut accusatio omittatur. Nisi tamen intellige, vel ob crimen jam in custodia sit, vel ipso actu causam privatam in judicio tractet.

§. QUÆSITUM.] Inter cetera illud in cautione judicio sisti, singulare putatur, quod promissio de sistendo cum renunciatione quarumvis exceptionum, casuum & impedimentorum, ad casus fortuitos non producitur, nisi qui eorum speciatim sint expressi. *per hunc tex.* Quod & in ceteris stipulationibus prætoriis magis est. *l. fluminū. 24. §. Cassius De dam. inf.* Parumque ad rem facit quod aliàs perhibetur, Expresso genere unà & species censeri expressas. *not. in l. si chorus. 79. in verb. perinde est quasi singuli. de Leg. 3.* Ratio est, quia Prætorias stipulationes benigniùs explicamus ex mente Prætoris, cùm in conventionalibus econtrà serventur partium conventa. *l. in conventionalibus. 52. de Verb. obl.*

Ad l. si servus. 9.

§. 1.] Qui plures servos sistere obligatus est sub certa pœna, & aliquos steterit, aliquos minùs, ipso quidem jure ad integram pœnam tenetur, quia non stetit omnes: sed doli exceptione pro partibus eorum qui emanserunt, actio eliditur. *per hunc tex.* Quod si pœna promissa non sit, id quod interest ipso jure non in amplius quàm pro partibus eorum peteтur qui emanserunt. *l. 18. inf. Rem rat. hab.*

Ad l. si cum 10.

Si eum promiserim judicio sisti qui tempore dicebitur liberatus, nihilominus in me actio datur, ut eum exhibeam aut defendam, quò veritas inquiratur. *tex hic.* Nisi tamen ipsa in jus vocatio nulla sit, ut si ei e[illegible] sit qui agere non posset, quod legitimam personam standi in judicio non haberet. *l. 2. §. 1. Qui satisd. cog.*

Ad l. Qui.

Ad l. Qui autem. 10.

§. 1.] Quod hîc refertur, æstimationem ejus quod interest in proposita actione referri ad illud tempus quo reus debuerat sisti: idcirco fit, quod nonnulla accidere queunt: quæ vel minuere vel augere id ipsum possint. In quorum reputatione tamen reductio fit ad tempus moræ hoc est, ad diem eum quo sistendus esset, nec tamen id factum fuit. Eo enim ipso die mora intelligitur commissa. *l. magnam. C. de contr. & comm. stip. ubi not. vide quæ nos latè infrà in l. mora.* De *usur.* In plerisque verò judiciis ceteris ad quæ tempora vel à quibus usque æstimatio istæc sit referenda, alibi plenius explicamus, *vide quæ nos latè infrà. in l. vinum. 22. De reb. cred.*

DE FERIIS ET DILATIONIBUS.

TIT. XII.

Ad l. 1.

1. Durantibus feriis cessant lites.
2. Actus litigiosus in feriis celebratus ipso iure nullus est.
3. Feriis à partibus etiam tacitè potest renunciari.
4. Quæ lites diebus feriatis exerceri queant. et 5. 6. 7. 8. 9. 10.
11. Diebus sacris quæ res judicio tractari queant.
12. Dotis causa an in feriis queat tractari.
13. Causa publica quæ in feriis tractentur.
14. Arbitria ex Moribus in feriis an tractentur.
15. Citatio an decernatur die feriatâ.
16. De citatione factâ sine termino præfinito.

IN feriis † cessant causæ litigiosæ, nec ad judiciũ durantibus iis vocatus, venire tenetur. *hic l. 6. & 9. inf. eod.* eoque † sententia & actus judicialis iis diebus celebratus ipso jure nullus est. *ut hic. in §. 1. vers. sin verò. & d. l. 6. inf. eod. c. ult. ex. eod.* Hoc ita † nisi utraque pars feriis renunciarit; quod etiam de tacita renunciatione accipi oportet, modò non directò opponatur à parte, *ut hic in tex & per Alex.* Denique † & si summa necessitas judicium exigat, lites agitantur diebus feriatis non sacris (diebus † enim sacris Iure Can. con- *ius Canonicum,*

tra foret

tea foret *c.fin.& ibi DD. ex. de Fer.)* ut si actio seu res tempore vel morte alicujus sit peritura. Sed nec tum quidem proceditur ultra
6. litis contestationem, *§.fin. hic.& l.3.inf.eod.* Perinde † est, si agatur de insigni latrone, aut raptore. *arg.l.3.§.fin.h.t.* quanquam sententiæ executio etiam eo casu differri solet. *l.custodiam. De publ. jud.* Planè si reus non adeò insignis raptor aut scelestus sit, magis est ne quidem contra eum invitũ diebus feriatis procedi, nec aliter quàm si postulante eo agatur de ipsius absolutione. *tex.in l.custodiam. Angel.& Castrens.in l.Divus.inf.eod.* cùm feriæ in favorem reorum sint
7. introductæ *ut hic.& per Alex. in d.l.Divus.* Denique † & si quis rei servandæ causâ, vel legatorum, fideicommissorumvé, aut damni infecti nomine in possessionem mittendus sit, feriæ non conside-
8. rantur *l.2.hic.* Quod † & ad novi operis nunciationem relatum est, maximè cùm ei quoque in tempore provideri expediat. *arg. l.1.§.&*
9. *post.9.isto.tit.* His adde † plerosque actus voluntariæ jurisdictionis.
Statutum Transisulanæ. *d.l.2.hic.l.2.princ.C.eod.* Atque id ipsum & Statuto Transisulaniæ cautum est generatim. *Nov.Refor.sub tit.de Modo proced.* Sed † & idem esse in causis piis uti alimentorum, matrimonialium, ecclesia-
10. sticarum, pupillorum, viduarum, inter omnes constat. *l.2.hic.c.significasti.ex.de elect.gl.in c.1.de fer.in verb. necessitate. c.ult. de fer.*
11. *not. in c.ult. de jud.* Adeo † etiam ut posteriora pleraque hæc, si vel minima causa subsit, peragantur diebus sacris. Atque id hac in provincia memini observatum in causa quadam matrimoniali, cùm dies nuptiis addictus à tertia persona sine legitimis probationibus,
12. differri tentaretur. De † dote quæsitum est. Dubium movet, quod causa dotis sit causa pia. *l.cum tu.§.si mulier. De condict.indeb.* in quo genere ferias non servamus. *d.c.ult.ex.de fer.* Accedit quod dotis causa publica censetur, *arg.l.2.de Jure dot.& l.1.Sol.matrim.* & receptum sit publicas quoque causas tractari diebus feriatis. *l.2.C.de fer.* Magis tamen est quæstiones dotales etiam in feriis cessare, *arg.*
13. *l.7.verb jure judiciorum C.de dote prom.* Nec † mutat quod dicimus publicam dotium esse causam: quia quod relatum est causas publicas in feriis tractari, id de causis directò demum ad rempublicam pertinentibus rescriptum est. *tex.in d.l.2.C.de fer.* Idemque verum est de causis piis, ut & eæ demum tractentur diebus feriatis, quæ directò piæ sunt, ut pupillorum, viduarum, alimentorum. Quamobrem si de dote alimentorum causa decerniatur cognosci postuletur, hanc etiam quæstionem in feriis tractandam non negamus.
14. *pulchrè Fach.lib.10.contr.c.36.* Planè † tametsi arbitria etiam ad morẽ
Mores Batavi. judiciorum sint redacta, *l.1.& 36.isto tit.* Moribus tamen obtinet ea nihilominus rectè tractari diebus feriatis. *fac. Menoch.1.Arb.Jud. cas.30.*

cas. 30. num. 12. atque id vidi sæpius observari. Neque verò obstat quod dicimus, arbitria instar judiciorum esse: id enim ita est respectu ordinis & effectus, cùm res interim ipsa nihil aliud sit quàm negotium transactionis. Denique † & receptum est, tametsi citatio ad diem feriatam in terris imperii non subsistat, *(dixi latè supra in l. 1. De in jus voc.)* die tamen feriatâ eam ad non feriatam posse decerni. 15.
Quid verò † si alicui non præfinita dies una, sed terminus statutus sit intra quem compareret? & rectiùs dicimus etiam dies non feriatos observandos esse, *l. 2. §. illud. C. de temp. appell.* nec tempus feriatum etiam tetribui quod intra terminum elapsum est. *l. sive pars. §. 1. C. de Dilat. l. 1. C. de Fer. Costal. post. Bart. hic.* 16.

Ad l. 4.

1. Magistratus quas ferias messis causa statuant.
2. Arbitrij magistratus in hac re causa qua.
3. L. 2. & l. Publicas. C. eod.
4. Feriæ messis etiam ad tempus seminandi pertinent.
5. Præses an novas ferias condat.

MAgistratus † regionum ferias messis vindemiarumque in singulis regionibus pro more ac natura regionum statuere solent, 1.
ut hic. & l. si in aliam. 7. sup. de Off. procons. Verius † enim est ob regionum distantiam diversamque aëris temperiem hac de re nihil statui certi posse. Et verò Wesenbecius † l. 2. & l. publicas C. eod. valde suspectas habet eò quòd iisdem messium tempus certum statutum est: tametsi enim censeri queant ex cõstitutiones convenisse illo tempore regionibus iis ubi authores earum tunc habitarent: minùs tamen probabile est, eas universo imperio, quod tum multò amplissimum erat, accommodatas. *vide Wesenb. in Pandect. h. t. n. 5.* 2.
Planè † quod de feriis messis dicitur, id ex moribus etiam ad tempus seminationis refertur. Quod rationem habet. *arg. l. 1. C. de Agr. & cens. lib. 11. Costal. post. Ias. hic.* Denique † constituit magistratus tantum ferias pro consuetudine locorum usitatas; novas verò aut repentinas non condit, quia id ipsi Augusto reservatum est. *l. 4. C. eod. l. 3. C. de Dilat.* 4. *Mores huius seculi.* 5.

Ad l. oratione. 7.

1. Dilationes in causis pecuniariis semel an iterum dentur.

L 2. De di-

a. De dilationibus peremptoriis & exspectatoriis remissivè.

1. DIlationes † in causis pecuniariis modò semel dantur. Cognitione tamen interposita, si hoc utilitas causæ exigat, denuo dantur. *ut hic. & l. ult. h. t.* Verbi gratia, si ob justum impedimentum, is cui dilatio data est vel ipse venire nequeat, vel instrumenta necessaria necdum habere. *gl. & Bart. hic. Ioan. de Imm. in c. ultra tertium. de*
2. *Testib.* Quæ † verò hoc loco alibi de dilationibus peremptoriis & exspectatoriis, ut aiunt, ea nos infrà. *Ad l. & post edictum. de Iudic.*

Ad l. more. 8.

1. Dies Romanorum civilis.
2. Mores Germanorum.
3. In quibus rebus consideretur dies civilis.
4. In quibus non consideretur. & num. 5. 6. 7. 8.

1. MOre † Romano dies à media nocte incipit. & sequentis noctis mediâ parte finitur, (quam diem civilem Plinius, rectiùs quam Accursius, qui eandem nuncupat naturalem). Proinde quicquid in his viginti quatuor horis (id est duabus dimidiatis noctibus & mediâ luce actum est, perinde habetur, quasi quavis hora lucis actum esset. *tex. hic Gel. 3. N. Att. c. 2. ubi allegat. Varron. & Q. Mutium.*
2. Quemadmodum † à mediæ noctis hora prima Germani, Belgæ & aliæ nationes plures, initium computant sequentis diei. Quâ de re qui plura requirit, consulat alios. *Anton. Aug. lib. 4. Em. c. 13. Cujac. lib. 15. ob. 32.* Atque hic textus in iis procedit †, in quibus dies vel annus ceptus habetur pro completo, ut accidit in his qui ambiunt
3. munera & honores. *l. qui filium. 74. §. Fabius. inf. ad* SC. *Trebell. l. ad rempublicam. 8. de munerib. & hon.* itemque in testamentis ordinandis à majoribus quatuordecim annis. *l. 5. Qui test. fac. poss.* In non-
4. nullis contra † est ut in restitutione minoris læsi. *l. 5. . minorem. De*
5. *minorib.* item † in judiciis, in quibus dies incipitur mane & finitur vesperi. *Novell. 82. c. 3. c. consuluit. de Off. deleg.* nisi vel pars utraque cum judice in nocturnũ tempus consenserit, vel aliàs res sit tempore peritura; tum enim usque ad medium noctis judicium exerceri potest. *arg. l. 1. & 2. sup. h. t. gl. & Bart. hic. Ioan. And. in add. ad Specul. tit. de sent. §. juxta. vers. item ratione temporis.* Sed † & si quis certâ
6. die pecuniam promisit, quia periculum subesse potest, ne falsa moneta, vel non debiti valoris nummi inter ceteros numerari possent, creditor noctu pecuniam recipere non tenetur, *arg. l. si soluturus. inf. de Solut.*

Germanorũ & Belgarũ mores in computatione diei.

de Solut.Bar.& Costal.hic. Denique † & in exercitiis ceremoniarum Iure Canonico statutum est, ut earum festum ab una vespera in aliam usque exerceatur.*c.1.& 2.ex.de Fer.* Quomodo & Athenienses diem computasse creduntur. Postremò † in observatione Treugæ obtinuit ut incipiat demum ab ortu solis.*c. 1. de Treng.gl.in c. 2.de Fer.* 7. *Iuris Can. statutum.* 8.

Ad l.final.

Convenit hæc lex cum l. oratione. sup. eod. ubi eadem quoque relata est. Quod verò de criminalibus hoc loco refertur, reo nimirum iis dilationes tres, accusatori duas concedi; id peri[r]de non aliter quàm causâ cognitâ admitti ex alio iuris nostri loco constat. *tex.in l.crimine.41.inf. Ad L.Iul.de adult.* Sed illud prætereundum non est, quod cum Iure civili definita ferè dilationum spatia essent, *l.1.C. de dilat.* id Iure Canonico aut moribus saltem ita mutatum esse, ut hodie id omne ferè in arbitrio judicis fit. *ad quod allegant. c. quo ad consult. de Sent. & re jud.c.oblata.§.licet.de Appell.* *Ius Can.*

DE EDENDO.

TIT. XIII.

1. Edere quid.
2. Ratio edicti, deliberandi spatium.
3. Quod spatium in criminalibus detur.
4. Iure Canonico spatium deliberandi quod detur.
5. Arbitrium judicis in termini moderatione.
6. Edicti huius partes.
7. Actio hodie non impetratur ut olim.
8. Libelli partes.
9. Conclusio ex libello omitti nequit.
10. Libellus articulis compositus quando usitatus.
11. Qualitas libelli est ne libellus sit obscurus. 12. Neque generalis aut alternatus.
13. In quibus speciebus admittatur libellus generalis.
14. Iusta actoris ignorantia de re postulata libellum obscurum excusat.

15. Obligatio alternata conclusionem admittit alternatam.
16. Idem est si hoc juris ratio sinat. 17. Cameræ usus.
18. In causis incertis incerta conclusio admissa.
19. Libellus obscurus admittitur parte non opponente.
20. Libellus obscurus à judice lacerandus.
21. Sed hoc moderationem recipit, ut conservetur in favorem actoris. & num 22.
23. Rei favor idem qui actoris.
24. An nomen actionis libello exprimendum sit necessariò.
25. Solvuntur opposita.
26. Oldendorpij sententia probata.
27. Clausulæ libellis adponi consueta.
28. Quid operentur.
29. Libellum an liceat mutare.
30. Libellus emendari etiam post litem contestatam potest.
31. Accursius notatus.
32. Mutatio libelli post litem contestatam permissa.
33. Id longiùs probatur.
34. Solvitur oppositum.
35. Quomodo accipiendum quod dicimus libellum post litem contestatam licere mutari.
36. Explicatio l. 3. C. h. t.
37. Adversarium producere Alciato quid.
38. Quare is in opinione sua à ceteris notatus.

1. EDere est † actionis, rationem, aut argumenti alicujus alteri co-
2. piam facere, *vide Cujac. lib. 10. obs. 15. in fin.* Æquum † verò est ut acturus reo actionem edat, quo deliberare possit, cederéne aut transigere an potiùs contendere velit ulteriùs. *tex. hic.* datâ nimitum dilatione decem (olim) dierum, hodie viginti. *Nov. 53. c. 3.*
3. *Auth. offeratur. & ibi DD. C. de Lit. cont.* quod † non ita receptum est in criminalibus, quippe in quibus termini plerunque arbitrarij sunt. *Castr. hic. num. 7.* Sed † & Iure Canonico indistinctè cautum
4. perhibent, tempus responsionis pro distantia locorum à judice præfigi ex arbitrio. *ad quod allegant c. dilectus. ex. de procur. c. quoniam frequenter. §. si verò ut lite non contest. Ioan. à Rosbach lib. 3. Compar. Iuris civ. & can. c. 10. post Lag. in meth. Iur. civ. & can. par. 5. num. 13.*

Jus Canonicum.

Illud

Illud † constat, moribus plerorumque locorum certos terminos ad 5.
respondendum constitutos, sed à quibus vel pro habitationum distantiâ, aut aliàs pro re nata, judici recedere permissum est. *Rosbach. d. lo. num. 3. post Gail. lib. 1. obs. 53. num. 20.* Edicti † verò hujus duo 6.
capita sunt, unum de actione & instrumentis litis edendis, alterum de rationibus edendis ab argentariis, *Baro in Manuali suo, & Guilhel. Ranchin. in edicto perpetuo h. t.* Edendæ verò actionis ratio olim strictior erat. *l. 2. §. deinde ex his. De orig. jur. Brisson. lib. 5. de Form. & solenn. R R. Vull. 2. Jurisp. Rom. c. 26.* Ceterùm † eo modo subla- 7.
to, *tit. C. de Form. subl.* hodie actio à parte sine prævia impetratione editur plerumque verbotenus, vel non ita strictis regulis alligato libello. *Nov. 53. c. 3,* hoc est breviori scripturâ, *l. 1. inf. de tab. exhib.*

Constat † verò libellus iste thesi, hoc est, propositione, hypothesi, 8.
hoc est, assumptione, & conclusione seu petitione. Prior pars juris dispositionem, altera facti applicationem, tertia illationem & postulationem comprehendit. Vnde idem & syllogismus dicitur legistarum. *Zas. in princ. Inst. de act. num. 15.* Partes tamen priores interdum transponuntur, ita, ut secunda priùs, & prior secundò ponatur. Quanquam si agatur jure certo atque indubitato, factum sæpe solum & dein conclusio ponatur, ut argumentatio adeo hæc formam enthymatis assumat. Conclusio † tamen nunquam omitti 9.
potest, præterquam in criminalibus. *Ias. in §. omnium. Inst. de Act. num. 128. Schneid. ibidem. num. 119, Gail. 1. Obs. 61. num. 15.* Denique † & illud observandum est quod forma libelli proposita interdum 10.
pluribus articulis distribuitur, ita ut responsione ad singulos factâ, judex cōmodius de facto cognoscat & pro re nata decernat. Quod plerumque contingit in factis quorum complures circumstantiæ sunt. *v. Gail. 1. Obs. c. 79. num. 3. Mins. Cent. 5. Obs. c. 88.*

Ad qualitatem † verò libelli pertinet, ne sit obscurus aut sibi con- 11.
trarius. *DD. hîc. & in l. 3. eod.* Quamobrem nec † generalis libellus 12.
admittitur aut alternatus, quoniam is uterque habetur incertus & obscurus. *arg. l. 7. C. comm. præd. c. ex literis. ex. de dolo & contum. c. fin. ex. de rescrip. l. prætor. §. quod autem. inf. de Injur.* Sed † in hæreditatis 13.
petitione, exactione, item dotis, legitimæ & similibus, universalis conclusio necessario sumenda est. *Ang. Aret. in §. si quis agens. vers. huic autem. n. 1. Jas. ib. n. 13. Inst. de Act.* Quemadmodū & si † justam 14.
ignorantiā rei postulatæ habeat actor. *l. qua de tota, 76. §. 1. de Rei vin.*

Sic † & in obligatione alternata conclusio alternata sumenda 15.
est. Quod ipsum etiam necessariò fit, quoties electio est debitoris. *Zas. in §. curare. Inst. de Act. num. 9. Ferrar. in Form. respons. rei conventi. §. libellus est incertus num. 2.* Idemque † verum est 16

quoties juris ratio ipsa alternationem admittit, ut in materia L. 2. C. de Resc. vend. *c. cum dilecti. ex. de Emp. & vend. Gail. 1. Obs. 62.*
17. *num.* 10. Qui ait † in Camera quidem admitti libellum simplicem ea in re, sed sententiam nihilominus ferri alternatam. *vid. Bar. Bal.*
18. *Pinel. in d. l. 2. C. de Res. v.* Idemque † est quoties incertum est quæ actio teneat, verbi gratia Rei vindicatio an Publiciana. *c. abbate sane.*
19. *ubi gl. magna. de Sent. & re jud.* Gail. d. lo. num 5. Sed † & si libellus obscurus sit, nec contra opponatur quippiam à parte, conservabitur
20. tamen. *l. ult. ubi gl. mag.* C. *de An. excep.* Hoc ita, † si intentio quâ ratione ex eo possit liquere, aliàs enim Doctores perhibent eum à
21. judice lacerandum. *DD. hic.* Quod † tametsi ita simpliciter referant, & aliàs meminerim in judiciis observatum: benigniùs tamen ex ratione juris dicendum est, si actor ad instantiam judicis aut partis intentionem suam dilucidè queat explicare, id accipiendum quod ipsi commodius est. *tex. in l. si quis intentione 66. de Iudic. ubi dixi. l. in con-*
22. *trahenda.* 172. §. 1. *de Reg. I.* Maximè † si periculum sit, ne ex ineptitudine libelli bona pars processus rescindatur, & partes consequen-
23. ter sumptus litis expenderint inanes. Planè † quòd de actore dicimus ut intentio ipsi benignior accepietur, idem & in reo quoad libellum exceptionis & cetera utrimque proposita acta pertinet. *per l. in ambigua. de Reg. I. vide quæ nos in d. l. 66. inf. de Iud.* Sed an nomen
24. actionis † libello inserendū est, quæritur. Et Oldedorpius existimat id non omittendum, alij rectiùs contra, *Vacon. à* Vacun. *lib. 6. declar.*
25. *88. num. 3.* Nec † mutat quod dicimus actionem edi debere, *tex. hic.* itemque actionem initio litis exprimendam esse, *l. 3. C. de interdict.* actio enim editur ipsa facti propositione & postulatione ex illa con-
26. clusa. Oldendorpij † tamen sententiam admittimus si jus omninò dubium sit, & idcirco reus postulet nomen exprimi. *ita intelligenda est d. l. 3. C. de Interdic.* Extra eum verò casum, id nec ad substantiam
27. libelli pertinet, nec moribus receptum est. Denique & † ad fines libellorum plerumque aliquot clausulæ subjungi solêt, quales sunt, Salvo quolibet juris beneficio; se non obligando ad probanda su-
28. perflua, & aliæ. Quæ omnes † tametsi non ineptè adponantur ex usu fori, *Angel. Jas. Schneid. & aly in §. omnium. Inst. de act.* nihil tamen ampliùs operantur quàm & sine iis juris ratio admittit. *fac. Soar. in*
29. *thes. Rec sent. lit. L. num* 159. Videamus † an liceat libellum mutare, & id quidem ante litis contestationem admissum est, quoniam tum necdum lis aliqua est. *l. amplius. 15. Rem rat. haberi. Bart. & Ias.*
30. *in l. edita. C. eod.* Emendari tamen † libellus post litem quoque contestatam potest. *§. si minus. & §. si quis aliud. Inst. de Act.* nam † quod
31. Accursius ibidem contrarium annotat, id nimis violentum est, ut

rectè

rectè alij perhibent, *Alciat. in l. edita. C. eod.* & plerisque improbatum, *Fab. Wesenb. Mudeo. Minſ. in §. si quis aliud. Inſt. de Act. Dec. in l. 3. C. eod. Donell. ibidem.* Quinimo ✝ & mutari libellum post litem contestatam posse magis est. *per tex. in d. §. si quis aliud. Inst. de Act. l. 4. §. fin. de* Nox. act. *l. 3.* C. *h. t.* Namque ✝ *in d. §. si quis aliud.* relatum est manifeste, nihil periclitari eum qui aliud pro alio petierit, & tam rem petitam quàm actionem institutam posse in eodem judicio mutari, judicium verò non est, quamdiu lis necdum est contestata. Sed & *in d. l. 4. §. fin.* manifestiùs dicitur, donec judicium agitatur, actionem mutari posse. Atque id olim quoque Placentino & Martino visum fuit, quos & alij postea sunt secuti. *Don. Minſ. Wesen. Baro. Muda. & alij plerique in d. §. si quis aliud.* At obstare ✝ visa est l. non potest. 25. & l. non quemadmodum. 35. de Iudic. Vbi definitur id quod post judicium acceptum accidit, in judicium venire non posse, sed aliâ interpellatione esse opus. Respondetur, sine novâ interpellatione, id est ✝ citatione & causæ cognitione libellum non mutari, quia sententiam petitioni convenire oporteat. *l. si fundus. 18.* D. *comm. div. l. fin.* C. *de fideicomm. lib.* at causæ cognitione præviâ quò minus idipsum judice, & conscio, & permittente fiat, nulla ratio prohibet. Illud ✝ nimirum est quod alibi refertur, libellum semel ex edicto mutari posse, ante litem contestatam, nimirum sine imploratione judicis officij; iterum verò, si id jus dicentis decreverit æquitas, *l. 3. C. eod.* nimirum post litem contestatam ad sententiam usque, *d. l. 4. §. fin. de Nox. act.*

31.
32.
34.
35.
36.

verſ. EUM QUOQUE EDERE.] Adversarium ✝ hîc Alciatus accipit pro scriptura sine ordine confecta, quam acturus ad album Prætoris exhibeat ei cum quo actio futura sit. *Alc. lib. 2. disput. c. 29. & lib. 8. Parerg. c. 7.* Sed hoc ceteri improbant, eò quòd adversarium in eo significatu nusquam singularis numeri referatur. Adversarium igitur reum dicunt qui ad album edicti ducatur, quod magis est. *Cuiac. lib. 8. obſ. 15. Duar. lib. 1. Disput. c. 13. Vult. lib. 1. Disp. c. 7. Coſtal. hic.* 37.

1. *Editiones quænam sine die & consule fiant.*
2. *Quare.*
3. *Quænam instrumenta cum die & consule edantur. Item num. 4. 5. 6. & 7.*
8. *Accursij sententia explicata.*
9. *Instrumenta quando integra edenda vel minus.*

10. Instru

10. Instrumenta quæ particulatim queant edi.

1. §. Editiones.] Editiones † instrumentorum fieri debent sine die & consule, quo illa sunt contracta, non etiam sine die solutionis.
2. *tex. hic.* Quod eò pertinet † non, ut si res eò deveniat quò & fidei causâ judici aut parti instrumenta exhibenda sint, mutilatim exhibeantur: *§. penult. in hac ead. leg.* sed, ut contenta instrumentis ad factum ex proposito accõmodentur sine die & cõsule quo negotium fuit actum. Nam si hæc adponantur, periculum erit ne pars altera quid fraudis ex ea re machinetur; præferendo videlicet, id est antevertendo diem. Posset enim adversarius quoque, die & consule cognito, instrumentum conficere, quo scilicet quasi posteriore priùs rumperetur. *v. Cujac. 3. Obs. c. 7.* Atque huic simile est quod alibi dicitur actorem reo non teneri edere nomina testium qui compro-
3. misso interfuerunt. *l. non ex omnibus. De arb.* Id † ita est in instrumentis alterius vel adversarij quibus ipse utitur contra nos. Instru-
4. menta † enim nostra nobis edenda etiam cum die & consule sunt. *arg. tot. tit. D. ad Exhib.* Quod & in communibus idem est, *l. si quæ. 5. Fam. ercisc.* quâ mente & l. Titius. 48. De Act. emp. & l. prædiis. *91.*
5. §. Titio. De leg. *3.* accipiendæ sunt. Aliena † quoque edenda ita sunt, si vel falsi arguantur, vel quæ fraus dicatur subesse, ob quam requisitus edendi causâ, eadem cælet. *arg. l. fin. C. de fide Instr.* Deni-
6. que & idem † est, si instrumentum ipsum penitus negetur. *Bart. in*
7. *l. exempla. inf. eod. Cost. hic.* ut & si justitia † causæ ex temporis dependeat collatione, quod usu venit in creditoribus qui de jure protopraxias contendunt. *Cost post. Bart. hic.* Sed & judiciorum acta cum die & consule sunt edenda, cum eadem communia sint, & publica, quod & de rationibus responsum est. *ut hic. in vers. Rationes.*
8. *& l. prætor. §. si initium. inf. eod.* Planè † quod aiunt, instrumentum per productionem effici commune, ut & consequenter eodem uti pars adversa queat. *gl. hic. in fine. sequitur Costal. hic.* cum moderamine accipiendum est, ut non ob hoc mereatur continuò plenam fidem; sed quantum ei credi debeat in arbitrio judicis sit. *per tex. in l. Publia. §. fin. Depos.* Nisi tamen diserta confessio accedat. tum enim propius est, ut nec judicatum super ea re requiratur. *l. post rem. 56. De sent. & re jud. cum sim.*
9. §. Edere.] Quod hîc refertur instrumenta integra edenda †: id ita accipiendum si pars adversa hoc postulet. Quemadmodum & judicatum Curiæ Parisiensis, quod hîc Costalius allegat, ad instan-
10. tiam partis processisse intelligendum est. Sed † in rationum, statu-

torum,

forum, archivorumque editione satis fuerit rem seu partem eam edi quæ negotium concernit. *l. 10. §. edi. inf. eod.*

l. 2. Relata est infrà, in l. prox.

Ad l. 3. Senatus.

1. Actor reo edere etiam instrumenta tenetur quibus ille se defendat; reus actori non item.
2. Quando id non ita sit. & num. 3. 4. 5. 6. & 7.
8. An reus actori non edat ad fundandam Replicationē.

Actor † reo etiam instrumenta quibus ille se defendat, edere tenetur, *l. non est novum.* C. *eod.* Actori autem ipsi in judicium veniendum est instructo, nec reus actori quicquam edere cogendus est. *l. nimis grave.* C. *de Testib. l. qui accusare. l. ult.* C. *h. t.* Sed hoc non procedit, si quæ gravior causa contrarium suadeat. *l. 1.* C. *eod.* Causæ † verò ejusmodi sunt principio singularis favor actoris, verbi gr. fisci in causa pecuniariâ non criminali. *ut hic. & l. 2. §. 1. & 2. inf. de Iure fisc.* Quod & in causa matrimoniali †, si ad conservationem ejus agatur, recipiendum putant. *Alex. in d. l. ult.* C. *eod. Dec. in c. 1. n. 6. de Prob.* itemque in dote. *Ias. & Cost. hic.* Tametsi utroque hoc casu & ob hoc edenda à reo instrumenta sint, quia sunt communia. Ob hanc enim causam instrumēta actori quoque à reo edenda regulare est. *l. Titius. 48. De act. emp. l. prædiis. 91. §. Titio. de Leg. 3.* Iudicis tamen aliquod in ea re arbitrium est. *l. pen. §. fin. ad L. Falc.* Altera causa † est singulare odium rei, verbi gratia usurarii, *clem. ex gravi, §. ceterùm. de usur.* dum tamen de usuris ipsis, vel re quapiam eas tangente, controversia sit. *Al. in d. l. 1. num. 5.* C. *eod.* Eadem † quoque ratione annotatum est, ut nimium vectigal exigens conventus, rotulum vel instrumenta rationum edere cogatur. *Zas. in l. 1. §. editiones. num. 24. h. t. Bal in l. 2. num. 2.* C. *de Condic. ex. L. Fel. in d. c. 1. de Prob. arg. l. argentarius. 10. inf. eod.* Quod † & recipiendū in iis autumant qui sæpius in contractibus fraudē admittere solēt. *Felin d. h. num. 9.* Denique † & argentarij aut numularij, etiamsi cum ipsis controversia sit, edere rationes tenentur. *d. l. 10. princ. & §. 1. h. t.* quia eorum ferè ad hoc munus publicum est. Sed an † non reus actori saltem edere teneatur ad fundandam replicationem, & id quidem plerisque placuit. *Bart. & DD. in l. ult.* C. *de Eden. Cost. hic.* Eò quòd diversis locis relatum est, originem actionis fundandæ

1
2
3
4
5
6
7
8

actori à reo non edendam, unde probabilius colligas in sequentibus contra esse. *d l.ult.* C. *& l. pen. inf. ad. Exhib. l. de minore. 10. §. 4. de Quæst.* Alij contrà, *Donell. in d. l. ult. num fin. Wesenb. in Comm. h. t. num.* 12. quia id de Replicatione nusquam sit relatum, ideoque in hac idem quod in actione per consequens sit juris. Maximè cùm de actore relatum indistinctè sit, ei non edendum à reo. *l. nimis grave.* C. *de Testib. l. 4. h. t.* Ceterùm res facilis explicatu est. Doctorum enim sententia ita locum habet, si ex instrumento quo reus exceptionem suam fundat, replicationem probare conetur. Cùm instrumenta integra sint edenda. *tex. in d. l. 1. §. edere suprà eod.* Sin verò id ita non sit, Donelli sententiam admittimus, ne reus ad replicationem quidem actori edere cogatur, præterquam si hoc judex ex gravi causa competiat æquum. *d. l. 1.* C. *eod.*

Ad l. Prætor. 4.

1. Argentarij singulis edunt.
2. Idem & ad notarios pertinet.
3. Quibus edant notarij.

1. PRinc. & §. 1.] Quod hîc de Argentariis refertur † & eorum rationibus, quia eas singulorum causâ conficiant, singulis eos edere debere, id rationem habet, quia & singulorum quodammodo
2. sint propriæ. *tex. hic. & l. argentarius. 10. inf. eod.* Idemque † ex moribus & ad acta notariorum, & libros recognitionum quos dicunt, à scribis municipiorum confectos, relatum est. Rationem videlicet hoc majorem habet, cùm non sui causâ, sed singulorum tantum acta ejusmodi conficiant. Edunt itaque hi quoque ea quoties id fuerit opus, prorsus ut de argentariis responsum est infrà. *in l. velu-*
3. *ti. 7. §. eod.* Planè † non iis tantùm quorum causâ instrumenta confecta sunt edunt, sed & hæredibus eorum quorumque interest, *arg. l. 3. §. sciendum. inf. Ad. Exhib.* Quod & Costalius Constitutione Galliæ memorat provisum. *Cost. in d. l. 7. inf. eod.*

Consuetudo hujus seculi

Gallia Constitutio.

§. Etiam.] Quod hîc dicitur, eum qui argentariam exercet etiam finito munere ad editionem teneri: perinde ad notarios & scribas municipiorum referri oportet. Quanquam posteriorum ratio diversa sit, si non ipsi acta à se confecta custodiant: sed asserventur in archivis. Tum enim successorem ejus ad hoc teneri magis est. Et id Moribus servatur.

Mores hodierni.

Ad l. quæ-

Ad l. Quædam 9.

NOn eſt perpetuum ut ex hoc edicto ad edendum rationes agatur. Ecce enim procurator, ſocius, tutor, curator actionibus iis ad hoc compelli queunt, quibus nobis tenentur, & idcirco ad hanc actioné contra eos non devenitur. Cùm enim hæc in factum prætoria ſit, ab ſubſidium ejus non progredimur, dum actiones propriæ ſuperſunt, *ut hic. arg. l. in cauſa. 16. inf. de Minorib.* Quanquam id aliàs perpetuum non ſit, quia & cum remedium actionis ac reſtitutionis contra diverſos competit, utrumque concurrere poteſt. *l. etiam & l. ult. C. ſi tut. vel cur. interv.* ut & aliàs in exſecutione judicati tam rei judicatæ actio quam officium judicis implorari poteſt *not. in l. qui reſtituere. 68. De rei vind. l. 6. §. fin. de Sent. & re jud.*

Ad l. Argentarius. 10.

Vide quæ poſita ſunt ſuprà *eod. tit.* locis diverſis, *ut in l. 1. §. editiones. l. 4. l. 7.*

§. Cùm autem.] Hic §. relatus eſt ſuprà, *in l.* illicitas, §. veritas, De Off. præſ.

Ad l. exempla. 11.

Exempla inſtrumentorum etiam ſine ſubſcriptione edentis edi poſſunt, *tex. hic.* Id ita eſt in copiis ſeu exemplis adverſario tradendis. Ad probationem enim non exempla, ſed ipſa inſtrumenta authentica, hoc eſt, principalia edi & oſtendi oportet. *l. 2. inf. de Fide inſtr.* ubi vide de hac re latè.

DE PACTIS.

TIT. XIIII.

Ad l. 1.

1. Pacti etymon, definitio.
2. Pacti & conventionis differentia.
3. Ex pacto non oritur actio.
4. Solutio oppoſitorum & num. 5.
6. Iure Canonico quid obtineat.
7. Sententia Canoniſtarum.

8. Si juramentum accedat an ex pacto detur actio.
9. Explicatio legis. Si quis major. C. de Transact.
10. An pactum cui juramentum accedit sit servandum.
11. Pacta an & quatenus ex moribus serventur.
12. Doctorum observatio laudata de pacto geminato.

1. PActum † à pacto dictum, propriè id est, quod inter plures mutuo consensu actum est. Idem & Conventio dicitur per translationem, quemadmodum qui corporibus congregantur, dicuntur convenire, *ut hic in §. conventionis.* Vtrumque igitur hoc ex usu, pro uno eodemque acceptum est, & contractibus omnibus ac pa-
2. ctis tanquam genus aliquod omnium inest. Sed & pacti † vox in specie pro pacto remissionis, interdum pro lege contractus ponitur, cùm conventionis interim vox frequentius pro genere omnium accipiatur. *ut in d. §. conventionis.* Sed ad rem.
3. Æquum verò est pacta servari. *hic.* Non tamen actio ex iis est, præterquam in certis casibus, *vide infrà in l. 6. & l. 7. §. quinimo. eod. tit.* sed ex edicto Prætoris exceptio sola. *l. 7. §. sed cum nulla. inf. h. t. l. legem. 10. l. cum proponas. C. eod.* Parumque ad rem facit, † quod
4. aliàs prætor ait, se, pacta conventa quæ non contra bonos mores aut jus ipsum sint servaturum. *d. l. 7. §. Prætor. l. inter. 44. §. Fam. Ercisc.* id enim accipiendum, quoad juris ratio permittit, *arg. l. cum*
5. *sponsus. §. si res. de Publ. in rem.* Nec mutat † l. 5. C. de Contr. stip. namque ibi lis non ex nuda conventione proponitur mota, sed vel maximè ob interpositam stipulationé, cujus conditio existit quàm
6. primùm debitore interpellato. *rectè Cujac. 19. Ob. 32.* Imò † & idem Iure Canonico obtinet, nam quia nusquam contrarium relatum est, evenit nihil in hac re mutuum. *c. 1. & 2. de Novi op. nunc.* Nec mutat c. 1. & 3. de Pact. perinde enim ut ibi etiã prætor edicit, pacta servanda, nec tamen inde sequitur, ex pacto quocunque nudo actionem dari: sed vel exceptionem tantum, vel si juris ratio accedat, etiam actionem, ut in stipulatione, pignore, donatione, socie-
7. tate & similibus obtinuit. *vide quæ nos in l. 6. inf. eod.* Scio † equidem Canonistas aliter sentire, *Soar. in Thes. sent. lit. P. num. 1.* vel ob hoc maximè quod alibi refertur, Deum juratam pactionem & simplicem non separare, *c. juramenti. 22. q. 22.* ex eo enim actionem dari, aut indifferenter quodcunque pactum servandum, nec quisquam etiam Canonistarum dicet. Locus proinde is religionem quidem servandæ pactionis indicat, præterea nihil. *Alc. lib. 5. parad. c. 3.*
8. *Connan. 5. Comm. c. 3. num. 6.* Quid ergo, † si juramentum accedat

Iuris Canonici an hic aliqua diversitas.

an actio

an actio ex pacto detur, non videtur, nam nec id Iure Canonico relatum est. Et jure civili singulatim de conventione liberticum patrono cautum est, juramentum de operis præstandis. *l. ut jurisjurandi. de Op. lib. Cajus lib. 2. Inst. tit. 9* obligationem & persecutionem producere. Unde evenit in ceteris contrarium esse, *arg. l. cum prætor. 12. de Iudic.* Nec mutat † l. si quis major. C. de Transact. 9.
quia ibi agitur de pacto remissorio, aut transactione, & perjurium dicitur infamiâ notandum, præter amissionem eorum quæ alter ex placito quæsisset. neque enim id est actionem quærere, cùm & sine juramento constet resiliente parte unâ, alteri condictionem sine causa paratam, vel condictionem causa data causâ non secutâ. *tot. tit. D. & C. de condict. caus. dat. caus. non sec.*

Alia quæstio est an pactum cui juramentum accessit, servandum sit, atque hac in re Ius Canonicum à Iure nostro paulo diversiùs est. Neque enim facilè cautum invenias, præter juramentum de operis patrono præstandis, jurantem ad placita conventionis præstanda compelli; nisi quæ alia juris accedat causa. Cùm interim Iu- 10.
re Canonico provisum sit simplicius: Omne juramentum quod *Ius Can. diversum.*
servari sine salutis dispendio queat, præstandum esse, *c. cùm contingat. in fin. ubi not. Canonista. de Pac. in 6.* ideoque jurantem censurâ ecclesiasticâ ad præstationem ejus posse compelli, *c. ult. de foro comp. in 6.* Planè tametsi Canonistæ nulli annotant, propter minùs uitatam so- 11.
lennitatem stipulationis, hodie pacta ex moribus saltem observanda, & actionem consequenter condictionis ex lege, instar esse; tamen id omne temperationem recipit, ut is cui quid temerè & minùs cogitatum excidit, non per hoc statim capiendus sit; sed an teneatur, pro re nata, arbitrio suo moderetur judex. Unde rectè Doctores annotant †, conventionem sine verborum solennitate non prodesse, præterquàm si ea providè geminetur, aut semel interposita, renovetur. 12.
DD. in d. l. 1. §. fin. de Constit. pec. Alc. in rub. de Verb. ob. num. 14. Vin. in lib. opin. 235.

Ad l. 2. & 3.

1. *Conventiones aliæ tacitè sunt aliæ expressæ.*
2. *Consuetudo de subscriptione chirographorum.*
3. *Remissio chirographi restitutione fit; non item restitutione pignoris.*
4. *Eius rei ratio. & num. 5.*
5. *Bartolus notatus.*

7. *Quid juris restituto instrumento quo duo erant obligati.*
8. *Quid si uterque debitor correus sit.*
9. *Si ejusdem debiti plura sint chirographa, an restitutione unius, obligatio censeatur remissa.*
10. *Duareni sententia laudata.*
11 *Quid si pignus alteri fini quam obligationi ejus solvendae prodesse queat.*
12. *Pignus utendum datum an restitutum censeatur.*
13. *Instrumento cancellato an & quatenus obligatio evanuisse probetur. & num. 14.*
15. *Quid si instrumentum cancellatum apud tertium deprehendatur. & num. 16.*

1. CONventiones † aut facitè fiunt aut expressè. Expressè, quando consensus disertè literis aut verbis designatur: nam & absentes inter se per literas vel nuncium contrahere queunt. *tex. hic.* Quini-
2. mò † ex moribus & ratione confessionis obtinet, ut subscriptio scribentem non minùs obliget, quàm si scripserit eam totam, *Bart. Jas.*
3. *Castr. in l. emptor. 47. §. 1. inf. eod.* Tacita † verò pacti exceptio datur si chirographum ipsum restitutum à creditore sit. *tex. hic. & l. 47. §. fin. inf. eod.* quod tamen non ita est, pignore restituto. *l. prox. inf.*
4. *hic.* Differentiae † ratio est, quia chirographum obligationem continere censetur, pignus verò obligationem peculiarem alteri accedentem constituit. Quemadmodum igitur fidejussore liberato non liberatur principalis nisi hoc actum sit. *l. fidejussoris. 23. inf. h. t.* ita nec pignore restituto, principalis obligatio restituta censetur. *tex. &*
5. *Cujac. hic.* Alia ratio † ejus rei est, quòd cautionis seu chirographi restitutio plerumque nulli alteri inservit fini quàm liberationi, at pignoris restitutio etiam aliis rebus usui esse potest. *Bart. hic.* Quam tametsi Cujacius non probat, non tamen omnino reor aspernan-
6. dam. Sed † quod inde Bartolus infert, si instrumentum alteri fini quam liberationi queat inservire, liberationem inde non convinci, id argumento hujus textus repugnat, nec admittendum est. Cùm hîc simpliciùs definiatur, cautionis restitutione, tacitam liberationem conventam. Id igitur tenendum est, nisi contrarium probe-
7. tur. Quid † ergo, si alicui instrumentum restituam qui unà & alius erat obligatus? inspiciendum in primis quid actum sit; si id non constet, quod minimum accipiendum erit. *per vulg.* & consequenter ei soli obligationem remissam cui eadem tradita est; pro parte scilicet.

ſcilicet unà remiſſam, pro altera eum procuratorem in rem ſuam conſtitutum, ad exigendum puta ab eo qui unà tenebatur. Quod Panormitano etiam & Duareno viſum eſt. *Duar. hic. in §.1. Abb. in c. eccleſia. ut lite pend. Menoch. lib. 2. praeſ 140. num. 6.* Planè † ſi correi ſint, reſtitutio uni facta prodeſt etiam alteri. Nam quia expreſſâ conventione hoc agitur ut uno ex correis liberato, liberetur & alter, quamobrem conventione tacitâ idem non fiat, nulla ratio impedit. *l. idem in duobus. inf. h. t. junc. hoc textu.* Ceterum † quid ſi ab uno debitore habeā plura ejuſdem debiti chirographa, & unum reſtituam an debitū cenſendus ſim remiſiſſe? Et hoc Bartolo viſum eſt. *Bart. hic. in l. 2. num. 7. Iaſ. num. 5. Menoch. d. praeſ. 140. num. 8. & 9.* quia inſtrumentum tantùm unum ſit, tametſi pluribus tabulis conſcriptum. *arg. l. 24. Qui teſt. fa. poſſ.* adeoque tabulis reſtitutis non ſcriptum, ſed contentum reſtitutum cenſeatur. *ut hic & l. qui chirographum. 59. de Leg. 3. l. 1. C. de Donat.* At verò conſideratione habitâ quod argumēta ea non minùs creditori proſint quàm debitori: illud inſuper animadvertendum, quod ex ea ſententia abſurdiſſimum quid redundet; nimirum, hominibus improbis eâ ratione anſam praeberi quâ facili modo bonos creditores fallant; ſi, puta, pecuniam accipientes vel debitum fatentes, ejuſdem omninò argumenti chirographum aliud conſcribant ſeorſim ſibi; an non conventi, tutique Bartoli opinione, fraudē facile tegent, cùm non modò aequalis, ſed minoris fidei inſtrumento quam ſuo conveniuntur? Duarenus † igitur eam ſententiam non admiſit, praeterquam ſi id actum probetur, *argum. inſignis. tex. l. ult. De iis quae in teſt. del.* Quod ſi de eo non conſtet propius eſt ut actori juramentum deferendum dicamus, quo affirmet obligationem etiamnum ſupereſſe. Sed † & perinde ineptum eſt quod Bartolus indifferenter autumat, pignoris obligationem reſtitutione rei obligatae non aliter remiſſam quàm ſi illa alteri queat ſervire fini. Verius enim eſt, quemadmodum cautione pignoratitiâ reſtitutâ, pignus ſolvitur, *l. creditricem. C. de Remiſſ. p. g.* ita id vel maximè diſſolvi reſtitutâ re ipſa. Niſi tamen debitor eam recuperet creditore invito. *l. quod debitori. C. de ſolut.* Denique & ſi † non reſtituatur, verum utendum detur, vel precariò concedatur, magis eſt pignus non ſolutum. Diverſa enim ſunt reddere & ſimpliciter utendum dare. Reddendi enim verbum ſignificationem retro dandi habet, ut eo loco ſit quo fuit priùs. *l. verbum reddendi. de Verb. ſig. Cujac. hic.* De inſtrumento † cancellato alia quaeſtio eſt, an per id quoque repertum remiſſio arguatur. Sunt qui id non aliter admittunt, quàm ſi reus exhibitione ejus ſolutionem arguat, ſin verò donationem alleget vel pactum, id praeterea

8. 9. 10. 11. 12. 13.

terea ipsi probandum esse. *Bart. Iaf. Costal. hic. Panorm. in d. c. ecclesia. ut lite pend.* Magis tamen simpliciùs dicimus, eo argui præsumptionem saltem obligationis quoquo modo solutæ. *per hunc tex.* quæ locum habeat donec contrarium creditor probet *tex. in l. si chirographum. 24. inf. de Prob.* Atque † id recipiendum puto, etiamsi
14. persona domestica sit cum quo agatur, nisi ea abjectissimæ & penè servilis conditionis sit. *arg. l. 1. § . ille autem. C. de Lat. lib. toll.* Quid
15. † ergo si quidem cancellatum sit & apud tertium deprehendatur? Iason & Alexander dubitant. *Iaf. & Alex hic.* Ego considerandum existimo uter deposuerit: Si creditor deposuerit ob cancellationem præsumendum pro debitore, idque ex consuetudine notissima, sed probationem debiti, aut cancellationem, vel non à se, vel non animo remittendi factam, præservatam esse creditori. *d. l. si chirographum inf. de Prob.* Si † verò debitor deposuerit, præsumptionem
16. ipsi sufficientem esse, nisi itidem contrarium probetur à creditore, *per d. l. 24.* vel chirographum invito eo obtentum probetur. *d. l. quod debitori. de Solut.* Quod si uterque se deposuisse contendat, probanti credendum est. At si res in obscuro sit, consilium est, ut altera pars depositarium in testimonium producat. Ceterùm quia is testis unus est, judex dein, parti alteri in cujus commodum testimonium datum est, suppletorium deferet juramentum.

Ad l. 4.

De Invectis & Illatis in prædia rustica & urbana agimus infrà suo loco. *in l. 4. Quib. mod. pig. tac. contr.*

Ad l. 5.

1. Publicæ conventiones quæ.
2. Fides etiam hosti servanda.
3. Anne privatus quoque fidem hosti datam debeat servare. & 7.
4. Solvuntur opposita & num. 5. ac 6.
8. Quid juris, si princeps ei fidem dederit qui deliquit & idcirco relegatus est.
9. An cautiones contra justitiæ exsecutionem iis dandæ sint qui deliquerunt. & num 10.
11. An idem in ea re in principe ac magistratu sit. & 12.

Publicæ

PVblicæ quidem † conventiones sunt, quas duces belli de pace vel induciis ineunt. *tex. hic.* sunt tamen & publicæ quæcunque aliæ quæ inter diversos Principes aut Populos de republica, fœderibus, & similibus negotiis communibus peraguntur. Et quidem † pacta hæc etiam hostibus servanda, ut moribus obtinuit, ita à nemine cordato, quod equidem scio, improbatū est. Illud disputatum est, Anne † privatus quoque fidem hosti datam servare teneatur, à *Bart. hic. Duar. in l. 1. sup. eod. Fachin. 9. controv. c. 58.* sed magis est eam quoque pactionem servandam. *per d. l. 1 sup. eod. vide in specie c. noli. 23. q. 1. fac. l. nam & Servius. De neg. gest.* Nec † obstat quod dicimus dolum qui contra hostes admittitur, bonum esse, *l. 1. de Dolo.* Id enim de insidiis & stratagematibus acceptum est. *convenit c. dominus noster. 23. q. 1.* Minusque † ad rem facit l. 25. de Capt. & postl. rev. ubi nihil interesse refertur, vi an fallaciâ quis hostium evaserit potestatem: id enim ita est in æstimando postliminij jure. nam & qui redire potens mavult apud hostes manere, pro transfuga est, *l. 5. De re mil.* sed hoc, ut dixi ad materiam conventionis cum hostibus initæ, non pertinet. Ineptius † verò est quod contra hæc allegatur, barbaris aurum non modò non præbendum, sed & subtili ratione auferēdum. *l. 2. C. de commer. & merc.* Quid enim id ad propositum de data fide. Et hoc igitur tenendum est, fidem etiam à privato hosti datam servandam esse. Tametsi † enim civili ratione cum hostibus negotium non sit, jus tamen gentium, à quo conventiones sunt, in hac re considerari magis est. Idem † dicimus de Principe, Senatu item Populi, aut quovis majore magistratu qui delinquentibus aut banditis ob delictum, fidem accessus concedunt. *arg. d. l. 1. sup.* Sed hoc † cum moderamine accipiendum, ut si fidem dederint contra vim injustam, pœnam irrogare nihilominus queant, quia ea cautio non aliter prodesse intelligi potest, quam si justâ eorum sit causâ. *Minsf. Cent. 1. Obs. 82. Moller. 2. Sem. c. 1. in fine.* Quod si verò etiam adversus exsecutionem aut vim justam cautum sit: rectiùs dicimus conventionem quoque eam servandam. *Idque ex d. l. 1. hic.* Nec mutat quòd eâ ratione delicta maneant impunita, quod reipublicæ interest non fieri. *l. ita vulneratus. D. Ad L. Aq.* Certum † enim est cautiones ejusmodi non dandas, sed si datæ sint, servandas esse. *arg. l. 4. 5. sed quod meretrici. De Condict. ob turp. caus. v. Menoch. lib. 1. consil 100. num. 223. sequitur Fach. lib. 9. Controv. c. 59 61. & 63.* Denique † tametsi id de magistratu seu judice qui cum potestate est, dubitari queat, eò quod † soli Principi ex causa permissum sit commeatū remeatūvé exuli dare. *l. relegati. de Pœn.* magis tamen est, quia neminē sub specie fidei publicæ decipi oportet, *per hunc.*

N

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

per hunc text. junc l. 1. sup. eod. si fides data sit, servandam eam esse, arg. d. l. 4. §. sed quod. de Cond. ob turp. caus. Fach. 9. Controv. d. c. 63.

Ad l. 6.

1. *Legitima Conventiones qua sint.*
2. *Iure Constitutionum conventiones qua rata.*
3. *Iure Pratorio conventiones qua introducta.*
4. *Pacta de usuris in mutuo praestandis quo jure sint introducta.*
5. *Iure Civili pleraque actiones ex conventionibus juris gentium confirmata.*

1 LEgitima † conventio est quæ lege aliquâ vel SC. confirmatur, quâ ratione interdum ex pacto actio nascitur. *ut hic.* His acce-
2 dunt † actiones proditæ Constitutionibus, non quod eæ directo legitimæ sint, sed quod ad similitudinem legitimarum in posterum operentur. *arg. l. 1. de Condict. ex L.* qualis est actio ex pacto donationis, *l. si quis argentum. §. fin.* C. *de Don.* itemque ex conventione aut pollicitatione dotis. *l. ad exactionem.* C. *de Dotis. prom.* Rursus
3 † jure prætorio prodita est ex constituto actio, *l. 1. l. 25. De const pec.*
4 itemque hypothecaria *l. si tibi. 17. §. 2. inf. h. t.* Sed † ad pacta quod attinet de usuris argentario dandis, itemque ceteris à quibus vinū, oleum, frumentum mutuò acceptum est, verius dicimus eos in cōtractuum cadere genus; eorum scilicet quos innominatos dicimus, ex quibus oritur actio præscriptis verbis *per l. Titius. de Præsc. verb.*
5 *l. in traditionibus. inf. h. t.* Quæ † ita agitur ex jure civili, ad modum contractuum reliquorum processerunt. Quemadmodum & jurisgentium conventiones ita eodem jure sunt confirmatæ, ut ad actionem sufficiant.

Ad l. 7

1. *Conventionum juris gentium effectus.*
2. *Conventio & pactum quomodo differant.*
3. *Quæ conventiones actionem pariant, quæ exceptionem.*

1 PRincip.) Iuris † gentium cōventiones quædam actiones pariunt, quædā exceptiones *tex. hic.* Conventionis autem vocem ejusdē significationis esse cujus est pactum, relatum est suprà. *in l. 1. eod.*

Sed &

Sed & ibidem relatum est, Conventionis † vocem juris authoribus 2.
fere generatim usurpari, pro genere scilicet quorumvis contractuum & conventionum: pactum verò plerumque pro pactione speciali dicitur, quâ remitti aliquid vel transigi solet. *ut hic in edicto Pratoris. §. ait prator. & ferè semper.* Denique rectè jurisconsultus,
juris gentium † conventiones quasdam actiones parere, quasdam 3.
exceptiones. Actiones pariunt contractus quicunque jure civili admissi, ut emptio venditio, locatio, &c. Quinimo & stipulatio ipsa, si effectum consensus consideres, juris gentium est, adeoque conventionis nomine continetur directè. *l. 1. §. fin. sup. h. t.* Tametsi ex solenni verborum forma juris civilis sit. Exceptiones verò pariunt pacta, de quibus jam dixi.

1. Contractus nominati, & quare ita dicti.
2. Conventiones quibus causa inest quomodo actiones producant.
3. Civilis obligatio actionem præscriptis verbis producit.
4. Dubius locus hujus §. explicatur remissivè.

§. Sed etsi in alium.] Conventiones jam relatæ ferè transeunt 1.
in speciale contractus nomen, ideoque dicuntur contractus nominati. Quod si † quædam nomen non habeant, subsit tamen causa 2.
ob quam illas adimpleri ratio exigat; verbi gratiâ, si dedi tibi domum ut mihi agrum reddas, vel præstiti operam ut mihi vicissim aliam præstes, idque ita sine stipulatione aut alio nominato convenerat contractu: civilis † obligatio nascitur, quæ actionem præscri- 3.
ptis verbis producit. *ut hic. item l. 1. 3. & 5. inf. de Præs. verb. ubi vide quæ scripsi.* Dubia tamen † hæc textus verba reputantur: *Puto* 4.
rectè Julianum à Mauritiano reprehensum in hoc: Dedi tibi Stichum ut Pamphilum manumittas, manumisisti, evictus est Stichus. Julianus scribit in factum actionem à Prætore dandam; ille ait, Incerti civilem, id est, Præscriptis verbis sufficere: esse enim contractum. quod Aristo Sunállagma *dicit, unde hæc nascitur actio.* Dubia inquam sunt hæc verba propter legem 5. §. quod si faciam. inf. de Præscrip. verb, quæ ibidem plenè exposui. *ubi vide.*

1. Pacta nuda actionem non pariunt.
2. Nisi adjuncta contractui bonæ fidei sint in continenti. & 3.
4. Ex intervallo adjuncta an contractibus insint.

5. Pactum Vestitum an propriè dicatur.
6. Pactum adjunctum contractui stricti juris an actionem (producat.
7. Explicatur l. lecta. de Reb. cred.
8. Solvuntur opposita. & 9.
10. Applicatur. l. 3. inf. de Resc. vend.
11. Utrum pacti adpositione oriatur actio ex ipso contractu, an verò praescriptis verbis.

1. §. Quinimo interdum. cum §. §. seqq.] Pacta † quae nuda dicunt, hoc est quae causam non continent, actionem non producunt, nisi vel lege, vel quo alio jure, aut denique stipulatione sint confirmata.
2. *l. 6. sup. h. t. l. nuda. C. de contr. & com. stip.* Sed † & si contractui bonae fidei adjuncta sint, ad actionem sufficiunt. *ut hic & l. bonae fidei. C.*
3. *eod.* modo in ipso † contractus negotio sint conventa. *ut in l. in emptionibus. 43. h. t. tit. C. & ff. de Pact. dot. De L. Comm. de Pact. inter*
4. *emp. & vend. de Pact. pign. & sim.* Ex intervallo † enim adposita inesse contractibus non putantur, nisi re adhuc integrâ fortasse contractum reforment. *§. adeo. inf. hac ead. l.* eum scilicet contractum qui consensu constet, *l. ab emptione. 58. inf. h. t.* aliàs non item. Ne-
5. que tamen † idcirco minùs id pactum dicitur nudum, ut rectè Cujacius annotat. Siquidem ea vox pacto non per emphasin, *ut Gl. Bart. Ias. & plerique hic.* ad differentiam pacti alicujus vestiti, sed simpliciter ut epitheton tribuitur, ad differentiam scilicet ejus quod ob causam intervenientem actionem producit. *Cuja. & Duar. hic.* Doctores igitur rei intuitu non valde in usurpatione vocis vestiti
6. aberrant, licet juris authoribus ea non sit recepta. An verò † etiam pactum adjunctum contractui stricti juris, ad actionem inesse putandum sit? non videtur. *arg. hujus. tex. & d. l. bonae fidei.* nam dum id disertè de his scribitur, probabilius in ceteris contrarium dicimus. Et verò invenias bonae fidei cōventiones, quibus adjuncta pacta efficacia ad actionem sunt, complures. Nec mutat † l. lecta. inf.
7. Si cert. pet. quia ibi relatum non est, pacto stipulationi adjuncto actionem produci: sed hoc solum, Inesse in specie ibi propositâ, pactum etiam à parte rei, non modò ut actionem producat, verùm e-
8. tiam ut reus sit tutus ipso jure. Minusque † ad rem facit l. petens. C. de Pact. namque ibi pactum fuit stipulatione firmatum. *Cujac. hic.* Quemadmodum & *in l. venditor. in princ. Com. praed.* stipula-
9. tionis lex dicitur pactum stipulatione firmatum. Non † obstat l. si ita. 135. §. Scia. De verb. obl. quia & ibi pactum solummodo inest à parte rei, ut ex diligenti textus consideratione constat: quanquam & verius

& veriùs sit, ibi de confessione non stipulationis, sed mandati agi.
Perinde † de l. 3, inf. de Resc. vend. dicimus, quia ibi stipulatori 10.
non detur actio ex stipulatu ob adpositum pactum, sed propter sti-
pulationem ipsam quæ ex intervallo venditioni accessit. Firmat
proinde is locus sententiam nostram magis quàm infirmat; quia
docet palam: quo casu pactum ex intervallo factum bonæ fidei ju-
dicio inest, eodem stipulationi non inesse. Et sunt argumenta ple-
raque ea quidem in hanc rem leviora quàm ut confutationem me-
reantur: sed quia magni nominis jurisconsulti *gl. Bart. Duar. & alij*
iis usi fuerunt, idcirco operæ pretium duxi ea non penitus præte-
rire. Vtrum † verò ob pacti adpositionem actio ex principali con- 11.
tractu an verò præscriptis verbis detur, id alibi tractamus. *vide quæ
nos in l. 79. de* Contr. *emp. l. 6. §. 1. de Act. emp. et Subtil. nost. lib. 2. c. 15.*

1. Pactum in rem quando censeatur.
2. Vtrum in rem an in personã pactũ sit quomodo constet, et 3.
4. An idem de omni conventione in rem dicendum.
5. Pactum in rem quousque tendat.
6. Pactum personale non transit in hæredem.
7. Explicatio. l. 25. §. 1. inf. eod.
8. Explicatur l. 4. De Nov.
9. Explicatio §. dolo. hic, remissivè.

§. Pactorum quædam in rem sunt, quædam in personam.]
In rem † pactum fit quando generatim convenit, ne petatur; sive ne 1.
à se nec hæredibus petatur. Vtrum † verò in rem an personam sit cõ- 2.
ceptum, facti quæstio est, & tam ex mente quàm verbis contrahen-
tium dependet. *tex. hic.* Sed † cùm necessario pactis interveniãt per- 3.
sonæ, regulariter & in dubio pacta intelliguntur in rem facta. *tex. &
Bart. hic. l. tale pactum. 40. inf. eod. l. si pactũ. 9. inf. de Prob. l. sicut.* 8. *§.
si debitori. 16. Quib. Mod. pig. vel hyp. sol.* Quod † non tantum de pa- 4.
cto liberatorio, sed omni omnino conventione dicendum est. Cùm
in dubio omnis contractus transeat in hæredem, nisi nominatim a-
liud actum sit, *l. si necessarias. 8. §. pen. de Pig. act.* Planè † pacta in rem 5.
non modò in hæredes transeunt, sed & omnibus prosunt quorum
obligationẽ dissolutam esse refert. *l. & hæredi. 21. §. fin h. t.* Quoties † 6.
verò pactũ personale est, id ad hæredẽ non transit, *l. si tibi. 17. § si quis
h. t.* vivo tamẽ eo qui pepigit, in aliũ non transit, *d. l. 17. § pactũ. 5. h. t.*
Nec † movet quod dicimus pactũ personale nõ egredi personã. *l. idẽ.* 7.
25. §. 1, inf. eod. id n. ita intelligimus, ut effectũ pacti non ex persona

alterius æstimemus, quàm cum quo pactum est; quo mortuo idem ipsum quoque exstinguatur. *l. & hæredi. 21. inf. in princ. h. t.* Idemque
8. † dicimus de l. 4. De Novat. quia ibi non proponitur mors contigisse vero usufructuario, sed ei cui fuerat ususfructus delegatus, quo defuncto, nihilominus idem manet apud usufructuariũ verũ.
9. §. Dolo malo] Ad hunc † tex. vide quæ ponimus inf. à *ad l. 1. de Dolo malo.*

1. *Quid juris sit, si servus paciscatur ante acceptam libertatem, cui hæredit. & lib. sub conditione relicta est.*
2. *Quid juris post mortem patris si filius patre vivo pactus sit.*
3. *Quid si pactus sit indefinitè.*
4. *Si servus paciscatur quid juris.*
5. *An liceat pacisci de hæreditate vivi.*
6. *Plurium creditorum pactum an absentibus præjudicet.*

1. §. Sed si servus.] Servo † cui sub conditione libertas & hæreditas relicta est, si ante libertatem adeptam pactus sit, non quidem pacti, sed tamen doli exceptio est. *tex. hic.*
2. *vers.* Idem probat.] Quod † dicitur, filium qui vivo patre cum creditoribus paternis pepigit, post mortem patris doli exceptionem habere, id ita accipe, si filius pactus sit, ut ipse exceptione post mortem patris frueretur. Nam † si indefinitè pactus sit sibi vel patri, ex-
3. ceptio patri & hæredibus quæsita est, & directa etiam pacti filio
4. profuerit. *l. si tibi. 17. §. fin. l. 18. l. 19. & seqq. h. t.* Si servus † paciscatur, considerandum perinde est, in rem an in personam paciscatur: nam si in rem paciscatur domino directa pacti exceptio datur. *d. l. 17. § fin.* non item, si pactus sit in personam; quia cum servo homine judicium non est, & petere est judicio petere. Proinde domino tantùm datur exceptio doli. *l. & hæredi. 21. § fin. h. t.* Ceterùm ex
5. eo † quod hic dicitur, vivo patre pactum à filio initum, post patris obitum eidem ad exceptionem prodesse, quæsitum est an quo casu de hæreditate viventis liceat pacisci. Qua de re nos agimus infrà,
6. *in l. Stipulatio. 61. de Verb. Obl.* Quatenus † verò pactum præsentium plurium creditorum præjudicet absentibus, dicam infrà. *in l. rescriptum. 10. h. t.*

Ad l. majorem. 8. l. 9. & l. Rescriptum. 10.

1. *Plurium creditorum præsentium pactum noceat percipi-*

bus ab-

PActum † plurium præsentium creditorum nocet paucioribus absentibus etiam privilegiatis, non tamen hypothecariis, *tex. hic. in l. 10.* Dubium † movet, quod dicimus, id quod nostrum est sine facto nostro ad alium non transferri. *l. id quod nostrum. de Reg. jur.* Item, res inter alios acta non præjudicat aliis *per vulg.* Denique quod omnes concernit, consensum omnium requirit. *c. quod omnes. de Reg. jur. in 6.* His tamen non obstantibus, Divus Marcus constituit, ut ceteri creditores absentes etiam præsentiũ plurium pactum de debito remittendo sequantur; humanitatis nimirum causâ ob favorem liberationis. *gl. Bart. Castr. & alij in d. l. 10. hic & l. 7. §. fin. sup. eod.* Plures † autem creditores intelligimus, quibus restant majores pluresve summæ, quod si summæ æquales sint, plures personas sequetur prætes. *ut hic in l. major. 8 latiùs.* Denique id † non modò locum habet quando cum hæredibus, sed & vivo debitore paciscimur, ut moribus obtinet. An † autem absentes etiam citandi sint, quæsitum est, veriusque dicimus citandos esse. Ratio est quia regulariter omnium creditorum requiritur præsentia. *d. l. 7. §. fin. sup. eod.* Quia enim dissentientibus creditoribus decreto Prætoris opus est. *d. l. 7. §. fin. sup. eod.* rectiùs dicimus, hanc rem tenere instar judicati, & consequenter emanentibus non præjudicare. *l. de Unoquoque. 47. de Re jud.* Atque id plerique probarunt. *Bart. Bal. Alex. hic.* & quanquam Angelus & Costalius disputãdi causâ contrarium defendunt, fatentur tamen tutiùs esse ut generatim creditores

Consuetudo citandi creditores.

tores

tores citentur, *arg. l. etiam. 29. §. fin. de Minorib.* Idque moribus obtinet. Est autem in hac re usitata citatio, quæ † consuetis & ple-
6. tumque festis diebus post sacram concionem, fieri solet per publi-
7. cum preconem. Fateor tamen † durum fore, si summæ emanentiũ, respectu ceterarum non valde magnæ sint, rescindere quod actum inter præsentes est; ideoque multum in hac re judicis arbitriũ valebit. Qui in dubio rem ita explicabit ut maneat potiùs negotium quàm pereat. *per vulg.* Denique † quod hîc de fisco dicitur, id accipiendum iis casibus est, ut textus indicat, quibus hypothecam non habet, verbi gratiâ in pœnis delictorum exigendis, *l. in summa. 17.*
9. *C. Pœn. fiscal. cred. l. 6. inf de Iure fisci.* regulariter † enim & ex suo contractu & ex tributis, tacitam habet hypothecam. *l. aufertur. 46.*
10. *§. fin. de Iure fisci. l. 1. & 2. C. quib. mo. pig. vel hyp. t ac. contr.* Porro † quod diximus, hypothecariis pacto præsentium creditorum non præjudicari, id extenditur; primo, ut etiam procedat, si creditor mandatorem habeat vel fidejussorem, *l. si precedente. §. fin. Mand.*
11. Secundò † nec personalibus quidem præjudicari, si remitteretur debitum universum. *Castr. in d. l. 7. §. fin. sup. h. t.* cùm novæ Consti-
12. tutiones strictè accipiendæ sint. Est tamen † econtra quando & creditoribus hypothecariis præsentium pacto præjudicatur. Vt de pacto solutionis in quinquennium differendæ cautum est, quia ea res
13. tanti præjudicij non est. *l. ult. §. nulla. C. de Cess. bon* Obstat † autem huic textui in eo quod dicitur, pactum præsentium plurium creditorum etiam absentibus privilegiariis nocere, l. si præcedente, §. Lucius. inf. Mand. Sed quod ibi Paulus definit, id juris intuitu facit, at Vlpianus hîc de Iure Constitutionis ex rescripto Divi Marci agit, quod etiam juri derogavit. *vide lib. 1. Subtil. nostrarum. c. 5. & 6.* nam quod alij comminiscuntur, in illa lege statui, ipsi privilegio quidem præjudicium per præsentes fieri posse, quantitati debitæ non posse, id contra ipsum textum. *d. paragraphi Lucius.* refertur, nec igitur admittendum est.

1. Si pacto de non petendo subjecta pœnalis stipulatio sit, quid juris.
2. Quid juris in proposito si obligati plures sint.
3. Pacto de petendo si pœnalis subjecta stipulatio sit, quid juris.
4. Solvuntur opposita. & num. 8.
6. Quid juris si præter pœnam promissam lis Aquilianâ stip. sit subla-

sit sublata.
7. *Quando praeterea supra poenam praestari quod interest debeat.*
8. *An pactum novetur stipul. poenali.*
9. *§. Finalis explicatus.*

§. Si Pacto. 1.] Si pacto + de non petendo subjecta poenalis stipulatio sit, alterutrâ viâ contentus reus erit, aut exceptione pacti, aut petitione poenae ex stipulatione. *tex. hic.* Neque + verò aequum fuerit, ut ex pacto & stipulatione commodum ferat pariter. *l. si pater. 12. §. si mulier. inf. de Pact. dot. l. apud Celsum. §. Labeo. de Doli except.* Perinde si quis correos debendi habeat pro eadem re & unus poenam judicio sisti promiserit, eaque commissa sit: creditor rem ab uno petendo, exceptione doli submovebitur si poenam ab altero petat. *l. si duo. 5. §. item si duo. Si quis caut. jud. sist. caus. non ob.* Sic + si pacto de re quapiam praestandâ subjecta poenalis stipulatio sit, vel ejus quod interest, reus pati debet ex pacto secum agi propter stipulationem adpositam, aut ex stipulatione ipsa, quia si reus non pareat pacto, conditio stipulationis existit. *l. nudo. C. de contr. stip. quò & referri potest l. ita stipulatus. 115. de Verb. Obl. & l. ubi autem. C. h. t.* Neque + verò obstat his l. qui Romae. §. fin. inf. De Verb. obl. ubi poenam committi Scaevola ait, licet reus jam exceptione usus obtinuerit: respondet enim ibi juris author is, pro more suo breviter de jure ipso, poenam dico, committi, ut eadem dein feratur accepto. *ut & hic.* Minùs verò + ad rem faciũt l qui fidem. pen inf. de Transac. & l. cum proponas. 17. C. eod. quia eae procedunt quando disertè cautum est ut & pactum servaretur, & poena nihilominus praestaretur. *gl. & Bart hic. gl. in c. ult. super verb. bienniũ. ex. de emp. & vend.* Planè si stipulatione + Aquiliana lis sublata sit, & pars una relabi ab ea sit parata (hoc ipsum verò & adversarius malit) poena ante cognitionem quoq; causae prioris est inferenda. *l. ubi autem. C. de Pact.* Illud + tamen advertendum est, quod tametsi reus vel exceptione uti ex pacto possit, vel poenam petere: si tamen poenae stipulatio cõtractui accesserit ei, ex quo ipso quoque pars quae placita servare parata est, agere ad id quod ejus interest potest, verbi gratiâ, si in venditionis, societatis aut consimilibus contractibus convenerit, de faciendo aliquid; poenam consequi pars parata potest, & actione altera etiam id quod interest ejus, supra pretium poenae: ipsâ poenae praestatione nimirum eo quod interest diminuto. *l. praedia. inf. de Act. emp. l. 41. Pro Soc.* An + vero pactum novetur poenali stipu- 8.

O lationc,

latione, quod Bartolus & alij hoc loco quærunt, tradam infrà, *in l.si quis à socio 41.pro Soc.*

9. Ad §. fin.] vide † posita *in l.nulli procuratorum.inf.de transact.*

Ad l. 11.12.13.

Hæ ll. pertinent ad elucidationem l.si procurator.28.de Procur. ubi vide.

Ad l.item. Magistri. 14.

1. *Magistri universitatum & magistratus municipales quatenus pacisci queant. & num.2.& 4.*
3. *Procurator cum libera an remittere debitum queat.*
5. *Respublica an restituatur.*
6. *Vsura à magistratibus remitti queunt.*
7. *Abbas aut Prælatus capituli sine consensu capituli non transigunt.*
8. *Quatenus id ita sit.*

1. Magistri societatis † seu universitatis, item magistratus municipales pactum prodest & nocet corpori universo, *tex. hic.* Sed
2. hoc † ita, nisi quod pactum sit ambitiosum, aut debitum liquidum
3. remittat, *l.imperatores.37.inf.h.t.l.præses.12.C.de Transact.* Nam † & is qui mandatum habet cum libera ut aiunt, potestate, donare non potest. *arg.l.contra.21.§.fin.h.t.gl & Castr in l.rescriptum.10.*
4. *§.fin sup.eod.* Quinimo † & magistri de debito liquido paciscuntur rectè tum, cum iis à Principe, vel eo qui jus illud concedendi habet, expressè, id est permissum, aut aliàs quando potestate supremâ utuntur. *arg.l.3.§.planè si præses.3. Quod vi aut clam. Bart. hic. Jas. in d.l.præses.num.7. Gail.lib.2. Obs.72.num.11.& seqq.* Quanquam
5. † iis ipsis casibus, si respublica laedatur, eam restitui magis dicimus.
6. *l.respublica.C.quib.ex caus. major.* Denique † & usuræ à magistratibus aut curatoribus remitti queunt, eò quod hæ ipso jure sint edic-
Iuris Can. diversitas. tæ. *l.5.C.de Vsur.* Ceterùm † Abbas vel Prælatus capituli, transi-
7. gere sine consensu capituli non potest. *c.3.ex. de Transact. ubi gl.*
8. Quod † intelligendum est de rebus magni præjudicii, in minoribus enim contrarium admissum est. *Panorm. in d.c.3.* Reliqua ad hanc rem pertinentia vide inf. *in l.civitas. Si cer.pet.*

Ad l.Tuto.

Ad l. Tutoris. 15.

1. Tutoris pactum prodest pupillo.
2. In dubio quæ potestas tutoris.
3. Transactione an tutor aut curator alienare prædium minoris possit.
4. An pactum mariti noceat uxori, an minus, & num. 5. act.
7. Iure Saxoniæ & Transisulaniæ in hac re maritorum potestas quanta.
8. Mulier an remittat debitum Iure Sax & Transisulaniæ.
9. Ex moribus uxori maritus potest stipulari aut pacisci.
10. Et uxor marito vicissim.
11. De Iure Canonico in hac re.

TVtoris † pactum prodest pupillo, *ut hic.* Sed an etiam noceat? 1.
non quidem in debitis liquidis *l. Lucius Titiu. 2. §. fin. de Adm. tut. l. pactum curatoris.* C. *de pact.* Sed † in dubio quin idem possit 2.
quod magister collegij vel procurator cum libera, non est dubitandum, quia loco domini est. *l. interdum. 56. §. qui tutelam. inf. de Furt.* Transactione † tamen alienare prædium controversum sine decreto magistratus non posset, *l. 4.* C. *de Præd. min.* Decretum autem hoc non sine causæ cognitione interponitur, idque secundum formam juris, *ex. l. magis puto. 5. § non passim. & §§. seqq. de Reb. cor. qui sub tut. Gail. d. ob. Ob. 71. lib. 2. num. 1. 2. 3. 4. & 5.* Qui carpit ibidem judices, quod plerumque leviter & sine sufficienti cognitione causæ decreta ejusmodi adhibere solent. An † verò pactum mariti noceat uxori tanquam pactum curatoris, vicina quæstio est. Ego existimo non nocere: nam quantum ad dotem attinet, hujus publica est causa, & factò consequenter mariti, deterior constitui nequit. *l. 2. inf. de Iure dot. l. 1. inf. Sol. matr. l. Iulianus. 5. & l. 6. inf. De fundo dot.* Quod tametsi de immobilib. propriè est constitutũ, de mobilib. tamen unà intelligitur, ita nimirum, ut refusione pretij rei ejus quæ alienata vel transactione aut pacto dimissa est, mulier semper servetur indemnis. *fac. Bart. in l. 1. num. 18. Sol. matrim.* Ad paraphernalia verò quod attinet, de iis multò minus disponere aut pacisci quàm dotalibus potest. Quia minus † in iis habet juris, cùm ea tantùm habeat ut deposita fidei suæ commissa, nisi aliud actum sit. *l. si ego 9. §. ceterum. de Iure dot.* Planè † quin ut curator uxoris, consensu ejusdem de rebus ejus pacisci aut transigere possit, nulla dubitatio est.

4. (margin, beside "An † verò pactum mariti")
5. (margin, beside "Quia minus †")
6. (margin, beside "Planè †")

3. (margin, beside "Transactione †")

7. tio est. Videamus de † Iure Saxoniæ ac Transisulaniæ quo commu-
Consuetudo Saxoniæ & Transisulaniæ. nio bonorum omnium inter conjuges obtinet, nisi aliud actum sit: & quidem earum regionum moribus receptum est, maritum de rebus uxoris etiam solū pacisci aut transigere. Et hoc in rebus minoris momenti mobilibus servatur sine exceptione. At in immobilibus & summis magnis, uxoris cōsensus adhibēdus est, aut præstāda cautio
8. de rato, præterquā in foris mercatorū. Ac † ediverso, tametsi mulier Iure Romano debitum suum remittere possit, Iure tamen Saxonico aut Transisulaniæ in debitis majoribus & jure immobiliū remittere
9. non potest contra voluntatem mariti. Ceterùm † Consuetudine fere generali obtinet, maritum commodo uxoris stipulari, aut paciscí rectè. Optimâ profecto ratione, quia mariti quàm maximè
10. interest aucta liberaque esse uxoris bona. Ideoque † & econtra obtinuit, uxorem marito stipulari aut pacisci rectè. Quæ consuetu-
11. do etiam procedit ubi statuto vel consuetudine bonorum commu-
Iur. Can. an hic diversū. nio inter conjuges admissa non est. Quod nonnulli † Iure Canonico perhibēt statutum. Sed hoc rectè Panormitanus improbat, *Abb. in c. 12. ex. de procur. Soar. in thes. Recep. sent. lit. A. num. 173. & seqq.*

Ad l. si cum emptore. 16.

EMptor hæreditatis utilibus actionibus convenitur, easdemque ipse habet. Has igitur si venditor hæres exerceat, repellitur exceptione doli. *tex hic.* Planè si venditor cum debitore hæreditatis qui venditionem ignorat, transegerit, postea que emptor debitum exigat, debitor liberatus negotij transacti exceptionem habet. *l. ult. inf. de Transact.* Huic verò textui junge quæ ponimus infrà, *in l. 29. & l. 34. de Procur.*

Ad l. si tibi, 17.

Ad princip.] Vide quæ ponimus infrà. *in l. rogasti. §. si tibi. De Reb. cred.*

Ad §. Pactum.] Vide quæ posui suprà, ad l. 7. §. pactorum. h. t.

§. Cum possessor.] Ad hunc §. pertinent quæ posuimus infrà, *ad l. si post. 22. De Const. pec. ubi vide.*

Ad §. penult. & fin. l 17. & ad l. 18. 19. & 20.

1. *Ex pacto filij aut servi quatenus patri aut domino exceptio detur.*
2. *Quid si filius sibi paciscatur soli.*

3. Quid

3. Quid si servus sibi soli pactus sit.
4. Si filius paciscatur ne petat. & 5.
6. Quid si filius paciscatur ne ipse petat.

EX pacto † filij aut servi directa patri dominové pacti exceptio datur, sive de eo paciscantur quod cum ipsis, sive eo quod cum patre dominové gestum est. *tex. hic.* Quid igitur † si filius paciscatur solùm personæ suæ? directa quamdiu filius superetit, patri exceptio datur, post non item. *l. & hæredi. inf. h. t.* Quid ergo si servus † personæ suæ paciscitur? doli exceptio domino datur quamdiu superest servus; si in rem paciscatur, domino & hæredi ejus directa pacti exceptio datur *d. l. & hæredi, §. 1. inf. dixi suprà in l. 7. §. idem probat h. t.* Sed si filius † paciscatur, ne petat, quid juris? & rectè dicimus, si liberam peculij habeat administrationem, nec pactum ineat donandi causâ, eum in rem pacisci rectè, aliàs non item. *l. contra. 28. §. fin. inf. h. t.* Sed & † si patris sui pecuniam credat, tempore contractus paciscitur rectè, verbi gratiâ de die solutionis, post non item. *l. sin autem. 29. h. t.* At si † filius ita paciscatur, ne ipse petat, utile pactum est, quia utiles actiones habet. *l. in factum. inf. de Obl. & Act. l. in persona. inf. h. t.* sed nec ea pactio præjudicat patri. *l. 30. h. t.* Quod autem hic *in §. cum possessor. penult. legis.* 17. dicitur pactum ejus qui hæreditatem possidet, non præjudicare vero hæredi aut prodesse, id alibi pleniùs tractamus, *vide inf. in l. 3. §. debitore. de Transact.* 1 2 3 4 5 6

Ad l. & hæredi. 21.

1. Alteri ac ne filio quidem pacisci licet.
2. Si filio pacti simus quatenus prosit patribus.
3. Si filiis ut hæredibus pacti simus, quid juris.
4. Solvuntur opposita. & 5.

§. NOs autem.] Alteri † nemo pacisci potest, ac ne filio quidem, etiamsi nobis sit hæres. *hic. & l. si tibi. §. si pactus. sup.* Datur tamen filio exceptio doli, *ut hic.* Patribus † verò id ita demû ipsis profuerit, si hoc actum sit, ut filij nomine conventi exceptionê habeamus. *tex. hic.* Si filio † ut hæredi paciscamur, quin ei directa pacti exceptio detur, nô est dubitandû. Nec ei modò, sed & ceteris hæredib. datur. *l. tale pact. 40. §. fin. inf. h. t.* Nec † mutat l. cû dos. 7. §. si verò filia. inf. de Pact. dot. nã ibi nô ponitur, patrê nominatim filiæ esse pactû. 1 2 3 4

Perinde † non mutat l.4. C.de Pact. conv. addendum enim ibidem
5. loci est. *ex l.4. C.h.t.* saltem utilem dari, ut rectè Cujacius annotat, *Cujac. hic.*

Ad §. Et in his, & ad l.22.23. & 24.

1. Pactum in rem omnibus prodest quorum interest.
2. Et per consequens fidejussori quoque.
3. Explicatio l. Stichum. 95 §. pen. inf. De Solut.
4. Quid si debitor simplicius fidejussori sit pactus.
5. Pactum fidejussoris non prodest debitori.
6. Quando id fallat, & num. 7.

1. PActum † in rem prodesse omnibus quorum obligationem interest dissolutam esse, suprà relatum est, *in l.7.§. pactorum. h.t.*
2. Idcirco † & pactum debitoris principalis prodest fidejussori, nisi speciatim actum sit ut fidejussori non prosit. *ut hic. in l. nisi hoc actum. 22. & l. quod dictum est. 32. inf. eod.* Quod tametsi hodie non habet usum eo quod fidejussori beneficium excussionis competit, tamen olim contra fuit, quando nimirum creditor electionem habebat, utrum prius conveniret. Opponi † solet l. Stichum. 95. §. pen. inf.
3. de Solut. sed ibi de mandatore dicitur, hic de fidejussore. Fidejussor liberato reo, si hoc actum sit, conveniri potest ideo, quia non habet opus actionis cessione ad agendum contra principalem, sed vel mandati, vel negotiorum gestorum actionem habet propriam. Mandator verò sine cessione actione aliquâ propria non agit. Quia autem principali liberato, creditor actionem efficacem cedere non potest, idcirco rectè obtinuit, liberato debitore, mandatorem quoque liberari unà. Denique † & si debitor non sibi, verum etiam fi-
4. dejussori pactus sit, pactum efficax est, *l. si unus. §. 1. inf. h.t.* Contra
5. † verò pactum fidejussoris non prodest debitori, *ut hic.* quia non interest debitoris, fidejussoris obligationem esse solutam. Quod † rur-
6. sus ita moderandum est, nisi sit fidejussor in rem suam, *l. sed si fidejussor. inf. h.t.* vel si non hoc nominatim sit actum, quia eo casu doli exceptio daretur propter obligationis vicinitatem. *l. idem in duobus. & l. prox. inf.*

Ad l. si unus. 27.

1. Pactum unius ex correis aut sociis quatenus noceat alteri.

2. *In correis credendi quid juris.*
3. *Explicatur hic textus.*
4. *Cur aliud juris in novatione quàm pacto.*
5. *Opposita l. 34. De Arb.*

PRincip.] Pactum † unius ex correis debendi, itemque unius ex sociis prodest alteri, *l. idem in duobus. sup. h. t.* Ceterùm † pactum unius ex correis credendi alteri non nocet, etiamsi socii sint. *ut hic.* Novare tamen potest obligationem correus etiam in præjudicium correi. *l. si rem. 31. §. si duo. inf. De Nov.* Nec † obstat hic textus, quia non ea hoc loco Pauli mens est, ut doceat, correum novare non posse: sed quia ei quod posuerat (pactum puta correi alteri correo non præjudicare) objici posset id quod subjunxerat; solvi nimirum correo rectè, ergo & per eum pacto posse noceri: idcirco prævenit isti objectioni, argumentando hoc modo, nec alios quosdam rectè novare quamvis eis solvi possit. Quando igitur nec à solutione ad novationem eidem proximam, perpetua argumentatio est: ideo nec à solutione ad pactum esse. Ratio 4 autem differentiæ ob quam pacto reus correus non noceat, in novatione contra sit, est hæc, quia novatione tollitur obligatio ipso jure, pacto verò solùm ope exceptionis. Videtur tamen huic textui obstare. l. si duo, 34. inf. De rec. arb. ubi solvi. 1 2 3 4 5

§. 1.] Relatus est suprà, *ad l. 22. & 23.*

1. *Stipulatio stipulatione tollitur, pactum pacto non item.*
2. *Naturalis obligatio quomodo tollatur ipso jure.*
3. *Pacto principalis fidejussori an præjudicetur.*
4. *Explicatio l. ult. inf. h. t.*

§. Pactus ne peteret.] stipulatio 1 stipulatione tolli potest, & quidem ipso jure; pactum pacto non item; in stipulatione nimirum jus, in pacto factum versatur. Proinde si creditor pactus sit, ne peteret, actio quidem nihilominus subsistit ipso jure, sed eliditur ope exceptionis ex pacto. Et perinde, si pacto de non petendo aliud subjectum sit de debito petendo, prior exceptio eliditur, non quidem ipso jure, sed ope replicationis. *tex. hic.* At obstat † quod dicimus, naturalem obligationem pacto perimi ipso jure. *l. Stichum. 95. §. 4. inf. de Solut. l. 7. §. adeo. sup. h. t. l. ab emptione, 58. inf. eod.* nam si id ita est, falsò dicitur, replicatione opus esse ad elidendam exceptionem. 2

tionem. Ceterùm id eò fit, quod pactum tuitione prætoris ad elidendam actionem efficax est; quatenus nimirum consensus & conventio naturalis in utraque est, eatenus alterum altero tollitur: sed quatenus pactum prius tuitione juvatur prætoris, eatenus quoque authoritas Prætoris requiritur ad elidendam exceptionem jure honorario firmam.

§. Eadem ratione contingit, ne fidejussoribus prius pactum pro-
3. sit.] Id est † ut pactum de non petendo debitori factum posteriori pacto eliditur via replicationis, ita & pactum factum fidejussori pa-
4. cto contrario, media replicatione elidi censetur. Non † igitur obstat l. fin. inf. h. t. quia eadem definitur, exceptionem fidejussori semel quæsitã, pacto rei principalis, invito ipsi extorqueri non posse, quod longè diversum est ab hujus paragraphi argumento.

1. Pacta turpia non servanda.
2. Pactum advocati de quota litis quatenus servandum vel contra non servandum. 3. & 4.
5. Pactum medici cum ægroto factum an valeat.
6. Pactum quo jus agnationis rumpitur illicitum.
7. Pactum de hæreditate vivorum.

1. §. Pacta quæ.] Pacta † quæ turpem continent causam, non sunt servanda, *ut hic.* Ejus generis pactum est, ne dolus præstetur. *ut suprà. § prox.* item ne injuriarum aut furti agatur, si id fortè commissurus sis. *ut hic.* Pactum quoque † advocati de quota litis ejusdem
2. generis est. *L. sumptus. 53. inf. h. t. l. litem & ibi DD. C. de procur.* Hoc tamen haud ita fore si pactum juratum sit, alij putant, *Guido Pap. decis. 190. per tot.* Quod cum hoc moderamine † accipiendũ, si quota
3. non sit adeo magna, ut valde excedat debitã mercedem. *Neviz. consil. 21. n. 22.* De magna enim parte si pactum sit, verius dicimus, non esse obligatorium juramentum bonis moribus repugnans. *c. non est obligatorium. de Reg. jur. in 6.* Sed † etsi post litem finitam pactum
4. ab advocato de parte aliqua fit, rectius dicimus id non improbandum. Cessat enim tum ratio prohibitionis potissima, quæ est quod clientes opis advocatorum indigi, ad nutum eorundem facile cogi queunt ad paciscendum pro arbitrio illorum. *Fortun. Garc. in l. 5. n. 5. h. t.* An verò † pactum medici valeat cum ægroto initum, videa-
5. mus. Et quidem Baldus id admisisse videtur. *Bal. in l. 13. num. 15. C. de Transact. Ias. in § quadrupli. Inst. de Act. num. 7.* Alij contra, *per hunc tex. & l. 7. § generaliter. sup. eod. Pinel. in l. 2. par. 2. c. 2. num. 33. C.*

33.*C. de resc. vend.* Sed horum opiniones conciliamus ita, ut si quidem pactum moderatum sit, continens nullam iniquitatem, Baldi sententia obtineat, nec rescindatur praeterquam si illicitis mediis, verbi gratiâ, malis medicamentis ægrum adegerit. Sin verò inhonestum sit pactum, & æquitatem mercedis excedens, obtineat sententia ceterorum. *per hunc tex. junc. l. medicus de Var. & extr. cogn.* Sed † & illicitum pactum censetur quo rumperetur jus agnationis. 6.
l. jus agnationis. 34. h. t. l. jura sanguinis. De Reg. jur. adeoque quodcunque repugnans rationi naturali. Quemadmodum † & pactum 7.
initum de hæreditate viventis. De quo agimus plenè infrà. *de Verb. obl. l. stipulatio. 61.*

1. *Obligatio alternata de una re non petenda eliditur solutione vel pacto in totum.*
2. *Explicatur l. 13. §. si Stichum. De accept.*
3. *Explicatur l. 4. inf. De Resc. vend.*
4. *Obligatio generalis non differt ab obligatione alternata.*
5. *Quod acceptilatio ipso jure facit, id pactum facit ope exceptionis.*
6. *Explicatio hujus textus.*
7. *Castrensis notatus.*

AD §. Sed si stipulatus. & §. Sed si generalis.] Obligatio alternata † per solutionem, acceptilationem, pactum de una re non pe- 1.
tenda initum, tollitur aut eliditur in totum, nisi aliud actum sit. *ut hic.* Non mutat † l. & per jusjurandum. 13. §. si Stichum. 6. inf. De 2.
Accept. quia ibi decem in obligatione manent, Stichus verò posteaquam pendente conditione decessit, re ipsâ non in obligatione, sed tantùm conditione fuit. *Gl. & Cujac. hic.* Minusque † ad rem fa- 3.
cit l. 4. inf. De Resc. vend. quia ibi ab alterutrius rei emptione discessum est, quod in contractu bonæ fidei re integrâ constat permissum. *l. 7. §. adeò. sup. h. t.* Neque enim *in d. l. 4.* pactum simpliciter proponitur de alterutra re non petenda, sed obligatio ex parte altera resolvitur. Quod longè diversum est ab hujus paragraaphi argumento.

Denique obligatio † generalis re ipsâ non differt ab obligatione 4.
alternata, *l. cum is. 32. §. fin. De condict. ind.* præterquam in specie l. qui decem. §. Stichum. inf. de Solut *(cui tamen obstare visa est l. Mævius. 66. §. non idem. inf. De leg. 2. quam solvi ibidem.)* Sic, † 5.

quemadmodum acceptilatio speciei tollit obligationem ipso jure. *l.* 13. *§. si is. 4. de Accept.* ita & pactum ope exceptionis. Communiter enim quod acceptilatio efficit ipso jure, id pactum efficit ope exceptionis. *§. 1. sup. in hac ead. l.* Nec † obstat hîc textus, quia in ejus
6. ceptionis. *§. 1. sup. in hac ead. l.* Nec † obstat hîc textus, quia in ejus specie intelligendû est actum fuisse ut electio sit creditoris. Quemadmodum igitur suprà exposuit, pacto de una re non petenda elidi actionem totam, si electio debitoris sit, ita hîc Paulus contrariû docet, si actum sit ut electio esset creditoris. Actum autem in proposito esse ut electio sit creditoris, vel ex eo colligitur, quod ponitur hoc loco, alium hominem quàm Stichum rectè peti: quod fieri non posset, si electio esset debitoris, ut est in obligatione generali tum, quando non est aliud actum, eo enim casu creditor alium quàm Stichum petendo plus causâ peteret, cùm hominem modò generatim petere posset. *§. si quis agens. Inst. de Act. gl. Bart. Castr. Cujac. &*
7. *plerique hic.* Malè † tamen Castrensis hoc loco annotat, differentiam esse inter pactum & stipulationé, *propter d. l. 13. §. si is.* quia is textus procedit quando non est actum, ut electio esset creditoris.

§. Si Acceptilatio.] Relatus & explicatus est infrà *in l. si accepto. 29. de Accept.*

Ad l. Contra jus. 28.

1. *Contra jus pacisci non licet.*
2. *Contra jus quid fieri dicatur.*
3. *Explicatur l. 31. inf. eod.*
4. *Suo cuique beneficio renunciare licet.*

1. CONtra † jus pacisci non licet, *hic. & l. 6. C. eod. l. 7. § ait prætor. h. t.*
2. *fac. l. 38. inf. eod.* Quâ † quidem in re illud in primis observandum est, contra jus fieri quod vetante juris dispositione fit. *l. qui ve-*
3. *tante. De Reg. I.* Proinde quod † dicimus contra edictum ædilium pacisci licere, id hanc sententiam habet, ut contrahentibus renunciare liceat beneficiis edicto ædilium uni aut alteri cōcessis. *l. pacisci.*
4. *31. inf. eod.* Cùm regulare † sit ut cuique beneficio sibi concesso liceat renunciare. *l. pactum. 46. inf. h. t. l. pen. C. eod.*

l. Sin autem 29. & l. 30.

Relatæ sunt suprà *ad §. fin. legis. 17. & ad l. 18.*

l. Pacisci. 31.

Relam

Relata paulò antè est, *ad l.contra.28.sup. eod.*

l. 32.

Relata est suprà, *ad l.22.23.& seq.*

Ad l. Avus. 33.

Vide quæ ponimus infrà, *ad l.avus. De Pac.dot.*

l.Ius agnationis. 34.

Relata est suprà.*ad l.27.§.pacta quæ turpem.*

l. Tres fratres. 35.

Relata est infrà, *ad tit.Fam.ercisc.l.36.& 37.*

l.Imperatores. 37.

Relata est *ad l.item magistri.sup. eod.* Permitti pro remitti, ut & alibi, *l.publica.5.inf.De publ.jud.*

l Ius publicum. 38.

Pertinet ad ea quæ posuimus suprà *in l.contra jus. 28.h.t.*

Ad l.Veteribus 39

1. *Obscuræ conventionis interpretatio quæ facienda.*
2. *Explicata l.34. De Contr. emp.*
3. *Explicata l.qui insulam.31. Qui pot.in pig.hab.*
4. *Actionis editio pro quo explicanda.*

IN dubio ¹aut obscuro fit interpretatio contra eum qui contractũ edixit, ut regulariter contra venditorem, & eum qui locavit.*hic. & l.21.De Contr.emp.l.in contrahendo.De Reg. l.* Sic ² in specie *l. si in emptione.34.De Contr.emp.* interpretatio fit contra emptorem, eò quod contractum edixit ipse. Contra ³ tamen est in specie l. insulam.31. Qui po.in pig.hab. quia ejus definitio specialis est, quòd æquum sit ut venditori, cujus causa antiquior est, priùs pensio solvatur quàm emptori, cujus causa est posterior. Denique ⁴ & in editione actionis & actorum judicialium solius edentis mens inspici consuevit, *l.si quis intentione.66.de Judic.* nam non declarare, sed &

mutare actori libellum licet, vide posita supra *in l. 1. de Eden.*

Ad l. tale pactum 40.

Principium expositum est suprà, *in l. 7. §. pactorum. h. t.*
§. Qui provocavit.] *vide in l. 1. de Confess.*

Ad l. 42.

Relata est infrà, *in l. 52. § pactum. h. t.*

Ad l. divisionis. 45.

Placitum divisionis, nisi traditio aut stipulatio interveniat, effectum non sortitur. *tex. hic.* Id ita Iure civili fuit, nisi in judicio divisio adjudicationibus finita esset. Quinimo hodie & moribus Gelriæ ac Transisulaniæ provinciarum Belgicæ obtinuit, ut divisiones liberâ partium voluntate factæ obtineant judicialium instar, & quod amplius est, etiam in pactis earundem paratam executionem habeant instar rerum judicatarum.

Gelriæ & Transisulanæ consuetudo.

Ad l. pactum. 46.

1. *Ab ultima voluntate ad pactum an argumentari liceat. & quatenus. num. 2.*
3. *A jure contractu ad ultimam voluntatem non argumentemur.*

1 Notatur ex hoc textu à testaméto ad pactum argumentum duci. Unde rectè Cujacius colligit, ut quemadmodum ex Novella Iustiniani testamento remitti Falcidia potest, ita & pacto idem fieri. Sed quod de pacto dicimus, idem & de contractibus reliquis
2. intellige. *Fac. l. ult. ubi not. Salic. C. de legat.* Ceterùm † hoc argumétum rectè Castrensis temperat si eadem ratio subsit. *Paul. Castr. hic.* Quod recipiendum est, *per l. si Stichum. 16. §. stipulatio. De ver. obl.* ibi enim ob diversam rationem diversum quoque in utraque statui-
3. tur jus. Sed & † interdum à jure contractus vice versâ argumentari licet ad ultimam voluntatem. *per l. servum. 44 §. ex his qui 5 de Leg. 1.* Quod ipsum & perinde haud aliter accipimus, quàm si eadem ratio subsit. *d. l. 16. §. 1. de Verb. Obl. & sim.* Qua de re plura apud Everar. *in locis legal. c. A contract. ad ultim. vol.*

l. 47. §. 1.

Relata est suprà *ad l. 2. & 3. eod.*

Ad l. 1.

Ad l. In traditionibus. 48.

1. *Pactum adjunctum traditioni quam actionem producat.*
2. *Utilis actio qua.*
3. *Quando hac lex non procedat.*

PActum rei 4 traditioni adjunctum actionem producit. *ut hic.* Sed quam demum? præscriptis verbis in factum civilem. Quasi nimirum eâ lege tradideris, quò fiat id quod in traditione convenit. Quo sensu *in l. legem. 10. C. eod.* dicitur, utilem ex pacto ejusmodi condictionem esse. Utilis enim actio propriè dicitur hæc in factū civilis. *l. quoties. 21. de Præscr. verb.* Atque illud ferè perpetuum est, præterquam in iis, quæ juri aut rationi ejus repugnant, *ut in l. pen. inf. eod. & l. si creditor. §. fin. De distr. pign.* vel aliàs odiosa sunt, ut in *l. rogasti. §. si tibi. de Reb. cred. gl. Bart. Ias. Castr. hic. fac. l. 10. & 11. de Relig. & sump. fun.* Verbi gratia, si decem dem eâ lege, ut mihi reddantur viginti, pactio non valet; quia re non in amplius obligari possumus quàm datum est. Nec admittitur etiam hoc pactum tanquam accessorium pecuniæ mutuo traditæ, seu numeratæ: quia odiosum est per se, *vide Subtil. nostr. lib. 1. cap. 4.* 1. 2.

Ad l. Epistola. 52.

1. PActum.] Pactum quo cōvenit ut non creditor sed debitor tributum fundi obligati quo creditor utitur, solvat, servandum est. *tex hic.* Quod rectè ad eos tantum refertur qui conventionem ineunt, *gl. Bart. Castr. hic.* nam fisco per hoc non præjudicatur, ideoque is neminem convenire cogitur quàm creditorem, seu fundo fruentem. *l. inter. 42. sup. h. t. l. ult. C. sine cens. aut reliq. fund. comp. non posse.* Iure tamen Novellarum qui alienat periculum functionum, si emptor minùs idoneus esset, in se reciperet. *Auth. de Mand. princ. §. non permittas. Bart. & Castr. in d. l. 42.*

l. sumptus. 53.

Relata est suprà *ad l. 27. §. pacta.* ubi vide.

Ad l. si convenerit. 56.

HÆc lex diligenter notanda est. Quâ docemur, quod domini fundorum, qui eos aliquot annos locarunt, & propter sterilitatem, bellum, vim majorem, tempestatem, colonis pensionem remiserunt, ipsi nihilominus contractui stare compelluntur; nimirum ut meliorationes ex lege contractus restituant, loca-

tionem annos conventos continuent, & similia. Hoc tamen non ita est, si desit justa remissionis causa. Regulariter enim solutâ obligatione ex parte una, ex altera quoque solvatur necesse est. *l. 5. in princ. de Resc. vend. l. ult. de Accept.* Sed neque ab initio contractus dipleuri, id est, hinc inde obligatorij, ita fiunt ut altera tantum pars obligetur. *l. 2. in princ. inf. locati.* at ex post facto ex altera parte solvuntur rectè. *tex. & DD. hic.*

Ad l. qui in futurum. 57.

In futurum usuras accipere ut more Romano licuerit. *arg. hujus text.* tamen id Moribus Christianis & Iure Canonico prorsus abominabile est. vide quæ ponimus infrà *ad Rubr. de Vsuris.* *Ius Can. diversum.*

l. Ab emptione. 58.

Relata est suprà *in l. 7. §. Quinimo. eod.*

l. Imperator. 60.

Pertinet ad jus prothimeseos, *vide inf. in l. cum bona, de Reb. auth. jud. poss.* ubi & hæc est allegata.

Ad l. nemo penult.

1. De pacto rei alienationi adjuncto.
2. Quatenus id obliget & num. 4.
3. In pactis ejusmodi, si non interesset alienantis, variatum est.
5. Papiniani sententia jure Codicis probata.
6. Pactum de non alienando, an alienationem vitiet.

1. SI quis † paciscatur ne sibi locum suum dedicare liceat, aut mortuum inferre, aut vicino invito fundum alienare, pactum non subsistit *tex. hic.* Cave autem ne hoc accipias de pacto nudo, aut aliàs inefficaci, nam si id fiat nulla hujus rei dubitatio erit. Non † tamen
2. hæc regula perpetua est, quia non procedit, si intersit paciscentis pactum servari. *l. 1. §. si quis. De aq. quot. & æst. & arg. l. quoties. 2. inf. de Servit.* In † ceteris utcunque olim inter juris authores variatum est, verbi gratiâ de servo exportando, vel non manumittendo pactum non valere, Papinianus arbitrabatur nisi vel vendentis in-
3. teresset

ftreſſet, vel ſaltem affectio in favorem ſervi ex pacto deprehenderetur. Atque ita ſenſit cùm librum 10. ſcriberet quæſtionum. *l. ſervus. 7. De ſerv. expor.* Contra ſimpliciùs ſcripſit libro 27. quæſtionū: eo quòd venditor hoc ipſo minoris intelligatur vendidiſſe, quia legem contractui dixerit talem, indiſtinctè hoc nomine actionem eſſe. *l. ſi venditor. 7. §. 1. eod. tit. De ſerv. export.* Et quidem † videtur, 4
niſi ſingulatim interfuiſſet alienantis, ex adjuncto alienationi pacto ſolo, actio olim non fuiſſe, *ut hic & arg. l. 7. §. fin. de Diſtr. pig.* ex ſtipulatione fuiſſe. *l. 10 & l. quod ſi locus. 11. de Relig. & ſumpt. fun.* Sed † Papiniani ſententia poſterior Iure Codicis adprobata eſt, & quidem ita, ut quodcunque pactum honeſtum in rei alienatione conventum, actionem producat. *l. ult. C. de Pact. inter emp. & vend. l. ult. C. de reb. al. non. alien. l. ea quidem. C. ſi mancip. ita fuerit alien. l eâ lege. C. de Condict. ob cauſ.* Atque his poſitis difficultas, quam Doctores plerique hîc moliuntur, omnis ſublata eſt. † Probabile tamen 5
eſt, alienationem contra legem contractus factā, non ipſo jure nullam eſſe, ſed ad id quod intereſt actionem dare. *per hunc tex. & arg. l. in re mandata. C. Mand.* Nec mutat l. ſi creditor. §. fin. de Diſtract. pig. quia ibi pactum in gratiam creditoris adjunctum eſt, qui & ſine lege conventionis ea, jus in rem habet. Quemadmodum nec mancipium, eâ lege alienatum ne manumittatur, ad libertatem ab emptore perduci poteſt, quia conditio hæc perſonæ ejus cohæret. *d. l. ea quidem C. ſi mancip. ita fuerit alien.* 6

l. ultima.

Relata & explicata eſt ſuprà *ad l. 22. & 23.*

DE TRANSACTIONIBVS.

TIT. XV.

Ad l. 1.

1. *Pactum pro conventione litis finienda.*
2. *Transactio quid.*
3. *An transactio ſit contractus.*
4. *Contractus quid.*
5. *Transactio an contractus nominatus ſit vel innominatus.*
6. *Transactionis nomen propriè quid.*

Suprà

1\. SVprà dictum † est, pactum sæpius pro conventione poni quæ fit causâ litis finiendæ. *l. 1. tit. 1.* Id ipsum verò fit vel Transactione, vel Pacto in specie sic dicto. De hoc ferè actum est titulo præcedenti, tametsi concurrant ibidem conventionum communia non pauca. Sequitur nunc de Transactione. Transactio igitur † est, litis

2\. reive dubiæ aut incertæ, datâ receptâve re aliâ vel jure, facta remissio. *l. transactio nullo.* C. *eod.* Dubiæ dicimus, quia rei certæ transactio non est. *vide inf. in l. 7. eod.* Pactum verò est remissio gratuita. *ut hic.* Vtrumque rectè dicitur pactum, priorisque causa transactio, posterioris donatio est. *l. ex conducto. 15. 9. Papinianus. inf. Loc. l. cum donationis. 34.* C. *h. t.* Per metonomiam igitur transactione pro pacto reciproco utimur: nam & pactum simpliciùs dicitur remissio non gratuita, hoc est, transigendi causâ factæ. *l. furti. 6. §. qui jussu. inf. De his qui not. infam. l. 4. de Iure fisci. l. si super. 9.* C. *h. t.* licet contrà trāsactio pro remissione rei certæ ponatur vix unquam. Subinde tamen & transactio largiùs accipitur pro quocunque medio liti finiendæ parato, ut jurejurando, *l. 2. de Jurejur.* sententiâ judicis, *l. 1. §. 1. inf. Test. quem. ap.* maximè verò arbitri, *Fac. gl. Bart. & Bald. in l. 2. De arb.* An verò † Transactio contractus sit, quæsitum

3\. est. Dubium movet, quod non tam contrahi eâdem videtur, quàm id quod contractum est, ferè dissolvi *ut hic. & tot. hoc tit.* Et quidem valde torquentur ob hanc rem multi nequicquam. *Corras. lib. 1. Miscel. c. 23.* DD. *hic. Wesenb. in Par. h. t.* At explicabo rem paucis. Transactio & est pactum, & dicitur, quoad nudum conventionis respicis finem. Ceterùm si formam spectes quin contractus sit,

4\. dubitandum non est. Constat † enim quoties conventioni Sunallagma intervenit, toties quod actum est, censeri contractum. *l. Labeo. 19. de Verb. sig.* Quod si ita est, in proposito quoque de transactione non aliter censendum est. Cùm remissio litis fiat ut detur aliquid, vel fiat aliud. Si verò effectum consideres solutæ litis, distractus erit. *arg. l. 1. de Accept.* Et verò à forma quæ rei substantiam tribuit peculiarem, actum quemque nominandum magis est.

5\. Vnde † quæsitum est, an nominatus, an verò innominatus transactionis cōtractus sit, & quidem Corrasius disputat eum esse nominatum. *d. lo.* Sed hoc nusquam relatum est. Quinimò si effectum spectemus, adeoque formam ipsam, quæ hæc est, discedo à lite, ut domum ædifices, ut centum des & similiter: veriùs est eum innominatum esse. Denique id evincitur hoc modo: Quoties præscriptis verbis actio datur, deest contractui nomen. Eò quod demum necesse sit ad eam actionem confugere, quoties contractus appellatio nulla civili jure prodita est; *l. 3. de Præscrip. verb. cum sim.* At ex

transactio-

transactionis negotio præscriptis verbis actio est, nisi stipulatio intervenerit. *l. si pro fundo. 33. C. eod. vide quæ nos in l. 1. eod.* ergo singulare ejus nomen proditum non est. Ipsum igitur transactionis nomen non tam contractum designat, quàm actum litis finiendæ. Per metonomiam puta, ut suprà retuli, positâ eâ voce pro non gratuito pacto. 6.

Ad l. 2.

1. Transigendi duplex modus.
2. Nuda conventio transactionis pœnali stip. firmanda.
3. Quando pœna peti & pacti exceptio simul opponi possit.
4. Si Aquil. stipulationi pœna subjungatur, quid juris.
5. Quid si Transactio dolo malo fiat.
6. Rationes in Bartoli sententiam quæ.
7. Sententia diversa.
8. Transactio rei judicatæ & juramento comparatur.
9. Conciliatio opinionum diversarum.
10. Casus quo transactio rescinditur.

TRansactio † vel fit nudâ conventione, vel Aquilianâ stipulatione. *tex. hic.* Videamus de effectu utriusque. Nuda igitur † conventione si transactio fiat, consultum est pœnalem stipulationem subjici. *l. pacto. 15. inf. h. t.* ex qua agi possit resiliente parte. Sed aut agitur regulariter solùm ad pœnam, aut exceptio opponitur. *l. si pater. 12. §. si mulier. De pact. dot.* An † verò & quando pœna peti, & pacti exceptio simul opponi queat, suprà tractavimus plenè. *in l. rescriptum. 10. §. Si pacto. de Pact.* Quid ergo si reus resilire velit? prior actio superest, cui si opponatur exceptio pacti, eadem replicatione doli eliditur. *l. 19. l. sive. 28. l. si maior. 36. C. eod. v. de latiùs Subtil. nostras lib. 3. c. 5.* Si Aquilianæ † stipulationi pœna subjecta sit, idem dicendum, scilicet ut alterutrum, aut actione pristinâ se reus teneri neget propter acceptilationem factam, aut pœnam petat; nisi clausula de rata tenenda stipulatione sit adjuncta. Licet enim hoc casu actio sublata sit ipso jure, restituitur tamen quodammodo, reo eam libenter excipiente, dum mavult quasi rescisso pacto, petere pœnam. *l. ubi pactum. C. de Transact.* Unde evenit id in potestate ejus esse per quem non stetit quò minùs transactio adimpleatur, *Cujac. in l. 15. inf. h. t. paulo diversius Wesenb. in Comm. tit. de Transact. num. 7. vers. eodem sensu. & nos in d. l. 10. §. si pacto. sup. tit. 1.* aliàs

Q verò

verò actio partis adversæ nõ est fundata. *Bal. in l. pacto. inf. eod.* Quid

5. † ergo si transactio ab altera parte dolo malo ineatur, an ipso jure nulla sit, alibi tractamus. *vide infrà in l. in summa. 65. §. 1. de Condict. ind. & l. 7. §. non solum de Dolo.* At huic quasi ticum proximum est, videamus, An læsio ultra dimidium, rescissionem transactionis o-

6. peretur? Quod Bartolus † voluit, *in l. 2. num. 7. C. de Resc. vend. seq. Rom. in l. si quis cum aliter. de* Verb. Obl. *Angel. in l. Lucius. §. fin. n. 2. Immola ib. circa fin. inf. Ad SC. Treb.* Iuvat sententiã eorum quod alibi refertur, si res ipsa dolum contineat, etiamsi stipulatio accesserit, de dolo nihilominus actionem esse, ac si machinatione alterutrius contrahentium dolus admissus esset. *d. l. si quis cum aliter. 36. de Verb. Obl.* Quemadmodum igitur ob admissum dolum doli actio est in transactione, *l. si superstite. 5. C. de dolo.* sic & idem putant esse in læsione quæ dolo æquiparetur. Id autem vel maximè ita est in

7. læsione ultra dimidium. *DD. in l. 2. C. de Resc. vend.* Alij † contra, quia trãsactio litium finiendarum causã sit inventa, *l. fratris. C. eod.* atque ob hoc ne imperiali quidem rescindatur rescripto, *l. causas. C. eod.* nec prætextu adeò instrumentorum pòst repertorum, *l. sub*

8. *prætextu. 19. C. eod. c. 1. ex. eod.* Quinimo † comparatur transactio juramento & rei judicatæ, post quæ tamen nihil amplius quæritur, *l. 2. de Iurejur. l. post rem. de Re jud.* Atque hanc sententiam Baldus probavit *in d. l. 2. C. de Resc. vend. Jas. in d. l. si quis cum aliter. nũ. 13. cum seq. Francis. Aret. ibidem. num. 5. Zas. 20. Afflict. decis. 220. num. 1. plures utriusque sententiæ vide apud Gailium lib. 2. Obs. c. 70. per tot.* Ad hæc disertè relatum est, transactionem ne quidem ob læsionem quadrupli, id est, multò enormissimam rescindi. *tex. & DD. in l. Lucius. 78. §. fin. Ad SC. Trebell.* Et quidem id regulare

9. est, nisi dolosa machinatio alterius accedat. Proinde † sententiæ eæ rectissimè ita conciliantur, ut Bartoli opinio procedat, si præter læsionem ultra dimidium dolus fraudandi mente sit adhibitus, vel evidens calumnia accedat alterius partis. Concurrit tamen doli actio, si actio perempta sit, at si ea perempta non sit, actio etiam pristina institui potest, pacti exceptione per replicationem doli elidendã. *l. 6. et l. sub prætextu. 19. C. eod.* Quemadmodum & non doli actio, sed in factum dabitur, si is nos deceperit, contra quem doli actionem famosam prætor non daret. *l. si superstite. 5. C. de dolo.* Quan-

10. quam † transactio rescinditur, si ea per falsa instrumenta sit extorta. *l. penult. C. eod.*

Ad l. Im-

Ad l.Imperatores.3.

1.Transactio hæredis scripti & legitimi, an & quatenus legatariis & creditoribus officiat.& 2.3.4.& 5.
6.Transactio an præjudicetur codicillis pòst repertis.
7 Conciliantur aliæ leges.
8 Transactio ejus qui se hæredem jactat quatenus vero hæredi noceat.
9.Conciliantur diversæ leges.

TRansactio † inter scriptum hæredem & venientem ab intestato, non officit, quò minùs legatarij conveniant scriptum. *tex. hic. & l. si suspecta. §. quamvis.* C. *de Inoff. test.* privatorum enim pactionibus jus tertij non læditur, *l.debitorem.l.pacto.* C.*eod.l.2.*C. *inter alios acta aliis non noc.* Creditores † tamen utrumque utilibus actionibus convenire queunt. *l.controversia.* 14.*h.t.* Planè † si legitimus non parte hæreditatis, sed certâ pecuniâ vel re contentus, à lite quieverit, qui hæreditatem retinet, actiones ejusdem sustinet solus. *l.legatus.§.multum.Ad* SC.*Trebell.* Sed † & regulariter, hæreditate vel venditionis titulo, vel alio ad tertium delata, utiles quidem ille actiones adversus debitores habet, *l.emptor.5.*C.*de har.vel act.vend.* idque ex Rescripto Divi Pij, *l.si cum.* 16.*sup. de Pact.* At † creditores nihilominus eum conveniunt qui hæreditatem adiit, eaque ratione cum illis quasi contraxit. *l.2.*C.*de har.vel act. vend. dicam infrà ad tit.de Har.vel act.vend.* 1. 2. 3. 4. 5.

§. Cum transactio.] Transactio † facta propter fideicommissum testamento relictum, non efficit quò minùs id quod codicillis pòst repertis relictum est, si legatarius ex transactione fortasse minùs sit adeptus, nihilominus consequatur. *tex. hic.* Ratio est quia super codicillis non est transactum, quippe de quibus non aliter transigi potest, quàm iisdem inspectis. *l.de his.6.inf.eod.ubi* DD. Non † mutat igitur l sub prætextu. C. eod. & l. Lucius. §. fin. Ad SC. Trebell. quia ex procedunt si quæ fortè instrumenta reperiantur, quibus amplior hæreditas probetur quàm partes putarunt, hìc verò textus de ultimis voluntatibus agit, post transactionem repertis. *gl.Ang.Castr.hic.* Sed Cujacius in specie hujus §. putat, codicillis post repertis aliud relictum intelligi oportere, quod peti denuo possit ex causa eorundem. *ut in l.12.inf.eod.* Accursij tamen & Castrensis opinio textui convenit, quam & Pacius sequitur. *Cent. 2. quæst.q.13.* 6. 7.

8. DEBITOR CUIUS.] Transactio † ejus qui se jactabat hæredem cùm non esset, nullo modo hæredem verum tangit. quia nec transegit hæres, nec negotium ejus gestum est, *ut hic. fac. l. 17. §. cum possessor. sup. tit.* 1. Nec mutat l. sed & si lege 25. §. petitio. l. post Senatusconsultum. 28. l. si possessor. l. evicta. inf. De pet. hær. l. 22. De pec. const. quoniam eæ agunt non de eo qui se simplicius hæredem jactabat, sed possessor re ipsá erat, cujusque negotia hæres habuit rata. Et verò quia probabilius haud ratum habebit hæres quod damno ejus pactum est, rectiùs dicimus, possessorem hæredi pacto suo non præjudicare. *per d. l. si pacto. 17. §. cum possessor. De pact. & hunc text. vide quæ nos in l. si post 22. De const. pecun.*

Ad l. Cum Aquiliana. 5.

CVm regulare sit neminem præsumi jactare suum, nec in transactione admissum est ut de aliâ re quam quâ actum est transactum intelligamus. *text. notab. hic. vide quæ nos inf. in l. 9. h. t.*

Ad l. de his. 6.

1. De Controversiis ex testamento ortis quatenus transigere permissum sit. & 2.
3. Transactione de ultima voluntate facta ante ejusdem inspectionem, an nihil agatur.
4. An idem sit in pacto gratuito.
5. An huic legi renunciari queat.
6. Quid si juramentum accedat.
7. Exceptio alia.

1. DE controversiis † testamentorum transigi nequit, nisi inspectis cognitisque eorum verbis. *hic. & l. 1. §. 1. Test. quem. ap.* Idem
2. de † codicillis, omnique adeo ultimâ voluntate dicendum. *l. non est*
3. *ferendus 12. inf. h. t.* Quid † ergo si contra quam hîc responsum est, transigatur, an nihil actum, an verò pacti exceptio doli replicatione elidatur, Accursius quærit, & plerisque visum est, non valere, ac ne in ea quidem quantitate quæ pro deferéda actione promissa est, *Bart. Castr. Ias.* quod & verum est, *arg. l. non dubium 5. C. de legib. &*
4. *arg. l. in summa. 65. §. 1. De condict. ind.* An idem † in pacto gratuito sit, ambigunt ij ipsi, Fulgosius item & Alexander, ego arbitror eandem quoque rationem pacti esse. Ratio est, quia causa hujus juris est odium hæredum qui supprimunt testamenta. Faciliùs

verò

verò quis testamentum supprimat ut nihil det, quàm ut medio transactionis tribuat aliquid. *Cisner. hic. num.* 8. Sed & aliàs regulare est, ut quâ de re dubia transigere non licet, de ea nec liceat pacisci, *Paul. 1. Sent. tit 1. vers. 1. ibique Cujac.* Denique controversum est, an omnis † successionis vel legati spes, pacto vel transactione, cum renunciatione hujus legis, ante inspectionem testamenti vel codicilli, queat tolli, Accursius autumat posse, *arg. l. si quis in conscribendo. C. de Pact.* Verior tamen est Bartoli, Angeli & Castrensis opinio contraria, quia legi prohibenti renunciare non licet, *d. l. non dubium 5. C. de LL. l. jus publicum. de Pact. Bal. in auth. generaliter. in 2. col. C. de ep. & cler.* Nec mutat d. l. si quis in conscribendo: quia ea agit simpliciùs de renunciatione privilegij; hic autem publica juris prohibitio subest, vel maximè ob odium hæredis testamentum supprimentis, *Bart. Castr. Ias. Bal. Ang. & plerique hic.* Iason † tamen id ita accipit, nisi accesserit juramentum, *per c. cùm contingat de jurej.* quod recipiendum est. *arg. l. si quis major. C. eod.* Sed † hoc semper excipimus de quo actum aut cogitatum non est. *l. qui cum tutoribus. 9. §. pen. & fin. inf. eod.* 5. 6. 7.

Ad l. & post rem judicatam. 7.

1. *De re judicata tanquam certissimâ transigi nequit.*
2. *Quatenus id ita sit.*
3. *Quid si sententia dicatur nulla.*
4. *Revisio impetretur.*
5. *Exceptiones judicato obstent.*
6. *An transigi super instrumentis guarentigionatis possit.*
7. *An post conclus. causa transigi queat.*
8. *Quid juris sit, causâ jurejurando, aut confessione finitâ, aut si restitutio adhuc postulari queat. & 9.*
10. *An de re judic. transigi queat cum eo qui ignorat judicatum esse.*

De re judicata † uti certissimâ, transigi nequit. Si tamen † vel appellatio intercesserit, vel etiamnum appellari possit, transactio valet. *ut hic.* Idem † igitur, si sententia nullitatis arguatur, vel necdum certum sit judicatum esse, *l. post rem. 11 inf. eod.* Planè † etiam revisione impetratâ, quia ea quasi speciem appellationis constituit, transigitur rectè, itemque quando adhuc † supersunt 1. 2. 3. 4. 5.

exceptiones aliquot post rem judicatam opponendæ. *ut in l.1.C.de Iur.& fac.ign.Bart.in d.l.post rem.inf.h.t.* Sed an super † instrumentis guarentigionatis quæ ex Consuetudine Galliæ & Germaniæ ferè paratam exsecutionem habent, transigi queat, videamus. Et quidem Bartolus hoc negat, quia ea quoque, instar judicati, sint certa; *arg.hujus tex.Bart.d.lo.* Quod admittendum est, nisi quid in iis illiquidum sit, aut nisi super formæ vel fidei defectu quæstio sit, *ut in l. ult.C.plus val.quod ag.& l.14. C.de Fide instr.* Alia quæstio est, An post † conclusionem causæ transactio admittatur, quod magis est, quia etiamtum dubius est litis eventus, *d.l.post rem.inf.* Nec ad rem facit quod Innocentius ait, post causæ conclusionem rem esse liquidam. *Innoc.in c.significaverunt de Testib.Bart.hic.quam & malè sequuntur Castr.Bal.Alex.* quia id non simpliciter verum est, cùm nihilominus dubium sit quis causæ exitus sit futurus. Et verò quia sententia nostra finiendis litibus benignior est, & moribus quotidie servatur, recedi ab ea non oportet. Sed neque transigi potest † post rem jurejurando decisam: quia & hoc majorem authoritatem habet quàm res judicata, *l.2.de Iurejur.* Pacisci tamen de rebus his, donationis causâ licebit. *Paul.1.Sent.Cujac.hic.* Denique quod de lite jurejurando finitâ dicimus, idem & ad confessionem pertinet judicialem, quoniam & ea certa est, *l.post rem. De Sent.& re jud.* Cõfessi enim pro judicatis habentur. *l.1.de Confess.* nisi doceatur confessio per errorem facta, quia non fatetur qui erat. *l.2.eodem isto tit.* Quid ergo si in integrum restitutio postulari queat, an transactio admittatur quæsitum est, Costalius non putat. *Cost. post Alex.& Jas.in l.eleganter. de Condict. indeb.* Moventur l.4.§.1.inf.de Fid. lib. ubi relatum est, incertum restitutionis in integrum, rem dubiã facere non censeri. Alij contra, *Fulgos.in d.l.11.inf.eod. Angel. in d.l.eleganter.per expressum tex.in l.32.C.eod.* Ceterùm res facilis expeditu est, aut enim mota est jam lis in integrum restitutionis, & transactio valet, *d.l.32.* idque ex sententia Fulgosi: aut nondum ea mota est, & simplicius res pro certa habetur. *d.l.4.§.1.de Fid. lib.* Quod verò relatum est transactionem super re judicata subsistere, si etiamnum quo modo de eventu dubitetur. *hic.& l.11.inf.eod.* quæstionem movit, 4 An is qui victus est cum victore rei judicatæ ignaro, transactionem inire queat; ponamus præsentem in pronunciatione maturato itinere nuncium à procuratore victoris prævenisse, & ita transactionem obtinuisse: & quidem Minsinger de facto in Camera definitum perhibet, transactionem non constare. *Cent.4.Obs.47.* quod magis est. Quamvis enim alteri parti judicatam esse notum non sit, verum tamen est, & in judicio constat, litem esse fi-

Margin notes: 6. *Consuetudo Germ. & Galliæ.* 7. 8. 9.

esse finitam, eoque error transigentis hic non obest. *arg. l. illicitas. §. veritas. de Off. præs.* Nisi tamen res dolo atione tentatur. *l. 7. §. si pacisc. ar. sup. tit. 1. d. l. 32. C. eod.* Licet aliàs regulare sit, ut quá de re dubia pacisci non licet nec transigere sit permissum, *Paul. d. lib. 1. Sent. tit. 1.* Sed ad arbitria quod attinet, observandum generatim est toties compromitti posse, quoties potest transigi, & contra quoties transigi nequit, toties nec compromitti, idque Iure Canonico probatum est. *c. exposita. de arb.* cum compromissa omnia liberá partium voluntate fiant. *Iur Can.*

Ad l. Cum hi. 8.

1. *Transigi de alimentis an sine causæ cognitione queat.*
2. *Diversum in alimentis præteritis est.*
3. *Transactio de alimentis an ad vestiar. & habit. pertineat.*
4. *An valeat transactio de alimentis futuris, si accedat juramentum.*

TRansactio † de alimentis relictis, post orationem Divi Marci fieri nequit, nisi authore prætore, *tex. hic.* Ac ne prætoris quidem decretum transactionem confirmat, nisi accedat cognitio causæ. *§. si prætor. inf. ead. l.* Quid verò ad cognitionem causæ hanc requiratur, totá hac explicatur lege. Planè alimenta relicta, hoc loco accipe relicta ultimá voluntate; cui tamen & donationem mortis causá annumeramus. *hic. in §. 2.* non item constituta contractu. *ibidem.* Ceterùm de alimentis præteritis † transigi etiam sine prætore potest, *l. 8. C. eod.* quemadmodum & sine prætore transigi ita potest, ut códitio alimentariorum fiat melior. *§. eam. inf. hac ead. l.* Quod † de alimentis dictum est, idem & ad vestiarium, & habitationem, itemque alimenta de prædio præstanda pertinet. *hic in §. 1.* itemque ad calciarium. *§. de calciario. 14. inf. hac ead. l.* Non tamen qui de alimentis transigit, simul etiam de vestiario, calciario, aut habitatione transigit. *§. qui transigit. 12. hac ead. l.* Illud † quæsitum est, an valeat transactio de alimentis futuris si juramentum accedat, quod quidem boná ratione Bartolus negat. *Bart. hic & Bal. in l. pactum. q. pen. C. de coll.* movetur nimirum definitione legis. *l. non dubium. C. de LL.* Benigniùs tamen dicimus, ad periculum animæ formidandum, juramentum super his rebus non interponendum, vel si interponatur, servandum. *per c. quamvis. de Pact. in 6. & c. cum contingat. de Jurejur. Covarr. ibidem. par. 2. §. 6. num. 4. ſ mmol. num. 95.*

1. Favor

1. Favor alimentorum ad solos pertinet pauperes. & num. 3.
2. Explicatio l. 1. C. de Fideicommiss.

§. S IN ANNOS.] Homo honestioris † loci de alimentis sibi relictis transigit rectè. Quod non ita est in iis quæ pauperibus relicta sunt. *tex. hic.* Vnde rectè Costalius annotat, favorem alimentorum, ut hic, ita & in reliquis ferè casibus cessare, si relicta sint locupleti. Eâdem ratione † Bartolus autumat, & legem 1. C. de fideicomm, solùm in pauperibus locum habere. *Cost. post Bart. hic.* Sed ego existimo eam & in divitibus procedere. *arg. l. cum de in rem verso. inf. de Vsur.* maximè quia d. l. 1. probationem ultimæ voluntatis præsupponit. Aliàs † tamen Panormitano consenserim, causam alimentorum quæ locupletibus relinquuntur, non censeri piam, *Panorm. in Rub. de Testam.* Vnde & ex iis Falcidiam detrahi posse *argum. hujus tex.* contra quam vulgo in legatis alimentorum receptù est. *Auth. similiter. C. ad L. Falc.*

Ad l. qui cum tutoribus. 9.

1. Transactio non pertinet ad alia quàm de quibus est actum.
2. Conciliatio l. qui Romæ. § fin. De Verb. obl.

1 QVi † transigit cum alio super re aliqua vel jure quod jam habet, non censetur pactus de eo quod postea supervenit. Proinde acturo in id exceptio pacti non nocet. *tex hic. l. 5. sup. eod. l. si servus. 27. §. pacti. vers. ante omnia. sup. de Pact.* Nec mutat † l. Qui Romæ. 122. §. fin. de Verb. obl quia ibi subintelligendum id actum esse, ne contra divisionem factam ex fideicommisso patris postea veniretur. Et tametsi eam solutionem Bartolus divinatoriam censet, vera tamen est, & melior reliquis ab ipso allatis. Neque verò refert quod in specie ejus legis, res tota non narrata est verbotenus, quia responsum id Scævolæ est, more ejusdem authoris, concisum brevitate affectatâ.

§. penult, & §. final.] Relati sunt suprà *in l. 6. eod. num. 7.*

Ad l. de re filiorum. 10.

1. Pater an & quatenus transigere de re filiorum queat. & num 2 & 3.
4. An & quatenus filii assensus requiratur.
5. Consultum patri transigenti quid sit.

6. Quid

6. Quid si pater jam transegerit.
7. De dote filiæ an pater transigere queat.
8. Pater aut filia an & quando seorsim de dote pacisci queāt.

PAter de † re filiorum quos in potestate non habet transigere nequit, *tex. hic.* At † de re ejus qui potestati subest, nihil ait consultus; quid ita? quia is nihil suum habet, præterquam castrense, in quod tamē nec patri liberum jus est. Igitur nec rectè pater transegerit de eo jure veteri. *Accurs. & Cujac. hic.* quanquam transigendo pater ei prodesse possit. *arg. l. ex castrensi. §. servos. De castr. pecul.* Sed an † jure novo pater de Adventitiis transigere queat? affirmat Accursius, quia pater legitimus bonorum filij administrator sit, *l. 1. C. de bon. mater. Azo in summa C. eod. Jas. communem dicit in l. præses. n. 5. C. eod.* Cujacius † tamen adsensum filij requirit, quod concinnè admittitur, si filius ejus ætatis sit, ut quid commodum sibi aut incommodum sit, intelligat, *arg. l. ult. §. ubi autem. 3. C. de bon. quæ lib.* Planè si filius minor sit quàm ut prudentia ejus ad assensum vel dissensum sufficiat, benigniùs dicimus, patrem quidem in commodum filij transigere posse, non tamen in detrimentum, idque exemplo tutorum aut curatorum. *l. tutoris. 15. sup. De pact.* Sed † consultum fuerit hoc casu in immobilibus & rebus majoris momenti ceteris, decretum adhiberi prætoris, quo patri pariter & parti provisum sit in omnem eventum, *l. si pupillorum. 7. §. si pater. 2. De reb. eor. qui sub tut.* Quod si † jam transegerit pater sine filij majorennis consensu, transactio haud infringenda est si filio utilis sit, aliàs enim contrà dicimus, *arg. d. l. ex castrensi. §. servos. De castr. pecul.* ne fructuarius detrimento afficiat proprietatem. *l. ult. §. sin autem ea. 4. vers. hoc procul dubio observando. C. de bon. quæ lib. Cujac. hic. Salic. in d. l. præses. 12. C. eod. Gail. 2. Obs. 72. num. 14.* Denique † nec pater de dote filiæ, etiam profectitia, aliter transigere potest, quàm adhibito ejus consensu, nec filia è converso transigit sine consensu patris. *l. 2. §. 1. & l. 3. inf. sol. matrim.* Planè † si filia, jam sui juris facta transegerit, nocebit ei quidem conventio hæc, non tamen patri. Si verò pater transigat solus, eidem quoque soli exceptio obstabit, non filiæ, *d. l. 2. §. 1. sol. matr. ubi vide quæ nos latè.* Quid ergo si filia furiosa sit, experiri patrem quasi ex filiæ voluntate magis dicimus, quòd aliter ei graviter consuli queat. *d. l. 2. §. fin. ubi Duar. & Gotofr.* ergo & transigere eum velut curatorem posse, verum est.

1
2
3
4
5
6
7
8

l. Post rem judicatam, 11.

Pertinet ad posita *in l. 7. sup. h. t. ubi vide* suprà.

R l. 12.

L. 12.

Pertinet ad posita *in l. 3. §. cum transactio. eod.* suprà.

Ad l nulli procuratorum. 13.

1. *Procurator Cæsaris quomodo transigere queat.*
2. *Quid juris de transactione tutoris & curatoris, magistri universitatis.*
3. *Procurator privati quando transigere possit.*
4. *Procuratoris confessio quatenus noceat principali.*
5. *Emphyteuta an transigere queat.*
6. *De vasallo quid juris.*

1 PRocurator †principis eodem inconsulto transigere nequit. *ut hic.* Cujacius ponit exemplum in vicesima hæreditatis, quod eò referri videatur hujus legis inscriptio. Sed perpetuum est, ut non transigat procurator Cæsaris ita, ut rem transactione cedat. *l. 1. §. 1. sup. de Off. Procur. Cæs.* quoniam regulare est ut alienare non pos-
2 sit. *l. nec procuratores. 30. de Jure fisc.* Denique quid †juris sit de transactione tutoris, curatoris, magistri universitatis, magistratus municipalis, mariti super re uxoris, videndum ex iis est quæ suprà de
3 Pactis, *ad l. item magistri. 14. & l. tutoris. 15.* posuimus. Procurator † verò privati non aliter transigit, quàm si mandatum habeat speciale, vel procurator totorum bonorum, aut procurator in rem suam sit. *l. procurator cui. 55. l. procurator. 58. de Procur. arg. l. 17. §. fin. de Jurejur. l. quâ ratione. 9. §. nihil. 4. de Acq. rer. dom.* Ceterùm quia transactiones quæ à procuratoribus fiunt, & alienationes, ferè pari censentur jure, commodum mihi videtur, ne disputationem eam iterato resumere necessarium sit, universam eam materiam paulò accuratiùs discutere hoc loco. Principio igitur de procuratore totorum bonorum quod dicimus, transigere eum posse, id argumento ejus evincitur quod is aliud pro alio permutare possit. *d. l. procurator cui. 58.* Nam si rem quæ sine dubio mea est, permutare procurator potest, de re litigiosa transigit faciliùs. *arg. l. singularia. de Reb. cred. cum sim.* Contra tamen responsum est alibi, transigere cum de re mandata non posse. *l. mandata. 60. de Procur.* Doctores difficultatem hanc ita tollunt, ut l. 58. accipiatur de mandato ejus cui libera potestas est concessa, eaque voce emphasin quâdam contineri putant. *gl. & alij in d. l. 60.* Legem verò sexagesimam accipiunt de eo cui libera potestas data non est, siquidè hujus vocis nulla *in l. 60.* mentio fit.

dio fit. Sine ea igitur transigendi facultatem procuratori non concedunt. *arg. l. quam Tuberonis. §. 1. vers. alia. inf. de Pecul. DD. hic. & in l. procurator cui.* Donellus tamen & Duarenus ei quoque transigendi potestatem tribuunt, cui simpliciùs totorum bonorum administratio est concessa. *Donell. 4. Comm. c. 15. Duar. in l. 1. §. per procuratorem. 20 de Acq. poss. propter d. l. 9. §. nihil autem. de Acq. rer. dom. d. l. 7. §. fin. de Iurejur.* Vtraque verò sententia vera est, sed diverso respectu: nam si periculum in mora litis vel interitus rei mandatæ sit, etiam is cui simpliciùs totorum bonorum administratio permissa est, transigit rectè. At si causa gravis nulla subsit, neutri transactionem putamus permittendam. *arg. l. Procurator totorum. 63. de Procur.* Et verò re penitus examinatâ, refert quidem vocem *Libera* mandato esse insertam: sed aliis interim verbis ejusdem significationis istud ipsum effici potest, verbi gratiâ, Plena, Absoluta, Tota & similibus, *Panor. in c. petitio. ex. de Procur. Canonistæ in d. c. qui ad agendum. eod. tit.* Sed illud seriò quæsitum scio, An ✝ procuratoris confessio de debito recepto, noceat principali, si non constet pecuniã re ipsâ esse numeratam, quod Bartolus negat, eò quòd procurator nequit donare. *Bar. in l. 2. §. fin. de Reb. cred. communem dicit Iason ibidem.* Movet eos l. 2. §. si mutuam. Si quid in fraud. patroni. Vbi repromissio qualiscunque in fraudem patroni facta improbatur. Sed hoc quemadmodum huc transferatur parum liquet. Imbertus igitur contrarium docuit, movetur eo quòd fisci procurator receptionis confessione fisco nocet. *l. ult. C. de Ap. publ. lib. 10.* Quod & in apocha tutoris ferè ita responsum est. *l. Lucius. 46. §. tutela. de Adm. tut.* Vtriusque autem ejus, tam fisci inquam quàm pupilli causa, favorabilior est, atque causa cujusque privati. *arg. à majori ad minus. per l. singularia. de Reb. cred.* Tutius proinde est Bartoli sententiam cum temperamento accipi, ita nimirum, si utcunque cõstet, vel præsumptio probabilis subsit, procuratorem donationis causâ debitum remisisse: nam quia id jure facere non potest, *d. l. 63 de Procur.* verum manet, confessione fraudulentâ domino per procuratorem non posse præjudicari. Sin verò apocha simpliciùs de satisfactione sit exposita, nec aliunde ex donatione constet, rectiùs dicimus inter dominũ & debitorem solutionem censendam, contra ipsum vero procuratorem domino mandati actionem superesse. *per d. l. 46. §. tutela, de Adm. tut.* Alia ✝ quæstio de Emphyteuta est. De quo ita statuimus, Transigere eum de fundo vectigali sine exceptione posse. Nam quia constat donatione eum alienare posse. *l. 1. C. de fun. Patrim.* quod est gratuitã ex causâ cedere, multò faciliùs ei permittimus transactionem. Nam & permutationem ei conce-

dendam plerisque visum est. *Ripa in l. qui Romæ. §. duo fratres, num. 86. de Verb. Obl. seq. Corras. ad l. cum dubitarem. C. de Iure emph.* Nec mutat quod dicimus rem ex permutatione accipienti, similem esse emptori. *l. fin. D. Ex quib. caus. in poss. eatur.* In proposito enim alia venditionis quã permutationis ratio est, cum vendens affectu quodam ergà rem alteram ductus potiùs, quam animo dominum fraudandi censeatur permutare, quod in venditione non ita est. *per d. l. cum dubitarem. C. de Iure emph.* Et hoc moribus obtinet, nisi permutatio aut transactio dolo fiat in domini fraudem. Is verò ita evincitur, si liqueat, emphyteutam hoc verbis vel signis indubitatis significasse, ut dominum prælationis beneficio privaret, quo casu dominum ex æquitate putant præferendum. *Bal. in l. si domus. §. 1. inf. De leg. 1. communem dicit Ripa in l. 2 prin. num. 38. inf. si cert. pet.* Nec mutat quod sine prævia oblatione domino facta, emphyteuta rem vectigalem vendere nequit, *l. 3. C. de Iure emph.* quodque transactio alienationis species est, *l. 1. § 1. de Off. proc. Cæs.* quia emphyteutæ non indifferenter alienatio interdicta est. *per d. l. 1. C. de fun. patrim.* Parumque ad rem facit quod aliàs venditionis verbo omnis alienatio designatur, *l. statuliberi à ceteris. 29. §. fin. De statu lib.* quia id toties ita est, quoties eadem ratio foret, quod in proposito non ita est, ut jam docui. De Vasallo † receptum est, transigere quidem eum ad retinendum feudum posse, non tamen ad alienandum, quia huic omnis in universum alienatio sine consensu domini est interdicta, etiam urgente eum necessitate. *c. un. qual. ol. feud. pot. al. Bal. Isern. & Aluar. in c. un. de contr. inter vas. & alium de benef. Tiraq. de Retr. tit. 1. §. 1. gl. 14. num. 66.* Contra Fridericus Schenc Baro noster sensit, *per tex. in d. c. un. de controv. inter vas. & al.* sed nos eum textum ita accipimus, si vasallus feudum transactione conservet. DD. *communiter ibidem.*

Ad l. Controversia. 14.

Vide posita *in princ. l. 3.* suprà *eod.* ubi agimus plenè de Transactionib. super ultimis voluntatibus.

Ad l. pacto. 15. & l. 16.

Vide posita *in l. 2.* suprà *eod. & in l. 10. §. si pacto sup. De pact.* ubi egimus latè de stipulatione pœnali pacto adjuncta.

Ad l. ult.

Vide posita suprà *in l. 16. de Pact.* quibus jungi queunt quæ ponimus infrà, *in l. si actor. 29. De procur.*

LIBER

LIBER III.

Ad Ampliss. Ord. liberæ Civit. GRONING.

DE POSTVLANDO

Tit. I.

Ad l. 1.

1. Postulare quid, & num. 2.
3. Postulare prohibitus an domi sua alteri consulere queat, & quatenus. 4.

1. POSTULARE † EST DESIDERIUM SUUM VEL AMICI SUI IN IURE APUD EUM QUI IURISDICTIONI PRÆEST, EXPONERE, VEL ALTERIUS DESIDERIO CONTRADICERE.] *tex. hic* Interdum tamen † & postulare dicimus apud judicem delega- 2.
tum, *§. removet. 6. inf. hac ead. l.* Qui verò ex professo id munus tractant, dicuntur advocati. *ut tot. h. tit.* Illud † quæ- 3.
situm est an postulare prohibitus, etiam prohibeatur consulere domi suæ, quod Bartolus non putat. *Bart. hic. per hunc text. Alex. ib. in not. Prepos. in c. sollicitudinem. de Appell. col. 10. allegans Ang. hic.* Et hoc † quidem regulariter ita est quoties diversa in postulando
& consulendo ratio est, cùm edictum id prohibitorium sit, arcens 4.
plerosque eos qui postulare vetantur, à judicio, causâ publicæ honestatis. Sed id non admittimus quoties utriusque muneris ratio est eadem, verbi gratiâ tutor contra pupillum, advocatus fisci contra fiscum postulare nequit, *l. pen. & ult. inf. eod.* si quis tamen eos admittat instruere consilio suo adversarium posse, graviter erraverit, *vide quæ nos in d. l. pen.* Et malè proinde idem Bartolus autumat, Doctorem qui se obligavit contra alium non postulare, contra eundem domi consulere posse. *Bart. hic.* cùm enim in ea re par utriusque ratio sit, quid absurdiùs accidat, quàm si in fraudem contractus, adeoque juris in prævaricatores constituti, id admittamus. Rectiùs idcirco contrarium dicimus. Quamobrem & consuetudine obtinet, ut advocatus alicui obligatus ne contra eum postulet,

ſi conſilium adverſus eundem ſecretò det, cenſeatur inſtar prævaricatoris. *Diaſ. in prax. Crim. Can. cap. 57. per tot.*

1. Major 17. annis poſtulare & Doctor promoveri poteſt.
2. Legitimam perſonam ſtandi in judicio an habeat.
3. Advocatos pauperibus & aliis advocatos non habentibus Prætor dat. & num 4.
5. Femina an & quatenus poſtulare queat.
6. Reſtitutus fama à Principe quis dicatur.
7. Conciliantur diverſæ leges.
8. De Reſtitutione Papæ quid juris.
9. Epiſcopus an famæ reſtituat.
10. Quid juris de Ordine municip. aut Principe alium agnoſcente ſuperiorem.
11. Procuratores an infames eſſe queant.

a §. Initium.] Minor † annis ſeptendecim poſtulare nequit, major poteſt. *ut hic.* Sed & majorem eâ ætate Doctoris titulo inſigniri poſſe perhibent. *Bart. hic.* quod magis eſt, idque exemplo Nervæ filij qui decimo ſeptimo ætatis anno de jure reſponſitavit. *tex. hic.*
b Probabiliter † etiam indè colligas, eundem legitimam perſonam ſtandi in judicio habere. Hoc verò quatenus ita ſit, pleniùs infrà explicamus, *in l. minor. 51. inf. de Procur.* ubi vide.

c §. Ait Prætor.] Qui † advocatos non habent, eiſdem Prætor illos ex officio dat *tex. hic.* Idque ita receptum quoties occaſio poſtulat, ut altera pars vel ob paupertatem ſuam, vel adverſarij potentiam advocatum nequeat habere. Amplius etiam † moribus Ger-
d maniæ & harum regionum obtinuit, ut Advocati pauperibus inſerviant gratis. *Gail. 1. Obſ. 43. num. 11. Inſtruc. Cur. Holl. art. 25. in fine.* Æquius tamen & tutius foret, ut tantò fidelior opera perſonis miſerabilibus præſtetur, ſingularibus advocatis in defenſionem pauperum, annuum ſalarium ex publico conſtitui. Quod ipſum quoque hodie non paucis in locis eſt receptum. Ceterum ubi id receptum non eſt, officio judicis quivis ex advocatorum numero pauperibus gratis cogitur inſervire: nam ſi quis id detrectet, nec juſtam denegationis habeat cauſam, privatione officij mulctari poteſt. *arg. l. pen. C. eod. l. 1. §. pen. de Off. præf. ur bi. Gail d. lo. per tot.*

Germania & Hollandia.

e §. Secundo loco.] Femina † pro alio poſtulare prohibetur. *hic &*

l. 2. de

l.1.de Reg.jur. Moribus etiam Germaniæ pleræque & Belgicæ, ne postulare quidem pro se potest, adeoque nec sine curatore ad actum voluntariæ, legitimam personam standi in judicio habet. *convenit Lantr.Sax.lib.1.art 46. & lib. 2. art.63.* Procuratrix tamen extrajudicialium esse potest, adeoque nec ipsa vetatur per curatorem aut procuratorem agere. *fa.l.7.§.1. de Inst.act. Dec in d l.2.n.* 14. Vnde quæsitum est, an mulier nupta, quæ moribus nostris maritum curatorem habet, ipsamet ad judicium citari queat, an verò maritus necessariò citandus sit, nomine ejus; & ego de facto intra paucos dies consultus, respondi, ipsam mulierem citari non ineptè. *respondi inquam ita de facto rogatus à judicio Bornensi, arg. hujus tex.* — *Mores Germ & Belgica.*

§. De qua autem, vers. De sententia.] Nota hìc, quòd † infamis per in integrum restitutionem à Summo Principe, Summovè Senatu impetratam, restituitur famæ; per Prætorem verò restitutum non aliter famam recipere, quàm si quem ex officio jurisdictionis suæ infamiâ affectum magistratus restituerit, vel ex ea causa restituerit quæ ad jurisdictionem restituendi ipsius pertinet. *tex. hic. conv.l.1. C.de Sent. pass.* Nec mutat † l.ult. C. de generali abol. & l.generali.7. C. de Sent.pass. quia eæ procedunt, quando Princeps modò generatim aboleverit pœnam, non item si quem singulatim existimationi, vel ex singulari gratia unà cum pœnæ abolitione, famæ restituat. Quod autem † hic de Principe dicitur, eum famæ restituere, idem Iure Canonico & moribus hujus seculi, ad Papam relatum est, *c. cum te. ex. de Re Jud.* Addunt alij collegium cardinalium, quia id hodie sit instar Senatus, *Bart. hic. Innocent. in d.c.cum te.* Sed hoc non aliter obtinet, quàm si sede vacante aliquod schisma metuatur, quod per restitutionem ejusmodi præpediatur. *Abb.in d.c.cum te.* & hoc ita moribus servatur. *Capic.decis. Neap. 114. num. 9. fac. quæ habet Boër. in trac. de Auth. Magni Cons. num.184.* Et † rectè proinde Baldus perhibet, clericum falsi damnatum, ab Episcopo restitui non posse. *Bal. lib. 3. cons. 300.* Planè quod de Papa diximus, restituere eum famæ posse, id appositè Bartolus retulit ad quemvis Populum vel Principem qui superiorem non agnoscit. De † Ordine verò municipali, itemque principibus aliorum beneficiariis, ita statuimus: ut, quibus casibus ex Statuto aut consuetudine infamia irrogatur, iisdem hi quoque famæ restituere queant, *arg. hujus tex. Bart. hic. Communem dicit Soar. in Com. Op. lit. I. num. 50. Tursan. opin. 18.*

Margin: 6 — 7 — 8. *Ius Can.* — 9 — 10

§. Rem:

11. §. Removet.] Infames † postulare nequeunt tanquam advocati. *tex.hic.* Procuratores tamen esse queunt. *§. fin. Inst. de Excep.* Sed hoc de procuratoribus in multis benè constitutis curiis non ita est. Præsertim verò id cessat in Camera Imperij ubi iidem procuratores sunt qui advocati. *Ord. Cam. par. 1. tit. 18. Gail. 1. Obs. 43. num. 7. & 8.* Quod & in Parlamento supremo Frisiæ obtinet.

Consuetudo Cameræ & supremæ Aulæ Frisiorũ.

Ad l. Imperator. 8.

1. *Ad tempus postulare prohibitus an finito tempore denuo postulare queat, & quatenus. num. 2.*
3. *Iuris & Rescriptorum in hac re differentia.*
4. *Rescriptorum varietas in hac re: & quomodo terminata.*

1. AD tempus † officio advocationis submotus, tempore pœnæ finito, denuo postulare non prohibetur. *tex. hic.* Sed & Antoninus singulari edicto statuit, ut ex quacunque causa ad tempus relegato, vel ordine moto, tempore finito, quoque infamia pereat. *l. 3. inf. de Decu.* Iuris † quidem est ad tempus ordine motum ex causa
2. non famosa, finito eodem, denuo in ordinem admitti: at si ex causa famosa quis relegetur aut ordine moveatur, & pœnam justam ex lege, vel mitiorem etiam judex infligat, finito tempore, nihilominus infamiam manere. *d. l. 3. in princ. & l. pen. De decur. ubi allegatur rescriptum Severi & Antonini, quod exstat in l. ad tempus. 6. C.*
3. *eod. l. 4. §. 4. de Re mil.* Ceterùm † tempore eo finito, postulare nihilominus (contra quam Accursius sensit) potest; quia in edicto præsenti non distinguitur, quo crimine silentium vel exilium ordine advocatorum moto, sit irrogatum. Et id quidem ita ex Constitutionibus est, cùm tamen aliàs juris sit, infames quacunque ex causa postulare non potuisse. *l. 1. §. ait. 8. h. t.* Quod si major pœna quàm legitima sit inflicta, post præfinitum tempus infamia perimitur, quasi negotio per majorem pœnam transacto. *l. ordine. 15. in princ. inf. Ad Municip. l. 5. de Decur. d. l. 4. §. ad tempus. de re mil.* modò pœna non sit pecuniaria. *l. 13. §. pœna gravior. inf. tit. 1.* Diver-
4. simodè † tamen hac de re Principes rescripsêre. *uti videre est ex d. l. 3. & d. l. 6. C. eod.* eò quòd nonnulli ad Constitutiones, nonnulli ad jus ipsum respexerunt: sed demum benignior sententia obtinuit, nimirum ex edicto Antonini Caracallæ, finito tempore damnationis ob quodcunque delictum irrogatæ, finiri & infamiam ipsam. *l. 1. C. de iis qui in exil. dati vel ord. moti sunt.*

Ad l. pe-

Ad l. penult. & ult.

1. *Magister vel præpositus corporis aut civitatis postulare contra eam nequit.*
2. *Quatenus id ita sit.*
3. *Clericus postulans contra ecclesiam à qua beneficium habet, idem perdit.*
4. *An clericus consilium dare contra ecclesiam suam possit.*
5. *Quid si quis à diversis ecclesiis diversa beneficia habeat, an pro una contra alteram postulare queat.*
6. *Quid juris sit vasallo contra dominum postulante.*
7. *Quid juris donatorio postulante contra donatorem.*

QVi † alicui collegio aut functioni præest, contra eandem postulare non potest. Quâ ratione decurio contra municipium, advocatus fisci contra fiscum, præpositus contra capitulum patrocinium præbere vetatur. *l. 2. C. de Adv. div. jud. l. 1. & 2. C. de Adv. fis.* Sed † hoc cum moderamine acceptum est, ut vel suam, vel suorum, vel pupillorum etiam, quibus tutores vel curatores dati sunt, causam, contra civitatem aut collegium agant liberè. *per has te xt.* Planè † quod dicimus præpositum contra capitulum postulare non posse: id etiam ad abbates & reliquos communitatum ecclesiasticarum, quinimo & simplicem clericum qui ab ecclesia beneficium habet, referendum est, adeo quidem ut si contrà faciat, beneficium suum ob hoc perdat, *c. ul. ubi gl. ex. eod.* Illud † quæsitum est, an non adversus ecclesiam secreto consulere queat, quod quidem ex Bartoli doctrina dicendum videbatur, eò quod diversa sint postulare in jure, & consilium præbere. *l. 1. §. postulare. sup. eod. ubi vide quæ nos latiusculè.* Contrarium tamen in proposito statuendum est, cùm quia utriusque ejus rei ratio hîc eadem sit, tum quia fraus juri Canonico fiat, si aliter statuamus: nam & is advocatus est qui per procuratorem postulat, vel postulanti ius suppeditat, *vide Subtil. nostras lib. 1. c. 15.* Quia proinde consiliis suis clericus ecclesiæ nocere potest, quæ in proposito prohibitionis causa est, dicendum est eum & à consulendo contra ecclesiam arceri *Ioann. Bernard. Disq. in Pr. Criminali Can. c. 57. per tot.* quo moribus obtinet. Quid † ergo, si quis diversa beneficia in pluribus ecclesiis habeat, an unius nomine impunè adversus alteram, postulare queat, quæsitum est: & quidem id non videtur, cùm ratio ea indefinita sit, ne ingratus sit clericus contra ecclesiam cujus fruitur liberalitate. *per d. c. ult.*

Marginal notes: 1. 2. 3. *Ius Can.* 4. 5. *Iure Can. quid statuendum in clerico qui à diversis ecclesiis beneficia habet.*

ult. Glossa tamen Canonica, si diversi gradus beneficia sint, adeò ut in una ecclesia sit prælatus major, postulationem unius contra alteram non existimat impeditam. *gl in d.c. ult. arg. l. 16. De in jus voc. & arg. 5. q. 7. §. si contra.* quod cum eo moderamine admittendum est, ut si alterius ecclesiæ antistes vel patronus ordinarius sit, contra alteram postulare queat. *per hos textus. & arg. d. l. 16. not. gl. 1. q. 7. c. si qui presbiteri. verb. contra. Innocen. ib.* Aliàs enim verum manet indistinctè, Clerico non esse liberum postulare adversus eccle-
6. siam à qua beneficium habet. *d. c. ult.* Denique 4 & vasallus contra dominum pro aliis sponte postulans, feudo privatur. *c. 1. §. item si delator. ubi gl. Bal. Laud. num. 7. quæ fu. prima caus.* Hoc ita nisi id dominus permittat, vel jubeat magistratus. An 4 verò argumen-
7. to ejus, quoque postulanti contra donatorem liceat avocare rem donatã, tanquam ob ingratitudinis causam, quæritur, & hoc quidem Panormitano visum est. *Abb. ad c. ult. ex. eod. Gail. 1. Obs. 88. num. 7.* Sed id quoque temperatum ita est, ne aliter procedat, quam si donatori ex postulatione ea periculum immineat gravioris damni. *arg. l. ult. C. de Revoc. don. & d. c. 1. §. item si delator. Quæ fu. prima caus. benef. amitt.*

Consuetudo Feudalis.

DE HIS QVI NOTANTVR INFAMIA.

TIT. II.

Ad l. 1.

1. *Infamia quid & quotuplex. & num. 2.*
3. *Infamia juris quid sit.*
4. *Infamis est miles ignominiæ causâ ab exercitu missus.*
5. *Quatenus.*
6. *Calumniator, prævaricator an & quatenus infamis.*
7. *Variæ calumniatorum pœnæ.*
8. *Calumniæ causâ ventris nomine in possessionem mittens, & qui eam in potestate habens patitur mitti, notatur.*
9. *Stellionatus damnatus an & quando infamis sit.*
10. *Nomine furti, aut ex similibus delictis damnatus, est infamis.*

11. An lata

11. An lata culpa hac in re comparetur dolo malo. & n. 12.
13. Damnati civilibus actionibus an & quando notentur.
14. Ipso facto qui sint infames. & num. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.

RECensentur hac lege plures qui infamiâ notantur. Nos verò ut † eam rem tractemus paulò exactiùs, prius quid sit & quotuplex infamia conscribemus. Est igitur infamia justa existimationis læsio, *Paulo aliter Accurs. & Bal. in l. 1. C. eod. Cujac. in Parat. ibidem.* Estque infamia alia juris alia facti. *gl. & DD. hic.* Quibus Canonistæ addunt † infamiam Canonicã, ortam nimirum ex commissione graviori cujusque peccati mortalis. *c. infames. 6. q. 1. ubi Panorm.* Sed ea si qua est, non inconcinnè, ad infamiam facti potest referri. Iuris † infamia est, quam juris authoritas ob turpem causam irrogat. Et hæc fit vel solo delicto, vel sententiâ delictum subsequente. Recensentur autem hac lege plures qui utrovis modo infames fiunt. Principio igitur † quasi per sententiam infamis fit miles ignominiæ causâ ab exercitu missus, etiamsi is dux sit. *l. 2. in princ. h. t.* Nemo tamen propter missionem infamis est, nisi vel ignominiosa causa addatur, vel hoc ipsum addatur, ignominiæ causâ missionem factam, vel denique cui ignominiosè militaria insignia detrahantur. *d. l. 2. §. 2. h. t. l. miles. 13. §. missionum. De re mil.* Aliud † proinde est, si insignia alicui detrahantur, vel mittatur quis simpliciùs, quia puta vel ineptus ad militiam sit, vel aliâ impellente causâ mittatur. *d. §. missionum & l. 4. §. non omnis. De re mil.* Præterea † infamis est, qui in publico judicio quippiam calumniæ prævaricationisvé causâ fecisse judicatus erit. *ut hic & l. 4. §. 4. inf. eod.* Sed in judicio privato calumniæ damnatus non est infamis. *l. 5. C. de calumn.* verùm is coercetur extra ordinem, *l. 3. Ad SC. Turpil. l. 2. de Prævaricat.* licet hodie quoque ex Const. Caroli V, infamis fit. *Georg. Rem. in Paraph. Car. Carol. c. 115.* Olim tamen calumniator hoc casu reo decimam litis partem refundere solebat. Ceterùm † hoc absoletum. *§. 1. vers. hac autem. Inst. de pœn. tem. litig.* Iustinianus reduxit ita, ut decimam litis pro expensis refunderet calumniator. *Nov. 112. c. 1.* Sed actio ex ea Novella usu hujus seculi non frequentatur ut Angelus annotat. *Angel. in d. Nov. 112. c. 1.* Quanquam alibi relatum scio, id nonnullis in locis Galliæ etiamnum moris esse. *Gotof. ex Rebruff. ad l. 2. §. 2. de Pollic.* Si tamen quæ mulier calumniæ causâ ventris nomine in possessionem sit missa notatur; ut & is qui, eam in potestate habens, calumniæ cau-

Marginalia: 1. (beside "ut † eam rem"); 2. (beside "Estque infamia"); *Ius Can. an hic re ipsa diversum.*; 3. (beside "Iuris † infamia"); 4. (beside "Principio igitur"); 5. (beside "Aliud † proinde"); 6. (beside "Præterea †"); 7. (beside "Ceterùm †"); *Consuetudo hujus seculi.*; 8. (beside "Si tamen")

sâ patitur mitti. *l. notatur.* 15.16.*l.* 17.18.*inf.eod.* modò condemnatio eo nomine sit facta. *l.non alia.*19.*eod.tit.* An † verò stellionatus damnatus infamis sit, videamus, & quidem id regulariter ita est, si actio ea sit instituta ob causam famosam. *l. quid ergo.* 15.§.*fin. inf. eod.* Nec obstat igitur ei l,2.inf. De crim. Stell. quia subintelligendum est, stellionatus crimen ibi non processisse ex causa famosa. *arg.l.infamem.*7.*de Publ.jud.vide Cujac lib.*10 *Obs.*26.*Rob.*4.*Sent.*

10\. 14.*Duar.*1. *Disp.c.*42. Præterea nomine suo condemnatus † furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo malo, fit infamis. *l.* 4.

11\. *in fine hic. l non poterit.*63.*de Furt.* Sed an † hac in re lata culpa dolo malo sit comparanda, quæsitum est, & videtur quidem utriusque ejus ratio fere æqualis esse, *arg.l.liberorum.*11.§.*ignorantia. inf.h.t. l.magna.*226.*de Verb Sign. l.pen.de Inc.ruin.naufr.l.*1.§.2.*inf. Si is qui test.lib.esse juss.sit.l.quod Nerva.*32.*Depos* & in proposita igitur quæstione Balduinus & Hotomannus ita senserunt. *in §. suspectus. Inst.de Susp.tut.Corref.lib.*4. *Miscell. c.* 2. Communiter tamen contrarium receptum est, nimirum ob latam culpam damnatum infamem non esse ex causa ea quâ ob dolum infamis esset. *Alc.in d.l.magna de Verb.sign. Wesenb. Schneid. Minf. in d.§.suspectus.* Moventur eo quod dicimus, Odia restringi favores ampliari oportere. *c.odia.de Reg.Jur.in* 6 *Minf in d.§.suspectus.* & hoc in pra-

12\. xi servamus. quia benignius est. Denique † in casibus jure expressis, ut in femina quæ nubit intra annum luctus, contrarium obtinet, eo quod ibi ob culpam etiam latam infamia irrogatur. *d. l.* 11. §.*ignorantia. h. t.* quanquam id hodie mutatum est, ut ibi dicemus.

13\. Porro & damnati actione pro socio, tutelæ, mandati, depositi ob dolum malum fiunt infames. *tex. hic.* quod tamen de directis non etiam côtrariis judiciis intelligendum est, *l.furti.*6.§ *fin.inf.eod.* nisi in ipsis contrariis judiciis de fide rupta sit actum, & condemnatio

14\. secuta. *d.l.*6. *mandati.h.t.* Ipso facto, † seu jure sine sententiæ necessitate infamis est, quæstus causâ in scenam prodiens. *tex. hic.in vers. qui artis. l.*2.§. *fin. inf.* Ejus generis sunt hodie circulatores lucri gratiâ publica actionum prodigia ostentantes *gl. in d.§. fin.* Hoc tamen ad athletas non pertinet, *l.*4. *inf. eod.* sicuti nec ad hujus seculi gladiatores, quanquam eos saltem infamia facti, si quæstum ex ea re faciant, notari probabile est. *arg. l.* 2. *in princ. de Lib. & post.har. l.*2. *C. Theod. de Gladiat.* De † thymelicis etiam, id est

Ex consuetudine circulatores infames.

15\. citaristis, citarœdis, lyristis, tibicinibus judicandum est, eos infames non esse. *l.*4.*inf.eod.* An verò minores notentur qui quæstus causâ ludicram exercuere quæri potest, sed hoc non videtur. *per l. pen. C.*

pen. C. eod. ubi gl. & hoc moribus obtinet, præsertim in quæstuariis exercitiis scholasticorum. Infamibus † verò, qui tales ipso facto 16.
fiunt, addendi sunt lenones eorumque administri, sive lenocinium principaliter exerceant, sive accessoriè. *l. 1. l. 4. §. 1 2. h. t. Nov. 14.* Quod & ad libertinum relatum est qui in servitute lenocinium exercuit, ita ut manumissus etiam maneat infamis. *d. l. 4 §. 2. hic.* non item ad feminam cujus corpore quæstus in servitute paratus est. *l. pen. inf. eod. ubi dixi latius.* Verumtamen † manet à con- 17.
trario sensu, meretricem quoque quæ libera voluntate quæstum paravit, infamem esse. Et hoc moribus obtinet. Perinde † & tutor 18.
vel curator, qui in matrimonium ducit, vel sibi filiové collocat, quæ sub tutela ejus fuit vel cura, famæ damno punitur. *l. 7. & tot. tit. C. de Interdic. matrim. inter tut. & pup. l. tutor. & l. 66. de Ritu Nup.* Quod tamen Iure Canonico mutatum perhibent. *vide quæ ponimus* Ius Can. diversum.
infrà in d. l. tutor. His † accedunt improbum fœnus exercentes, & 19.
exigentes usuras usurarum, *l. improbum. C. eod.* itemque † majores 20.
qui recedunt à jurata transactione quam libera voluntate inierũt, *l. si quis major. C. de Transac.* quo tamen casu sententiam exigunt, DD. *ibidem.* quod magis est. Adde † expilatores hæreditatum dam- 21.
natos, *l. si te. 12. C. eod.* Porro de muliere nubente intra annum luctus, vide quæ ponimus infrà *in l. 9. h. t.* De † Pactis super furto 22.
vel delictis reliquis in quibus est admissus dolus, vide textum infrà, *in l. 4. 5. 6. & l. in actionibus. 7. eod.* Sed & alios qui ipso facto infamia notantur, vide apud Wesenbecium *in Paratit. hoc tit. numero 5.*

Ad l. 4.

1. *Athletæ, Thymelici, Xystici an infames.*
2. *Qui dicantur.*
3. *Leno qui in servitute fuit, manumissus manet infamis.*
4. *In meretrice quare diversum sit.*

ATHLETAS non esse infames suprà relatũ est, idemque de designatoribus, thymelicis & xysticis judicandum est. *per hunc tex.* Brabentæ verò hic dicuntur designatores, qui gymnicis agonibus præ-

rant, & præmia distribuebant. Thymolicos verò Budæus hoc loco perhibet fuisse citaristhas, lyristas, tibicines. Xystici verò & ipsi athletæ sunt. Græcâ nimirum appellatione, ita dicti ab ampla porticus, ubi exercebantur, latitudine.

§. Pomponius.] Leno etiam qui in servitute fuit, acceptâ libertate manet infamis.*tex. hic*. Quod in meretrice manumissâ non ita est. *l. pen, inf. eod.* Ratio autem differentiæ est, quia leno graviùs peccare censetur quàm meretrix, cùm ille non modò solus peccet, sed aliis etiam peccandi præbeat causam, *Nov. 8. c. 8.*

§. 4.] Relatus est suprà *ad l. 1.*

Ad §. fin. Legis 4[ta.] & Ad l. 5.

1. *Pactum quatenus ex causis famosis injuriam irroget.*
2. *Concilium judicibus conveniens, quo partes infamiam evitent.*
3. *Si æstimatio solvatur quid juris. & num. 4. 5. 6. 7. 9. 10. 11.*
8. *An post causæ conclusionem æstimatio ad evitandam infam. solvi queat.*
12. *Solvere & confiteri diversa.*
13. *An sententia post juram. præstitum lata sit definitiva.*
14. *Reus propter æstimationis solutionem absolutus, nihilominus in expensas condemnandus.*

1. Dicitur † hîc tam pactum quàm suo nomine damnatum furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo malo, fieri infamem. Pactum verò accipe pecuniâ pactum, siquidem remissio gratuita non infamat. *l. furti 6. §. pactusve. inf. h. t.* Sed ante litem contestatam de iisdem etiam datâ pecuniâ transigi potest. Et ejus generis actiones transactione seu pacto tolluntur ipso jure. *l. si tibi, 17. §. 1. sup. De pact. l. post decisionem. C. de furt.* Post litem verò contestatam transigere de iis rebus non aliter licet, quàm prævio judicis jussu. *l. 6. §. qui jussu. infrà eod. ubi not. DD. l. interdum 56. §. 1. De*
2. *Furt.* Proinde † magistratibus observandum est, ut jussu suo, partem ob leviorem fortasse dolum famoso judicio conventum, præservent à damno existimationis. Idem denique est, si quis non sententiâ damnatus, sed rem furtivam simpliciùs restituere sit jussus. *l. 56. §. 1. de Furt.* Sed neque ex transactione redundat infamia, si ea modò fiat ad redimendam (ut aiunt) vexam, quod moribus obtinet, &

Consuetudo formidandæ infamiæ causa admissa.

obtinet, & transactionis instrumento inseri solet. *vide Wes. num. 5. h. t.* Quid ergo † si res ultro reddatur, vel æstimatio injuriæ solvatur, & quidem quia non propriè transactum est, sequitur infamiam cessare. *arg. d. l. 56. §. 1.* At obstat quod reus confessus saltem eâ ratione delictum videatur, confessi autem pro judicatis sint. *l. post rem de Sent. & Re jud. l. 1. De Confess.* sed hoc quidem ad effectum exsecutionis pertinet, quod ei fassi perinde ut damnati subjaceant, verum in odiosis, uti est causa infamiæ, contrarium dicimus, & solutio ad conservandam existimationem permissa *l. si reus. 73. inf. de Procur.* solutione enim factâ, reus absolvendus est. *§. fin. Inst. de Perp. & tem. act.* & verò si absolvendus, reliquum est, eum instar condemnati non censendum. Sed † ponamus actorem detrectare pecuniæ receptionem, & hîc eo casu consultum est eam deponere apud acta. *d. l. si reus. 73. de Procur.* Et † hoc quidem inter omnes constat, si lis needum sit contestata. *gl. & DD. ibidem.* At lite contestata an idem fieri queat? Bartolus quidem pro cautela tradit ut solutio ante litem contestatam fiat, *Bart. in l. ictus. 22. num. 5. inf. eod.* cùm quia relatum sit, eam rem post litis contestationem pertinere ad officium judicis. *d. l. 73. in fin.* tum quia reus post litem contestatam quodammodo fateri videretur, eoque sit pro condemnato. *l. post rem. de Sent. & Re jud.* Quamobrem idem Bartolus alibi tradit, etiam ad sententiam usque solutionem fieri posse. *Bart. in l. si reus. 73. num. 4.* Nam si actor eam & post litem contestatam recipere detrectet, ad judicem pertinet, injungere ei ut pecuniam recipiat, vel decernere ut eadem apud acta deponatur & consignetur. *tex. in d. l. 73. in fine. Gl. ibidem. in verb. omne.* & hoc benignius est, & in praxi sequimur. *per l. benignius. de LL.* Neque enim quispiam ex sententia infamis est quæ needum effectum rei judicatæ sortita est, aut cujus effectus appellatione etiamnum est suspensus. *l. 6. §. 1. inf. h. t. Wesenb. num. 5. h. t. Gail. 2. Obs. 103.* Et hoc Wesenbecius sine discrimine infamiæ cujuscunque, moribus nostris servari testatur *in par. hoc tit. num. 9. vers. Quia amplius.* Consulunt † tamen ad omne periculum infamiæ vitandum, tutius esse ut solutio pœnæ vel æstimationis per tertium fiat. *Angel. in l. non solum. de Furt. Schneid. ad §. in summa. Inst. de Injur.* Denique † quod de solutione dicimus æstimationis, id ita accipimus, sive ea statuto definita sit, ut in terris Saxoniæ, sive juramento judiciali aut voluntario facta. Nec † ad rem igitur facit, an in causa sit conclusum, quia sola sententia demum infamiam irrogat. *d. l. 6. §. 1. inf. eod. junc. d. l. 73. de Procur.* Hoc tamen postremum videtur disputari posse, ex eo quod alibi refertur, perinde esse, condemnatum aliquem per

Margin: 3. 4. 5. 6. 7. *Consuetudo Saxoniæ.* 8.

quem per sententiam, vel ex processu apparere condemnandum. *l. qui pœna.§. Divus. de Minorum.ff* item que paria esse in causa conclusum, vel sententiam esse latam. *c. pastoralis. de Caus. poss. & propr. & in l. si rem.§. fin. de Evict* Sed hoc utrumq; ita demum est, quando sententiæ & conclusionis par ratio est, quod in proposito dici non potest; cùm ad infamiam declinandam ad sententiam usque pœna vel æstimatio solvi queat, *d.l. 73 h.t.* post sententiam verò latam non item, nisi eadem appellatione sit suspensa. *d.l.6.§.1. inf. hic.* Deni-
9. que † quod diximus, æstimationem injuriæ juramento quoque judiciali aut voluntario factam, ad evitandam infamiam solvi posse, rationem habet, eò quod ex voluntario juramento solutio æstimationis volenti offeratur, & idcirco rectiùs per hunc quàm ex quavis
10. æstimationis solutione, infamia evitetur. Firmiùs tamen hoc † in æstimatione procedit, ortâ ex juramento quod detulit judex: *arg. l. 1. inf. §. qui jussu.* Nec mutat quod alibi refertur, sententiam definitivam quâ judex juramentum defert, nullam esse, nisi judex unà addat, quid præstito juramento fieri debeat. *l. cum judex. C. de Sent. om. jud.* Unde dicendum videtur, juram. ejusmodi non deferri, nisi unà, pars condemnetur: id enim ita quidem est in sententia definitiva, latâ in causis quarum fides ob defectum probationum non manifesta est: sed in iis quibus quis æstimat id quod sua interest, contrarium obtinet, cùm vel ejus taxatio judici præservetur, ut accidit si in litem juretur, *l. 4. §. pen. & ult De in lit. jur.* vel si simpliciùs æstimatio alterutri parti facienda deferatur. *ut accidit in specie l. si quando. 9. C. unde vi.* Quibus casibus semper sententia requiritur, non quidem illa solennior, sed quâ solummodo declaretur ex juramento quid oporteat partes sequi. *tex. in d.l. 9. & in d.l. iusiuran-
11. dum & ad pecunias. §. fin. de Jureiur ubi vide nostra.* Planè quod de † æstimatione juramento voluntario factâ dictum est, perinde & disputari potest, quia idem cadat in transactionem, eoque instar rei judicatæ quæstionem deinceps non patiatur *l. 2. de Iureiur* Res tamen hæc quoque facilis expeditu est: nam quod dicimus condemnatum ex causis jure definitis infamem fieri: condemnatum strictè accipimus, *arg. l. benigniùs. de Legib.* cùm odia ac pœnas nusquam deceat extendi. *c. odia. de Reg. Iur. in 6.* Quin imo & sententia post juramenti præstationem etiam qualiscunque requiritur. *vide tex. & quæ nos in eo. ad d.l. iusiurandum & ad pecunias, de Iureiur.* Quemadmodum nec illud ad rem facit, quod dicimus transactione infamiam non evitari, *d. l. 6. §. pactus ve. inf. eod.* tametsi enim juramentum hoc contineat transactionis speciem, non tamen ipsum idcirco transactio est, Quinimo similitudinem tantum juramenti ejus

cum-

eum transactione arguit, & consequenter re ipsâ penitus ab eadem est separatum. Perinde † quod moveri potest, solventem pro con- 12.
fesso censendum, parum in proposito considerandum venit: longè siquidem diversa sunt solvere & confiteri, cùm solutio ejusmodi periculi formidandi fiat causâ, & idcirco eum ab infamia præservet. *d.l. si reus.inf. tit.1.* cùm interim confessus se præsenti damno famæ protinus exponat. *ut hic in l.5. Bart. in l. ictus.inf. eod. num.4.* Illud 13.
quæsitum est, An sententia quæ solutionem æstimationis subsequitur, definitiva sit, & hac quidem in re Doctores verbotenus dissensisse videntur, cùm interim dissensio vera nulla subsit. Definitivam fore nonnulli perhibent. *Fab. in §. fin. Inst. de Perp. & temp. excep. Fulgos. in d.l. jusjurandum & ad pecunias. §. ait prætor. num 3. de Jurejur.* quia constet postulationi actoris satisfactum esse. Accursius è diverso simpliciùs perhibet, Reum hoc casu ab observatione judicij esse absolvendum, eò quod solutione ejus quod debetur, obligatio sit sublata, *tex. & gl. in d. §. fin. Inst. de Perp. & temp. act. Bart. in d.l. jusjurandum & ad pecunias. §. cum res. num.1. Castr. ibidem. num.5. Jas. num.2.* Fatentur tamen eam vim definitivæ habere, idque argumento textus *in d. §. fin.* quo generatim relatum est, omnia judicia absolutoria esse. Constat tamen, absolutoria etiam dici speciatim, quæ reum simpliciùs ab instantia absolvunt, *gl. & Bal. in l. harum. in verb. absolvetur. inf. Si serv. vind. Castr. ibidem. num.* 2. & in proposito etiam quodam respectu id ita est, eò quod causa principalis jam sit extincta solutione. *Bart. d. lo. num.* 1. nec amplius proinde de ea sententia potest ferri. Planè † quin reus nihilominus in 14.
expensas condemnandus sit, non dubitatur, est enim ea exigua ad evitandam infamiam, pro tanto periculo mulcta. *Schneid. in §. in summa. num. 12. Inst. de Injur. Gail. d. lib. 2, Obs. 103. num. 7. qui allegat ad hoc Innocent. in c. finem litibus. num. 2. de Dolo & contum.*

Ad l. Furti. 6.

§. 1.] Relatus est ad l. præcedentem. num. 5.

1. Damnatus alieno nomine an & quando fiat infamis, quando non item & num. 2. 3. 4.
5. Explicati diversi §§. hujus legis remissivè.
6. Contrario judicio damnatus, an & quando infamis.

§. Si quis alieno. 2.] Damnatus † alieno nomine non fit infa- 1.
mis, unde procurator loco domini condemnatus infamiâ non afficitur,

T

nitur. *tex.hic.* Consilium proinde datur famosâ actione conventis, (modò ea talis sit quæ per procuratorem queat expediri) ut substituant procuratorem, quo casu nec procurator, nec dominus fiat infamis. *Hermonop.lib.1.tit.2.de Abiur.Gl.& DD.hic.* gravari tamen per hoc principales ferè creduntur infamiâ facti, *l. 2. de Obs. lib.* Vnde moribus observatur, ut malè sibi conscii, judicio famoso conventi, ad lites quas infamia sequi solet, alios constituant, atque eâ cautelâ infamiam evitent. Denique nec 4 hæres defuncti nomine condemnatus, infamiam incurrit. *ut hic.* Quod † accipe quando lis antè cum defuncto fuit contestata, *juxta §. non autem. Inst. de Perp.& temp.act.* aliàs enim actiones pœnales non transeunt in hæredem. *§.non autem.Inst eod.* Idemque † de curatore, fidejussore, tutore qui ob alterius dolum condemnantur, juris est, *tex.& gl.hic.in verb.procurator.*

Consuetudo ad infam. evitandam quam doceat cautelam.

2. 3. 4. 5.

§.Pactus vc.] Relatus est ad l.præcedentem num. *1.*

§. Qui jussu.] Relatus est ad l.præcedentem num.1.

§. Mandati.] Relatus est suprà ad l. 1. & 2. num. 13. & inf.in hac ead.l. §. fin.

§. Illud.] Quod hîc dicitur, hæredem suo nomine tutelæ damnari non posse, cum moderamine accipiendum est, nisi ipse hæres negotia tutelaria à defuncto incepta, eodem nomine continuarit. *l.4.princ.inf.de Fideiuss & nomin.*

§.finalis, Relatus est suprà *ad l.1.2.& 3.* Contrario † judicio tutelæ, mandati, depositi damnatus non est infamis, quia is regulariter de dolo non convenitur. *tex.hic.* Contra tamen est, si dolus condemnati contrario judicio fuerit probatus. *§. mandati. sup. in hac ead.l.*

Ad l. In actionibus. 7.

De actionibus ex contractu natis, licet famosa ex iis condemnatio sit, pacisci tamen de iis, vel transigere sine periculo infamiæ permissum est, quia non tam turpis ex his caussis pactio est, quàm ex delictis. *tex.hic.* Proinde hæc lex exceptionem statuit à lege 4. §. fin. suprà eod.

Ad l. genero. 8. l. 9. 10. 11. 12.

1. Nubens intra tempus luctus, an & quando sit infamis.
2. Facti ignorantia an & quatenus hic excuset.
3. Ratio huius edicti.

4. Tempus

4. Tempus luctus quod.
5. Ius Canonicum diversum quatenus accipiendum sit.

MVlier † intra tēpus luctus nubens, quivè eam ducit, infamis est. 1
l. directò. 15. C. eod. nisi à Principe ut nubere ei liceat, sit impetratum. *ut hic in l. 10.* aut ipsa sit in alterius potestate; tum enim notatur qui eam in potestate habens, alteri matrimonio locat, *l. liberorum. 11. §. excusatur. h. t.* Sed ad infamiam subeundam requirimus, scivisse mulierem aut sponsum, decessisse maritum priorem intra tempus luctus, ignorantia enim facti ducentem vel nubentem excusat, licet non excusaret ignorantia juris, *d. l. 11. §. notatur etiam. hic.* Ceterùm † facti ignorantia usque eò excusat nubentem aut du- 2
centem, ut etiam bigami qui ex nuncio aut compluribus concurrentibus indiciis certè sibi persuasum habuerunt (cùm & unà vulgò ita existimatum esset) alterum conjugem decessisse, ab infamia excusentur, adeo etiam ut ex altero matrimonio nati, si uterque parens in eadem justaque hæserit ignorātiā facti hac, legitimi pronunciandi sint. Quod memoratur aliquoties in Hollandia factum, cùm ex naufragio uxori nunciatum esset maritum decessisse, & ea post legitimum tempus alteri nupsisset, marito enim superveniente, dissolutio ejus facta est, & uxor priori matrimonio restituta, liberique intermedij matrimonij, æquitatis causâ legitimi pronunciati. Ratio † autem edicti in materia harum legum est, ut evite- 3
tur confusio sanguinis. Vnde est quod ne quidem eo defuncto, quem more maiorum lugeri non oportet, superstite intra finitum tempus, nuptiæ permittuntur. *d. l. 11. §. 1.* ut econtra, si vidua intra idem tempus enixa sit, edito partu, nubere ipsi licet *tex. ibidem in vers. unde.* Tempus autem luctus † hodie annale est, olim verò de- 4
cem mensium erat *l. 2. C. de Sec. Nup.* Sed hoc Iure Canonico mu- *Iuris C. diversitas.*
tatum est. *c. pen. & fin. ex. de Sec. nupt.* quod hac in parte ex moribus sequimur, adeò ut persona superstes libera sit, quàm primùm conjuge defuncto. Sed an mutatione hac Canonica simpliciter omnis pœna mulierum secundo nubentium sit abrogata, quæsitum est. Ego ita statuo, † quamcunque pœnam præmaturè nubentium (*re- 5
latam in l. 1. C. de Sec. nupt. & alibi.*) eo jure sublatam. est enim ratio Canonum perspicua hæc: uxoribus ideo secundas nuptias permitti, quia ex pronunciatione Apostoli, mortuo marito liberæ sint, *d. c. pen. & fin.* Non tamen idcirco existimandum est, eâdem ratione sublata esse quæ favore liberorum, casu quo matres ad secunda vota transeunt, sunt constituta. Siquidem certum est Constitutio-

nes novas semper strictè intelligendas esse, *ita & senserunt Cyn. & Ioan. Andr. in d. c. pen. & ult.* quod Bartolus *sequitur in d. l. liberorum. hic.* & ita semper perhibet observatum. Idemque in Gallia ita servari testatur Boërius, *Decis. 186.* Quod etsi non probat Castrensis. *in l. decreto. in fin. C. eod. quique eum sequuntur.* existimans Canonibus ejus rei abrogandæ non esse potestatem, nec Apostolo adeo id menti fuisse, cùm prohibitiones ejusmodi quæ viduis matrimonium alterum non indistinctè interdicunt, introductæ sint causâ publicæ honestatis: in praxi tamen observamus consuetudinem ex Iure Canonico derivatam, adhibitâ tamen distinctione Canonistarum, Bartoli & Boërij paulò antè positâ. Verum qui plura hac de re quærit, videat quæ nos ponimus latè infrà. *in l. Lucius. 38. Sol. matrim.*

Iuris Canonici interpretatio ex moribus hujus seculi.

Ad l. Quid ergo. 13.

1. *Bigami infames.*
2. *Poligamiæ pœna.*
3. *Iure Canon. de bigamis quid cautum.*
4. *Adulteri infames & quando.*

1. §. SI quis alieno.] Qui † bina sponsalia eodem tempore contraxerit, infamis est, *l. 1. sup. eod. l. 2. C. de Incest. nupt. l. eum. 18. C. ad*
2. *L. Iul. de Adult.* Est † enim polygamia etiam divino jure prohibita, & hodie uti adulterium, in orbe Christiano, capite punitur. *Ex Const. Carol. vide Georg. Rem. in Nemesi Karolina. c. 121.* Id ita si quis nomine suo bina sponsalia contrahat: nam si quis id nomine tertij faciat, non aliter notatur quàm si eum eamve habuerit in potestate, cujus nomine vel contraxerit, vel quem contrahere cùm
3. impedire posset, permiserit. *tex. hic.* Sed † hîc non præteribo Iure Canonico cautum esse, Ne bigami sacros ordines suscipiant, sique aliquando de facto contra fiat, ordinibus esse privandos. *c. super eo. de Bigam. c. curandum. & c. præcipimus. distinct. 34. Ioan. Bernardus*
4. *Diaz. in praxi sua Crim. Can. c. 16. per tot.* Denique † & ad eundem modum infames fiunt adulteri; viri quidem per sententiam, quippe judicio publico damnati; sed mulieres ipso facto *l. palam. 43. §. pen. De Ritu nup.* id eò tam diversè, quia in mulieribus suppositio partus metuenda est.

Iu. Canon. de bigamis.

1. *Pœna gravior an & quando existimationē conservet & n. 3.*
2. *Conciliantur diversæ leges. & num. 4. & 5.*
6. *Stellionatus crimen an & quatenus infamet.*

Pœna

§. POena gravior. & §. seq.] Pœnam † graviorem legitimâ si judex imponat, quasi transigere de infamia videtur; *ut hic in §. pœna*. Nec mutat † quod suprà relatum est, transigentem reum infamiâ affici. *l. 6. §. pactusve. eod.* quia hæc tantùm quasi transactio est, non quidem delicti, sed infamiæ ipsius, authoritate judicis facta. Quæ & eò minùs infamiam irrogat, quòd ne transactio quidem vera judicis authoritate contracta, famam lædat. *d. l. 6. §. qui jussu.* Sed † notandum est quod hic refertur, graviorem pœnam legitimâ non aliter famam conservare, quàm si loco pecuniariæ pœnæ judex relegationem aut consimilem corporalem injunxerit, aut alias loco relegationis vel ejuscemodi pœnæ minoris, injunxerit non pecuniariam ordinariâ majorem. *ut hic. huc referri possunt quæ ponimus suprà in l. Imperator. 8. tit. 1.* Ceterum † quod hîc præterea referri videtur, pœnam ordinariam à judice augeri causâ cognita posse, id dubio non caret, cùm alibi relatum sit, facti quæstionem quidem in arbitrio judicis esse, pœnam verò jure præfinitã non item. *l. 1. §. quorum Ad SC. Turpil.* Sed hoc verum est, si non justior causa subsit ob quam judex ad augendam minuendamvé pœnam legitimam moveatur. *l. aut facta. De Pœn.* Ex causa enim id facere potest, modò non excedat modum. *l. hodie de Pœn. ubi gl.* Quod † verò hîc consequenter dicitur, duriorem sententiam pecuniariam non conservasse existimationem damnato, ei Accursius opponit l. si furti. 8. C. eod. sed ibi res furtiva proponitur tantùm deprehensa apud ignorantem: eo enim casu condemnatus, infamis non est, quia justa infamiæ causa non subest. *vide inf. in l. ictus. h. t.*

1.
2.
3.
4.
5.

§. Crimen stellionatus.] Hîc † §. relatus est suprà *in l. 1. n. 9. eod. tit.* Opponi autem solet l. 2. inf. De crim. stell. sed ea procedit in causa non famosa. 6.

L. 15. 16. 17. & 18. 19.

Pertinent ad relata in l. 1. 2. 3. in l. 4. §. fin. & l. 5. sup. eod.

Ad l. ob hæc verba. 20.

1. Iudicis sententiâ quando quis afficiatur infamiâ facti. & nũ. 5.
2. Conciliatur l. 1. §. 13. ad SC. Turpil.
3. Facti infamia quid & ex quibus causis contingat. & nũ. 4 & 6.
7. Facti infamia quid operetur. & 8. ac 9.
10. Infamis an secretarius esse queat. 11. *An esse testis possit.*

IVdicis † sententiâ uti accusationis callidus instigator reprehensus, notatur infamiâ quam dicimus facti. *tex. & DD. hic.* Nec † mutat l. 1. §. incidit. 13. Ad SC. Turp. ubi relatũ est, instigatorẽ accusationis 1. 2.

 calumniari:

quia ibi non de simplici adhortatione vel instigatione agitur, ve-
3. rum talis quâ quis probationibus instruatur. Est verò † facti infamia imminutio quædam existimationis apud viros graves & probos. *tex. hic.* Ceterùm hoc loco non damnatoris, ut Antonius Faber per errorem conjicit, *lib.6. Conject. c. 6.* sed mandatoris legendum est. *vide Cujac. ad Papin. lib.1. Respons.* Ea autem ferè inuritur alicui quavis graviori increpatione judicis vel magistratus in judicio factâ, *ut hic & l. interlocutio. C. eod.* vel factâ etiam à patre in testamento, *l. ea quæ pater. C. eod.* itemque hæresi, *D D. in l. 1. C. de Summ.*
4. *Consuetudo Germaniæ & Galliæ.* *trin.* Sed hoc † moribus Germaniæ & Galliæ ad schismaticos ob diversiones ecclesiarum Christianarum non pertinet, præterquam in hæresibus quæ Principum constitutionibus tales sunt condemnatæ. Denique † ad facti infamiam interlocutione judicis subeun-
5. dam illud requirimus, ne temerè illa, sed cum causæ cognitione sit prolata (quamobrem & huc veterem notam Censoriam referunt) aliàs enim tantum verecundiam oneraret, *l. quid ergo. §. quantum ad*
6. *infamiam. sup. h. t. l. verbum. C. eod.* An verò † & bonis cedens infamiâ facti notetur, quæsitum est, magisque dicimus, eum non notari, *l. ult. C. qui bon. ced. poss. Novell. 135. in princ. Hotom. Illust. Q. 26.* Hoc tamen ad prodigos & decoctores non pertinet. *d. Nov. 135 ubi Cujac.* qui ibidem probat, cedentes bonis olim quidem facti infamiâ notari consuetos, hodie *ex ea Novel.* non item. Videamus †
7. quid per hanc infamiam efficiatur, & in primis eâ notati à dignitatibus excluduntur, *l. 2. C. de Dign.* à muneribus tamen publicis non
8. liberantur, *l. un. C. de Infam.* Præterea & illud † infamia facti efficit, ut frater testamento præteritus, si eodem institutus sit cujus existimatio hoc genere infamiæ læsus est, querela inofficiosi habeat
9. locum, *l. fratres. 27. C. de Inoff. test. ubi DD.* Num † verò infamis esse notarius queat, quæsitum est, & id quidem plerisque visum est. *arg. d. l. un. C. de Infam. Soar. in Thes. Comm. Sent. lit. N. num. 37. Tursan. Opin. 58.* Tutius tamen est ad hoc munus personas tantùm honestas creari, quia sunt publici contractuum scriptores, & quorum fidei idcirco multum tribui solet. *Cujac. in l. universos. C. de Decur. Luc.*
10. *de Pennia. ibidem.* Planè † quia infames à dignitatibus arcentur, *l. 2. C. de Dign. lib. 10.* secretarij verò Principum & Rerumpublicarum in dignitate positi sunt, *l. 1. & 2. C. de primicer. lib. 12.* infames
11. iis muneribus non rectè fungi dicemus. *Boër. decis. 222.* An † verò testimonij fidem infames mereantur, & quatenus, infrà dicemus, *in l. 3. de Testib.*

Ad l. ictus.

Ad l.ictus. 32.

1. Ictus fustium quomodo infamiam irroget.
2. Conciliatur l.12.de Pœn. & num.3.
4. Mores Italiæ & Belgicæ in infamia irroganda & num.5.

NOn ictus † fustium infamiam infert, sed justa demum fustigationis causa. *tex. hic. & l.fustibus. junc l.nullam.* C.*eod.* Nec † impedimento est quod alibi refertur, non genus criminis, sed solam sententiam spectari, *l.quod ad statum.* 12.*de Pœn.* ibi enim sententia accipitur pro sententiæ justitia: neque enim dum solius sententiæ mentio fit, excluditur justa ejusdem causa, sed vel maximè eò intenditur. Mens † verò legis hujus non alia est, quàm quòd in iis quibus quis genere pœnæ infamia afficitur, (ut accidit in fustigatione. *l.pen.* §.1.*de Var. cogn.*) non tam actus exsecutionis quàm causa delicti attenditur. Denique fustigationi † quoad infamiam irrogandam, hodie ex moribus pœnè similis censetur stigmatis impositio, itemque expositio delinquentis in publica (quæ in hoc habetur) columna; quippe quæ consuetudine regionum Belgicarum uti Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ, Vltrajectinarum regionum, infamiam irrogant perinde ut fustigatio. Bartolus † addit impositionem mitræ, quæ moribus Italiæ forsitan tempore ipsius consueta fuit & etiamnum est. *Bart. hic.* Quibus adjungi potest gestio lapidum publicorum, in patria mea Zuollana delinquentibus nonnullis imposita.

1. 2. 3. 4. *Mores Belgica Vnya.* 5.

Ad l.Imperator. 24.

Quæ ad hanc l.pertinēt relata sunt suprà *in l.4.§. Pomponius,eod. qui solet opponi.solvi ibidem.*

DE PROCVRATORIBVS ET DEFENSORIBVS,

TIT. III.

Ad Rubr.

QVæ hoc titulo tractantur ut plurimum pertinent ad procuratores judiciorum, titulus verò Mandati ad contractū actionemque mandati pertinet.

Ad l.1

Ad l. 2.

§. FVRIOSUS NON EST HABENDUS ABSENTIS LOCO.] Quo casu is qui abest ejus conditionis est ut negotium gestum habere ratum queat, furiosus non est pro absente. *ut hic.* Quoties tamen ad actum aliquem præsentia domini præcisè requiritur, toties furiosus etiam præsens per omnia habetur pro absente. *l. 2. §. pen. De codicill. l. ubi non voce. 124. de Reg. jur.*

Ad l. 3.

EXpeditum ex hoc textu est, procuratorem & ad litem dari futuram posse, Nec mutat l. item §. sed si ita. inf. tit. 1. quia ea procedit in procuratoribus seu syndicis Universitatum, qui ipsi tamen hodie ab ordinibus fere in perpetuum ad negotia futura constitui solent. *tex. ibidem.* Sed interim ad singulas lites, vel movendas, vel excipiendas decreto Ordinis municipalis habent opus.

Ad l. filiusfamilias. 8.

1. *Quando procurator dominum præcisè defendere cogatur.*
2. *Quando sufficiat ob rem non defensam stipulationem committi.*
3. *In procuratore actoris quid juris.*

1. §. PRocuratorem ad litem.] Procurator † pro quo consentiente dominus judicatum solvi cavit, judicium accipere cogitur. *tex. hic.* Pro consentiente † inquam, vel sciente saltem, & non con-
2. tradicente: nam si non consenserit procurator, invitus non tenetur, & sufficit adeo ob rem non defensam stipulationem committi. *l. si defunctus. 15. inf. eod.* Quemadmodum & si procurator ipse judicatum solvi satisdedit, stipulationem ob rem non defensam committi
3. satis est. *l. non cogendum. 45. inf. eod.* Præterquam ‡ si procurator sit actoris, quia is reconventus indistinctè dominum defendere tenetur. *l. sed & hæ. §. pen. & fin. d. l. si defunctus. §. fin. inf. eod.* Sed huius pœna ea modò est, ut in posterum ei denegetur actio. *l. mutus. 43. §. pœna. inf. eod.* Denique quod dicimus procuratorem quandoque præcisè ad defendendum teneri, quandoque verò ex commissa stipulatione actionem esse, id utrumque ita est, si non superveniat justa deserendæ defensionis causa. *vide tex. hic. in §. fin. & l. 9. l. 10. 11. 12. 13. 14. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. & l. 45. inf. eod.*

Ad l. 5.

Ad l. Si defunctus. 15.

1. *Mandatum finitur morte domini & num. 6.*
2. *Res integra quando esse desinat, & num. 3.*
4. *Consuetudo de citandis hæredibus domino mortuo.*
5. *Quando non finiatur mandatum morte domini.*

QVæ ad potius argumentum huius legis pertinent de defensione à procuratore suscipiendâ, pro quo dominus cauit, posita sunt paulò ante, *ad l. 8. §. si procurator. hic.* Constat † præterea ex hoc textu mandatum finiri morte domini nisi iam res integra esse desierit. *adde tex. in §. rectè Inst. mand.* Res autem † integra esse desinit, satisdatione iudicatum solui pro procuratore rei interpositâ, siue id dominus fecerit procuratore consentiente. *ut hic.* siue procurator satisdederit ipse. *l. Titius. 76. inf. eod.* Res † tamen vel maximè integra esse desinit litis contestatione, quippe quâ procurator ipsius litis fit dominus. *l. nulla C. eod.* Proinde mors principalis eo casu ad hanc rem non multum operatur. *per hunc tex.* Est † tamen in Camerâ Imperij multisque alijs Germaniæ locis hodie moribus receptum, vt defuncti principalis hæredes denuo citentur ad resumendum processum. Sed hoc nec vbique receptum est, nec necessariâ ratione admissum. *Gail. 1. ob. 109. num. 6. & 7.* Proinde consultus de facto, Prætori Zwollano respondi, hæredibus quidem, opponente parte altera, de morte domini denunciari de processu continuando, tutius esse, cursum tamen interea eius, à procuratore prosequendum. *Inter hæredes Eutrardi ab Ens equitis & Joannem Blyfert.* 5. Regulare † proinde est, re non integrâ mandatum solui morte mandantis, nisi forte id tale sit quod post mortem domini demum queat expediri. *l. si verò non remunerandi. §. fin. inf. mand.* aut quod fauore rei mandatæ etiam post obitum expediri permissum est. *arg l. si ego. §. 1. De Iure Dot. l. si pater. De manum. vind. Vide quæ ponimus infrà in l. 26. ad princ. mand.* Denique & Iure † Canonico generatim cautum est, morte Rectoris ecclesiarum mandatum finiri, siue lis contestata sit, aut alias integra esse desierit, siue minùs. *Clem. vlt. de Procurat. Fab. in l. nulla C. eod. Wurmf. in Obs. pract. c. 15. de Procur. num. 3.*

1. 2. 3. 4. *Consuetudo Germanica in citandis hæredib. principali defuncto.* 5. 6. *Ius Canonicum.*

Ad l. ante 16. & l. 17.

1. *Quando dominus procuratorem reuocare queat. 3.*
2. *Quando minus. 4.*

5. *Quid si mandatum sit cum pacto de non reuocando.*
6. *Quid si cum juramento de non reuocando. & 7.*

1. Lite † necdum contestatâ domino libera potestas est vel mutandi
2. procuratoris, vel iudicium ipsi sibi accipiendi. *tex. hic.* Sed † post litem contestatam procurator efficitur litis dominus. *l. procuratoribus 23. C. eod.* Ideoque tum mandatum non aliter reuocatur quã præuiâ cognitione, ex nouâ eaque mouenti causa. *vt hic in l. 17.* Quæ verò causæ eiusmodi sint, hoc loco pluribus explicatur. *in l.*
3. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. Verum ante litis contestationem † reuocatio ideo permissa est, quia res tum adhuc intelligitur integra, *l. quæ omnia inf. eod.* Si tamen dominus talis sit vt nequeat per se litigare, ipsemet causam agendam suscipere non potest. *l. quicunque*
4. *que cum Auth. seq. C. eod.* Denique † nec à procuratore in rem suam ante litem contestatam mandatum reuocari potest. *d. l. quæ omnia. §. fin. & l. procurator. 55. inf. eod.* Vnde est quod ad remouendum procuratorem etiam ante litem contestatam interdum causæ cognitio requiritur. *l. is cuius 64. inf. eod.* (quanquam ea lex de solo defensore agit, qui ipse iudicatum solui cauit, cuius ingenuam sententiam infrà explicamus, *in l. Paulus 69. eod.* Ceterum ijs casi-
5. bus † exceptis, reuocatio libera est, etiamsi mandatum datum sit cum pacto de non reuocando, quia id pactum repugnaret naturæ mandati. *arg. huius tex. Bart. in l. pen. De Procur.* Sed hoc Baldus ita
6. temperat, † nisi pacto eiusmodi iuramentum accesserit. *Bal. in rub. h. t. num.* 30. Alij contra sensere, nec iuramento adeo reuocationem impediri. *gl. communiter probata in c. fin. De Procur. in 6.* quia iuramentum non sit modus inducendæ obligationis. *Vide quæ nos inf.*
7. *in Rub. De Iurej ur.* quod magis est. Periurium † tamen reuocatione eiusmodi committi dicemus, nisi subsit iusta reuocandi causa. *tex. in l. vlt. Qui satisd. cog.* Atque id moribus obtinet. *Böer. decis.*
8. *20. num. 3.* Sed † quod gessit procurator necdum reuocatus, post reuocationem etiam manet ratum. *l. si procuratorem. 65. inf. eod. L. 12. § si mandauero. Vbi Gotofr. inf. Mandati.*

Ad l. in causæ 27.

§. Final.) Lite ex parte actoris translatâ in procuratoré, vel contra ab hoc in illum, vtilis actio domino, ex stipulatione judicatum solui, datur; directâ quæ procuratori competeret penitus tollendâ. *tex. hic.* Quod & ad prætorias stipulationes ceteras pertinet *l. in omnibus. 5. De Præt. stip.* Licet in his posterioribus quoque procuratori & in procuratoré vtiles actiones sint, *l. si quis. 17. §. 1.*

De dam. inf. Quid ergo si ex parte rei à procuratore in dominum, vel contra, lis sit translata, vtique quia eo casu dominus ipse iudicatum solui cauet, *l. si ad defendendum. 16. iud. sol.* stipulationem dicemus committi in omnem euentum. Ceterùm si defensor sine mandato iudicatum solui cauit, lite in dominum translatâ stipulatio extinguitur. Namque ipse liti exemptus est, & idcirco iudicati actio in dominum est. *l. 1. §. fin. inf. quib. mod. pig. vel hyp. solu.* Quando verò aliàs per procuratorem actio quæratur, vel minus, infrà tractamus, *ad l. per procuratorem 72. eod. tit.*

Ad l. si procurator 28.

VT translato iudicio à procuratore in dominum ex stipulatu actio vtilis domino datur, *l. 1. sup.* ita & eadem datur, iudicio non translato. Vtraque enim actio tam vtilis ex stipulatu, quàm iudicati directa, domino quæritur, directâ ex stipulatu procuratori ablatâ, præterquam si in rem suam datus sit, vel ita, vt istam ipsam prosequatur. *tex. hic.*

1. *Quando in procuratorem, quando in dominum iudicati, vel ex stipulatu actio sit, & num. 2. 3. 4. 5. & 7.*
6. *Conciliatur l. 24. C. eod.*
8. *Si exceptio procuratorij omissa sit, quid consilij.*
9. *An iudex mandatum exigere ex officio queat.*

§. penult. & vlt. SI procurator ✝ rei iudicatum solui satisdederit, in dominum ex stipulatu actio non datur. Sed neque si defensor hoc cauerit, in dominum ex stipulatu actio est. *tex hic.* Planè si procurator ✝ mandatum habuerit, & ipse cauerit, tametsi ex stipulatu conueniri possit, *vt hic.* tamen in dominum parata est actio iudicati; non in procuratorem. *l. 4. inf. de Re iud.* Et ✝ est igitur æquum, hoc casu in procuratorem ex stipulatu actionem non aliter dari, quàm si iudicatum à Domino nequeat haberi. DD. *in d. l. 4.* neque enim procurator ex iudicato aliter tenetur, quàm si se obtulerit cum sciret cautum non esse; procurator in rem suam sit; aut denique defensor cauerit sine mandato, *l. Plautius 61. inf. eod.* Sed procurator ✝ in rem quoque suam, vtili tantùm actione iudicati tenetur; alteris verò casibus duobus in procuratorem ex stipulatu actio directa est, iudicati directâ penitus sublatâ. *vt hic* Receptum ✝ tamen est, si dominus quod gestum in iudicio ratum habeat, talisque sit qui iudicatum præstare queat, vt in eum executio diri- 1. 2. 3. 4. 5.

gatur: non in procuratorem. *l.licet,inf. De Iudic.* Ratihabitio nimirum gestum subsequens regulariter retrotrahi censetur. *c.ratihabitio. De Reg. jur. in 6.*
6. Nec † mutat quod aiunt, gestum per falsum procuratorem (is enim est quicunque sine mandato, vel eo quod habet, reuocato, alterius litem tractat) ipso jure nullum esse. *l.licet. 24.C.eod.* eoque nec ex pòst facto posse ratificari, quia id plerunque est acceptum de ijs quæ in damnum domini gesta sunt, cùm interim quæ in vtilitatem eiusdem sunt peracta, queant ratificari. *per d.c.ratihabitio. De reg. iur. in 6. Ias. Salic. DD. in d.l.licet.* Sed quia distinctio ea juri nostro parum conveniens uidetur, propter indefinitam sententiam Legis, *licet 24.inf. De Judic.* rectiùs dicimus generale argumentum regulæ (qua dicimus, Quod ab initio nullum est non posse convalescere ex post facto) in proposito cessare, cum amplius etiam ratihabitio æquiparetur directo mandato. *l. semper qui non prohibet. De Reg. jur. vide quæ nos in l. Pomponius 9. De Neg. gest.* Quia & aliàs regulare sit, Omnem definitionem in jure nostro periculosa m esse, quòd rarò nequeat subverti. *l. omnis definitio. De*
7. *Reg. jur.* Planè † si gestor, seu procurator falsus, stipulationem iu d. solui interposuerit, magis dicimus respectu eius, iudicatum quodammodo constare, *per d.l. Plautius.* Quamobrem nec mirum est, ratificari ab eo gestum indistinctè posse. *Bal. in d.l.licet C.eod.* atque hoc moribus obtinet, & in Camera seruatur. *Gail. 1. Obs. 47. per tot.* Ceterùm si nec stipulatio accesserit, nec ratificatio etiam, verum manet, quod gestum, indistinctè nullum esse. *per d.l. 24. C.eod.* Pro-
8. inde † si durante processu procuratorij exceptio omissa sit, vel nullitas ob defectum mandati non sit mota, judicati uim vtrimque quidem deficere Doctores perhibent: *in d.l.licet. De Iud.* magis tamen est, actionem in factum prætoriam, vel de dolo ei esse contra quem sine mandato fuit actum, quá nimirum & litium expensæ, &
9. quod aliàs interest, à temerario litigatore repetantur. Sed & † receptum est, judicem ex officio (si hoc pars omittat) mandatum exigere posse. Quod etsi Felino uix probatum est. *Fel. in c. causam. num. 5. de Iudic.* tamen consuetudo ea bona est, ne judicia elusoria fiant.

Ad l. si actor, 29.

1. *Procuratore in rem suam dato actor nihilominus dominum convenire potest.*
2. *Quatenus id accipiendum sit. & 3. & 4.*
5. *Quid juris in procuratore rei sit. & 6. ac 7.*

Procura-

PRocuratore † etiam in rem suam dato, nihilominus actor dominum convenire potest. *tex. hic.* Onus † tamen litis procurandæ mandatario incumbit, dominusque ipse per procuratorem potest respondere. *l. 3. inf. Fam. ercis.* Sed & † quod dicimus actorem in potestate habere utrum conveniat, id quidem ita est ab initio. Ante judicium enim acceptum emanente procuratore, necessariò dominus citandus est. *l. vlt. C. eod.* Postea † verò quàm lis contestata est, actus omnes contra procuratorem expediendi sunt, adeo quidem ut etiam sententia contra procuratorem ferenda sit, & contra dominum absentem lata, sit ipso jure nulla. *l. 1. C. de Sent. & inter. loc. om. iud.* Hæc ita in procuratore rei. Quod † si actor ipse procuratorem in rem suâm dederit, dicendum est, domino præferri procuratorem. *l. procuratorem. 55. inf. eod.* Et id quidem perpetuum est delegatione interpositâ, qua ipsi procuratori debitor est constitutus. Quod † si ea non intervenerit, procuratorem non aliter domino præferri dicendum est, quàm in certis casibus, ij verò † sunt, si procurator partem debiti acceperit, lis cum debitore contestata sit, vel denique ei sit denunciatum, ne alteri solvat quàm procuratori in rem suam. *tex. in l. 1. C. de Novat.* Quod si ex tribus his vnum acciderit, contra dominum doli exceptio est. *l. sicut. 8. §. 2. inf. quib. mod. pig. vel hyp. solu. l. si cum tempore. 16. sup. De Pact.* Vbi dixi. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Ad l. si quis. 30.

§. Vnius.) PLures hæredes vel domini vnius rei, plures procuratores dare possunt. *Vt hic.* Nec mutat l. iam tamen 5. §. pen. inf. Iud. sol. quia ea procedit quando contra vnum aliquem agitur, cujus plures fidejussores fiunt defensores; aut quando ipse defunctus, qui plures hæredes reliquit, caverat judicatum solui. Quanquam eo ipso casu in hæredibus actoris quoque contrarium obtinet. *tex. ibidem.*

§. Finalis.) Relatus est infrà *in l. prox. hic.*

Ad l. plures. 32.

PLuribus procuratoribus simul in solidum datis, occupantis melior conditio est, reliquis exclusis. *tex. hic.* Accipe hoc de procuratore ad judicia, in reliquis, puta, contra est, & singuli tenentur in solidum. *l. creditor. 60. § si duobus. inf. Mand.* Quod si diversis temporibus dati sint, posterior præfertur priori. *l. prox. supra, §. fin.* Idque intellige re adhuc integrâ vel priori ob causam justam revocato. *ut sup. in l. 16. hic.* Denique tametsi duobus simpliciùs simul

Consuetudine quid observetur pluribus procuratoribus in solidum datis.

datis, singuli in solidum constituti non intelligantur, *gl. Bart. Bal. arg. hujus text.* tamen si quis plures ac singulos constituat, aut è duobus utrumque eorum, singuli in solidum procuratores erunt. *M. inf. Cent. 1. Ob. 47. allegans ad hoc Angel. in tit. Inst. per quos ag. poss.* Et hoc ita quotidie in praxi servatur.

Ad l. servum 33.

§. EVM VERO, QVI DE STATV SVO LITIGAT, PROCVRATOREM HABERE POSSE NON DVBITAMVS.) Qui ex servitute in libertatem provocat, eo judicio pendente, favore libertatis, pro libero habetur, ideoque ad judicia quoque procuratorem dare potest. *Vt hic.* Hoc ita si ad alia judicia procurator dandus sit. Ad hoc enim liberale, quo ipse de statu suo litigat ex possessione servitutis, procuratorem dare non potest. *l. 1. in princ. C. de Assert. toll.* Ratio verò diversitatis est, quòd ad dandum procuratorem ad lites, debeat haberi pro libero: nam servis id non est concessum, *ut in princ. hujus l.* tum verò demùm pro libero habetur, cùm lis de statu est contestata. *l. ordinata. 24. in princ. De lib. caus. l. lite. C. eod.* Vnde in ceteris causis post litem contestatam procuratorem ad judicia dare potest tanquam homo liber. Ad causam verò liberalem si in possessione servitutis sit, procuratorem dare nequit; non quidem ante litem contestatam, quia nondum habetur pro libero; non etiam post litem contestatam, quia regulare est, vt post judicium acceptum procurator vix sine causæ cognitione detur. *arg. l. post litem 17. sup. eod.*

1. Judicia publica an & quatenus per procuratorem tractari queant. 2. 4. 11.

3. Explicatio l. pen. §. fin. De Publ. jud. & 13.

5. Conciliatur l. ea quæ. §. miles. de Adult.

6. Absens in civilibus aut capitalibus quatenus condemnari queat. 7. 8. 9.

10. Crimen adulterij hodie capitale.

12. Angelus notatus.

14. Delictum cujus relegatio pœna est, an per procuratorem defendi queat. & 15.

§. PVBLICE VTILE EST, ABSENTES A QVIBVSCVNQVE DEFENDI, &c.) Judicia † publica per procuratorem agi neutrâ ex parte
1 licet *l. pen. §. fin. De Publ. Jud. l. 1. An. per al. causa appel. eg.* Sed hoc †
2 cum

cum temperamento ad judicia capitalia redigendum est, in quibus absens nequit condemnari. Quod si enim causa judicij publici sit talis, ut capitalis sententia in absentem ferri queat, contrarium obtinet. *per hunc tex. junc. l. 3. C. de Accus.* Proinde † quod aliàs indefinité dicitur, publica judicia per procuratorem agi non posse. *in d.l.pen.§.fin. De Publ.jud. & d.l.1. An per al. causa appell.* id de reis præsentibus accipi oportet. cùm enim ipsimet judicio teneantur adesse, rectè relatum est, eos frustrà experiri per procuratorem. Regulare † proinde est, in judicijs criminalibus per procuratorem nō agi, sed excipimus casum quo reus abest, in judicijs nimirum capitalibus (uti nunc indicatum) quibus quispiam absens potest condemnari. *Vt hic & d l.3.C. de Accus.* Nec † mutat l. ea quæ. Ad l. Iul. de Adult. quia ibi de adulterio agitur, quod olim capitale non fuit. Minùs † uerò ad rem facit quod alibi relatum est, absentem in metallum non damnari, nec aliàs etiam capite puniri, *l. absentem De Pœn.* id enim de citato & indefenso, per contumaciam non dānando responsum est, cùm in civilibus contra sit. Quamobrem ineptè & ea lex plerumque accepta est, & ineptiùs huc in argumentum translata. Licet præterea † cuique per procuratorem causas absentiæ reddere. *l. absens 71. inf. eod.* idque indistinctè; sententiæ, puta, differendæ causa. *l. inter. D. de Publ jud.* Ceterùm † si hunc textum de causis absentiæ proponendis accipias, (*quod gl. Bart. & Cast. uisum est*) graviter errabis. Repugnant enim uerba & hujus legis, & d. legis 3. C. de Accus. Absens † nimirum ex jure Senatusconsulti excusatur, *l. pen. §. fin. De Publ. jud.* defensio uerò causæ per procuratorem, ipsorum publicorum judiciorum legibus *d.l.3. C. de Accus.* Sed hæc, ut diximus, locum habent in reis criminum capitalium, *ut tex. indicat*, rei enim judicio non capitali, verbi gratiā, adulterij, absentes nequeunt defendi, quia nec condemnari. *d.l. miles. §. ea quæ.* Cujac. 20. *ob.* 20. *Vult. lib.* 1. *Discep. Schol. c.* 11. Hodie † uerò quia crimen adulterij capitale est, idem & in hoc tenendum dicemus. Denique † quod Doctores plerumque distinguunt generatim, ut, si delinquens pœnam mereatur corporalem & relegatione majorem, procurator intervenire non posit, in ceteris contra, DD. *hic. arg. d.l. absentem. De Pœn. & d.l.1. An per al. cauf. app. rel. poss.* id de ijs accipi oportet quorum præsentia haberi potest, quia hos ipsos causæ oporteat adesse. Constat enim saltem capitalium criminum reos, id est cum quibus lis jam contestata est, si eorum copia haberi non posit, condemnari rectè, *d.l.3. C. de Accus.* Scio † equidem aliter Angelum sensisse, nimirum in criminibus publicis procuratorem repellendum indistinctè esse. *per d.l.pen.§.fin. De Publ. jud. Angel. ibid. Menoch. in Arb. jud. q.80. num.2.*

Margin: 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Consuetudo hujus seculi diversa, ex constitutione Caroli Quinti Imperatoris.* 10. 11. 12.

num. 2. Verum ea opinio confutatur aperto textu, *d. l. 1. An per al. caus. app. red l. tunc convenit. C. de Accus. fac l. 3. C. ubi Sen. vel Clariss. conv.* Nec † mutat d. l. pen. De Pub. jud. quia ea cum moderamine, ut jam dictum, accipienda est. Ceterùm † de delicto cujus ipsa relegatio pœna est, quæritur an per procuratorem agi queat,
13.
14.
quod non uidetur. Idque ex eo convincitur quod causa injuriarum cujus pœna ferè ex jure nostro relegatio est, *l. ult. De Injur.* à solis illustribus per procuratorem agi queat, *l. ult. C. eod.* cùm in ceteris contra sit. Perinde de causa adulterij constitutum est, ut ea per procuratorem agi pro absente nequeat. *d. l miles. §. ea que. D. Ad L. Jul. de Adult.* cujus tamen pœna plerùque solet esse relegatio *Vide Cujac. 20. Obs. 26. & 28. Ob 27. Brisson. in lib. singul. De adult.* Atque ita plerique Vltramontani sensêre. *Rub. Alexandrinus in d. l. pen. § fin. num. 127. De Publ. Jud. Rob Aurel. lib. 2 Sent c. 3.* Nec mutat quod hij contra argutantur ex d. l. 1. An per al. caus. appell. *Marian. Socin. in c. ueniens. col. 21. Vers. 10. quaero. de Accus. & alij allegati a Menoch. de Arb. Iud. q. 80 num. 86.* qui uocem *usque* in d. l. 1. ita accipiunt, ut eadem excludat relegationem: namque ea interpretatio coacta est; cùm ex eodem textu clarissimè constet, pœnam relegationis à pecuniarijs super proposità quæstione distingui. Quanquam & uerum sit, eandem legem distinctionem constituere in causis præsentium seu eorum quorum haberi copia potest. Idcirco
15 † & minus ad rem facit argumentum ex d. l. absentem. De Pœn. ubi refertur, ob relegationis causam absentem damnati posse, vnde & procurator uidebatur admittendus, *per hunc tex.* Quia hic textus procedit in capitalibus, ut dictum est. Quibus tamen relegatio penitus est diversa. *tex. in d l. absentem.*

§. Finalis.) Relatus est infrà, *in l. prox.*

Ad l. 34.

PRocurator in rem suam, uelut emptor hæreditatis, si cum uenditore contraxerit bonâ fide, defendere eum in reconventionis causà non tenetur. *tex. hic.* Quod toties ita est, quoties quis in rem suam procurator ex necessitate fit, *l. prox. sup. §. fin.* Hoc est, quoties quis ad rem sibi justo titulo quæsitam, postulandam datus est, uel quando quis agit actione titulo oneroso sibi cessâ. Sed in quæsitis titulo lucratiuo contrarium obtinet. *l. si pater. 70. inf. eod. DD. hic.*

Ad l. Sed & hæ 35.

1. *Agens nomine alterius cavet de rato.*
2. *Maritus an agens pro uxore caveat de rato.*

Dictum

DIctum est superioribus capitulis, procuratorem qui ad agendũ admittitur, vicissim teneri defendere dominum. Id & tum ita est cùm quis sine mandato admittitur. Hoc * tamen casu de rato cavendum est, *tex. hic. ut & in l. 39. §. qui alieno. inf. eod.* Denique& maritus † nomine uxoris agens, nisi mandatum ejus exhibeat, de rato cavebit, *l. maritus. 21. C. eod.* Quod intelligendũ de iis est quæ receptitia dicunt, hoc est, quæ mulieri præter dotalia & paraphernalia cõpetunt, nec marito tra dita sunt. Namque in actionibus rerum dotalium & paraphernalium dotali instrumento cõprehensarum sine cautione agit rectè. *l. ult.* C. *de Pact. conu. l. doce,* C. *de Rei vind.* Igitur ex eo ipso probabile fit, in pòst obvenientibus & reliquis contrà esse. *gl. Bal.* DD. *in d. l. maritus.* Quam distinctionem receptam perhibent, Præterquam si maritus actionum instrumenta habeat, cùm ex eo præsumatur speciale mandatum. *Gail. lib. 1. Obs. 133. Minf. Cen. 3. Obs 53.*

§. SI EX PARTE.) Refertur hìc, lite ex parte actoris à procuratore in dominum translatâ, committi nihilominus judicatum solui stipulationem à reo præstitam. At obstat §. sed hodie Inst. de Satisd. Vbi dicitur reum non satisdare judicatum solui: ceterùm textus præsens intelligendus est, casu quo dominus cavit pro procuratore. Tametsi enim reus non pro se caveat judicatum solvi, pro procuratore tamen cavet. *l. 10. inf. Jud. Solui.* Reliqua quæ ad hanc rem pertinent, exposita sunt suprà *in l. 27. §. fin.*

§. PRÆTER. & §. fin.) Quando & quatenus procurator dominũ præcisè defendere teneatur, uel quando sufficiat stipulationem committi, ad id quod interest præstandum, plenè traditum est suprà, *ad l. filius. 8. §. procuratorem. eod. Vbi uide.*

Ad l. 36.

Vide quæ posuimus infrà *de Novi op. nunc l. 6. quæ solet opponi. Vbi eam conciliamus.*

Ad l. non solum 39.

1. *Quatenus procuratori de rato cavendum sit. 3. 4.*
2. *Conciliatur l. 5. §. qui procuratorio. De op. novi nunc.*
5. *Consuetudo Sax. & Transisulania.*
6. *Cujus electio sit uel mandatum probandi, uel de rato cavendi.*

7. Ex procuratoris juramento quatenus domino actio quaratur.

§. QVI ALIENO NOMINE AGIT QUACUNQUE ACTIONE, ID RATUM HABITURUM EUM, AD QUEM EA
8 RES PERTINET, CAUERE DEBET.) Videamus † quatenus uerum sit: Constat igitur, si dominus præsens de rato caverit, uel mandatum actis insinuatum sit, aut aliàs certò de fide mandati constet, eam cautionem cessare. *l. si procuratorem. 65. inf. eod. l. 1. C. de*
9 *Satisd. § fin. autem. Inst. eod.* Nec mutat † l. 5. §. qui procuratorio. De Novi op. nunc. ubi relatum est, etiam à uero procuratore de rato cavendum: subintelligendum enim ibi est, de mandato dubitari. Licet enim quis uerus procurator sit, evenire tamen potest ut
1. mandatum difficiliùs probet. Proinde † haud aliter de rato cautio locum habet, quam si de mandato dubitetur, aut is interveniat à quo mandatum non exigitur, uerbi gratia conjuncta persona. *l sed & hæ. sup. eod. l. 1. C. eod.* quippe quæ non aliter repellitur ab agendo, quàm si adversarius probet contrariam domini uoluntatem. *l. 1. §.*
2 *fin. inf. hic.* Sed si exceptio † procuratorij non opponatur, certum est intervenientem admitti, Eo tamen casu uel maximè de rato cautio præstanda est. Atque ideo generatim hoc loco responsum est, alieno nomine agentem de rato cauturum, quanquam oppositione facta sine mandato non queat experiri. Quemadmodum nec experiri potest, si judex eum removeat ex officio; ne nimirum judicium facilè fiat elusorium. *Vide quæ ponimus infra in l. Pomponius. §. ratihabitionis. eod. tit.* Iure tamen Saxonico quando dominus non possidet immobilia sub territorio ubi agitur, procurator actoris de Rato cavet indistinctè. Quemadmodum Iure Transisulaniæ, & actor ipse qui alterius territorij est, & procurator ejus nomine
3. agens, judicatum solvi cavet, etiamsi plenissimè constet de mandato. Ea uerò cautio & ipso effectu de rato cautionem continere censeri potest. Optima uerò ratione recepta est, ne judicia facilè
4. fiant illusoria. Ceterùm † quærit hic glossa cujus electio sit uel mandatum probandi, uel de rato cautionem præstandi: & probabile est id relinquendum esse procuratori, ne si id in potestate rei ponamus, acturo alterutrum auferatur, & quandoque nimi sumptu uexetur ad præstandum alterum eorum, quod utrumque ei jure fuit permissum Idque receptum est. Quod uerò hoc loco di-
5. citur, † ex procuratoris juramento domino non quæri actionem, id intellige de actione directâ. De utili enim contrarium dicimus. *l. nam postea quam. 9. penult. De Jurejur. ubi notamus.*

Consuetudo Saxon. & Transisulanæ.

§. S i

§. SI PATER.) Si pater nomine filij injuriarum agat, cessat cautio est de rato, quia & ipsi actio ex ea causa est. *ut hic. & l. pater. & l. sed si. §. ait prætor. inf. De Injur.* Procurator tamen patris, si ob injuriam filio illatam agat, & de mandato dubitetur, absente scilicet patre, filium rem ratam habiturum cavebit. *l. si fine. 22. §. penult. Rem rat. hab.* nam cùm ejus præcipuè intersit, nec constet adeo de mandato patris, nihil æquius est quàm ita caveri. *Pac. Centur. 2. Enant. 4. 43.*

§. Final.) Relatus est infrà, *ad l. 42. §. 1. eod. tit.*

Ad l. Pomponius. 40.

1. *Cautio de rato ante litem contestatam præstanda.*
2. *Quando id fallat.*
3. *Conciliatur l. 2. C. de Consor. eius lit.*
4. *Defectus mandati per modum nullitatis opponi potest.*

§. RATIHABITIONIS.) Ratihabitionis 1 cautio ante litem contestatam exigenda est, post non item. *tex. hic.* Hoc ita 2 nisi post litem contestatam demum procurator interveniat. *gl. in §. sin autem. Inst. de Satisdat.* Tum enim perinde habetur ac si ab initio intervenisset. *l. nihil. C. eod.* Non 3 mutat igitur l. 2. C. de Consort. ejusd. lit. quia & ibi alter ex conventis, interveniendo pro altero absente, post litem demum contestatam cavet de rato. Denique 4 licet exceptio procuratoria, lite iam contestatâ, ex pœnitentia opponi non possit, *l. qui procuratorem. 57. §. 1. inf. eod.* Si tamen cautio hæc omissa sit, procuratorem sine mandato, judicio moueri posse magis est. Quia, si ratihabitio non accesserit, judicium redditur nullum. *l. licet. 24. C. eod. dixi supra in l. 28. §. pen. & fin.* Proinde quod per modum dilatoriæ exceptionis non licet, licet per oppositionem nullitatis. *gl. & DD. in d. l. 24.*

Ad l. feminas. 41.

1. *Femina procuratrix non est.*
2. *Consuetudo hodierna.*
3. *Iue Canonicum an diversum.*
4. *Clericus negotijs secularib. se immiscere nequit.*

1. FEmina † procuratrix non est, præterquam si id causâ cognita quibusdam casibus admittatur. *Vt hic. vide suprà in l. 13. De*
2. *Postul.* Planè moribus † hodiernis uix est ut mulier pro quoquam, aut se ipsâ etiam, fine curatore actum expediat judicialem. Quod & Constitutione Saxoniæ provisum est. *Novel. Const. Elect. Aug. par. 1. c. 15.* An autem † Abbatissa nomine cœnobij procuratrix esse queat ex permissione Iuris Canonici, quæsitum est, & quidem id dici posse uisum est. *per c. cum dilecta. de confirm. util.* Iuris tamen ratio repugnat. Neque uerò mutat d. c. cum dilecta, quia id rescriptum singulare est, & idcirco personam non egreditur. *gl. in d. c.*
4. *cum dilecta.* Denique & † regulare ex Iure Canonico est, ne se clericus negotijs secularibus immisceat, ideoque nec pro alio suscipiat causam peragendam, nisi in periculum incidere velit amittendorum privilegiorum clericorum. *c. ex literis. de uit. & hon. cler. facit, sanc. 21. q. 3. Carb. in Pract. sua. lib. 3. c. 7. num. 36.*

Consuetudo hodierna. Const. Sax. 3. *Ius Canonicũ an hic diversum.*

Ad l. licet. 42.

§. 1.) AD prosequendam actionem injuriarum ex Lege Corneliâ, rectè datur procurator, quia ea privata est. *tex. hic.* Et hoc ferè regulare est in actione injur. civiliter institutâ. *l. 11. §. agere. inf. De Injur.* Iure tamen Codicis provisum est, ut id quidem permittatur illustribus, reliquis uerò negetur. *l. ult. C. de Injur.* Quanquam & moribus hodiernis receptum est, ut quocunque modo judicio eo instituto, liceat agere per procuratorem. Non quidem quia generale sit, ab actionibus famosis procuratorem repelli, cùm certum sit in his quoque alieno quem nomine posse condemnari. *ut hic & l. 6. §. qui alieno. sup. tit. 1.* sed quia non facilè procurator admittatur, ac non aliter etiam, quàm si ad certam agatur pœnam relegatione minorem. *l. 1. An per al. caus. ap.* Quod igitur alibi juris author ait, procuratorem non facilè admitti in postulatione ...eti. *l: non solum. 39. §. fin. sup. eod.* id ita intelligendum est, nisi hoc constet nominatim mandatum. *tex. ibidem.* Nec ad rem facit, quòd aliàs causæ famosæ capitalibus comparantur, id enim ita est

Consuetudo contraria.

in favorabliibus, ut cùm agitur de delatione purgatorij juramenti, aut in integrum restitutione ob metum famæ aut vitæ auferendæ. *l. justa, ubi gl. De Manum. Vind. l. isti quidem. 8. Quod Met. caus. Dominus Bronchorst Cent. 1. c. 55.* Planè si causa suspicionis ob quã tutor accusandus uenit, adeò gravis sit, ut pœnam mereatur non minorem relegatione (quod accidit, si tutor bona pupilli fraudulenter dissipet. *l. 1. §. fin. cum l. seq.* De *Susp. tut. l. 1. §. solent. De Off. præf. urbi. Bart. ad d. l. pen. §. fin.* De *Publ. Iud.*) rectiùs dicimus nec eo casu ad accusationem suspecti, procuratorem admittendum.

Ad l. mutus. 43.

1. *Qui procuratorem dare possint & num. 2. 3. 4.*
5. *Qui prohibeantur jure Canonico. & 6.*
7. *Moribus an captus ab hostibus procuratorem dare possit.*
8. *Seruus an procuratorem dare queat.*

Videamus qui procuratorem dare possint, qui non. Et quia hoc edictum prohibitorium est, procuratorem dare possunt quicunque non uetantur. Prohibitorum uerò primi sunt qui nequeũt consentire, eoque nec per se contrahere. E diverso igitur † mutus & surdus quia consentire queunt, rectè procuratores constituunt. 1
tex. hic. Potest † & filius filiáve, quo casu actionem habent, procuratorem constituere. *l. filiusfamilias. sup. eod.* quando uerò id ita sit, 2
dicam suo loco. *inf. ad L. in factum. De Ob. & act.* De † minore sic statuimus, posse eum procuratorem constituere, qui in utilitatem illius rem gerat. *l. 14. C. eod.* Aliàs uerò quod procurator ab eo datus agit ipso jure nullum est. *l. 4. C. In quib. caus. in int. rest. necess. non est.* 3
Si † tamen curatorem habeat, authoritate ejus procuratorem constituet rectè. *l. neque tutores. C. eod. Mynsing. Cent. 2. Obs. 38.* idemque de pupillis dicemus, *d. l. 14. C. eod.* nisi quo casu in ijs diversa à minoribus ratio sit. *Vant. in trac. Nullit. tit. de Null. Ex Def. Mand.* 4
Videamus † qui plures à constitutione procuratorum prohibeantur, Inter eos igitur Iure Canonico censetur excommunicatus. *c. fin. De Procur.* nam is ne quidem cogi ad hoc potest. *gl. in c. intelleximus. 7. de Judic. quam vulgo recipiunt. TurZan. in Opin. suis. c. 126.* 5 *Ius Canon. diversum.*
Quod tamen † uix est, ut moribus obtineat, præterquam in tertiis ecclesiæ. Idem dicimus de bannito ex toto imperio aut regno; non tamen de relegato ex una aliqua regione aut territorio municipali. *Gail. lib. 2. de Pace pub. c. 12. Angel. Aret. in § 1 num. 7. Inst. Quib.* 6 *Consuetudo huius seculi.*

mod. iur. patr. pot. solu. Sed & hoc non procedit quoties bannitus actionem habet. His addunt captum ab hostibus, *l. ab hostibus. 15. inf. Ex quib. cau∫. maior.* Hoc tamen † propter jura servitutum in pleraque Europa sublata, uigente bello aliquo inter Principes Christianos, non servatur. Porro † neque procuratorem dat servus, prætterquam ad negotia. *l. servum. 33. sup. eod.* qui tamen de statu suo litigat, procuratorem date potest, quâ de re egimus suprà *in d. l. servum. §. cum uerò.* Ceterùm syndicus, 4 tutor, curator, procurator quando alium procuratorem constituant, uel minùs, dicemus infrà, *in l. nec civitatis. eod.*

Consuetudo Europæ.

8.

9.

§. Pœna non defendentis, & §. Qui non cogitur.) Vterque relatus est suprà, *ad l. si procurator. eod.* Vbi plenè docuimus, quatenus procurator alium præcisè defendere cogatur uel minùs.

§. Finalis.) Relatus est infrà *in l. Titius. 73. eod.*

Ad l. non cogendum 45.

Vide quæ posuimus suprà eod. tit. *ad l. 8. §. procuratorem.*

Ad l. qui proprio. 46.

1. *Quatenus quis nomine suo uel alterius agens procuratorem constituere possit & num. 2. 3. 5 & 6.*

4. *Azonis sententia probata contra ueterem interpretem Ioannem.*

1. QVi proprio † nomine judicium accepit, si uelit alium procura-
2. torem date, potest. *tex. hic.* Sed † procurator alterius alium constituere nequit, nisi lite jam contestata. *l. quod quis. 8 l. nulla. 23. C.*
3. *eod.* Verum † procurator in rem suam alium substituit rectè, ut & qui à domino potestatem substituendi habet. Id enim & moribus obtinet, & Iure Canonico provisum est, nisi certus tantùm substi-
4. tuendus sit nominatus. *c. 1. & 3 eod. tit. in 6.* Denique † & Azo notat etiam eum substituere posse, qui post litem contestatam constitutus est. *in l. 20. C. eod.* Quod etsi glossatori Ioanni uisum non est moribus tamen obtinuit & juri conveniens est. Cùm nihil intersit an lite jam contestatâ, an uerò ab initio procurator intervenerit. *l.*
5. *nihil C. eod.* Perinde & † ad causam agendam datus, alium substituere ad processum appellationis potest: quia ea modò litis con-
6. tinuatio est. Sed hac de re pleniùs agimus infrà, *ad. l. 62. eod.* Illud constat, quamvis procurator ad judicia alium substituere nequit

ante

ante litem contestatam, tamen ad negotia generaliter datum, alium ad negotia substituere posse. *l. 1. §. magistrum. De Exerc. act.*

§. Penult.) Relatus est infrà *ad l. qui mutuam. 59. Mand.*

Ad l. minor. 51.

MInor uiginti quinque annis, major septendecim, procurator idoneus non est, ex quibus causis in integrum restitui potest. *tex. hic.* Id uerò toties accidere putandum est, quoties ipse nomine suo uel sine mandato, nomine alterius agit. *tot tit. C. Quib. legit. pers. standi in iud. non est.* Aliàs enim mandator sibi imputabit, quòd minùs apto suæ rei commiserit curam. *l. cum mandato. inf. De Min.* & per consequentes minor procuratoris officium sustinebit rectè. Vnde & est, quod servus major septendecim annis, procuratoris habendi gratiâ potest manumitti. *§. iusta inst. Quib. ex caus. manum. non licet.* Aliter vulgo Doctores sentire, nimirum, minorem quidem procuratorem ad negotia fore, non tamen ad lites. *DD. hic.* Sed hoc jam pridem improbatum est, cùm ampliùs etiam major septendecim annis postulare queat, *l. 1. De Postul. §. p.* Id uerò procurationis munere multò grauiùs censetur. Denique nec opus foret majorem septendecim annis procuratoris habendi gratiâ manumittere, si id de procuratore ad judicia dictum non esset. *tex. in d. §. justa.* quia & servus ad negotia procurator esse posset, ut manumissione ejus rei gratia nõ foret opus. Non mutat l. exigendi 12. C. eod. quia ibi justam ætatem accipimus octodecim annorum, *ut & in l. 13. de Manum. vind.* Atque hoc anno enim Speculator observavit, *tit. de Procur. §. 1. num. 8. sequitur Dominus Bronchorst. Cent. 1. c 49.* Doctorum tamen error Pontificij juris authoritate donatus est. *c. 5. de Procur. in 6. Cujac lib. 22. Obs. 16.* *Ius Canon. diversum.*

Ad l. Neque femina. 54.

REcensentur hoc loco nonnulli qui procuratores esse nequũt, & inter ceteros, miles. Atque his ex Iure Canonico addendum est clericus. *dixi in l. 41. sup. eod. Vbi uide.*

l. procuratore. 55.

REllata est suprà *in l. 29. eod. tit.* Vbi plenè docuimus quatenus procurator in rem suam domino præferatur, uel minùs.

Ad-

Ad l, ad rem. 56.

Vide quæ ponimus latiùs infrà, *in l.62.eod.*

Ad l. Qui Procuratorem. 57.

Initium hujus legis relatum est infrà, *in l.ad legatum.62.eod.tit.* §.1.) Relatus est suprà *in l.40.§.ratihabitionis eod.tit.* Vbi plenè docuimus, an & quatenus exceptio procuratorij post litem contestatam opponi queat.

Ad l. procurator. 58. l.59. & 60.

Quatenus procurator alienare, aut transigere queat uel minùs, latiùs tradimus suprà. *Ad l. nulli procuratorum. De Transact. & l.item magistri. De Pact.*

Ad l. Plautius 61.

Vide quæ ponimus suprà, *ad l.si procurator, 28.§.fin.eod.*

Ad l. ad legatum. 62.

1. *Cui actio aliqua mandata est, etiam mandatum id censemus, quod illi necessariò præmittendum est: & è contrà, num. 2.*

3. *An procurator invitus appellationem interponat, & num. 4. Iure Can. quid in hac re juris.*

2 PRocurator 1 cui certa actio mandata est, eam quæ ad uictoriam illius præmittenda est, sine exceptione procuratorij, metuendi, exercere potest, verbi gratiâ is cui in rem actio mandata est, interdictum exercere non prohibetur. *ut hic. & l. ad rem. 56. sup. eod.* Vnde 2 uice uersa cui antecedentia mandata, eidem & consequentia mandata dicemus. *l. qui proprio. 46. §. item quæritur. & l. qui procuratorem. 57. in princip. sup. eod.* Quamobrem & datus ad pecuniam exigendam, solutionem recipere potest. *Comm. dicit Villaleb. in com. Sent. uoce. Procurator.* Atque ex hoc textu consequens est, procuratorem uel invitum non modò appellationem interponere, sed & prosequi. *l. invitus. C. eod.* Quod quidem admittunt in appellatione ab

ab interlocutoria, non autem definitivâ; præterquam si datus sit ad quascunque lites. *Bart.* & DD. *in d. l. invitus Alex. ibidem dicens communem. Tursan. opin 93. per l. Actor. C. de Appell.* Sed ego puto, & procuratorem simpliciter ad causam peragendam datum, appellationem ab omni sententia prosequi necessariò. *d. l. invitus.* C. *eod.* Vbi quia nulla interlocutoriæ mentio fit, nec nobis eadem facienda est. Nõ mutat d. l. actor. C. de Appell. quia ea procedit in simplici actore, id est dato ad observandũ terminos litis unius alicujus processus. Ab hoc enim procurator longè diversus est, cum is lite contestatâ ipsemet censeatur ejus dominus. *l. procuratorib. 22. C. eod.* adeo ut in ipsum quoque sententia feratur. *l. 1. C. de Sent. om. jud.* Est tamen Iure Canonico permissum, ut procurator simpliciter de adversitate sententiæ dominũ faciat certiorem, ut is appellet, appellationẽ verò prosequi invitus non cogatur. *c. non injuste §. fin. ex. eod.* Ceterum si appellationẽ non interponat, aut domino id non significet, tenetur hoc nomine mãdati *arg. l. 8. §. 8. inf. Mand.* Datus tamen solum ad audiendam sententiam, vix est, ut ob appellationem omissã teneatur. *arg. l. 5. in prin. inf. Mand. & arg. l. si procurator. 10.* C. *eod.* Nec impedit hic textus, quia is non procedit in dato ad unũ aliquem actum solum. Dominũ tamen maturè ejus rei certiorem facere tenetur, ut is fruatur decendio. *Ius Canon.*

Ad l. procurator. 63.

VIde quæ posuimus suprà *ad l. nulli procuratorum. De Transact.* ubi docuimus plenè quando procurator rem domini alienare queat vel minus.

l. Is cujus. 64.

PErtinet ad posita infra, *in l. Paulus respondit. 69. eod. tit. ubi eam explicamus.* & est eadem relata suprà *in l. ante. 16. & l. 17. eod.*

Ad l. si procuratorem. 65.

QVod hîc Accursius quærit, an literis domini stetur sigillo adjũcto, an minus, id indignum quæstione est, cùm penitus in facto consistat an & quatenus literæ alicujus sint, vel minus. Ideoq́ue hæc lex, rectè ait, literis ejus approbatis.

Ad l. procurator. 67.

1. *Procurator an dominus finito officio an & quando conveniendus. & num. 3. & 4.*

2 *In judiciis diversum hac in re quàm in contractibus est.*

5. *Conciliatur l. fin. De Inst. act.*

6 *In tutore & administratore civ. non ita est. & num. 7.*

1 PRocurator etiam finito officio tenetur de negotio tempore administrationis suæ gesto. *tex. hic.* Nam & dominus quidem convenitur, sed tantùm utiliter, *l. Julianus, 13. §. si procurator. 25. De*
2 *Act. emp.* Sed hoc ita est in contractibus, nam in judiciis contrarium est. *l. Plautius. sup. eod. Vide quæ ponimus suprà ad l. 18. §. fin.*
3 *eod. tit.* Planè si solius domini contemplatione contractum, dominus tenetur solus. *l. si pupilli. §. 1 inf. De Neg. gest.* Sed † aliàs ele-
5 ctio creditoris est. *l. 1. §. est autem 17. inf. De Exerc. act.* Nec ad rem facit l. ult. De Inst. act. quia ibi proponitur nudi nominis confessio, nihil uerò agitur de contractu habito cùm procuratore. Denique
6 † & diversum est in tutore uel curatore, quoniam hi ex gesto tutorio nomine habito, finito munere non conveniuntur. *l. post mortem. inf. Quand. ex facto tut.* Quemadmodum nec administratores civitatum finitis officijs tenentur. *l. 3. §. in eum. de Adm. reipubl.* At de his quatenus ita sit uidebimus latiùs infrà. *ad l. civitas. De reb. cred.*
7 Ratio † uerò diversitatis est, quod administratores itemque tutores inviti obligati censentur, quod in procuratoribus non ita est. *l. interi. 20. C. de Neg. gest.*

l. Quod procurator. 68.

PErtinet ad ea quæ ponimus suprà *in l. 27. eod.* Vbi plenè tractauimus, an & quatenus procurator domino actiones quærat.

Ad l. Paulus. 69.

1. *Qui procuratorem dedit an & quatenus ipse causam suã agere queat uel minùs & num 2. 3.*

4. *An, quando, & quomodo dominus mandatum queat revocare, 6.*

5. Expli-

5. *Explicatio l. 64. sup. eod.*

7. *Procuratore cum domino in revocatione consentiente, an adversarium oporteat consentire & 8.*

QVi ad litem tractandam procuratorem dedit, ipse interim causæ suæ non prohibetur adesse. *tex. hic.* ita tamen ut non per principalem, sed per procuratorem negotium geratur. *l. procuratoribus. 21. C. eod. l. ab exsecutore. §. fin. De Appell.* Adeò † etiam ut in eundem sententia ferenda sit. *l. 23. C. h. t.* & nulla sit, si in dominum absentem & non in procuratorem feratur. *l. 1. C. de Sent. & interloc. omn. jud.* Moribus † tamen Transisulaniæ, si de mandato constiterit, lite etiam per procuratorem actâ, sententia nihilominus in nomen domini absentis ferri potest, etiamsi procurator præsens sit. Quod & usui Cameræ convenire videtur. *Fac. Gail. 2. Obs. 109. num. 3. & per tot.* An verò † mandatum nequeat revocare, quæsitum est, & id quidem ante litem contestatam permissum est. *l. ante litem. 16. hic.* modò res adhuc integra sit. *l. si pater. C. Mand.* puta si procurator nondum sumptus exsequendi mandati causâ fecerit, aut pro eo dominus necdum judicatum solvi caverit, tum enim magis est procuratorem invitum sine causæ cognitione non removendum. *arg. l. filius. 8. §. fin. sup. eod.* Sed si quis defensor, hoc est procurator rei sine mandato caverit, is ipsâ cautione procurator est. *l. Titius. 76. inf. eod.* & consequenter tenetur judicati. *l. Plautius. sup. eod.* quod tamen de utili actione intelligimus. *Vide quæ nos ea de re latè suprà ad l. 28. §. fin. eod.* Atque eo casu † accipiendum est, quod suprà refertur, defensoris removendi causâ interponendam causæ cognitionem esse *l. is cujus. 64. eod.* Quæ est perspicua ejus legis ratio ab Accursio quæsita; cùm solius defensoris in ea mentio fiat. *Henric. à Suerin. in lib. Prel. rep. c. 12.* Quamobrem ea verba *causâ cognitâ*, ibidem non abundant, ut Cujacius ratus est. *lib. 22. Obs. 10.* Post † litem verò acceptam procurator nunquam aliter revocatur, quàm præviâ cognitione ex urgenti causâ. *dixi suprà in l. 16.* Proinde receptum est, dominum hodie solenniter citari ad procurationis exonerationem videndam: qui tamen si emaneat, postea non auditur, quòd satis sit, eum factum esse certiorem. *Dn. Vult. lib. 2. Jurispr. Rom. c. 30. num. 41. Gail. lib. 1. Ob. 46.* At † verò procuratore cum domino in revocatione post litem contestatam consentiente, quæsitum est, an adversarij consensus requiratur, quod quidem Accursio visum est. *gl. in l. post litem. 17. ad verb. cognita. in fine. verb. item hic adversarius exoneratur propter mutationem personarum. contrarium dicit Scar. in thes. Sent. 11. P. num. 292.* Alij contra *Scar. d. lo. post Ronchegall. in l. 2. num. 17. Le Duob. reis.*

Confuetudo Transisulania.

Ego respondi, rem in facto consistere, ut si magni intersit adversarij procuratorem alterius partis non removeri adversarius etiam in causæ cognitione sit audiendus. *arg. d.l. Titius.76.inf. eod.* & eo casu habet locum sententia Doctorum, si autem ob exiguam molestiam consensum ejus non requiri, idque ex sententia Ronche-
8. gallii. Atque id ita moribus servatur & rationi convenit. Nec ad rem facit l. 5.§. pen. jud. solvi, quia ibi nihil de procuratore mutando tractatur, sed solummodo id explicatur, quando heredes litigatoris defuncti per unum aut plures procuratores agere queant.

Ad l. pater. 70.

Vide quæ ponimus suprà *ad l. 34. eod.* ubi explicamus quatenus procurator in rem suam dominum defendere teneatur uel minus.

l. Absens. 71.

Relata est suprà *ad l. servum. §. publice. eod. tit.*

Ad l. per procuratorem. 72.

1. *Actiones per procuratores conservantur, non quaruntur & 2.*
3. *Quando id non ita fit. & 4.*

1. Regulare † est domino per procuratorem actiones conservari, non tamen acquiri, *per hunc tex* cum per liberam personam nihil nobis quæratur præter possessionem *l.1. C. per quas pers. nob.*
2. *acq. Vide quæ nos in l 59. inf. De Acq. rer. dom.* Et † id de directæ actionis acquisitione perpetuum est, ut rectè Accursius annotat. *gl. in*
3. *l. quod procurator. sup. eod.* Vtilis † enim actio domino datur faciliùs, nam si ex re mandantis contraxerit, invito eo hoc nomine actio est mandatori. *tex. in d l. quod procurator. l. Iulianus. 13. §. si procurator. De Act. emp.* Quod & ita est, si præsente domino procuratori fuerit promissum. *l. si procurator. 7. De Verb. obl.* Nec recipimus Cujacij sententiam, qui id ita demum admittit, si unà & ex re domini stipulatio sit facta, nam utrumque hoc conjunctim requiri nusquam relatum est, eaque ratio quærendæ domino actionis per se
4. sufficit. *Vide Subt. nostras. l. 2. c. 9.* Denique † & si aliter domino res sua servari nequeat quàm ex contractu procuratoris, utilis actio domino

domine danda est. *l. 2. De Inst. act. l. 5. in fine. De Prat. Stip. Vide Subtil. nostras. d. l. per tot.*

l. Si Reus. 73.

Relata est suprà *ad l. 5. §. fin. De his qui not. infam.*

Ad l. Nec civitatis. 74.

Civitatis nomine lites procurans, non procurator, sed actor propriè uel syndicus dicitur. *tex. hic. & in l. 6. §. 1. inf tit. 1.* Iure tamen Canonico nomina procuratoris, & syndici ferè promiscuè usurpantur. Licet propriè syndicus de actore civitatis dicatur, *ut in c. petitio uestra. & c. in causa. De Procur. c. in pertractando. & in c. imperatores. De jurejur. calum.* At hi procuratores non constituunt, nisi lite jam contestata. *l. neque. & l. neque procuratoribus. C. eod. gl. ad l. 1. sup. hic.* Ceterum aliter Iure Canonicò provisum est, Rectores ecclesiarum quasi rerum dominos, & ante litem contestatam procuratorem constituere posse. *d. c. petitio. ex. de Procur.* Iure Can. Diversitas Iuris Canonici.

Ad l. Titius 75.

Defensor qui se ultro liti obtulit cùm sciret cautum non esse, propter inopiam quæ principali accedit à defensione continuandi, & judicato soluendo non excusatur. *tex. hic.* nam & in ipsum sententia dirigitur. *l. Plautius. sup. eo. l.* Sed in procuratore qui domini mandato agit, contrarium dicimus. nam cùm paupertas principalis à lite procurandi excusat. *l. mutus 43. §. fin. sup. eod.* Nam & in hunc è contrario judicati actio non datur. *l. 4. De Re jud.* Quoties nimirum quis jussu aut ex dispositione alterius quid administrat, fortunæ aut conditionis mutatio multum operatur ad soluendum ejus mandatum. *l. liberto. 21. §. largius. in fine. De Ann. leg. fac. l. 38. in princip. & l. si cum. 82. De Solut. Bart. & Castal. hic.*

QVOD CVIVSQVE VNIVERSITATIS NOMINE VEL CONtra eam agatur.

TIT. IIII.

Ad l. 1.

SOcietates & collegia fovere prohibitum est, preter ea quæ ex Legibus, Senatusconsultis, Principum Constitutionibus sunt permissa, *tex. hic & l. 1. inf. de Colleg. prohib.* Licita uerò collegia sunt Pistorum, suariorum, Numulariorum, & diversorum opificum, quibus & ferè certa privilegia erant. *l. pen. § pen. De Iure immun, tit. C. de Privil. corp. Vrb. Roma lib. 11.* Sed hodie etiam multis in locis admittuntur collegia compotorum; malè certè. Tolli igitur ea ex civitatibus bene constitutis, reipublicæ non modo utile, sed & laudabile est. Planè collegijs licitis, & Moribus & Iure Canonico, annumerandæ sunt universitates cœnobiorum, capitulorum, & conventuum monialium. Quorum Abbates uel Præpositi interdum etiam suprema gladij potestate utuntur, ut de Abbate Hirsfeldensi, Brouwilerensi, Fuldensi notum est.

Consuetudo prava.

Ius Canon. cœnobia & collegia spiritualia admittit.

1. Collegium an sodalibus imperare pecuniam queat, & quatenus. & num. 2. & 5.

3. An & quatenus major pars collegarum in hac re præjudicet minori & num 4.

6. Sententia huius textus.

7. An princeps alteri subditus clientibus pecuniam imperare possit.

1. *§.* QVIBVS AVTEM.) Occasione † ejus quod hic dicitur, collegas seu membra societatis alicuius arcam habere communem, quæsitum est an collegium sodalibus pecuniam imperare queat. Quod syndico aut superioribus permissum non est, quia enim ij quasi in curatione publica sunt, facilè censeri hoc possit instar criminis repetundarum. *arg. l. 1. Ad L. Iul. Rep.* Quod ergo 2 † Costalius perhibet. *post gl. in fin. ad uerbum proconsul. h. t.* Vniversitatem sibi ipsi in sumptus necessarios pecuniam imperare posse, id ita

ita accipiendum est de jure contractus seu societatis, si videlicet omnes collegæ consenserint. nam jure decreti id nulli civitatum sine permissu principis licet. *l.2.&.3.C.Nova vect.inst.non posse.* Non † tamen ex juris ratione major pars hic in re præjudicabit minori (aliter quàm Costalius putat) quia hæc res inter alios acta foret. *fac.l.2.l.4.§.1 inf.de Decr. ab ord.fac.l.3 in princ.verb. quam omnibus in solidum pub lice dari placuit. De Adm.rer. ad civit.* Ceterum † bona ratione Costali, sententia admissa est, si ex conventione totius civitatis, vel privilegio Principis ordini dato, aut tempore immemoriali, quod privilegij instar est, id observatum sit ut ordo pecuniam imperare queat. Tum enim imperabit etiam ijs ad quos utilitas ex vectigali non redundat, cùm evenire possit ut id utile fiat aliquando. Quippe ijs casibus, ut & aliàs, plura suffragia vincunt. *c.1. de His quæ fiunt a majori parte cap.* Quod in omnibus collegijs quibus statuendi de re aliqua potestas est, regulare ac perpetuum est *l quod major. 19. Ad Municip.* Sed † quæsitum est, Cum incolæ corporis Bloxlantiæ reparationem portus sui, transeuntibus navibus exiguum aliquod vectigal imposuissent, idque in eam rem summè necessarium esset, nec tamen legitimum consensum ordinum ad hoc impetrassent, an id factum esset ritè: magisque dicimus id non ritè factum, *per d. tit. C. Nova Vect. inst. non posse.* Nec † ad rem facit hic textus, qui is inter collegas tantùm, seu corporis membra procedit, jure quasi societatis in ceteris igitur contrarium dicimus. Atque ita respondi de facto consultus ab illustribus Transisulaniæ ordinibus. Planè nec † Principibus qui superiori, ut imperio aut alicui regi parent, idem licet aliter quàm principe supremo consulto, quia exactiones indicere ad jura majestatis pertinet. *d.l.1.C.Nova Vect. inst. non posse.* Sed hoc hodie Consuetudine Germaniæ & Italiæ prorsus absoletum est cùm in ijs Principes, Comites, & plerique Barones etiam potestate suprema utantur.

Consuetudo Germaniæ & Italiæ diversa.

Ad l. 2.

QVod omnium est, singulorum non est. *per hunc text.* Hac de re vide nonnulla quæ nos infrà. *in l. nullus. De Testib.*

Ad l. nulli. 3. & ad l. 4.

NOtatur hic, quod in decretis corporum aut ordinum plura suffragia vincunt. *DD. hic & in l. quod major. Ad Municip.* Quod tamen de ijs accipiendum monuimus, de quibus corporibus

bus statuendi jus est. *Vide quæ posuimus ad l. 1. §. quibus autem. hic.* Citari tamen omnes oportet. *l. 2. C. de Decur. lib. 10.* Arbitri tamen plures absentibus aliquibus non rectè arbitrarentur. *l. 27. §. item si plures. inf. De Arb.* Planè quod hic refertur, si duæ partes decurionum adfuerint, numerari eum quoque quem ad agendum decreuerunt, id toties ita est, quoties ex decreto eo non singulare aliquod commodum ad actorem redundaret. *arg. tit. C. Ne quis in sua caus. jud.* Atque idcirco Moribus obtinuit, ut, quando quis ex collegis curiæ quæstuosum aliquod munus ambit, instruere is quidem, & interpellare hoc nomine collegium possit. *Panor. in c. per uestras. de Iure patron.* sed cùm res ad decernendum & dandum suffragia devênit, ambienti è numero sit surgendum.

Consuetudo dandi jus suffragii.

Ad l. Sicut. 8.

1. Quod universitati debetur an & quatenus singulis debeatur uel minùs, aut è contra. & num 2.

3. Soluta universitate an singuli partem debiti habeant. & num. 4. 5. 6. & 7.

§. SI QVID. 1.) Quod universitati debetur, singulis non debetur, nec è contra quod universitas debet, singuli debent. *tex. hic.* Unde sequitur pro debito civitatis singulos cives conveniri nô posse. Quod tamen temperandum est, nisi universitas se ipsam ac singulos cives nominatim obligarit. eo enim casu rectè receptum est, pro debito universitatis quoque conveniri singulos cives posse. Atque ita memini me non semel respondisse, & contra cives Reipublicæ Groninganæ & Campensis de facto observatum. Aliam quæstionem Accursius movet. An soluta universitate quilibet petere partem debiti possit, quod magis est. *l. 3. in princ. De Colleg. & corp. gl. hic.* Ceterùm res ecclesiæ aut capituli, quia tanquam sacra in nullius creduntur esse bonis. *§. sacra. Inst. de rer. divis.* solutis fratribus ad singulos non pertinent, sed quasi dominio cedunt Papæ uel Fisci. *arg. l. commissa. De Publ. & Vect. gl. h. c.* Quod & Consuetudine Germaniæ, Daniæ, & Belgicæ obtinuit. In quibus tamen ferè bonorum ecclesiasticorum Fiscus peculiaris est, ex quo necessaria solvuntur in usus pios templorum, scholarum, pauperum.
5. More sanè non improbando. *arg. tex. caus. 16. q. 1. c. ult.* Quod igitur dicimus soluta universitate, debitum pro parte peti ut ere ad singulos, id de ijs solùm universitatibus intelligimus, quæ jure quasi societatis uel communionis ratione possidentur, uel juris quod

Consuetudo Germaniæ & Belgicæ contra dispositionem juris.

ad

ad singulos pertinet, aliquid commune habeat, ut & accidit in communibus pratis vicorum, & agris qui à vicanis pro indiviso possidentur, quia hi solutâ communione judicio communi dividendo vel societatis, separari queunt. Sed de † bonis civitatis quæ alterius imperio subest, idem quòd de ecclesiæ dicimus. Nam cùm bona ejus quasi publica sint. *l. inter. 17. De Verb. sig.* destructâ civitate eadem quoque principi aut fisco ejus cedere dicemus. *arg. d. l. commissa. junc. arg. l. si usus fructus Qui. mod. us. amit.* Quanquam † benignius sit, si incolarum multitudo non solvatur, sed duret jure universitatis, jura quoque ei & beneficia superesse. *fac Bodin. lib. 1. de Repub. c. 6.*

DE NEGOTIIS GESTIS.

TIT. V.

l. 1. & 2.

His legibus memoratur necessitas hujus edicti.

Ad l. 3.

1. PVPILLUS SANE.) Quod hîc subjunctione particulæ adversatiuæ autem, dicitur, pupillum compensationem pati, id ita plerisque acceptum est, quasi pupillus, ejus quod accepit, quodque consumpsit, compensationem patiatur, propter obligationem naturalem; etiam in eo quo non factus est locupletior. *gl. hic. quam vulgo probant. DD.* Cujacius tamen aliter explicat, & legit, *Pupilli sane si quis negotia gessit*, & interpretatur sequentia uerba, hoc modo, Post rescriptum divi Pij, conueniri negotiorum gestorum actione contrariâ, in eo quo locupletior est, potest. Quod fere ita relatum est. *l. 6 in princ. l. litis. 37 inf. eod.* Sequitur dein, Agendo autem compensationem ejus quod gessit, patitur. Id est, si pupillus cujus negotia gesta sunt, agat directâ negotiorum gestorum actione, gestor id etiam quod gessit, queque locupletiorem pupillum fecit compensat. nam qui patitur actionem, & compensationem patitur multò magis Compensationem patiebatur pupillus ante rescriptum Divi Pij, post rescriptum, patitur etiam actionem. *Cujac. lib. 13. Obs. 7. Quo pertinet & l. pupillus. 5. in princ. De Auth. tut.* Quæ quidem interpretatio non inelegans est.

§. Et si furiosi.) Furiosus contra curatorem negotiorum gestorum habet actionem, & contra hic adversus illum, *ut hic.* Autem pro Etiam ob reciprocam illationem *conveniu l. 6. C. eod.* quod tamen de utili actione intelligendum est. *l. curatoris. 17. C. eod.*

§. Hæc verba.) Negotia defuncti ante hæreditatem aditam non dicuntur hæredis. *ut hic.* Id ita, si inspiciamus rei veritatem. Fictione tamen juris videtur hæres successisse à tempore mortis defuncti. *l. si ex re. 28. De Stip. serv. l. omnis hereditas. 138. De Reg. jur.*

§. Si executor.) Qui sui tantùm lucri causâ alterius negotia gessit, negotiorum gestorum actione tenetur. *l. 6. §. sed etsi. 3. inf. eod.* Ergo & is qui alterius negotium agens, dolum commisit; Ponamus executorem à prætore negotio meo datum, eundemque versatum dolo malo, utique is mihi tenetur. *ut hic.* Domino tamen pignoris in quod executio fit, hæc actio non datur, quia ejus negotium non intelligitur geri. Proinde si res ejus fortè nimis vili vendatur pretio, actio de dolo datur. *l. si pignora. 50. De Evict.* vel in factum.

§. Hæc actio.) Negotia alterius geruntur vel liberâ gerentis voluntate, vel urgente aliquâ necessitate, vel necessitatis saltem suspicione. DD. *hic.* Necessitate urgente gerit curator, executor; necessitatis suspicione gerit liber homo serviens bonâ fide. *l. 19. §. si libero. inf. eod. Ubi vide quatenus hic negotiorum gestorum actione teneatur.* Est etiã alia species *in l. cum pater. 29. inf. eod.* Ubi tantùm de utili actione tractatur. *l. pen. De Tut. & rat. distr.* Sed utraque actio in eundem cadet effectum. *l. 47. inf. eod. l. ob negotium. & ibi* DD. *C. h. t.* Sed qui pro tutore res pupilli administravit, cùm tutor non esset, pro negotiorum gestore non habetur; eoque in illum protutelæ actio est, distincta quodammodo ab actione hac. *l. 1. §. 6. inf. Qui pro tut. vel. cur. d. l. pen. De Tut. & rat.* Non mutat l. 4. C. qui dari tut. poss. nam ea procedit in milite qui tutor esse non potest. *gl. in §. pen. hujus legis.* Quemadmodum & accipiendus est locus Pauli. *lib. 1. Sent. cap. 4. §. fin.* Ex quo tamen Cujacius negotiorum gestorum actionem cum judicio protutelæ concurrere putat. Sed hoc confutatur perspicuo textu. *d. l. pen. De Tut. & rat. distr.*

L. 5.

Relatâ est infrà ad *l. prox.*

Ad l. 6.

1. *Negotiorum gestorum actio quando ex negotio meo sit: & num. 2.*
3. *An hic aliqua Iuris Canonici sit diversitas.*
4. *Ratihabitione quando negot. meum fiat.*

NEgotiorum † gestorum actio ut sit, contingit diversimodè. Primò cùm negotium verè meum gestum est. *ut hic in princ. & l. 5. §. interdum. & §. seq. l. 5. §. 1. h. t.* Quo casu † requirimus quod gestor sibi aliquem obligare voluerit: aliàs enim tantùm retentionem haberet, non etiam actionem. *l. si in area. 33. De Condict. indeb.* & in gestorem aliæ actiones fērent. Verbi gr. de Dolo, in Factum prætoria, ex L. Aquilia & similes pro re natâ. Sed notandum † est, quod nonnulli observant, Iure Canonico quidem negotium meum gestum intelligi, quod contemplatione mei gestum non sit, id jure civili non ita esse. *Rebach. lib. 3. de Diff. Iur. civ. & can. c. 6. Nicol. Carbo in Pract. pract. lib. 3. c. 7. num. 56.* Quanquam probabiliùs dicamus, si negotium verè meum gestum fit, modò gestor quemcunque saltem sibi obligare voluerit, etiamsi respectum mei non habuerit, tamen etiam jure civili hanc actionem esse *per l. prox. §. sed etsi. hic. item per hunc tex. & alios paulo antè allegatos.* Deinde & † negotium gestum censetur meum, cum quod meum non est negotium, ratum habui. *ut hic in §. item quæritur.* quo casu ita actio est, si is qui ratum habuit commodo ex ea re aliquo sit affectus, *§. quid ergo. pen. hic.* pariterque ejus contemplatione sit gestum. *d. §. item quæritur. hic*, aliàs non item. *§. sed si ego. hic. vide Subtil. nostras. lib. 5. c. 6. per tot.* 1. 2. 3. Ius Canon. an hic diversum. 4.

§. SI QVIS ITA.) Vers. Nam etsi.) Mandato meo negotium meum gerens, quod tecum commune habui, tibi, qui non mandasti negotiorum gestorum, mihi mandati tenetur *tex. hic.* quia negotium re ipsâ meum est. *l. si mandato. 14. C. eod.* Nec mutat l. si mandavero. 22. §. si curator. 10. inf. Mand. Vbi non in gestorem, sed mandatorem hoc casu negotiorum gestorum actio est: quia ibi gestor subintelligitur nescivisse rem esse tertij. & solius mandati intuitu gessisse, cùm in proposito sciret rem tertij esse. *ut in tex.*

§. SED SI EGO.) Relatus est ad princip. hujus l. Vers. Amicitia filij.) Vide de hoc textu inf. in l. 44. ubi solvo.

§. ITEM QVÆRITVR.) Relatus est suprà ad princip. hujus legis.

§. VIDEAMUS.) Si quis quædam negotia gessit, quædam omisit, ejusque contemplatione alius uir diligens non accessit, gestor eorum nomine quæ non gessit, tenetur hac actione. *tex. hic.* Aliàs uerò, si non alius tui contemplatione accessisset, gratum existimandum foret, uel in paucis præstitam ab amico operam esse. *l. tueri. 20. C. eod.*

Ad l. si autem. 8.

§ FINAL.) Ex duobus socijs quorum negotia geruntur à tertio, si unus prohibuerit geri alter non item, qui non prohibuit hac actione tenetur, ne alieno facto liberetur, ita tamen, ut is qui uetuit, eâ ex re non patiatur damnum. *tex. hic.* Opponi solent diversæ leges. *l 39. inf. eod. l 23. l. 40. & l. 53. inf. De Solut.* Sed earum definitiones ita accipimus, si hoc actum sit à primo prohibente ut tertius liberetur, quod in proposito diversum est.

Ad l. Pomponius. 9.

SI dominus negotium malè gestum probet, id quidem quod probatur, pro rato est, sed hoc negotiorum gestorum actionem, ad repetendum id quod apud gestorem ex negotio est, non tollit, quamdiu domino gesti nomine satisfactum non est. *ut hic.* Obstat quòd ratihabitio subsequens gestum, parit actionem mandati. *c. ratihabitio. de Reg. jur. in 6. l. semper qui non prohibet. 60. D. eod.* Vnde consequi uidebatur, hanc actionem cessare. Fuere qui propositum textum acceperunt de negotio alieno meo nomine gesto, quo casu ratihabitio non mandati sed hanc actionem producit. *l. 6. §. sed si ego. uers. nam etsi servum. sup. h. t.* alij uerò aliter. Ego ita existimo, quod nomine meo gestum est me absente, posteaque ratum habente, ejus nomine negotiorum g. actionem esse, *tex. hic* quod uerò præsente me & ratum habente gestum est, producere actionem mandati. *ut in l. qui patitur. 18. l. qui fidei. 53. inf. mand. Din. in d. c. ratihabitionem. De Reg. jur. in 6. Vide infra in d. l. qui fides Mand.* Quod itaque simpliciùs dicimus, ratihabitionem comparari mandato, id respectu effectus accipimus, quia negotiorum gestorum actio idem eo casu operetur, quod actio mandati.

Ad l. negotia. 11.

ABsentis & ignorantis negotia gerens, culpam & dolum præstat, casum ita, si inusitata patrifamilias negotia tentarit. *tex. hic.* aut hoc actum sit. *l. 22. C. eod.* Quod de culpa dicimus, id tam de levi quàm

quàm lata accipe- *l. tutori. C. eod.* Præstat enim gestor omnem diligentiam. *Paul. 1. Sent. eod. tit.* Sed & dolum præstat solum, qui amicitiá ductus accesserit, ne qua absentis negotia perirent. *l. 3. §. interdum. sup. eod.* Denique etiam gestor interdum levissimã culpam præstat, sed ita si intuitu ejus, tertius qui diligentiùs gesturus fuisset, abstinuerit. *§. 1. ubi gl. & DD. Inst. de obl. quæ ex quasi cont. nasc.*

Ad l. cum actum, 17.

MAnumissus non tenetur ex negotio in servitute gesto, nisi id ei quod jam liber gessit, ita sit conjunctum, ut ratio ejus commodè nequeat separari. *tex. hic. & l. 19. §. 1. l. quæ utiliter. 45. §. 1. inf. eod. l. 21. C. eod.* Hoc ita, nisi quid promiserit servus ut manumitteretur. nam etsi hoc casu contractum jure non intelligitur, tamen dominus in factum actionem habet. *l. 3. C. an & quan. serv. pro suo fac.* Quod de prætoria accipimus, quia civile negotium inter illum & dominum non constitit. Sed & servus, qui ex testamento ad libertatem pervenit, gestorum in servitute rationem reddere tenetur. *l. ult. § pen. C. de hær. pet.* eâdem tamen in factum, autumo actione. Quod ita Iustinianus statuit *in d. ult.* cùm olim contrà esset. *d. l. quæ utiliter §. 1. inf. eod.* Potest etiam libertus orcinus conveniri de peculio sibi legato, eò quòd hæres peculium servi desiit habere. *l. 1. §. per contrarium. De Dote præleg.* Sed hæc specialia sunt.

Ad l. atquin, 19.

§. 1.) Relatus est suprà *ad l. 7.*

§. SI LIBERO.) homini libero bonâ fide servienti si mandatum fit, quia contrahendi animū non habet, sed quod facit, necessitate servili facit, mandati actio non est. Et est igitur negotiorum gestorum *tex. hic & l. si liberi. 36. inf. eod.* In factum tamen etiam præscriptis verbis actionem habet, aut mandati utilem. *l. is qui. §. si libero. inf. Commod.* Quanquam probabiliùs dicimus, posteaquam obtinuit negotiorum gestorum uel utilem mandati esse, præscriptis uerbis actionem cessare. *arg. l. 1. 2. 3. & 4. De Præscr. uerb.*

§. Non tantum.) Ad hunc *§.* uide quæ notamus infrà *in l. 31. §. qui aliena. eod. tit.*

Ad l. Nam & Servius. 21.

1. *Argumentum huius legis.*
2. *Fides quam privatus hosti dedit servanda.*

3. *Ius marcæ seu pignorationis.*
4. *Conciliantur opposita.*

1 PLuribus † apud hostem captis, uno que dimisso ut pretium redemptionis pro omnibus adferret, si is non redeat, cæterique pro eo solvant, negotiorum gestorum actionem habent. *tex. hic.*
2 Vnde † probabiliùs colligas quod suprà monuimus, fidem quam privatus quoque hosti dedit, servandam. *Vide quæ nos in l. 6 sup. De Pact.* Nam si captivi reliqui solvendo pro dimisso negotiorum gestorum actionem habent, negotium aliquod cum hoste gerunt, & consequenter subsistit quod à dimisso cum hoste contractum
3 fuit. Sed & hoc ipsum † argumento est, captum ex jure pignorationis seu marcæ, quod moribus nostris ob factum alterius inductum est, si solverit, regressum habere adversum eum cujus id accidit
4 facto. *Costal. post Bart. hic.* Parumque ad † rem facit quod dicimus rem inter alios actam alijs non præjudicare. *per vulg.* itemque quod jure Codicis cautum est, uicaneum unum pro alterius uicanei obligatione non posse conveniri, *l. un. C. ut null. uic. pro alt. uic. debito teneatur.* namque id quidem rectè in amplissimo Romanorum imperio fuit, eò quò omnes subditi ejus eodem tenebantur regimine ac jure. Nam si cui eo tempore denegata justitia esset uel justitia non administrata, magistratibus majoribus, aut Principi conqueri eâ de re licebat. Hodie uerò ratio ejus rei diversa est, cùm imperij illius uiscera inter innumeros Principes ac populos, (quorum etiam singuli supremâ potestate utuntur) sint divisa. *arg. c. dominus noster. caus.* 23. *q.* 2. *Gail. in trac. Pign. c.* 1. *num.* 52.

Ad l. 24.

QVod gestori solvitur domino non quæritur, nisi id habeat ratum, *ut hic.* Procuratoris igitur uocem hoc loco accipimus de gestore sine mandato, ut & aliàs cùm in hoc titulo, tum in superiori. Aliud tamen est in eo qui mandatum habet. nam is etiam ignoranti domino quærit. *l. si procurator.* 13. *De Acq. rer. dom. Vide omnino quæ nos latè in l.* 59. *eod. isto tit.*

Ad l. cum pater. 29.

QVod hîc dicitur, tutorem datum posthumo, qui natus non est, teneri ex administratione sua, negotiorum gestorum, id de utili accipiendum actione est. *ut & in l. si nemo* 19. *§. fin. De test. tut.* quia directa non competit. *l. pen. De tut. & rat. distr.*

Ad l. si liberto. 31.

1. *Creditor qui literas alicujus secutus, quibus scriptor pecunias accipiendas mandat, an actionem habeat.*

2. *Quid si novatio intervenerit.*

3. *Alia quaestio affinis.*

QVi alteri 1 pecuniam mutuo accipiendam mandat, cujus literas in hoc expositas creditor secutus cum procuratore contraxit, & fidejussor intervenit, etiamsi pecunia in rem mandantis non sit uersa, fidejussori tamen uel creditori contra eū dabitur actio negotiorum gestorū, idque exemplo actionis institoriæ. *ut hic.* Quod satis notabile & in praxi frequenti in usu est. Sed quæritur, 2 An per id quod inter mandatorē & exhibitorem literarum quoque modo post eas expositas novatum est, creditori novationis ejus inscio, præjudicari queat, quod non uidetur. Atque ita respondi de facto consultus, *inter satrapam Sallandiæ & uiduam Ioannis Bernardi. arg. eum hujus text. tum l. 2. uerb. Quoniam id hoc tempore quo ueneundabatur hereditas, non est comprehensum.* C. *de Her. uel Act. Vend.* Quid ergo 4 si novationis tempore mandator ignoret, pecuniam exhibitori literarum jam esse creditam, aut literas saltem pecuniæ accipiendæ expositas, novationis tempore repetere intermiserit, & idcirco procurator ijsdem quasi etiamnum integris, pecuniam acceperit, mandator quidem sibi imputabit quòd literas priores non repetijt, & proinde ob novationem qualemcunque interpositam exceptio ei parata non erit, (Ne res inter alios acta præjudicet alijs) sed contra procuratorem qui pecuniam post mutationem mandati accepit, mandati habebit actionem.

Ad §. qui aliena, ejusdem legis, alias l. 32.

GEstor negotiorum, pecuniæ ejus quæ deductis sumptibus superest, usuras præstare tenetur. *tex. hic.* Cessant nimirum usuræ in concurrenti quantitate. *l. cum aliter. & l. idem. De Compens.* Sed ita demum gestor usuras præstabit, si dominus pecunias in fœnore habere solet. *l. qui semisses. §. quæsivi. De Vsur.* uel ipse gestor usuras ex pecunijs redegit, aut denique in morâ fuerit. *l. atquin. 19. §. non tantum. sup. eod. l. si mater. 14. De Vs.* Quantas uerò usuras præstet, infrà tractamus *in l. 3 eod. tit.*

1. *Qui mandati fines excessit an neg. gestorum actionem habeat. & 2.*

3. *Quid si disertè prohibitum sit.*

4. *Conciliatio ueterum glossatorum.*

5. *Conciliatio l. 3. § in bello. De Re mil.*

Ll.

1\. §. LIBERTOS.) Qui nomine † alterius quid ultrà expêdit aut erogavit quàm ei fuerat injunctum repetendi ejus actionem
2\. non habet. tex. hic & l. si creditor. 37. §. 1. De Pecul. Vndè consequens est, eum qui rem majori pretio comparavit quàm erat ei mánditum, reliqua non repetere per hunc tex. Atque id quidem omni dubio caret, si disertè prohibitum sit ne cariùs emeretur. l. ult. C
3\. eod. Si tamen † id disertè prohibitum non sit, an repetat quæsitum est, & repeti Martinus æstimat, Iohannes contrarium putat. gl. hic.
4\. Nos distinguimus. Vtrùm utiliter erogarit, quo casu actionem negotiorum gestorum largimur. arg. l. 2. supra. & l. quæ utiliter. 45. inf. eod. atque ita Martini sententiam accipimus: an verò inutiliter, quo casu non repetit. per hunc text. Duar. c. 1. ad tit. Mand. atque
5\. ita Ioannis sententia sumenda est. Nec mutat † l. 3. §. in bello. De Re Mil. quia ea procedit in jure belli, quod publicum est, & in quo, ob periculum reipublicæ ipsius, dux punitur etiamsi utiliter præter imperatoris jussum pugnarit. Namque & aliàs in publicis plerumque à privatis diverso utimur jure.

1\. *Argumentum hujus legis.*
2\. *Conciliatio l. 88. De Solut.*

1\. §. QVANQVAM MATER.) Mater † ductu pietatis res filij administrans non rectè eas alienat, nec etiam litium causâ actorem constituit, denique nec accipiendo pecuniam liberat debitorem.
2\. tex. hic. Non mutat † l. filiæ. 88. De Solut. quia ibi proponitur cum ipsa matre fuisse contractum. Quo casu tamen ita demum per solutionem liberatio contingit, si mater solvendo sit, aut debitor non solverit dolo malo. tex. ibidem.

1\. *Argum. textus.*
2\. *Conciliatio l. 6 Com. div.*

1\. §. Final.) QVi defendit aquæductum sibi cum alio † communem, sumptuum nomine contra alterum negotiorum ge-
2\. storum actionem habet. ut hic. Parumque † ad rem facit quod servitus aquæductus est individua, l. via 17. inf. De Seru. & quod impensæ factæ in rem individuam, communi dividundo judicio repeti solent l. 6. §. sin autem. inf. Communi divid. quia judicium communi dividundo regulariter servitutum nomine paratum non est, l. arbor. 19. § penult. & fin. eod. tit. Vnde ad hæc recurrere necesse fuit.

Ad

Ad l. fidejussor. 32.

§. Final.) SI absente puellâ, quod ei donatum à sponso est, parens suscepit, non mandati puellæ, aut depositi, sed negotiorum gestorum actio est. *tex. hic.* Quod si præsente puella quippiam à sponso donatum puellæ, receperit pater, in eundem depositi actio est. *l. dic. 25. in prin. Depos.*

Ad l. Nesennius. 34.

1. Mater uel avia quæ res nepotis administravit, quatenus repetitionem habeat uel minus. & num. 2.
3. Quid hac de re juris sit in dubio.
4. Quid si erogaris quid uitricus. & 5.
6. Quid si filius erogarit quid in rem patris. 7.
8. Quid si maritus in uxorem, dominus in famulum. & 9.

MAtri, uel aviæ, quæ nepotis res administravit, eundemque aluit de suo, si protestetur, se eo nomine pupillum uel tutores conventuram, uel alimenta retulerit in rationes impensarum, eorum nomine actio est. *tex. hic.* Extra † protestationem uerò eam uel 1
contrariam animi declarationem, præsumuntur quæ in personam 2
erogata sunt, donata: quæ uerò in rem, repetendi animo erogata. *l. alimenta. 11. & l. 15. C. eod.* In † dubio tamen id ex quantitate impensarum (etiamsi eâ de re disertè protestatum non sit) itemque facultatibus ejus cujus negotium geritur, æstimandum putant. *gl. & Sichar. ad d. l. 11. C. eod.* Quid ergo, si † uitricus quid eroget in commodum privigni? perinde distinguemus utrum donandi animo, an uerò repetendi sit erogatum. *d. l. 15. C. eod.* quia privigni ferè liberorum loco sunt. *v. Gotofr. in l. 4. § 6. De Gr. & aff.* In † oneribus tamen munerum pro privigno obeundis diversum est. *l. 3. §. 7. De Mun. & hon.* Planè † & filius negotiorum gestorum actionem habere eo nomine quod numeravit patri, nisi uidelicet solverit animo donandi. *l. si filius. 12. C. eod.* Donatio † tamen non præsumitur, nisi eam probet pater. *Alex. & alij in d. l. 12.* ac tametsi alij contrarium statuant, præsumptionemque esse potentem pro patre. *Joan. Glossator & qui eum sequuntur in d. l. 12.* putantes particulam si ibi ratiocinativè positam: sententia tamen eorum rationi absona est, cum parentes quidem thesaurisare censeantur liberis, juxta dictum Apostoli, sed non è contra. Denique quod † uxoris nomine in funus erogatum est, maritus repetit ab eo ad quem redijt dos, non item 8
quod

Maritus quatenus

repetat ero- quod erogatum est in ægrum. *l. quod uxoris. 13. C. eod. Vide tamen* *gata in fun-* quæ distinctius ponimus *infra in l. 5. §. Papinianus. de jure dot.* Quod *uxoris.* & † ad dominum referunt qui quid in famulum erogavit. *DD. in d. l. 13. Schned. in §. igitur. Inst. de Obl. ex quasi contr.* Sed hoc moribus ita temperatur, nisi dominus in famulum magnam erogarit quantitatem, & famulus eam facile solvere possit: eo enim casu benignius dicimus domino expensas simpliciter refundendas esse.

Mores hodierni in conservandis famulis mercenariis

Ad l. divortia. 35.

PRincipium hujus legis pertinet ad ea quæ ponimus infrà. *in l. non tantum. De Sent. & Re jud. quæ solet opponi. Vide solutionem ibidem.*

l. si liber homo. 36.

Relata est suprà, *ad l. atquin. 19. §. libero. eod.*

Ad l. qui sine. 38.

QUi alterius negotia administrans pecuniam in usus suos convertit, maximas tenetur præstare usuras. Hoc ita si debitum usurarium fuerit antè, aliàs enim satis est, ex non usurario usurarium constitui. *tex. hic. adde quæ posui in l. 32. sup. eod.* Nec mutat l. idemque. 10. §. si procurator. inf. Mand. quia ea procedit in mandatorio, is enim ad legitimas tantùm tenetur, quòd minùs delinquere existimetur iste, quàm qui ultro amicitiæ prætextu, ad negotia alterius sine mandato accedit, atque inde lucrum suum captat, *gl. hic in prima solutione. Pac. Cent. 2. Enant. q. 65.*

Ad l. solvendo. 39.

SOlvi potest pro invito & invitus liberatur. *tex. hic. & l. 1. § pen. De Inst. act. l. solutione. 23. l. si pro me. 40. l. solvere. 53. De solut.* Nec ad rem facit l. 8. §. fin. suprà h. t. quia ibi non proponitur actum ut tertius liberetur. Solventi tamen contra debitorem hæc actio est, nisi debitoris interfuit eam pecuniam solutam non esse. *l. cum pecuniam. 43. inf. eod.*

Ad l. si communes. 40.

PRo parte communium ædium damni infecti caveri potest. *hic & l. 6. §. si damni Comm. div.* Quod ergo alibi relatum est, cautione ab uno ex dominis præstitâ, nisi in solidum cautum fuerit, in posses-

possessionem mitti, *l. in stipulatione.* 23. *De Dam. inf.* id ita accipiendum est, ut missio fiat pro parte. An verò negotiorum gestorum actio cum judicio familiæ erciscundæ concurrat, relatum est alibi. *Vide quæ ponimus infra in l.* 25. *§. non tantum. Fam. ercis. & Subcis. nostras lib.* 1. *c.* 18.

l. cum pecunia. 43.

Relata est suprà *in l. solvendo.* 39. *eod. tit.*

Ad. l. is qui amicitia. 44.

QVi amicitiæ ac pietatis intuitu pupillorum nomine quippiam expendit, eo nomine actionem non habet. *tex. hic.* At hoc temperandum per ea est quæ posuimus suprà, *in l. Nesennius. eod.* Ex hoc verò textu notant, matrem, sumptus quos erogavit in petendo liberis tutores, non repetere, nec ceteros etiam qui amicitia paternâ aut pietate ducti idem fecêre. Sed hoc in tutorum vel suspecti postulatione singulare est, tanquam causâ omnino piâ. Aliàs enim etiam quicunque amicitiâ ductus ad negotia accessit alterius, hanc habet actionem, *l. si pupilli.* 9. *§. sed si ego. sup. eod.*

Ad l. quæ utiliter 45.

§. 1.) Huic Paragrapho solet opponi l. ult. C. de Hær. pet. sed ista abrogat hanc. *Vide supra eod. in l. cum actum.* 17. *ubi dixi.*

Ad l. actio. 47.

§. NEC REFERT, DIRECTA QVIS AN VTILI ACTIONE AGAT &c. QVIA IN EXTRAORDINARIIS IVDICIIS. &c.) Quod hic relatum est in actione negotiorum gestorum instituenda referre, directâ quis an utili conveniatur, quia in extraordinariis judiciis, ubi conceptio formularum non observatur, hæc subtilitas supervacua sit: argumentum præbet, quòd judicia non tantùm extraordinaria dicuntur in quibus ipsi præsides cognoscere solent. *ut in l.* 1. *princ. De extraord. cogn.* sed & quæ simpliciter in factum concipiebantur, neglectâ scilicet solemnitate formularum consuetâ: quæ & interdũ singulari nomine dicuntur persecutiones. *l. pecunia.* 178. *§. actionis. De verb. signif. Vide Goddæum in l. actionis.* 34. *num.* 11. *eod. tit. fac. Cujac. lib.* 13. *obs.* 11. *Nos alibi commodius.* Directa uerò actio dicitur quæ ex uerbis & mente juris promanat, utilis è diverso quæ ex comparatione juris scripti, extra uerba & mentem authoris, utilitatis gratiâ est invẽta. *arg. l. pen. si quadr. paup. fecisse dic. Costal. hic.*

DE CALVMNIATORIBVS.

TIT. VI.

Ad l. 1.

CAlumniator est, qui alicui negotium in judicio fraude doloque facit. *Paul. 1. Sent. h. t.* Id ita est sive quis judicio privato, sive publico calumnietur, *ut hic in §. 1.* Generatim enim hujus tituli edictum directum in eos est, qui ut alteri calumniam faciant uel nō faciant, pecuniam accipiunt. Ij igitur intra annum à tempore scientiæ. *l. 6. inf. eod.* in quadruplum, post annum in simplum in factum actione tenentur. *tex. hic.* idque ad exemplum actionis, Quod metus causâ, aut vi bonorum raptorum eatenus puta, ut simplum quadruplo insit. *l. 5. §. pen. inf. eod.*

l. 5.

Relata est suprà ad l. 1.

l. 6.

Relata est suprà ad l. 1.

Ad l. si ab eo. 8.

1. *Qui hoc edicto teneantur. & num. 2.*
3. *Cujacij observatio.*
4. *Hodie quid juris de calumniatoribus.*
5. *Mos priscus.*
6. *Ius Canonicum.*

1. QVi specie † criminis instituti innocenti pecuniam extorsit, hoc
edicto tenetur, & præterea extra ordinem pro qualitate admissi
2. punitur. *tex. hic.* Quod † & ad calumniosos judicio pecuniario per-
tinet. *Paul. 1. Sent. c. 5. l. 3. inf. Ad SC. Turp. Cujac. ad dict. Pauli lo-*
3. *cum.* Qui tamen † eundem locum emendat, ut pro publicis legatur
extraordinarijs. Rectè uerò, quia publici iudicij calumniator pœna
Legis Remmiæ puniri solet. *l. 1. §. 1. Ad SC. Turp. l. quæsitum De*
Testib. Idem Cujacius, quia hodie omnia † crimina extra ordinem (Consuetudo ex Iure nostro derivata.)
puniuntur, *l. ordo. De Pub. jud. l. lex. §. fin. Ad l. Iul. Rep. l. ult. Ad l.*
Fab. Cujac. lib. 8. Obs. 33. etiam calumniosos judicio publico ita
4. puniendos admittit, *ut in d. lo. Pauli scriptum est vulgo.* Solet quo-
5. que calumniator † judicij publici K. literâ in fronte notari, *Cic. pro*
Rosc. fac. l. 13. De Testib. Quod postea sublatum est, *l. 17. C. de*
6. *Pœn.* Iure † uerò Canonico clericus calumniator in criminibus,
privatur officio, & in exilium mittitur. *c. 1. de Calumn.* Ordinaria (Ius Canon. in hac re.)

tamen

tamen pœna eo quoque jure, similitudo supplicij esse videtur. *c. 2. caus. 2 q. 3. & c. 2. q. 6. caus. 5. vide late Joan. Bernar. Dias. in Pract. Crim. Can. c. 59. per tot.*

LIBER QVARTVS.

DE IN INTEGRVM RESTITVTIONIBVS.

TIT. I.

Ad l. 1.

Restitutio in integrum, quæ ex diversis procedit causis, *ut hic & l. prox. inf.* est redintegrandæ rei vel causæ actio, *Paul 1. Sent. 7. c.* ubi tamen restitutio ponitur pro ipsa rescissoria actione, cùm aliàs significet actum, quo quis contra jus perditum restituitur. *Cujac. ad Paul. d. l. Donell. in § rursus. Inst. de Act.* Strictâ tamen actionis significatione non venit. *l. actionis 34. De Verb. Sign.* Hæc interdum extraordinarium juris remedium dicitur, eò quòd ferè contra jus detur, *l. in causa. 16. inf. De Minor.* An verò restitutionis causa apud quemcumque judicẽ tractari queat, olim quidem videtur quodammodo ventilatum: sed obtinuit apud quemvis judicem eam tractari posse qui jurisdictionem habet, sive eam suam habeat, sive ab altero sibi mandatam. Nõ tamen delegatus, aut consensu partium electus, multoque minùs arbiter, restituendi facultatem habet. *l ult. C. ubi & ap. quem Cogn. in int. Rest. ag.* Iure tamen Canonico delegati aut arbitri de causis restitutionum quæ in alias incidunt per accidens, cognoscũt rectè. *c. pen. eod. tit.* Quod tamen & Iuri Codicis conveniens videtur. *d. l. ult. in fine.* & moribus obtinet. *Wurmſ. in Obſ. Pr. tit. 3.* Moribus verò Galliæ tam inferior magistratus quàm superior jurisdictionem in integrum restitutionis habet (modò ad utrumque causa gradatim pertinere queat) sed præfertur uter priùs hoc nomine fuerit interpellatus. *Imbert. in Inst. foren. lib. 1. c. 23.* Restitutionem tamen à Principe impetratam esse oportet, cujus cognitio deinde iudici relinquitur. *Imbert. in dic. lib. 1. Inst. For. c. 34.* Quemadmodum & in Hollandia à suprema curia priùs restitutionis beneficium impetratur,

Ius Canon. diversum.

Consuetudo Galliæ diversa in hac re.

tratur, & cognitio dein ejusdem competenti relinquitur tribunali. Dominus Merula in Praxi Holl.

Ad l. scio. 4.

1. *Quae ratio rei minutae in Rest. sit.*
2. *In minutis judicij solemnitates cessant.*

1 OB rem minimam, si per hoc rei majori praejudicium 4 detur, restitutio negatur *tex. hic.* Ponamus cum Accursio, minorem res plures comparantem in una aliqua non graviter decipi, benignius dicimus restitutionem non dari, *gl. hic.* Planè & in casibus nullitatum idem dicimus, nimirum ut ob minimam solennitatem omissam res tota non uitietur. *per hunc tex.* Atque ita respondi aliquoties de facto consultus. *arg. l. res. De Contr. emp.* Et ferè perpetuum est in ijs quae contra rationem juris introducta sunt, ut minimi ratio non habeatur. *Bart. & Cost. hic arg. hujus tex.* cùm in ijs quae secundùm juris regulam fiunt, ferè contrarium fit. *l. si proprietarius. 22. in fine princ. De dam. inf.* ideoque de minutis quoque appellatio recipitur. *c. de appellationibus. ex. de Appell.* Denique & obtinuit in
2 rebus 4 minimis judiciorum solennitatem non attendi, sed eas absolvi, quoad fieri potest, de facto. *Auth. nisi breves. C. de Sent. ex per. recit.* Vnde Andreas Tiraquellus uir nunquam satis laudandus, & in jure nostro uersatissimus, singularem tractum conscripsit & edidit, DE IUDICIO IN REBUS EXIGUIS FERENDO. Et uerò si in ijs observatâ solennitate consueta procedatur, sumptus & expensae saepissimè excedent momentum totius causae. Quod equidem aliàs memini contigisse, sed malo profecto exemplo. Rectè igitur Curia Parisiensis judicem mulctavit, qui in causa 5. solidorum ordinario judicio cognoverat. *Costal. hic.* Quod & observandum ego aliàs respondi de facto consultus.

Ad l. 5.

NEMO UIDETUR RE EXCLUSUS, QUEM PRAETOR IN INTEGRUM SE RESTITUTUM POLLICETUR. Videtur ait juris author, quod hic, ut & aliàs, notam refert improprietatis. *gl. ult. hic. in uerb. Fideicommissi sequitur Costal. ib.* cùm propriè possessio: rei ejus non censeatur. *Bart. hic.* Quamobrem quod restitutione in integrum obtineri potest, non attenditur quamdiu restitutio ipso effectu nondum est impetrata *l. 4. §. 1. De Fideicom. lib. fac. l. ult. in fine. De Condict. indeb.* Vnde quaesitum est, an minore condemnato restitutionis beneficium

cium temorati exsecutionem judicati queat, quod non uidetur, *per d.l.4.§.1.& not.* DD.*hic*. Atque ita respondi de facto consultus inter dominos de Rhede. Qui uerò hac de re plura requirit, uideat quæ ponimus infrà *in l. si prætor. 75. De Judic.*

Ad l. Diuus.

NOn est contumax qui ex justa causa tardiùs ad judicium uenit, uenit tamen judice adhuc sedente pro tribunali, maximè si id adversarij fraude fiat, *tex. hic. & l. si prætor. 75. inf. De Iudic.* ubi parum rectè Bartolus, sententiam latam contra absentem ex justa causa, esse nullam, rectiùs Accursius, Restitutionem requiri. Idque probat hic textus. Non mutat l. quæsitum. 10. De Re jud. quia ibi proponitur febricitans à judicio recessisse, eoque & judicem scivisse, partem alteram ex justa causa abesse. Cùm enim sciverit eo casu contumacem non esse, rectiùs dicimus, condemnando eum tanquam contumacem, nihil agere. Planè, si dolo uictoris contra absentem judicatum sit, propter authoritatem judicati, quidem ablati, per exsecutionem repetitio non est, stellionatus tamen uictor tenetur *l. si fidejussor §. in omnibus. Mand.* uel super hoc etiam in causa restitutionis cognosci potest. *d. l. si prætor. 75. ubi uide quæ notati, De Iudic.*

l. ultima.

REIata est infrà *in l. sed etsi. 26. §. 1. Quib. Ex caus. major.* ubi plenè tradimus an & quatenus absens qui procuratorem reliquit, sit restituendus. *Relata est etiam in l. si prætor. 75. De Judic.*

QVOD METVS CAVSA GESTVM ERIT.

TIT. II.

Ad l. 1.

BEnigna æquitas hoc edictum genuit, quia uis & metus contraria sunt liberæ uoluntati. *tex. hic.* Liberæ, inquam, quia & coactus consentiens, uerè consentit. *l. 21. §. penul. inf. & l. si metus. 85. De Acq. her.* quanquam si interim aliud cogitet, pro consentiente habetur. *l. 6. §. fin. De Acq. her.*

Ad l. continet. 3. & ad l. 4.

1. *Metus qualis requiratur ut locus edicto sit.*
2. *Quid juris sit si quid metu reverentiali gestum sit. & 4. & 5.*
3. *Quid de ægroto qui ad instantiam amicorum quid promisit.*
6. *Duareni disputatio soluta.*
7. *Conciliatio diversarum legum oppositarum. & n. 8.*
9. *In muliere quantus requiratur metus.*

1. §. SED HIM.) Metus qui huic edicto locum faciat, ex ui † injusta atque atroci procedat oportet, adeò ut is facilè quoque moveat uirum constantem, *ut hic.* Nec igitur metus reverentialis in hoc edictum uenit *tex & DD. in l. ad invidiam. 6. & l. 8.* C. *eod.* Sed
2. ei, qui † quid dignitatis aut potentiæ metu, uel etiam reverentiâ paterna ductus, magno cum suo detrimento gessit, officio iudicis subveniendum, (ex clausula. SI QVA MIHI IUSTA) aut eo nomine actionem denegandam magis dicimus. *l. 1. §. qua onerandæ.*
3. *Quar. rer. act. non dat. l. pen. De Furt. l. pen. inf. h. t.* Et hæc † interpretes etiam ad ægrotum retulerunt, qui simpliciter ad instantiam amicorum quid donavit, quia scilicet ægrotus timere potuerit, ne deseratur si deneget postulata, eoque putant, posse eum, ubi convaluerit, datum repetere *Zas. & Schneid. in §. quadrupli. Inst. de Act.* Quod tamen non aliter admittendum est, quàm si donatum uel promissum, pro conditione ægroti magnum sit, & circumstantiæ
4. judicem moveant id improbandum. Verùm † omne hoc quod de metu reverentiali dicimus, ita temperant, si uerbera uel saltem minæ accedant. *Innocen. in c. causam matrimonij. quem sequuntur ibi-*
5. *dem. Bal. & Abb. de Off. deleg.* Ceterùm † & in factum, actionem ob id quod metu reverentiali gestum est, concedimus haud ineptè. *l.*
6. *si superflue. in fine C. de Dolo.* Denique tametsi Duarenus † disputandi causâ defendat, ob metum reverentialem actum non infringendum, *Duar. in Comment. ad h. t.* tamen id nec moribus admissum est,
7. nec interpretibus receptum. Neque uerò † ad rem facit l. si patre cogente. De Ritu nupt. cùm eius ratio specialis sit, quia ad contractum matrimonij jure civili etiam requiritur consensus paren-
8. tum. Nec † mutat etiam l. fidejussor. §. 1. De Pign. quia ibi nec de læsione constat, nec ipso etiam reverentiali metu, quem tamen Doctores in quæstione proposita requirunt ante omnia. *Covarr. in*

sum

pit. de Sponsal. par. 2. §. 6. num. 4. Planè † ad ipsam quod metus cau-
sâ actionem quantum attinet, appositè dicimus, in fœmina nō tan-
tum metum requiri quantum in viro, & sufficere in ea talem qui
cadat in fœminam constantem. Panorm. in c. veniens. & in c. consul-
tationibus, ex. eod. Boer. decis. 100. num. 2. cum multis allegatis.

Ad l. nec timorem 7.

Metus infamiæ non facit locum edicto, ut hic. nisi infamia realis sit admixtum crimen habens, l. prox. §. pen. inf.

§. 1.) Si quis in adulterio aut simili flagitio deprehensus, metu mortis quid dederit, restituitur. ut hic. Prætor enim in hac re non respicit, an quis adulter sit, sed simpliciùs an metu graviori sit extortum. l. prox. inf. Nec mutat l. 4. De Condict. ind. etsi enim condictio indebiti non sit ubi utriusque turpitudo uersatur, nihilo tamen minùs in casu proposito hæc actio est. Verè enim metu mortis dedit, cùm proditus his quos tangit delicti dolor, potuit uel nō jure occidi. Cujac. hic. Duar. c. 1. h. t. Atque ita decisum memoratus in Rota regni Arragonum. Monterus in Decis. Arrag. c. 45.

Ad l. isti. 8.

§. Hæc quæ diximus.) Iustum metum quispiam & in liberis timet. ut hic. Quod & ad conjugem ac consanguineos interpretes referunt. Sichar. in Rub. C. eod.

§. Penultimus.) Relatus est suprà in l. prox.

Ad l. metum. 9.

Metus qui restitutioni aut huic actioni faciat locum, præsens sit oportet, non futurus. ut hic. Potest tamen metus etiam esse justus futuri periculi respectu. l. 1. sup. eod. modo sit talis qui in præsenti justum metum producat. Neque enim qui rumore uano, ob id quod intellexit uenire armatos, reliquit fundum, restituitur ex hoc edicto. ut hic. Cùm contrarium sit, si re ipsâ conspexerim armatos ad fundum meum contendere, eoque illum deseruerim, tum enim ui dejectus uideor, l. non solum. 33. §. si dominus. De V sucap.

§ Animaduertendum.) Etiam ciuitas uel collegium quod uim intulit aut metu quid abstulit, hac actione conueniri potest. ut hic & arg. Auth item nulla C. de Episc. & cler. Atqui municipes ex dolo non conveniuntur, nisi quatenus ad eos pervenit. l. 15. §. 1. De

Dolo. sed hoc ita intellige, si nō omnium communicato consilio aut saltem major eorum pars deliquit. *fac. l. aliud. 160. §. refertur. De Reg. jur.* nam si minor pars deliquerit, non communicato tamen consilio corporis totius, etiamsi decuriones id fecerint, nihilominus soli delinquentes tenentur. *d. l.* 15. §. 1. Quod licet alijs uisum non est, qui existimant universitatem quidem in omittendo non tamen in committendo delinquere posse. *Immola quem refert Cin. in l. si quis in tantam, C. unde vi.* distinctio tamen nostra rationi convenit & textui *hujus legis & Auth. item nulla. C. de Episc. & cler.* eoque & in praxi recepta est, & interpretibus communiter probata. *Bart. in l. aut facta. §. 1. De Pœn. Panorm. in c. cum dilectus. de Simon. communem dicit Mins. Cent. 4. Ob. 78. & 79. per tot.* Dominus *Bronchorst Cent.* 1. *Contron. c.* 59. Nec ad rem facit, quod universitas solummodo corpus fictum dicitur, referens tantùm personam aliorū. *l. mortuo.* 22. *De Fidejuss.* id ipsum enim arguit potiùs & probat sententiā & consuetudinem cōmunem, quā universitas uel per majorem corporis sui partem, uel cōmuni prævio consilio delinquere posse cēsetur, cū eā ipsā ratione sit instar personæ singularis. *d. l.* 22. Planè omne id quod de delicto municipū dictū est, idē & ad ecclesiā pertinet, ut nimirū dolus ac uis prælati in damnū capitulariū non redūdet. *c. delictū. de Reg. jur. in 6.* nisi prævio capituli cōsilio sit cōmissus. *tex. &* DD. *in l. jubemus. C. de Sacros. eccl. Dyn. in d. c. delictū.*

§. IDEM POMPONIVS.) Qui vi coactus servum manumisit, hanc actionem habet. *tex. hic.* Obstat quod contra manumissionem restitutio non est. *l. & eleganter l. 7. in prin. inf. De Dolo. si ex causa. §. fin. De Minorib. & tit. C. Si advers. lib.* Verùm ex hoc edicto hactenus actio non restituitur contra servum, ne redigatur in servitutem, sed contra eum qui dominum coēgit agitur ad id quod interest. *gl. post Ioann. hic.* Duobus tamen casibus evenit ut manumissio vi extorta non ualeat: puta, si ipse servus dominum ad manumissionem adigat. *l. 9. Qui & à quib. manum. lib. non fiant.* uel populus municipij alicujus idem faciat. *l. si privatus. 17. eod. isto tit.*

§. Sed quod Prætor ait. & §. Sed ex facto) Quod metu gestum est prætor non censet ratum. Id ita accipiendum ut is cui vis illata est, habeat tam actionem quàm exceptionem, sive jam perfecta res sit, hoc est, numeratio, liberatio, traditio sit secuta, uel imperfecta. *tex. hic.* Perfecta nimirum re actio datur quā promissio uel actus rescindatur, exceptio tum datur, cum res quoquo modo ad eum cui uis illata est, pervenit, uel etiamnum apud eum ipsum est. Ponamus servitutem alicui per uim extortam & cessam esse, eo casu tam parata exceptio quàm actio est. Imperfectā adhuc re competit actio ad rescindendam promissionem, uel exceptio opponenda actioni hinc extortæ. At quomodo stipulatio metu interposita rescinditur?

datâ nimirum actione. Quod metus causâ, quâ stipulator inbeatur obligationem acceptò ferre, quod ni faciat, in quadruplum condemnatur. *§. ex hoc edicto. pen. infra in ead. hac lege.* Denique rebus perfectis, putà stipulationem secuta numeratione, hac actione numeratio ita demum rescinditur, si utraque metu sit extorta. Nam si ex justa causa debeam, & sola mihi extorqueatur numeratio, uim inferens quidem in legem Iuliam cadit, & jus crediti amittit, non tamen hoc edicto mihi provisum est, quod damnum præsupponit. *l. 1 ... §. fin. l. 13. & l. 14. in princ. inf. h. t.* Perinde si stipulatio extorta sit sola, numeratio uerò uoluntate liberâ, condictio quidem competit ob injustam causam. *l. ex ea. De Cond. ob turp. caus.* non tamen restitutio ex hoc edicto. *l. 2. C. h. t. gl. & Cujac. hic Fach. lib. 10. Cont. c. 16.* Denique traditione ui extorta, restitutio facienda est cum cautione de Dolo, ne fortè res sit facta deterior. *d. §. ex hoc. inf. ead. l.*

§. VOLENTI AUTEM DATUR ET IN REM ACTIO, ET IN PERSONAM, RESCISSA ACCEPTILATIONE UEL ALIA LIBERATIONE) Hic textus à glossa & Doctoribus nimium est implicitus, nos ut eum solidè tractemus, simpliciùs explicabimus. Sensus ejus est, Metu coacto paratam esse pristinam in rem actionem, rescissâ nimirum traditione: uel actionem in personam, rescissâ liberatione. Vtroque tamē casu concurrit actio, Quod metus causa. *Cujac. & Duar. hic.* Atque id hoc loco exprimitur emphasi quâdam, in uoce *uolenti.* Quasi dicat juris author, Volenti non tantùm actio Quod metus causa est, sed & pristina. rescisso negotio per metum gesto, In rem tamen pristinâ, uel in personam, electâ consumitur altera. *§. licet, inf. hic. l. si mulier 21. §. fin. inf. eod.* Nam & metus causa actio in quadruplum, continet rem uel æstimationem ejus. Sed quod dicimus de pristina in rem uel in personam actione, de utili accipimus. Sunt enim rescissoriæ restitutoriæque actiones omnes utiles. *d. l. si mulier. §. fin. h. t. §. si quis stipulatus. 43. inf. Ex quib. caus. major. l. ult. C. eod.* Doctores nostri quidem in hoc textu in rem actionem pristinam intelligunt, sed actionem in personam ponunt pro ipsa actione quod metus causa, parum tamen ingenuè aut concinnè.

§. Licet.) Relatus est ad *§.* Volenti. hic.

§ Ex hoc edicto.) Relatus est suprà *ad §. sed quod prætor.*

§. Final.) Actio quod metus causa est in rem scripta, *ut hic* quia datur adversus quemcunque possidentem, etiam qui metum non intulit. *l. quod diximus. 16. in princ. inf. eod.* & licet alius possideat tamen tenetur is qui nō intulit metum. *l. aliquando. 14. inf. eod.* Sed & qui curavit ut alteri metus inferretur, tenetur. *in fine. §. prim. in ead. h. ea lege.* In rē uerò scripta ideo dicitur, quia ui ipsa respectu personæ (ob metū scilicet illatū) scriptura uerò in rē accipitur, quanquā neo

personam ejus qui metum intulit nominari requiramus, quod sufficiat probari, rem metu fuisse ablatam. *l. item. 14. §. in hac. inf. eod.*

Ad l. 10. & 11.

PEr metum sublata obligatione principali, tollitur etiam obligatio fidejussorum, sed eadem illa restituta, accessoria quoque hæc à fidejussoribus restituenda est. *ut hic in l. 10.* Non tamen fidejussor, qui metu per tertium illato liberatus est, rei principalis obligationem restituere tenetur, sed suam solam. *ut hic in l. 11.*

Ad l. sed ad partus. 12.

PRincip.) Venit in hoc judicium partus, fructus & omnis causa, denique etiam id quod interest rem metu non fuisse ablatam. Fructus autem intelligimus non modò perceptos, sed & qui percipi potuissent, *tex. hic.* nam qui metu alicui rem extorsit malæ fidei possessor est. Is verò regulariter etiam ad percipiendos tenetur. Nec mutat l. si fundum. C. de Rei Vind. ubi solùm mentio fit fructuum perceptorum: quia intelligendum est id rescriptum esse datum ad facti speciem de solis perceptis propositam, cùm de percipiendis quæsitum non esset, quod fortè vel exiguo tempore malæ fidei possessor rem tenuisset, vel eam industriam in percipiendo fructus adhibuisset quæ requiri ab eo quoquo modo posset. Planè quod dicimus, rem cum fructu restituendam & omni causâ, omne id quoque quadruplari, ni restitutio fiat, intelligimus. *l. 14. §. 1. & §. 7. inf. eod.*

§. 1.) Relatus est infrà *in l. prox.*

§. Finalis.) Relatus est suprà *in l. 9. §. Sed quod prætor ait. eod.*

Ad l. extat. 13.

1. Qui ipse sibi ius dicit quid perdat.
2. Metu ac vi reciprocâ illatâ quid juris.
3. Conciliatio diversarum legum.
4. Diversæ limitationes ab hac lege, quibus cuique sibi ius dicere permissum est. & 5. 6. 7.

1. QVi propriâ authoritate sibi jus dicit, ita ut rem suam aut sibi ab alio debitam, vel rem quamcunque debiti sui nomine aufert alteri, jus suum amittit. *tex. hic. & l. pen. inf. Ad L. Iul. de vi priv.*

priu. l. si quis in tantam. C. unde ui. Et prætereà Legi Iuliæ de ui privata subjacet. *l. ult. inf. d. tit. De ui priu.* Sed † quod metu reciproco alteri eripui, qui mihi uim intulerat, non restituo, quod ea uiolentia species permissa sit, *l. prox. §. 1. supra hic.* etiam jure naturæ. *l. ut uim. De Iust. & Iure.* Nec mutat † l. 1. in princ. Quod leg. quia ibi proponitur apprehensa possessio hæreditariæ rei. Possessio autem rerum hæreditariarum uacare intelligitur, quamdiu ipsæ necdum sunt apprehensæ. *l. 1. §. Scævola. Si quis test. lib. esse iuss. fit.* Minusque ad rem facit l. qui uas. 48. in princ. De Furt. quia ibi auferre significat judicio auferre. Ceterùm † quod dicimus, nemini licitum rem authoritate suâ sine judicis authoritate apprehendere, cùm hoc semper moderamine accipiendum est, si non consensu possessoris uel debitoris rem meam uel mihi debitam accepissem. *ut hic. d. l. pen. Ad L. Iul. de Vi priu & l. pen. C. de Pign. Act.* Quod † ergo in l. 1. C. de Pign. relatum est, Creditorem qui ex pacto possessionem ingreditur, judicis authoritatem invocare teneri, id eò pertinet, ut invitâ parte adversâ non liceat ingredi. Possessor † tamen rei, in quam contra ipsius uoluntatem aliquid est infixum, id ipsum suâ quoque authoritate evellere potest. *l. quemadmodum. 29. §. 1. Ad L. Aq.* quia nimirum is nemini rem suam aufert, sed solummodò ejicit, quod strictâ juris naturalis ratione proprium ipsius est. Olim quoque militem desertorem † militiæ, cuique sine judice opprimere & occidere permissum fuit. *l. 2. C. Quan. lic. cuique se sine jud. uind.* Quod tamen moribus nostris uix receptum est, nisi fortè uelut latro aut populator uagetur. *arg. l. 1. d. t. C.*

4
5
6
7
8
9
Consuetudo contraria.

Ad l. item. 14.

§. 1.) RElatus est infrà *in l. 21. §. quod metus. eod. tit.* & rursus *in ead. hac l. infrà. in §. Hac autem actio.*

§. In hac actione.*)* Ad hunc §. uide quæ posuimus suprà, *ad l. metum. 9. § fin. eod. tit.*

§. Hæc autem actio.) Actio quod metus causâ arbitraria est, *ut hic & l. 16. §. 1. sup. eod.* Qua condemnatur reus ut rem restituat cum sua causa, ac nisi id faciat, in quadruplum. *ut in §. 1. sup. ead. hac lege.* Post annum tamen sola in simplum actio est. *ut sup. in §. post annum in ead. hac lege.* Denique restituendi facultatem reus ad sententiam usque definitivam habet. *ut hic.* Doctores autem, ne judicio illudat reus, certum tempus à judice perhibet restitutioni præfiniendum. *Schneid. in §. quadrupli. num. 61. Inst. de Action.* Quod ex causa admitti potest, si tamen id factum non sit, haud dubiè tempus judicati et rei finem dabit. *per hunc text.* Sed quæsitum est, An

jussus

jussus restituendæ rei ablatæ, sententia definitiva sit an interlocutoria. Accursius quidem utramque sententiam & jussum inquam restituendi, & condemnationem in quadruplum, censuit definitivam. *Accurs. hic veterem Ioann. secutus.* Alijs tamen aliter uisũ fuit, *allegante gl. hic in uerb. datam.* quia super eadem re duæ sententiæ non ferantur. *l. 1. C. Sent. resc. non posse. & arg. l. judex. De Re jud. infra.* Vtraque tamen sententia uera est, sed diverso respectu. Definitiva enim utraque est, considerato effectu. Atque ita accipienda est sententia Accursij. Prior uerò interlocutoria & altera definitiva est sola, respectu ordinis. Sed ita demùm, si re ipsa condemnatio in quadruplum sequatur.

1. *Ingenuum huius loci argumentum. & nuns. 3.*
2. *Dubius locus huius §. explicatur.*
4. *Cuius periculo res quaque pereat. Remissiue.*

§. QVOD SI HOMO.) Hic textus à Doctoribus nimis est distortus, sed si eum non transcendamus, minori laborat difficultate.
1 Definitur † igitur eodem: Periculum rei metu ablatæ spectare ad eum qui alteri uim intulit. *conveniunt l. 1. C. eod.* Præterquam si res perierit post sententiam intra tempora judicati, tunc enim benignè à
2 rei ipsius præstatione liberatus censetur, quia pœnam tripli præstare tenetur, *tex. hic.* Videtur † tamen dubius is huius paragraphi locus: SED ET SI NON CULPA EIUS AB EO QVO CUM AGITUR ABERIT, SI TAMEN PERITURA RES NON FUERIT, SI METUM NON ADHIBUISSET, TENEBITUR REUS. Paulò enim antè dictum erat simpliciter, & quidem adversariuè quasi à casu priori, Pereunte re ante
3 sententiam, periculum ejus esse qui abstulit. Ceterùm † locus hic referendus est ad ea quæ juris author priùs posuerat de tempore judicati, nimirum, ut intra hoc, re pereunte, quæ metu non illato servata fuisset, reus nihilominus eius quoque nomine teneatur.
4 Quod & alijs nonnullis actionibus, perpaucis tamen, convenire uidetur. Sed † nos de tota hac re pleniùs alibi agimus. *in l. 5. inf. De Reb. cred. ubi. uide quæ differimus de periculo rei, quæ alteri debetur, latè.*

Ad l 16 & l uideamus. 17.

HÆc lex in eo notanda est, quod hæres hæredis ex metu illato tenetur, modò ad hæredem primum quid pervenerit, etiamsi ille id consumpserit, & ad hæredem hæredis ipsum, ejus pervenerit nihil. Denique & Iure Canonico rescriptum est, indistinctè ex maleficio etiam cum conventum posse ad quem aliud ulteriùs pervenerit ex bonis delinquentis. *tex. & gl. in c. a. l. de Sepultu. Panorm. ibidem.* (margin: *Ius Canon. diversum*)

Vnde

Unde & annotatum est, hæredem ad restitutionem improbi fœnoris teneri, licet parum constet ex eo quicquam ad illum pervenisse. *Costal. hic in l. 16. allegans Michael de Vs.* Quod & ita ferè in nostris ecclesiæ videmus observari.

Ad l. si mulier. 21.

1. *Quid sit, quod Prætor metu gestum ratum non habet. & 3.*
2. *Constitutio Galliæ de temporibus in integ. restitut.*
4. *Quæ præscriptio demum prætoris edicto huic obstet.*
5. *Quid juris sit in præscriptione possessoris qui ipse metum non intulit.*
6. *Conciliatur l. ult. C. si quis à non dom. manumis.*

§. QVOD METUS CAUSA GESTUM EST, NULLO TEMPORE PRÆTOR RATUM HABEBIT.) Id eò pertinet [1] ut intelligatur, exceptionem Metus perpetuam esse. *l. purè. 5. §. fin. & tot. tit. De Doli & met. excep.* Sed & actio post annum utilem (cui jure novo successit quadriennium continuum, *l. ult. C. de Temp. in int. rest.*) in simplum, est perpetua. *l. item. 14. §. 1. ubi DD. sup. eod.* Constitutione tamen [2] Galliæ Restitutionis beneficio decimo demum anno præscribitur. *Imbert. in Inst. For. lib. 1. c. 34.* Planè [3] quod dicimus metu gestum nullo tempore ratum haberi à prætore, cum moderamine accipiendum est, nisi novus supervenerit consensus. *l. 2. C. eod.* aut etiam præscriptio triginta annorum. Decem tamen [4] aut viginti annorum præscriptionem hic non admittimus, quia nimirum titulus ita extortus vitiosus est. *l. prox. inf.* Quando enim præscriptio hæc, præter possessionem legitimo tempore continuatam, requirit titulum justum, justus autem titulus dici nequit, qui replicatione doli vel metus potest elidi: rectiùs dicimus, actionem in factum de qua agimus, effectu ipso annos triginta durare. Cui accedit quòd eadem actio personalis est, cujus generis quæ sunt, triginta demum annis præscribuntur. *l. 2. & 3. C. de 30 & 40. ann. præscrip.* Ceterùm [5] is qui metum non intulit, longi temporis possessione tutus videtur. *l. 3. C. eod.* hoc tamen actionem perpetuam, adversus eum qui vim intulit, non tollit, ut rectè plerisque contra Accursium visum est. *Bart. & alij in d. l. 3. idem Bart. in l. 2. C. de Vi bon. rapt.* Nec [6] ad rem facit l. ult. vers. fin. C. si quis à non dom. manumit. quia ibi ipsum dominium causa actionis erat, quod in proposito diversum est, cùm ex illato metu actio hæc in factum dirigatur.

§. Qui possessionem.) Qui vi coactus fundi non sui possessionē tradidit non quanti fundus, sed quanti possessio est, repetit. *tex. hic.* Minor enim possessionis quā fundi æstimatio est, *l. 3. §. fin. uti poss.*

Margin notes: 1. — Constitutio Galliæ diversa. 2. — 3. — 4. — 5. — 6.

In

Possessionis aestimatio in Lusitania cujusta. In Lusitania verò possessio uera, dimidiae parti dominij comparatur, ut Pinellus annotat.

1. *An contractus bonae fidei cui metus causam dedit, sit ipso jure nullus.*

2. *Conciliantur diversae leges oppositae. & num. 4.*

1. §. SI DOS.) Videamus tan non hoc textu probetur contractum bonae fidei, cui metus causam dedit, ipso statim jure nullum esse, perinde ut aliàs nullus est, cui causam dedit dolus. Quod quidem magis dicimus, licet Costalio uisum non est. *Costal. in l. 7. prin. inf. De Dolo.* Argumento est quod ex promissione dotis metu facta nulla nascitur oblgatio. *ut hic.* Licet enim nonnulli dictionem quoque dotis stricti juris actionem producere putant (& singularem hũc textum perhibent fauore dotis. *Rob. 3. Animadu. c. 3.* contrarium tamen obtinuit. *vide quae nos late infra in l. 5. & 6. Sol. matrim.* Cui accedit, quod metui dolus inest, ut utraque actio haec concurrat *l. 14. §. cum qui. sup. eod.* Quia proinde dolus negotio bonae fidei causam tribuens, idem nullum reddit, quamobrem accedente uiolentiā quae apertum addat metum, idem non dicamus, nulla ratio facit. Ac tametsi plerisque id improbatum est. *DD. hic.* tamen ex argumentis allatis multò certissimum, & Cujacio jam ante quoque est observatum. *Cujac. hic. quem defendit etiam Mercator lib. 3. Animad. contra Robert. c. 3.* Quibus accedit, quod metus bonae fidei non minùs repugnare censetur quàm dolus *l. 1. C. de Resc. vend.* Proin-
2. de † quod dicitur, uenditione metu extortā rem suae integritati restituendam, *l. ult. §. 1. inf. eod.* similiter intelligi oportet, ut ob contractum nullum, unumquodque reddatur suo loco. Nec mutant
1. † l. 3. & 4. C. eod. quoniam ibi non tantum uenditio, sed & traditio metu extorta intelligenda est. Etsi igitur uenditio nulla sit, tamen traditio non est nulla. *l. 1. §. si uir uxori. De Acq. poss.* & meritò proinde adversus eam actioni ex edicto locus est. Traditionem uerò in ijs legibus esse factam, uel ex eo colligitur, quia re ipsā ibidem possessio fuisse proponitur apud alios. Re tamen integrā nihil actum foret. *gl. fin. post Ioan. in d. l. 4.*

1. *Metu coactus haereditatem adiens an sit haeres.*

2. *An testamentum metu factum subsistat.*

3. *Cui applicanda sit haereditas delata ex testamento metu facto.*

4. *Quomodo hoc casu provideatur haeredi legitimo.*

§. SI

§. SI METV PENULT.) Qui metu coactus hæreditatem † adijt, quoniam etiam is quodammodo consensisse aditioni censetur, qui invitus adit, re ipsâ est hæres. *ut hic. & l si metus. 85. De Acq. har. vide qua nos distinctè in l. 1. sup. h. t.* Vnde & quæsitum est, An testamentum metu factum subsistat. Quod quidem plerisque uisum est. *Duar. ad l. 1. De Testam. Menoch. de Arb. Jud. cas. 395. num. 7. Pereg. de Iure Fisci. tit. 6. num. 4. communem perhibet Fachin. lib. 10. Contro. c. 15.* Movet eos quod & uoluntas coacta dicitur uoluntas, *ut hic. & d. l. 85. De Acq. har.* Alij tamen contra sentiunt, eò quòd testamentum dicitur uoluntas justa. *l. 1. inf. De Testam. Immola ibid. Ias. in l. 1. Si quis aliq. test. prohib.* id uerò de uoluntate coacta dici non potest. Addunt & illud. quod dicimus hæredis institutionem ex alieno arbitrio non posse pendere. *l. illa institutio. De Har. inst.* unde nec consequenter testamentum ex arbitrio metum inferentis pendere potest. Sed hæc sententia & adjuncta ei argumenta, locum habent, si coactus uoluntatem quidem simulet, aliud tamen animo cogitet. eo enim casu metu coactum consentire non dicimus, *l. qui in aliena. 6. §. Celsus. De Acq Har.* Atque ita Iasonis & Immolæ sententia accipienda est. Ceterùm extra eum casum dicimus uoluntatem testantis subsistere, & consequenter oportere rescindi. Et ita Duateni ac reliquorum sententiam intelligi oportet. Planè † quod Fachineus autumat, hæreditatem ex ejusmodi testamento delatam, auferendam hæredi per uim instituto, & Fisco denuò applicandam esse. *arg. l. 1. inf. Si quis aliq. test. prohib. & l. 1. C. eod.* rectè annotatum est, cùm † hæredi legitimo ob hoc denuo adversus eum qui uim intulit, in id quod interest actio sit. *Fach. d. lib. 10. c. 15. arg. l. Lucius. §. Sempronius. De leg. 2. & l. si quis affirmaverit. §. 1. De dolo. l. pen. C. eod. tit.*

l. Qui in carcerem. penultima.

Allegata est suprà *in l. 3. & 4. eod. tit.*

Ad l. ultimam.

§. 1.) Relatus & explicatus est suprà *in l. 21. §. si dos. eod. h. t.*

DE DOLO MALO.

TIT III.

Ad l. 1.

§.Dolum.) Dolus est machinatio quædam alterius decipiendi causâ, cùm aliud agitur, aliud simulatur. Rectè hic Servius, & malè ob hoc à Labeone notatus, quia & aliud agi aliud simulari sine dolo possit, itemque rursus decipi quis possit sine simulatione *l. 7. §. 6. De Pact.* Neque enim ea confutandi ratio quicquam ualet. Eodem quippe modo & hanc definitionem evertas, quâ hominem dicimus animal rationale: quia, puta, animalis uox & alijs rebus conveniat, & rationalis quoque uox alijs nempe angelis. Quam ipsam definitionem tamen reliquis omnibus perfectiorem negaverit nemo.

Ad §. ait prætor. et ad l. 2. 3. 4. 5. 6.

1. *Actio de dolo quando demum parata sit & 3.*
2. *Actio quod metus causa & interdictum unde ui cum hac actione concurrunt.*
4. *Conciliantur diversæ leges.*
5. *Pupillo decepto per collusionem tuteris quæ actio sit.*
6. *Quid juris sit si doli superfit exceptio.*
7. *Quid juris si actio aliqua dolo sit perempta, ubi conciliantur diversæ ll.*

1 De dolo actio subsidiaria est, nec aliter datur, quàm si desit alia actio, restitutio, interdictum, exceptio, *ut hic & plurib. legib. sequentibus.* Actio tamen quod metus causa cum hac concurrit,
2 sed tum demum, cùm ipse is qui metum intulit, convenitur. *l. item 14. §. eum qui. sup. tit. 1.* Quamobrem & unà dici potest, cum hac actione locum esse interdicto Vnde ui, quoties id ipsum cum actione Quod metus concurrit. Ac tametsi id in dubium uocatur *a. gl. & DD. hic. in §. ait prætor.* constat tamen quoties Metus causâ actio est, toties pariter & de dolo actionem esse. *d. l. 14. §. eum qui.* Quando igitur Quod metus causâ actio interdum concurrit cum interdicto. Vnde ui. *l. 9. §. 1. sup. tit. prox.* sequitur ijs ipsis casibus quo-
3 que id ipsum interdictum concurrere cum hac actione. Sed aliàs 4 quamdiu alteri alicui actioni locus est, uel restitutioni etiam, hæc
4 actio cessat. Non mutat l. 1. C. de Dolo, accipienda enim ea est de actione

actione mandati ob dolum dandá, quia nimirum hæc quoque doli uindicationem continet. *l. si mandato. 59. §. 1. inf. Mand.* ut & reliqua bonæ fidei judicia in universum. *l. 7. §. non solum. ubi uide quæ nos. inf. eod. Cujac. 3. Obs. 37.* posita igitur ea lex est loco alieno. Multoque minus obstat l. te pen. 5. §. fin. Quib mod. usfr. am. ubi uidetur actio ex testamento cum actione de dolo simul dari: quia is locus accipiendus est adversativè, ut quidem tradito usufructu, sit actio de dolo, quia per hoc ex testamento actio sublata sit, aliàs uerò sit actio ex testamento. Denique & illud notandum, cessare hanc actionem etiam tum, cùm adversus tertium jus meum mihi saluũ esse potest. *hic in l. 1. §. fin. item. l. 2. & 3. h. t.* Quamobrem † pupillo decepto per collusionem tutoris, non hæc actio contra tertium, sed tutelæ contra tutorem est. *l. 5. hic.* Nec mutat titulus Cod. Si Tut. uel cur. interu. Quia hæc lex 5. non aliter procedit, quàm si restitutioni non sit locus. *ut in tit. C. si adu. lib. & l. si ex causa. 9. De Rest. min.* Planè & si † doli exceptio sit, actionem de dolo cessare magis dicimus. *l. fin. ubi dixi. inf. eod.* Sed & si † actio quæ priùs competebat, dolo sit peremptá, nisi hoc ipsum, ut periret, dolo peractum sit, hæc actio cessat. *tex. hic. in §. pen. & l. arbitrio. 18. §. pen. inf.* Parumque ad rem facit l. ait prætor §. fin. cum l. seq. De In. Int. rest. major. quæ hoc casu actori uidetur in integrum restitutionem dare, quia ea procedit quando conventus efficit, ne omnino secum possit agi. Potest autem quis secum quidem agendi copiam facere, & interea dolo ac ludificationibus actorem frustrare, ut ita actio pereat. Quo casu hic textus procedit. Doctores tamen fingunt, *in d. l. ait prætor. §. fin.* diem negligentiâ actoris exspirasse. Sed hoc difficiliùs ex eo textu colligitur. Non obstat etiam l. Antæus. 14. De Aq. & Aq. pl. arc. quia ibi annus intelligendus est exspirasse adversarij dolo, quod propositio textui, *hic in §. pen. l. 1. & l. arbitrio. 18. §. pen. eod.* bellè cõvenit Atque hoc etiam Cujacio uisum fuit. Planè quod de actione tempore peremptá diximus, idem quoque de actione, quæ novatione uel acceptilatione sublata est, intelligi oportet, nimirum, ut eo casu quo actio alia quàm doli competijt quæ alterutrâ istarum sublata est, cesset etiam actio de dolo. *tex. hic in d. §. pen. l. 1.* nisi perinde in ipsa actione perimenda, dolus commissus esset. *l. 4. C. de Transact.*

Ad l. et eleganter. 7.

1. *Dolus incidens in contractum bonæ fidei quomodo reparetur.*

2. *Quomodo reparetur dolus incidens in contractum stricti juris.*

3. Explicatur l. etiam. 27. De Solut. & 4.

5. Explicatur l. qui sibi. §. fin. De Sol.

6. Dolus dans causam contractui bonæ fidei, reddit eum ipso jure nullum. & 8.

7. Commendatio rei venditæ decipiendi causâ facta quomodo vindicetur.

9. Conciliantur diversæ leges.

10. An transactio, cui dolus causam dedit, ipso jure nulla sit. & 11.

12. Quid si in ipsa transactione exceptioni doli sit renunciatum. & 13.

14. Contractus stricti juris non est nullus cui dolus causam dedit.

15. An differentia inter contractus stricti juris & bonæ fidei moribus Christianis sit sublata. & num. 16. & 17.

1 §. NON SOLUM.) Dolus † incidens in bonæ fidei contractum, vindicatur actione ex eodem contractu ortâ vel doli saltem exceptione. *ut hic & l. si quis. 9. inf. eod. l. Iulianus. 13. §. si venditor. 5. De Act. emp.* Quo casu & *in l. 1. C. h. t.* actio de dolo dicitur, pro a-
2 ctione mandati qua dolus vindicatur. At dolus † incidens in contractum stricti juris, ipsam doli requirit actionem. Quoniam si ex stipulatu teneat, per traditionem rei postulatæ liberatio contingit, Nec superest igitur ampliùs condictio ex stipulatione, ad dolum
3 vindicandum. *tex. hic. & l. dolo. C. de Inut. Stip.* Opponit his † Accursius l. etiam. 27. De Solut. sed ea ita procedit cùm res adhuc quo modo ab eo cui tradita est, potest auferri, puta, si traditus sit servus vel fundus alienus aut alij obligatus, statuliber, aut denique servus necdum noxa solutus, tum enim superest etiamnum actio prior, nec traditione obligationi intelligitur satisfactum. *l. qui decem. 72.*
4 *§. qui hominem. De Solut.* Quo † sensu & responsum est, eum qui servum noxæ dedere jussus est, & alij pigneratum dedit, vel eum cujus ususfructus alienus est, post traditionem adhuc judicati actione conveniri posse, quamvis si eum ante sententiam dediderit ut æstimationem evitaret, itaque absolutus sit, de dolo teneatur, quia noxalis actio propter sententiam quâ reus absolutus est, jam est perempta. *l. si quis affirmaverit. 9. §. & si tu. inf. eod.* Secùs verò est, si servus vel fundus factus sit deterior, nihil enim ob hoc juri nostro
5 deest, ut res nobis avocari queat. Certum † quidem est rectè est, debitorem eo casu non esse liberatum. *l. qui sibi. §. fin. De Solut.* sed id

eò

eò pertinet, ut intelligatur etiamnum superesse actionem de dolo. *ut hic.* Si tamen de dolo clausula stipulationi esset subjuncta, ex stipulatu agendum foret. *l.1.§.3.sup eod.l.si id quod. 22. De Verb.obl. l.31. De Arb.* Quod † si dolus contractui bonæ fidei causam dedit, ipso statim jure contractus nullus est *sup. in princip. huius l. & l.3. Pro soc. l.in causa.1.§.1. inf.tit.prox.* Illud tamen quodammodo singulare est, quòd si emptor falsâ commendatione lasus sit, quam venditor decipiendi emptoris causâ adhibuit, contractum non statim ipso jure nullum esse, quia ab initio dolus non intelligitur contractui dedisse causam, nec vindicari etiam dolum actione ex empto, quia non incidat propriè in contractum, quòd & ante eum initum commissus sit, ideoque esse actionem adversus dictum, ut eam vocant, promissúmne *l.quod venditor, 37.inf.eod.* Sed † aliàs regulariter dolus qui contractui bonæ fidei causam dedit, ipso statim jure contractum nullum facit. Nec mutat † l. si dolo. C. de resc. vend. quia ibi intelligimus unà rem esse traditam, ut simul etiam traditionis rescissione fuerit opus, & declaratione contractus nullius, quò postea vel vindicatio esset vel condictio sine causa. *fac. l. cum ab eo. 41. §. fin. De Contr. emp.* Certum enim est & aliàs quoque ex contractu nullo possessionem transferri. *l. 1. §. si vir uxori. De acq. poss.* Minus verò ad rem facit l. si res æstimata. 21. §. 1. De jure dot. quia ibi dolus commissus fuit in servi traditione, non etiam in dotis promissione. Denique an † Transactio per dolum obtenta nulla sit, quæsitum est, magisque est non esse nullam, quia actione doli adversus eam utimur. *l. sub prætextu. 19. & ibi Castr. & Sichar. C. de Transact.* Contra alij, *per l. in summa. 65. §. 1. De Cond. indeb.* ubi transactio per calumniam obtenta adeo nulla censetur, ut condictioni indebiti contra eam sit locus. Sed † eam ita accipimus, ut condictioni quidem transactionis exceptio opponi possit, verùm quæ replicatione doli fiat infirma. Ac tametsi textus is plerumque ita acceptus sit, ut propter evidentem calumniam actoris transactio fiat inutilis ipso jure. *Ias. & Bart. ad d. l. in summa. §. 1.* differentia tamen hæc nullius re ipsa momenti est, cum quo ad effectum res recidat in idem. Illud quæsitum † est, si in ipsa transactione exceptioni doli sit renunciatum, dolus interim re ipsâ ex proposito intervenerit, an doli exceptio effectui transactionis queat opponi, quod magis est. *arg. l. si unus. 27. §. illud. nulla. De Pact. Ioan. Andr. in c. 1. de Lit. contest. Afflict. decis. 220. num. 6.* Nec impedimento est renunciatio specialis, quia ea non continetur dolus futurus, cùm id contra rationem juris foret, *d. l. 27. §. illud.* Si igitur † transactio postea denuo ratificata sit, eam subsistere dicemus, cùm quisque renunciare queat favori pro se introducto. *per vulg. Afflict. in*

14 *specie d. lo. num. 7.* Planè † in stricti juris judicijs non ita est, ut ob dolum qui causam contractui dedit, eundem mox nullum dicamus. Quod licet Costalius in dubium trahit, *Costal. hic.* nusquam tamen memini me aliter legisse, & sententia nostra palàm confirmatur ex eo, quod nullum esse contractum cui dolus causam de-
15 dit, nominatim de bonæ fidei contractibus est dictum. An uerò è moribus saltem, differentia inter judicia bonæ fidei ac stricti juris sublata sit, quæri potest, & id quidem nonnullis uisum est, eò quod moribus Christianis actiones omnes ex bona fide oporteat proficisci. *Imbert. Rupell. in Enchr. Iur. Gall. c. De Evictione an liceat agere ubi lis authori non fuit denuntiata, in fine pag. mihi. 165.* Magis tamen est id non alibi admittendum, quam ubi id obtinuit consuetudine speciali, quemadmodum Imbertus perhibet, eam differentiam ex singulari Constitutione Galliæ in multis non servari. Extra † consuetudines uerò, constitutiones & statuta singularia, rectius dicimus eam non sublatam. Nec † ad rem facit quod moribus Christianis omnia agi oporteat ex bona fide: quia bonæ fidei negotia non dicuntur ad differentiam malæ fidei, sed respectu liberioris interpretationis quæ in jure de ijs quam negotijs stricti juris fit.

Consuetudo Galliæ diversa. 16. 17.

§. Si servum.) Obstat l. 5. §. fin. Quib. mod. us. am. *solvi suprà in l. 1. §. ait prætor. eod.*

§. Si quadrupes.) Si dolo tuo quadrupes mihi nocuerit, ita contra te de dolo actionem habeo, si dominus nec quadrupedem habeat, nec solvendo sit. *tex. hic.* Obstat l. item Mela. §. item cum eo. inf. ad L. Aq. ubi in proposito casu legis Aquiliæ actio datur: sed ea locum habet, quando quis ipse quadrupedem tenuit, instigavit, uel culpâ suâ impulit, hæc uerò lex, quando dolo tuo incidi in bestiam quoquo modo mihi nocentem, cùm eam ipsam tamen non irruasses.

1. *Si procurator actoris per collusionem reum patiatur absolvi, quid juris.*
2. *Quid si persuasione suâ reus sit absolutus.*
3. *Conciliantur diversæ leges.*
4. *Explicatur §. finalis, hujus eiusdem legis.*

1 §. SI dolo malo.) Si procurator † actoris per collusionem patiatur reum absolvi, tenetur mandati, si is solvendo non sit reus ipse tenetur de dolo. *tex. hic. & l. quid enim. inf. eod. l. si per procuratorem.*
2 *§. 1. inf. Mand.* Idemque est † si ipse reus dolo persuaserit actori, ut eum per errorem judicio patiatur absolvi. *l. servus. 20. §. fin. inf. eod.*
3 *eod.* At † obstare uidetur, quod cum reo ita absoluto, de integro agi potest,

potest, quodque judicati exceptio eo casu replicatione doli potest elidi, *l. cum à te. inf. eod. l. 1. C. de Advoc. divers. jud.* itemque quod ob corruptelam delatoris absoluto reo, accusatio denuo moveri potest. *l. eius. inf. De Iure Fis.* Vnde concludi potest, actionem de dolo cessare. Sed respondetur, de integro litem ita demum tractari, si reus ex integro secum agi patiatur sub exceptione hac, si collusum est. Quod ipsum textus hic indicat apertè. Minus etiam ad rem facit l. 1. C. de pœn. jud. qui malè jud. Vbi relatum est, eum qui adversario pecuniam diffidentiâ justæ sententiæ dedit, actionem perdere (est autem corruptela species collusionis) quia id ad propositum non pertinet.

§. Final.) Actio † de dolo non datur præterquam ex magna atque evidenti calliditate, *tex. hic.* Potest tamen & magna calliditas quãdoque facilè perfici, eoque respectu parva censeri, ut nihilominus huic actioni faciat locum. *l. heredib. 13. in fine. cum l. seq. inf. eod.* 4.

Ad l. si quis affirmaverit. 9.

§. Labeo.) Ad hunc §. pertinentia tractantur infrà *in l. solent. 15. De Prascrip. verb.*

§. Et si tu servum.) Hic §. pertinet ad ea quæ posuimus suprà, *in l. 7. §. non solum. eod. tit. num. 4.*

§. Hæc de dolo.) E bonæ fidei negotijs dominus depositi, commodati, &c. de peculio tenetur, quibus & dolus servi continetur, *l. 3. §. filiofamilias. inf. commod. l. 1. §. filiusfamilias. Depos.* Extra ejusmodi verò contractus si quid servus dolo fecerit, eo nomine cum domino de dolo actio noxalis est. *tex. hic.* quem sic rectè Cujacius hoc loco paulò aliter quàm Accursius accepit.

Ad §. fin. eiusdem l. & ad l. 10. 11. 12.

1. Actio de dolo in rebus exigui momenti temperanda est in factum ut bonæ fidei mentio fiat.

2. Idemque est si quis humilis contra præcellentem dignitate procedat. & num. 3.

4. Conciliatur huic textui l. ult. C. qui & advers. quos.

Regulare † est famosam de dolo actionem non dari ob minimam summam. Sed neque † humili aut conditione vilieri datur contra digniorem, nec filio contra patrem, aut liberto contra patronum. Temperanda igitur adversus eos, hæc actio est in factum, ut unà & bonæ fidei mentio fiat. *tex. hic.* Multo verò magis actio in factum temperanda est, & bonæ fidei mentio facienda. 1. 2.

facienda, si contractus re ipsâ bonâ fide sit initus, si puta læsio immodica acciderit per errorem, ex quo in factum actio oriatur. Quâ mente accipienda est. *l. si superstite. C. eod. Fulg. ibidem. Pinel. ad l. 2. C. de Rescindend. par. 1. c. 4 num. 23.* Planè 4 quod de parentibus dictum est, id moribus nostris ferè & ad dominos feudorum relatum est, (ne nimirum uasalli contra eos hac actione queant experiri. *c. 1. de mil. uas. qui contum. Sichar. in d. l. si superstite. num. 4. C. eod.*) itemque ad homines quos in Germania dicunt proprios, qui quasi ascriptitij coloni glebæ sunt, in quos ferè prædiorum domini id juris usurpant, quod usurpare solent patroni in libertos. *Zas. lib. 1. Sing. Resp. c. 3. num. 34.* Non mutat uerò † nec abrogat textu in præsentem. l. 2. C. Qui & advers. quos in int. non rest. ex qua colligi uideatur nullum restituendi modum contra parentes esse: quia ea procedit in tertia edicti parte, quâ agitur de restitutionibus minorum & aliorum qui officio magistratus potiùs quàm jure actionis restituuntur, *Bart. in l. fin.* C. *Qui & adu. quos.* Id enim tametsi olim quoque admissum uidetur, *per l. patri. 27. § fin. de Minorib. l. 2. C. Si adu. rem jud.* jure tamen novo mutatum est. *tex. in d. l. ult.* C. *Qui & adu. quos.* Ceterùm quin liberis contra matrem tutricem quæ ad secunda uota transijt, restitutio detur, ex Iure Novellarum dubitari non potest. *Novell. 155.*

3. *Consuetudo feudalis communis.*

Consuetudo Germaniæ.

4.

Ad l. 13. § finalem. et ad l. quid enim. 14.

Vide quæ obiter posuimus suprà *in l. 7. §. dolo malo. & §. fin. eod. tit.*

Ad l. sed et ex dolo. 15.

§. 1.) An & quatenus municipes ex delicto conveniantur, quatenus minùs, latius relatum est suprà, *in l. metum. 9. §. 1. sup. tit. 1.*

Ad §. fin. eiusdem l. et ad l. 16.

Actio quod metus causâ in rem scripta est, de dolo actio merè personalis est. Quamobrem in hac actione instituendâ designari oportet, cujus dolo factum sit, quamvis in actione Quod metus causâ id non est necesse. Designandum præterea est quâ in re sit circumscriptus, ne in crimine tanto ac tam famoso uagetur actor. *tex. hic.*

Ad l. si plures. 17.

§. Hæc actio.) Vide ad hunc paragraphum quæ ponimus infrà *in l. 26. eod. tit.*

Ad

Ad l. arbitrio. 18.

§.1. SI post jussum judicis restitutio non fiat, reus in id quod interest condemnandus est. *ut hic. uide Wesenb. num. 7. in Com. h. t.* Moribus verò Longobardorum hoc casu quintupli mulcta est, cuius pars dimidia ærario publico, altera verò parti applicatur. *Nicol. Carbo. lib. 3. Pract. c. 3. num. 56.*
§. Dolo cuius.) Ad hunc §. pertinentia posita sunt latiùs suprà. *ad l. 1. eod.*

l. 19.

Argumentum hujus legis rationem perspicuam habet, nec longiorem explicationem requirit.

Ad l. servus. 20.

§. 1.) Pertinet ad posita suprà *in l. & eleganter. §. si dolo malo. sup. eod.* ubi & hæc lex relata est.

Ad l. legatarius. 23.

SI legatarius dolo malo induxerit hæredem ad præstandum solida legata, cùm legis Falcidiæ beneficio frui deberet, de dolo actio est. *ut hic.* Nec mutat l. 2. §. 1. De Condict. jnd. l. error. C. ad L. Falc. quia eæ procedunt quando quis non tam dolo adversarij quàm suo errore fuit inductus.

l. Cùm a te. 25.

Exposita est suprà, *in l. & eleganter. 7. §. si dolo. eod. tit.*

Ad l. in hæredem. 26. & l. 27.

HÆc actio in hæredem eatenus datur, quatenus ad eum pervenit, hoc verò est, quatenus hæres ex defuncti dolo hæreditatem nactus est locupletiorem. *tex. hic. & l. 17. in fine. sup. eod.* Id ita, nisi defunctus jam ante eo nomine sit conventus. *l. constitutionibus. inf. De Obl. & Act.* Lex verò nostra de ipso doli judicio accipienda est. nam si dolus incidat in contractum bonæ fidei, qui læsus est ex eo contractu, etiam contra hæredem actionem in solidum salvam habet. *l. ex deposito. De Obl. & Act. l. si hominem. 7. §. 1. Depos.* Si verò dolus bonæ fidei contractui dederit causam, ut contractus ob hoc nullus sit ipso jure: res utrimque integra manet etiam contra hæredes. *per l. 7. §. non solum. sup. eod. Petr. de Bellapert. Decis. 434. in fine.* Existimo tamen, in factum actionem prætoriam (quæ concurrit cum hac ipsâ regulariter) in hæredem dari, etiamsi locupletior hæreditas ad eum non pervenerit. Quia cessat in ea ratio prohibitionis, cùm nec famosa sit, nec pœnalis. *arg. l. itaque. 28. & l. 29. inf. eod.*

Ad l. itaque. 28.

DE dolo actio utili olim anno finiebatur, hodie uerò biennio continuo, adeo ut intra id tempus quoque eam oporteat absolvi. *l. ult. C. eod.* Sed quæ in hæredem datur, quatenus ad eum pervenit, perpetua est. Quemadmodum & in factum actio non famosa, in eum qui dolum commisit, in quatenus ad eum pervenit, perpetuò datur. *tex. hic.*

Ad l. cum qui. 31.

SI quis suaserit familiæ meæ ut de possessione discedat, non amittitur possessio. *Proculus hic.* Hoc ita, nisi familia deserendæ possessionis animo discedat. *arg. l. si colonus. & l. si de eo. 40. §. 1. uers. aliud existimãdũ est. de Ac. Poss.* Fuit tamen hac de re inter Proculianos & Sabinianos contentio à Iustiniano sublata, ut nimirum nec discedente nec decedente servo, colono etiam, procuratore, aut quovis alio qui nostro nomine in possessione est, possessio nobis pereat ex malevolentia illorum, quod & Proculus sensit. *l. ult. C. eod. uide quæ ponimus infrà in d. l. si colonus. 31. De Acq poss.*

Ad l. filius. 32.

HÆres uel legatarius ante diem manumissionis testamento positum, servum manumittit rectè. *hic & l. mater. C. de Op. lib.* Nec mutat l. si cui purè. 31. §. 1. ad SC. Trebell. quia ibi non negatur libertatem ante diem præstari posse, sed aut recto jure, aut ab invito qui suspectam hæreditatem habet, præstari negatur. Proinde servus ante cessionem diei rectè manumittitur, at si id callidè effecerit ipse ante redditas cohæredi rationes, tenetur ei de dolo. *arg. huius text. Cujac. hic.*

Ad l si cum mihi. 34.

SI mihi saxum ex fundo tuo donationis causâ eximere permittas, cùm nondum exemissem, sumptus tamen in eam rem feci, tu uerò id prohibes, de dolo mihi hoc nomine teneris. *ut hic.* Hodie tamen & ex donatione actio est. *l. si quis argentum. C. de Donat.* & cessat igitur de dolo actio in casu proposito, quoniam condictione ex donatione donatario provisum est. *gl. & Cujac. hic.* Planè si saxum jam exemptum sit, etiam jure antiquo donatio censetur perfecta, eoque & ad exhibendum & in rem actio erit. *l. qui saxum. & l. permisisti. De Præscrip. Verb.*

Ad

Ad l. si quis tabulas.

OPponitur huic legi l. qui tabulas 42. inf. Ad L. Aq. ubi hoc casu depositi, ad exhibendum, & ex L. Aquilia agi permissum est, nam inde sequitur hanc actionem cessare. *l. 1. cum seq. sup. eod.* Sed opposita lex procedit quando uel testator ipse uel hæres qui jam hæreditatem adiit, acturus est, quia illius tabulæ intelliguntur esse propriæ. *convenit l. 3. inf. Quem. test. ap. & l. ob id. inf. ad L. Aq.* Hic uerò textus procedit hæreditate necdum ab hærede aditâ. *Mart. Accur.* Cujac. *hic. uide Subtil. nostras. lib. 2. c. 17.*

Ad l. quod uenditor. 37.

HÆc lex relata est suprà *in l. 7. §. non solum.* Notanda autem hîc ea uerba sunt, ADUERSUS DICTUM PROMISSÚMVE ACTIO, quia ea designant actionem ædilitiam. *ut in l. 1. & l. si hominem. inf. De Ædil. ed.* Cujac. *hic, uide quæ nos tractamus infrà ad l. 14. De Contr. emp.*

Ad l. ultimam.

EX hoc textu palam est, actionem de dolo cum doli exceptione simul non dari, quod tametsi Accursius. *suprà in l. 1. §. ait prætor. eod.* Bartolus *hic.* Cynus & Castrensis. *in l. 2. C. eod.* in dubium trahunt, nulla tamen ratione contra nituntur. Neque enim ad rem facit quod de dolo actio & doli exceptio ex eâdem promanant causâ. *l. 2. in princ. De doli exc.* nam non ex eo sequitur bina ea remedia concurrere: quia & complures aliæ actiones ex dolo admisso exerceri queunt, de dolo tamen actionem excludunt. Quod usu uenit in omnibus bonæ fidei judiciis, quæ ex contractibus proveniunt in quibus dolus admissus est.

DE MINORIBVS VIGINTI QVINQVE ANNIS.

TIT. IIII.

Ad l. 1.

1. *Restitutio minorum ex quo procedat* jure.

2. *Quæ causæ cognitio quemadmodum in hac re interponenda sit.*

3. *Vox hodie quid in hac lege designet.*

 4. *Inviti*

4. *Inviti minores curatores non accipiunt.*
5. *Minor jurisconsultus an sit restituendus.*

1. RESTITUTIO † minoribus parata causam ex diverso jure habet, siquidem jam ante LEX LÆTORIA subveniebat minoribus circumscriptis, unde & hæc ætas interdum legitima dicta est. Lapsis tamen temeritate juvenili ea non subveniebat. Sed hoc edicto prætoris introductum paret, quod is restitutionem minorum sibi pene arbitrariam fecit. Id enim omne hodie Prætoris cognitione
2. fit, non per actionem. Et quidem † ceteræ quoque restitutiones officio prætoriæ jurisdictionis fiunt. *l. 1. § an autem. sup. De Postul.* cognitio tamen in ijs facti, judicis dati officio fit: uerùm sola hæc
3. cognitione Prætoris extraordinaria. Notanda † uerò hic singulatim est uox HODIE, *in §. fin. hac ead. l.* Quia lege lætoria curatores minoribus non dabantur nisi cum causæ cognitione, ut si malis moribus affecti, dissoluti, aut luxui dediti essent: quod constitutione diui Marci ita mutatum est, ut etiam bene rem suam gerentibus curatores dentur. *Capitolinus in Marco. Cujac. hic. Anton. Aug. in lib. de Legib. c. Lætoria. fol. mihi. 100.* id est sine omni causæ cog-
4. nitione. Non † tamen dantur invitis, quoniam adulti inviti curatores non accipiunt, præterquam ad lites. *tex. in princip. Inst de Curat.* eò quod in his speciale sit, sine curatore eis personam standi in judicio non esse. *tot. tit.* C. *Quib. leg. pers. standi in jud. non est.* Planè
5. quod hîc refertur, † etiam bene gerentibus rerum suarum curam non committi, quæstionem movit, An minor jurisconsultus seu juris doctor læsus restituendus sit. Quod quidem multis uisum non est. *gl. in l. professio. per illum text,* C. *de Mun. Patrim. lib. 10. l. 1. & ibi Bart.* C. *qui & advers. quos. fac. idem Bart. in l. sed & reprobari. num. 3. De Excus. tut.* Communem dicit *Fachinæus lib. 3. Controu. c. 5.* Cùm quia turpe foret, in jure uersanti ignorantiam eius allegare. *arg. l. 2. §. Quintus Mutius. De Or. Iur.* tum quia jurisprudentia, cujus ille se antistitem profitetur, etiam humanarum rerum scientia definitur, ut & imprudentiam errorémve facti difficilius allegare queat. *l. justitia. §. jurisprudentia. De Just. & jure.* Nam cum sua prudentia instructus sit, error quoque eum haud facilè excusabit. *arg. l. regula. §. sed juris. De Iur. & Fac. ignor.* Contra alij sensere argumento eius, quod minoribus etiam bene rem suam gerentibus restitutio parata est. *l. 1.* C. *qui & advers. quos & arg. huius text.* Vtraque tamen sententia uera est, nam si errorem juris alleget non restituetur ex Bartoli & aliorum sententia. Contrarium dicimus si erret aut circumveniatur in facto. Cùm & aliàs facti error regula-

riter priùs mereatur excusationem, quàm error juris. *tot. tit. De Iur. & facti Ign. Quintil. Mandos. in tract. de Aet. Min. q. 6, allegant Bier. Decis. 350. post num. 6.*

Ad l. 2.

1. *Minor beneficio liberorum non recipit bonorum suorum curam.*
2. *Consuetudo Belgica contraria.*
3. *Consilium in hac re magistratibus tutum.*
4. *Ius Saxoniae.*
5. *Ius Galliae.*

MInor curatorem habens Iure civili beneficio nec matrimonij nec liberorum maturius recipit sua bona. *tex. hic.* Valet tamen statutum in contrarium, cum optima ratione familiam regens etiam bonorum suorum habeat curam. Atque eius rei argumentum est ex jure ipso civili, Quod ne quidem puberibus invitis curator datur. *§. item inviti. Inst. de Curat.* Nec igitur inepta est ea pleræque Belgicæ consuetudo, quâ minores ipso statim matrimonij contractu suarum rerum recipiunt curam; ne scilicet uel ipsi uel contrahentes cum ijs, propter incertum ætatis, majori aliquo damno afficiantur si aliud observetur. *arg. l. quod si minor. 24. §. 1. inf. eod. & arg. l. 3. inf. ad SC. Maced.* Prudentissime tamen magistratus, ubi id receptum est, fecerint, si id non admittant sine cognitione causæ. Denique hîc non prætereundum est, quod Iure Saxoniæ minores demum censentur usque ad uicesimum-primũ ætatis annum completum, postea uerò censeri majores. *Lantr. Sax. lib. 1. art. 42.* Sed nec illud omittendum quod Iure Codicis provisum est, Restitutionis beneficium intra quartum annum post absolutum uicesimum quintum impetrari posse, *l. ult. C. de Temp. in Int. Rest.* id jure Galliæ ita esse mutatum, ut id adhuc impetrari usque ad annum ætatis trigesimũ quintum possit. *Imb. in Enchrid. Iur. Gall. pag. mihi 158.* An uerò quadriennium jure communi restitutioni destinatum, *l. ult. C. de Temp. in Int. Rest.* ei quoque currat qui probabili ignorantiâ laborat, quæsitum est, & id quidem multi non putant, *relati à Nicol. Carb. lib. 1. Pract. c. 1. num. 73. arg. Edicti.* SI QVA MIHI. *&c. Fa. Soar. in thes. Sent. uoce Restitutio. num. 63.* Contrarium tamen magis est, cùm quia id nusquam relatum sit, tum quia quadriennium istud hodie est continuum, locoque anni utilis successit. *tex. in d. l. ult.* Inde enim ita argumentari licebit. Si

(Marginal notes: 1. [4] ; 2. Consuetudo Belgica ; 3. ; 4. Ius Saxon. ; 5.)

tempus hoc non currit ignoranti, evenit id ipsum utile esse (nam & utile tempus dictum est quod ignoranti non currit, *l. ab eo 3. C. Quom. & Quan. Jud.*) At utile non est, ergo & currit ignoranti. Denique nec illud hic prætereundum, Constitutione Lambardiæ & Neapoles etiam, minorem ætatem finiri anno ætatis decimo-octavo. *Carbo d. c. 1. num. 61. & 69. ubi allegat Constitutiones utriusque eius principatus.* Idem tamen & statuto Florentino obtinet. *Quintil. Mandos. in trac. de Æt. Minori Quæst. 18. per tot.*

Consuetudo Lombardiæ & Neapoleos.

Ad l. 3.

1. *Si major factus ratum habuerit.*

2. *Quid in judicijs a minore ceptis majore completis.*

3. *Ratum habuisse contractum quomodo intelligamus. & num. 5.*

4. *Costalius notatus.*

6. *De Accusatione à minori cepta.*

7. *De Præscriptione & Usucap. contra minorem cepta majorem completa.*

1. §. SI QVIS CUM MINORE CONTRAXERIT.) Qui † minor læsus postea major factus negotium ratum habet, non restituitur.
2. *tot. tit. C. eod.* Idem † est in judicio à minori incepto & majori finito, nisi tamen dolo adversarij manifesto effectum sit, ut res in minori ætate tractaretur quò ob imminentem ejus finem, perficeretur in
3. ætate majori. *tex. hic.* Ratum † autem habuisse intelligimus, etiam tacitè ut lapsu quadriennij. *l. ult. C. de Tem. in Int. Rest. gl. hic.* (aut in negotio irrito quinquennij, re sc. alienatâ obligatâve sine decreto, aut uicennij re donatâ. *l. ult. C. Si Mai. fac. Al. Rat. Hab.*) aliáve negotij tacitâ approbatione, ut si minor contraxerit major ex eo negotio tradiderit. *per hunc tex. fac. l. 2.* C. *Quod. Met. Caus.*
4. Inepta † proinde Costalij annotatio est, qui ex contractu in minori ætate inito, & traditione in majori ætate secutâ restitutionem non putat impediri. *Costal. hic.* Confutatur enim id expresso *hoc textu. & l. si filius. 30. inf. eod.* Neque uerò ad rem facit l. 5. §. si filiusfamilias. De Iure Dot. quia ea agit de filiofamilias qui dotem promisit & factus sui juris solvit, ea enim dos soluta profectitia censetur, quia solvit debitum à se ipso cum adhuc in patria potestare esset, contractum. Malè proinde id contra expressam juris definitionem refertur ad eum, qui cum beneficio restitutionis frui posset, eidem tamen
5. men renunciavit, *ut hic.* Planè † quod de approbatione in majori

ætate dicimus, id uel maximè ita est si approbet rem gestam, consensu expresso. *ut l. destitisse. inf. eod. & tot. tit.* C. *Si Major. fac. Rat. Hab.* At si † quis minor accusationem inceperit, eiusque finis ceciderit in ætatem majorem, benignè dicimus eum si in accusatione succumbat, excusandum, quia haud facilè judicium deserere potuit. *l. qui cum majori. De Bon. Lib.* Si tamen deserat ignoscitur ei etiam sine abolitione. *l. 1. §. accusationem. in fine. Ad SC. Turp: l.* quāquam omissam semel accusationem denuò resumere non posset, ne restituatur in delictis. *l. auxilium. 37. in princ. inf. eod. ubi dixi.* Denique de † usucapione & præscriptione, quæ contra majorem cœpta contra minorem uerò finita est, quid statui oporteat, infrà tractamus. *obiter in d. l. auxilium. §. 1. & latiusculè in l. Æmilius. 38. eod.* 6. 7.

1. An & quibus casibus filiusfamilias restituendus sit. & 2. 4. 5. 6.

2. Conciliatur. l. 27. inf. h. t.

3. Conciliatur l. ult. § fin. C. de Bon. quæ lib.

7. An & quatenus prodigus ante interdictionem bonorum læsus restituatur.

8. Ecclesia & Respublica quatenus restituantur. & num. 9.

10. An ecclesia restituatur contra 40. annor. præs.

§. SEd utrum.) An etiam † filiusfamilias minor, si lædatur, restituendus sit: Dubium movet, quod eo admisso iuuetur, etiam pater. *l. cum mandato 23. inf. eod.* Obtinuit tamen restitutionem ei interdum permittendam, sed ita ne prosit hoc patri. *ut hic in uersic. Sed an hoc.* Obstare † tamen uisa est. l. patri. 27. inf. eod. quam ut concilient cum hac. *Duar. Costal. DD. hic.* ualde torquentur. Nos distinguimus, utrum filius qui de peculio obligatus est, jussu patris gesserit, contraxerit, an uerò liberâ uoluntate. Priori casu pater ex contractu filij in solidum conveniri potest, nec filio idcirco restitutio datur, ne ea prosit patri. *ut hic & d. l. cum mandato. infra. eod. l. Æmilius. §. fin. inf. eod.* Sed eodem casu & filius ex suo contractu in solidum conveniri potest, quādiu manet in potestate, ut ait Vlpianus. *hic.* Obstat † quod sine uolūtate patris judiciū cum filio nō cōsistit. *l. ult. §. fin. C. de Bon. quæ lib.* At in proposito ideo consistit, quia jussu patris fuit obligatus. Et tum filius quidē restitutionem impetrabit si quo modo hoc fieri ejus intersit, sed ita ne eadē prosit patri. *ut hic.* Sin uerò † suâ uolūtate filius obligatus sit, patri de peculio convēto restitutio negatur, sed & filio eo [illegible] negatur, ne per eum restituatur pater. *tex. hic.* Filio uerò [illegible] conuento restitutio usque adeò datur, ut & invito ipso [illegible] eodē restituēdus sit pater. *d. l. patri. 27. inf. eo.* 1. 2. 3. 4.

Breviter,

Breviter, si libera uoluntate obligatus sit filius, si ipse conveniatur restituendus adeo est, ut & pro invito eo restitutionem impetrare queat pater: patre uerò de peculio convento usque adeò ei restitutio negatur, ut ne ipsi quidem filio ea detur. Planè in castrensi pe-
5. culio, quia id proprium † filij patrimonium est, filius restituitur omnimodo, quia ea res patrem non concernit. *ß. pen. inf. in ead.*
6. *hac l.* Quamobrem & bona † ratione hodie idem dicimus in adventitijs, etiamsi qui jussus intervenerit patris, interest enim filij uel maximè in ijs restitui. *tot. tit. C. de Bon. Mat. & Bon. Qua lib. junc.*
7. *hoc tex.* De Prodigo † quid dicemus, Anne etiam is sine curatore constitutus beneficium habeat restitutionis ante interdictionem bonorum? Doctores id in quæstionem uocant, *in l. Marcellus. 25. De Fidejuss.* & quidem eò Bartolus & Castrensis inclinant, *in d. l. 25. arg. l. 3. C. de Cur. Fur. & l. 12. in fine. De Tut. & Cur. dat.* Recepta tamen est Iasonis sententia, plerisque probata, Ante interdictionem puta bonorum, eum restitutione non gaudere. *arg. l. 1. De Cur. Fur. Ias. & gl. in l. is cui. 6. De Verb. Obl.* Et hoc moribus obtinet. Quanquam & interdictione facta læsus non tam restituatur, quàm id quod gestum est declaretur nullum, quia prodigus comparatur furioso, qui ne ipso quidem jure obligatur. *tex. & gl. in d. l.*
8. *is cui.* Denique ecclesiam † & rempublicam hac in re beneficio minorum frui expeditum est. *Clem. 1. de in Int. Rest. c. 1. & 2. & in eis Panorm. ex eod. l. 3. C. de Iure Reipubl. l. Respublica. C. ex quib. c. ma-*
9. *jor. l. 22. in fine. D. inf. eod. isto tit.* Sed hoc † in contractibus ex recepta consuetudine haud aliter obtinet, quàm propter læsionem enormissimam. *Pan. in d. c. 2. notab. 21. Hart. Pistor. lib. 1. Quæst. 37. num. 5. & 6. Donell. in l. 27. De Reb. Cred. num. 5. 6. 8.* Sed quæsitum
10. † est, Anne ecclesia quoque contra quadraginta annorum præscriptionem restituenda sit, quod Socinus non putat. *Socin. Sen. consil. 266. num. 23. lib. 2. cum ibi alleg.* Movet eum quod diversis locis relatum est, eam præscriptionem ecclesiæ nocere. *ut in Novel. 111. item in c. de quarta. c. uigilanti. c. qui judicante. de Præscript.* Accedit quod rursus alibi refertur, eam præscriptionem plenissimam adferre securitatem, *l. omnes. C. de Præs. 30. ann.* Cui & argumentum addi ab absurdo posset. Quod uidelicet eâ positione admissâ, nulla unquam præscriptio contra ecclesiam currat, eò quòd ecclesia nunquam sit majorennis. Contrarium uerò plerisque uisum est. *Sfort. Oddus de Rest. in int. par. 2. q. 89. art. 3. ubi dicit communem. Fachin. lib. 8. Controu. c. 103. D[illegible] decis. 39. num. 7.* Movet eos quòd rescriptum est ecclesiam uti jure minoris. *c. 1. de in Int. Rest.* quando igitur minor præscriptione triginta annorum læditur. *l. sicut. C. de Præs. 30. ann.* & consequenter adversus eam restituitur, *DD. in d. l. sicut.* perinde

inde & ecclesiam, quæ quadraginta annorum præscriptione læditur, *d. Novell.* 111. restituendam. Nam & aliàs indefinitè constitutum est, ecclesiam adversus lapsum temporis restitui. *Clem.* 1. *de in Int. Rest.* Et hoc igitur magis erit. Neque uerò mutat quod dicimus, eam præscriptionem ecclesiæ nocere, adeoque parere plenam securitatem: id enim intelligitur de ipso jure, eâdem ratione quâ & minoribus hodie nocet præscriptio triginta annorum. *ut in d. l. sicut.* contra quod tamen ex jure Prætorio beneficium restitutionis paratum est. *d. l. Clem.* 1. *& d. c.* 1. *de in Int. Rest.* Minusque igitur ad rem facit argumentum motum ab absurdo, quia id in proposito penitus cessat, cum expresso jure Canonico provisum sit, statim à præscriptione completâ quadriennium incipi, *d. Clem.* 1. *& c.* 1. *eod. tit. in* 6.

§. Si quis minor.) Relatus in ijs est quæ ponimus infrà *in l.* 9. *§. Papinianus, eod. tit.*

Ad §. final. legis 3. et ad l. 4.

1. *Servi minores læsi an & quando restituendi.*
2. *Servus major domini minoris an restituendus.*
3. *Familia ecclesiæ an restituenda.*
4. *Quid de servis ecclesiæ mercenariis.*

SErvo minori † restitutio non datur, quia necessario per eam succurrendum domino foret, is igitur sibi imputabit quòd minori suæ rei commiserit curam, *ut hic. & arg. l. cum mandato,* 23. *inf. eod.* 1 Planè † si dominus minor sit, benigniùs dicimus, etiamsi servus læsus sit major, eum tamen restitui. *arg. à contrario sensu ex hoc textu desumpto.* Vnde † & de familia ecclesiæ quæsitum est, & responsum scio, ut plerisque uisum est, familiam quidem prælati fori privilegio gaudere, non autem familiam ecclesiæ, *Soar. in thes. Com. Op. lit. E. num.* 11. *ex Panorm. in c.* 2. *num.* 6. *de Foro Comp.* ita & de restitutione familiæ quoad ecclesiam pertinet, judicandum, & consequenter eam instar ecclesiæ non restituendam, *Nicol. Carbo lib.* 1. *Practica, c.* 1. *num.* 54. Ceterùm id temperandum ex hoc textu est, puta ut beneficium hoc ei ita demum negetur, si non ipsa ecclesia quoque per denegationem eam pateretur damnum. Id enim si inde secuturum sit, contrarium dicimus, *argum. huius text.* Proinde fratres laici qui se substantiamque suam cœnobio mancipatunt si enormi damno affecti sint, restituuntur, quoniam eorum causa, sit ecclesiæ propria. Mercenarij † uerò famuli qui operas suas locatût, 4

quoniam eorum causa à patrimonio ecclesiæ penitus divisa est, beneficio hoc non gaudent.

Ad l. Minoribus. 6.

1. Minor non solum læsionis causâ sed & molestiæ ac sumptuum gratia restituendus.

2. An etiam ob exiguum damnum restituatur. & num. 3.

4. Quomodo res hæc temperanda sit.

1. MInor † restituitur non modo cum gravi damno afficitur, sed & cum interest ejus molestijs & sumptibus non uexari *per*
2. *hunc text.* Vnde quæsitum est, An † ob exiguum quoque damnum danda restitutio sit, quod non uidetur, cum id plerisque demum locis admittatur de damno grandiore. *l. si ex causa. 9. in princip. & l. pen. inf. eod. l. 1. C. Si Advers. Vend. Pign.* Quemadmodum & alibi definitum est, providendum prætori ne per rem minimam præjudicium fiat minori. *l scio. De in Int. Rest.* In proposito tamen ferè aliud statui uidetur, cum etiam solius molestiæ & sumptus causâ
3. restitutio detur. Et quidem † magis est si ordinaria pignorum distractione à judicio facta minor lædatur, cum ita demum restitui, si per hoc gravi afficiatur damno. *ut in d. l. 9. princip. & l. penult inf. eod. l. 1. C. Si Adu. Pign. Distr.* in ceteris uerò ita statui ut non ob quodcunque damnum acceptum uel lucrum intermissum hoc beneficio gaudeat, sed id magistratus examinet sufficienti causæ co-
4. gnitione, *ut hic & l. non omnia. 44 inf. eod.* Temperanda enim † hæc res est ex bono & æquo. ne si passim restitutio fiat, minores demũ majori damno afficiantur, nemine cum ijs contrahere uolente. *l. 24. §. 1. inf. eod.* Vide quæ ponimus hac de re latè infrà, *in l. uerum. 11. §. sciendum. eod. tit.*

Ad l. ait prætor. 7.

QVod Accursius hic inter cetera movet *ad princ. hujus legis.* An minor etiam restituendus sit in beneficijs ecclesiasticis, id nos plenè tractamus infrà. *in §. hodie. eod. hac lege.*

§. Sed etsi ei pecunia.) Adolescentes non accipiunt curatores inviti. *§. item inviti. Inst. de Curat.* Præterquam in specie hujus legis, quando nimirum solvenda ei pecunia est *per hunc tex.* & in judicijs, ut ea firmitatem habeant, *tex in d. §. inviti.* Vide quæ hac de re ponimus latiusculè suprà. *ad l. 1. eod. h. t.*

§. Non solum.) Relatus est infrà *in l. 11. §. sciendum. eod. tit.*

Ad.

1. *An minor in beneficiis restituendus sit. & num. 4.*

2. *Conciliantur opposita.*

3. *An minor in beneficiis restituatur quando res integra esse desiit.*

§. HODIE.) Quod hic † relatum est, minoribus hodie etiam in lucro succurri, quæstionem movit, an non minor etiam in beneficijs ecclesiasticis restitutionem impetret, idque Accursius uix putat. *gl. in princ. sup. in ead. hac l.* Iuuat sententiam eius, quod adolescens in his post decimum quartum ætatis annum, pro maiore habetur. *tex. vulg. in c. si annum decimum quartum. princ. & ibi Phil. Franc. de Ind. in 6.* adeóque quod beneficia ea ferè tam oneri quàm lucro sint. Contrarium tamen † receptum est. *per hunc tex.* Nec ad rem faciunt argumenta glossæ, tametsi enim minor in administratione atque usu beneficij pene pro majore sit, non tamen per hoc ei restitutionem dari uel id argumento est, quod illam etiam tum impetrare potest cùm curator intervenit, *tit. C. Si tut. uel cur. interu. not. gl. 3. in l. un. C. si de mom poss. fuer. app.* uel quando cum decreto facta alienatio est. *tex. in l. siquidem & ibi Bal. C. de Præd. Min.* Parum uerò probabile est, beneficia minoribus tam oneri quàm lucro esse, quia experientia quotidie longè diversum docet. Et rectè † proinde moribus servatur, restitutionem in his perinde procedere ut in rebus ceteris. Quod & in Gallia obtinere Boërius testatur. *Decis. 350 num. 4 in fine. cum ibi alleg.* Hoc ita, si res adhuc † integra sit, nec beneficium jam tertio novis sumptibus sit collatum. *arg. l. quod si minor. 24. §. Scæuola. inf. eod. Costal. in princ. hujus l.* Sed alij ne hunc quidem casum excipiendum putant. *arg. hujus tex. & similium. Covarr. latè. 1. Resol. 5.* Quod magis est, nisi ei denuo collatum sit, qui ecclesiæ multo utilior foret. *arg. l. si minor. 34. inf. eod.*

1. *Minor restitutus ad adeundam hæreditatem denuo restitui potest ad repudiandum.*

2. *Conciliatur l. ult. §. ipsum. C de Bon. Quæ lib.*

3. *Quid si onera hæredatis jam alieno labore sint expedita.*

4. *Adversus legata indebitè soluta restitutio an sit.*

5. *Conciliatur l. 29. De Condict. Ind.*

6. *Quid juris sit, si solutum sit curatori.*

1. §. RESTITUTUS.) Minor restitutus ad adeundam hæreditatem, denuo restitui potest ut illam repudiet, & contra, *per hunc*
2. *text.* Nec mutat l. ult. §. ipsum. uers. ubi autem C. de Bon. Quæ lib. ubi minori non permittitur hæreditatem semel per in integrũ restitutionem repudiatam ex restitutione nova denuo adire: quia id ibi speciale est ob uoluntatem patris quæ in restitutione semel intervenerat. Quanquam si aliàs authoritas patris in negotio aliquo intervenerit, eâ non obstante restitutio detur, *l. etiam. 29. inf.*
3. *eod.* Planè si post restitutionem ad repudiandum, onera hæreditatis omnia jam alieno labore & molestiâ sint expedita, posteaque adolescens postulet restitui, non auditur, *l. quod si. 24. §. Scævola. inf. eod.* nisi tamen sit hæres suus. *l. ult. C. de A. uel. Rep. Hær.* De-
4. nique etiam minori adversus legata indebitè soluta restitutio est.
5. *l. ult. C. si Adu. Sol.* Nec ad rem facit l. interdum. 29. De Condict. Ind. ubi ei ad repetitionem indebiti soluti uindicatio datur, uel in casu consumptionis condictio, unde consequenter remedio extraordinario huic needum uideatur esse locus, *arg. l. in causa. 2. inf. eod.* quia d. l. 29. agit de pupillo, ut rectè Bartolus & Iason. *ibidem per uerba tex. Contra Accursium* notarunt. Quanquam & quoties remedium extraordinarium & ordinarium hoc contra eandem cõcurrunt personam, utrumvis paratum est, *uide quæ ponimus in d. l.*
6. *in causa, 2. §. Pomponius. inf. h. t.* Quinimo & si curatori, sit solutum, licet contra eum tutelæ actio sit, si tamen minori ex solutione enormis læsio redundet, restitutio concedenda est. *l. 1. & ibi* DD. *C. si Adu. Sol.*

1. Substitutio vulgaris finem hæredis instituti aditione capit.

2. Conciliatur l. ex contractu. De Re Iud.

3. In cohæredibus quare alio jure quàm in substitutis utamur.

4. Ad quem deveniat hæreditas substituto per aditionem instituti excluso, & instituto per beneficium restitutionis se abstinente.

5. Iure novo quid hac in re juris sit.

6. Plenior explicatio huius tex.

1. §. SEd quod Papinianus.) Substitutio vulgaris quæ fit extraneo puberi uel impuberi, finem hæreditatis aditione accipit, *ut hic.*
2. Extraneo inquam ne, obstet Lex contractu. De Re Iud. quæ de suo

cut.

cui substitutio uulgaris facta est, ferè cōtrariū definit. Substitutionem enim suo factam non exstinguit immistio, si modò postea se impubes abstineat, eò quòd abstineat se pupillus suus qui se immiscuit, jure proprio. *l. necessariis. inf.* De *Adq. Har.* Pupillus uerò extraneus qui se immiscuit non abstinet se nisi restituatur. In 4 cohæredibus etiam diversum est, siquidem cohæredis adeuntis & postea restituti portio accrescit cohæredi uolenti, non etiam invito. *l. si minor. inf.* De *Adq. Har.* Quod in substituto non ita est, quia ne eum quidem uolentem admittimus. *ut hic.* Diversitatis ratio est, quod cohæredi propter partem quam sibi acquisivit, liceat agnoscere totam, uel propter uacantem portionem quam invitus non agnoscit, à toto recedere. Alia quæstio est, 4 Substituto per aditionem instituti excluso, & instituto denuo per restitutionem in integrum se abstinente, ad quem hæreditas deveniat. Agnatorum enim ratio haberi nequit, quia uerum sit eum non decedere intestatum ex cujus testamento hæreditas adita est, maximè cùm hæres esse non desinat beneficio honorario restitutus. Succedit proinde causa Fisci, idque probat. *l. ult. inf. De Success. Ed.* Nec mutat l. 1. §. si quis adita. inf. Ad SC. Tertull. ubi cùm filius adierit ex Orphitiano, & abstinuerit se per restitutionem, agnati matris uocantur secundum jus antiquum: quia id fit ipsius Senatusconsulti Orphitiani uerbis, quæ ad hoc extenduntur. *l. filij eod. tit. & in eod. §.* Perinde judicandum est de l. 2. §. si bonorum, eod. tit. ubi si filius qui adierit ex jure antiquo & restitutus sit, mater admittitur ex Tertulliano: nam & id pendere putandum est ex ipsius SC. uerbis, quo puta si nollet uti filius, tum demortui mater invitatur. Quemadmodum & in l. 6. §. si filius. De Bon. lib. ubi si filius adierit & restitutus sit, admittitur defuncti patronus. Id enim ueluti suadere uidetur patroni reverentia. *ut in l. qui duos. §. si cum filio. inf. De Reb. Dub.* ita & sententia Prætoris. Expeditum proinde manet, in specie proposita bona uacare, & agnatos ab ijs repelli. Planè quod diximus de substituto repellendo, in servo substituto non admittimus, si hæreditas solvendo non sit. Servus enim ne defuncti bona ueneant, liber fit & hæres necessarius, non quidem recto jure, sed æquitatis quodam respectu ex rescripto divi Pij & Antonini. Eadem 4 quoque æquitatis ratione ex Constitutione noua Iustiniani post aditionem instituti hæredis quoquo modo desistentis, admittitur substitutus, & Fisco præfertur. Quemadmodum & desistente substituto quivis extraneus. *Novell. 1. & in ea Cujac.* Vnde consequitur subtilioris dissertionis nostræ superioris, hodie uix aliquem esse usum. Evenit ✝ tamen ex ijs, uerùm non esse quod Papinianus indistinctè perhibet, servum neque liberum neque hæredem futurum, nisi quando 6.

solvenda hæreditas est. Altera hujus legis species est, Si hæres scriptus repudiaverit, & restituatur adeundi causa, Papinianus putat, servum, qui ex vulgari substitutione semel hæres ac liber exstitit, liberum manere, hæredem manere non dicit. Quod si id, ut apparet, putat: rectè eum falli dicemus. Restitutiones enim prætoriæ sunt, & ideo jus ipsum non perimunt. Per consequens etiam hæredem uel exhæredem non faciunt. Ejusque rei argumentum est, quod restitutus ad adeundam tantùm utiles actiones habet. *ut hic & l. 2. §. interdum. De uulg. Subst.*

§. Penult.) De Restitutionibus contra præscriptiones temporales agimus infrà *in l. 37. §. 1. eod.*

Ad l. minor. 8.

1. Minor per contumaciam damnatus restituitur, & quatenus. num. 2 & 5.

3. Quando deserta litis nomine ad restitutionis beneficium deueniatur.

4. An minor ad interrumpendam præscriptionem citari queat sine clausula, ut compareat cum curatore.

6. Ad sũptus litis an minor ob cõtumaciã restitutus teneatur.

1. Minor † quasi contumax damnatus, restituitur, *ut hic*. Dubium movebat quod dicimus, peremptorium contra minorem propositum nihil operari. *l. contra. 54. De Sent. & Re Iud.* unde nec restitutio in integrum necessariã uidebatur. *l. idem Pomponius. 16. §. & generaliter. inf. eod.* Et id quidem uerum est, si minor sine curatore citetur, & indefensus damnetur. Neque enim id civili ratione fieri debet. *l. acta. 45. §. fin. De Re Iud.* cùm non habeat legitimam personam in judicio standi. *l. ult. C. Quib. leg. pers. standi in jud. non est.* At
2. si curatorem † habeat, & lis principio quidem legitimè defensa, dein deserta sit, parata in integrum restitutio est. *per hunc tex.* Quod
3. † tamen cum moderamine accipiendum, ut si socordiâ & inertiâ tutoris uel curatoris, actoris aut procuratoris triennium elapsum sit, & ita minori lis perempta sit, prius actione ordinariâ adversus ipsos experiundum sit, & quod ab ijs servari nequit, id demum restitutionis remedio recipiant. *l. properandum. §. fin. C. de Iudic.* Sed hoc ipsum ita, si contra tutorem, curatorem, actorem, eumve cujus inertia lis deserta est, legitimè processus sit uentilatus, Nam cùm contra majores etiam strictè curanda sit ratiõ process us. *d. l. properandum. C. de Iud. per tot.* contra minores id uel in primis observari
4. oportet. *a. l. acta. § fin. & ibi DD. de Re Iud.* An † uerò minor ab initio, sine clausula ut cum curatore compareat, citari queat ad præscri-

scriptionem interrumpendam, quæsitum est. *latè Quint. Mandos. in tr. de Æt. Min. Qu. 10.* & distinguimus perinde, an curatorem habeat, quo casu necessariò citandus est uel curator, uel unà cum eo minor, aliàs citatio non ualet. *per tex in d. l. ult. uerb. nihil opitulatur conventio circa minorem habita, cum id rectius debuerit custodiri circa curatorem. C. Qui legit. Pers. standi in jud. Hab.* an uerò curatorē non habeat, quo casu citatio contra minorem nihil operatur. *tex. in d. l. contra. 5.* Nec est cui actor quæratur, quod curatorem non habeat minor: cùm prospicere queat ut etiam invito curator detur. *per §. inviti. Inst. de Curat.* Moribus † tamen Galliæ etiam contra ipsū minorem in contumaciam condēnatio fit, modò constet de causa probationibus legitimis. *Böer.* Dec 62. *nu. 9. 10. 11.* Eoq; tū restitutionē impetrabit, sed ita demum si se læsum contra jus commune doceat. Superioribus uicina quæstio est, An minor adversus cōdemnationem in contumaciam restitutus, etiam † sumptus litis restituere cogatur. *ex dispositione l. sancimus. C. de Iud.* & id quidem Bartolo, *in l. si finita § si forte. De Dam. Inf.* Iasoni *in d. l. Sancimus. num. 7.* Hostiensi *in summa tit. de in Int. Rest. §. fin. circa finē.* uisum fuit. Movet eos quod responsum est Restitutionem ita dandam, ne eadem adversario sit fraudi *l. nec anus C. de Emanc. l. 1. C. de His Qui Ven. at.* Accedit quod minori non succurritur in delictis. *l. 1. §. nunc uidendum inf. hic.* & quòd minor aliàs restitutus sumptus in rem factos refundere tenetur. *l. intra utile. §. fin. inf. eod.* Tametsi uerò argumēta posteriora hæc parum ad rem faciant (cū quia contumaciæ causa non tam in proprium delictum quàm simpliciùs in dolum præsumptum cadit, qui & regulariter minoribus quoque nocere non solet. *tex. in d. l. contra. De Re Iud. & d. l. ult. C. Qui legit. pers. standi in jud. non hab.* tum quia impensæ in rem factæ minorem reddunt locupletiorem, quod de expensis judicialibus dici non potest) nihilominus uerum manet, quod restitutio adversario non debeat esse fraudi *per iura supra alleg.* Cōtra tamē alij sentiere. *Alex. ad d. l. si finita. §. Julian nu 84. de Dā inf. Natta consil. 17. nu. 6. Oddus in tr. de Rest. par. 2. q. 79. art. 2. nū. 330.* Movet eos quod in integrū restitutione utrimque omnia restituuntur in statū priorē. *l. quod si minor. 24. §. restitutio. inf. eod.* Cui accedit quod restitutionē rei principalis & accessoriū sequitur *l. patri. 27. §. 1. inf eod. l. terminato. C. de Fruc. & Lit. expens.* Cæterū ea argumēta in proposito cessāt, ne sc. minor restituatur damno alterius qui debitam familiæ suæ in observatione judicij diligentiā præbuit. Præterea minor refundendo expensas à uictore in contumaciā erogatas, utitur jure communi, in quo damni genere re regulariter quidem restitui solet, cùm non censeatur in eo circumscribi. *l. ult. C. eod.* Et hoc in praxi servamus. *uide & Böer. Decis. 63. nu. 10. & 11. Capel. Tolos. Decis. 329.* Ad

5. *Consuetudo Galliæ.*

6.

7.

Ad l. si ex causa. 9.

PRincipium hujus legis & an minor ob grande uel exiguum dánum restituendus sit, relatum est suprà *in l.6.eod.*

§. In dotis 1.) Mulier circumventa ut uel totum patrimonium uel ultra ejusdem uires in dotem daret, restituitur. *tex.hic.fac.l.minor. 48.§.fin.inf.h.t. & l.un.C.si advers.dotem.* Nec mutat l. sive 61. De Iure dot. ubi promissio ejusmodi perhibetur ipso jure nulla: quia ea procedit quando curator minoris dolo malo interposuit authoritatem suam, hæc uerò quando negotium boná fide peractum est.

1. *Minores in delictis non restituuntur.*
2. *An restituantur contra delicti confessionem.*
3. *Quid si se majorem dixerit.*

1 NVnc videndum.) Minores † in delictis non restituuntur, idemque est si quid egerint dolo malo. *tex.hic. & in l.auxilium. inf.eod.* Benignè tamen admissum est, pœnam pro qualitate delicti mitigari. *d. l.auxilium.§.1.inf.1.C.si adu. del.c.1.de Delict. Puer.c.*
2 *fin.de Sent.Excomm.* An † uerò contra confessionem delicti restituatur infrà tractamus. *ad d.l. auxilium.* ubi etiam plura tractamus de tota restitutionum materia in delictis. Quatenus autem ei con-
3 tumacia noceat uel minùs suprà explicuimus. *in l.prox.hic.* Planè † si minor se majorem mentitus sit, distinguimus, an dolo id egerit suo, quo casu restitutio cessat. *l.2.C.si minor se mai.dix.* an uerò inductus ad hoc dolo adversarij sit, quo casu restitutio admissa est. *l. 3.C.eod.* Quemadmodum & restituitur, si intervenerit dolus utriusque, *arg.l.de tutela. C.de in Int. Rest. Min. Bart.in d.l.3.* Sed uide plura hac de re in ijs quæ ponimus *ad l. minor.32.inf.eod.*

1. *Contra status mutationem restitutio non est.*
2. *Conciliatur l.3.§.si quis sup.eod.*
3. *Ius Canon.in hac re.*

1 §. PApinianus.) Major annis uiginti, minor uiginti † quinque, si se in servitutem uenire patiatur, non restituitur, quia contra status mutationem restitutio non est. *tex.hic.* Hoc tamen de maxima capitis diminutione accipiendum est, cùm adversus arrogationem, si in ea deceptus sit, restituatur haud dubiè. *l.3.§.si quis minor.*
Ius Canon. diversum. *sup.eod.* Illud prætereundum non est, Iure Canonico ecclesiam quoque contra libertatem restitui. *c.etsi illi. causa.12.q.2.* Vide & dici

dici potest, regulam quâ dicimus, contra status mutationem restitutionem non esse, ex eo jure cessare.

1. *Minor cujus bona in commissum cadat an restituatur.*
2. *Conciliatur l. 7. §. item. De Publ. & Vect.*

§. SI in commissum.) Minor si vectigal non solvat, ✝ eoque bona ejus in commissum cadant, restituendus est. *tex. hic.* Nec ✝ mutat quod tutus videtur ipso jure cum ea pœna Constitutionibus, sit minoribus remissa. *l. imperatores. 7. §. item. De Publ. & Vect.* quia ea remissio demum parata pupillis est, si ij adhuc intra diem trigesimum vectigal solvant, puberibus non item, *tex. & not. in d. l. 7. §. item.* 1. 2.

§. Final.) Contra libertatem semel obtentam restitutio non datur. *tex. hic.* dixi suprà *in l. metum. 9. §. idem Pomponius. Quod met. caus.* Sed hac in re Ius Canonicum à Iure civili diversum est. *ut in eadem hac lege. §. Papinianus. annotavi.*

Ad l. uerum. 11.

1. *Restitutio minorum non fit nisi cum causa cognitione.*
2. *Quid ueniat in cognitionem causa. & 1.*
3. *Minor læsus jure communi non restituitur.*
4. *Quando minor læsionem probare cogatur, quando non item. 5. 6 7.*
7. *Verus intellectus legis 1. C. Si Advers. Cred.*
8. *Ecclesia & civitas eiusdem cum minore juris.*
9. *Restitutionis beneficium cessat si minor iuraverit contractum servare 11. 13.*
10. *Quid ergo si contractus sit nullus.*
12. *An beneficium legis secunda C. de Resc. Vend. juramento tollatur.*
14. *Quid si minor dolo ad jurandum sit inductus.*
15. *Consuetudo de remissione juramenti an probanda.*
16. *Vt minor juramento teneatur an beneficij huius præmonitionem præcessisse oportuerit.*
17. *Adversus delationem iuramenti restitutio est.*
18. *An quæ de minoribus disseruimus etiam pertineant ad proximos pubertatis. & 19.*
20. *De Iuramento Prælati ecclesiæ.*

1. §. Sciendum. & §§. seq.) Restitutio † minoribus non datur nisi causa cognitâ. *tex. hic. & l. quod si. 24. §. 1. eod.* In causæ verò cognitione priùs de ætate cognoscendum est, quæ vel ex aspectu constat, vel probanda est. *l. minor. 32. & ibi DD. inf. h. t. l. 4. eod.* Auditur tamen adversarius, si contrarium probet manifestè, aliàs non item. *vide tex. in l. cum de ætate. De Prob. Minf. Cent. 4. Obs. 16.* Adde quæ ponimus infrà *in l. de ætate. 43. eod.* Secundò videndum num sit læ-
2. sus † aut commodo aliquo privatus. *l. 7. §. hodie sup. eod. l. non omnia. 44. infrà eod.* Neque tamen ob omne damnum quod sensit, neque ob omne lucrum etiam omissum restituendus est, sed est ea res tēperanda arbitrio prætoris, ne passim ita restituatur, ut occasionem inde arripiant homines cum minoribus non contrahendi. *d. l. quid si 24. §. 1. vide quæ ponimus suprà in l. 6. eod. h. t.* Et quidem oportet ut vel circumventus ab adversario sit, vel lapsus saltem per inconsul-
3. tum ætatis. *d. l. 24. §. 1.* Probata † igitur ætas & circumventio restitutioni locum faciunt. *l. 7. §. non solum sup. eod.* si tamen communi iure usus lædatur, verbi gratia, si ex pòst facto rei emptæ damnum accedat, vel venditæ commodum, cùm in ipso negotio læsus non esset, restitutio neganda est. *l. ult. C. eod.* quemadmodum & si sobriè rem suam administrans, occasione damni, quod non inconsultè accidit, restitutionem non habebit. *ut hic in §. non restituetur. ead. hac l.* Proinde & si res empta fortè apud minorem fatali perierit, restitutio cessat. *§. inde Marcellus. in hac ead. l.* Præterquam si hæreditatē fortè adijt, vel rem comparavit manifestis multisve casibus obnoxiam.
4. *§. si locupleti. vers. sed hec res. in hac ead. l.* Ceterùm, ut † ad rem, læsionem ita demum probabit minor, nisi ea appareat ex re ipsa. *Min. Cent. 4. Obs. 17.*
5. Sin † verò ea non appareat, & adversarius probare conetur, eum locupletiorem factum, audietur, perinde ut de probatione ætatis quoque eum audiendum dictum est paulò antè. A-
6. lias † tamen contrarium dicimus, & læsionem, ab ipso minore probandam velut fundamentum suæ intentionis. *l. nam postea. 9. §. si*
7. *minor. de Iureiur. l. ait prætor. 7. §. non solum sup. h. t. l. 5. C. eod.* Nec † mutat l. 1. C. Si Adu. cred. quia ea singularis est in creditore mutuāte. Doctores quidem plerique ex ea collegerunt, onus probandi pecuniam fœneratitiam versam esse in rem minoris, cùmve locupletiorem factum, regulariter incumbere fœneratori, in ceteris tamē negotijs cōtra esse. *gl. Bart. Castr. Bal. Wesenb. ad d. l. 1.* alij vero simplicius eam de quocunque creditore acceperunt. *Salic. ibidem. in comm. l. 2. C. de Res. vend. par. 3. c. 1. num. 30. & seqq.* eò quòd is titulus inscriptus est absolutè de restitutione adversus creditorem, creditoris verò vox etiam de quibuscunque accipitur, quibus quid debetur. *l. creditorum. 11. De verb. sig.* Sed posterior sententia parum

probabilis

probabilis est, nam si id esset, eversum hac in re probationum principium foret, & minori læsionis probatio non incumberet, contra quam & responsum est. *in d. l. nam postea. §. si minor.* & constitutum. *in d. l. 5. C. de in Int. Rest. Min. d. l. 7. §. non solum. sup. h. t.* Læsio enim potissimum interpretandæ restitutionis fundamentum est, & igitur postulanti eam necessario probanda. *arg. l. actor. C. de Prob. junc. l. cum de ætate. eod. isto tit.* Igitur ego communem Accursij & Bartoli sententiam probarim. Amplius tamen d. l. primam, nó modo in creditore fœnerante, sed quocunque mutuante censeam admittendã, speciale tamen id in mutuo esse ut creditor probet pecuniam in rẽ minoris esse versam. Nam & illud in eodem contractu singulare est, ut si quis sciens minori pecuniam consumpturo credat, obligatio ne quidem ipso subsistat jure, perinde ut nec mandatum subsistit, quo minor alteri mandavit ut meretrici pecuniam numeraret. *l. si vero non remunerandi. 12. §. si adolescens. inf. Mand.* Quandoquidem igitur mutuum subsistit si contractum sit bonâ fide, restitutionem hoc casu impetrari oportebit. *l. Stichum. §. quod vulgo. De Solut.* speciale tamen manet ut creditor probare teneatur pecuniam in rem minoris versam. *d. l. 1. C. Si Adu. Cred.* In venditione igitur & ceteris negotijs parciùs agendum est. Diversitatis verò ratio est, quòd facilè præsumatur minor pecuniam acceptam consumpsisse, eaque præsumptio onus probandi in adversarium reflectat, quod in reliquis contractibus intelligimus difficiliùs. *tex. in l. quid si minor. 24. §. pen. inf. eod.* Planè † quod dicimus adversario probandum, pecuniam versam esse in rem minoris, idem & ad civitatem pertinet. *per l. civitas. De Reb. Cred.* & ecclesiam. *Auth. hoc jus. C. de Sacros. Eccl.* Quomodo verò quis probetur, locupletior id alibi tractamus. *in l. utrum. De Pet. Hær. ubi vide.* Ceterum † quæ de in integrum restitutione disseruimus ea omnia ita demum obtinent, nisi juraverit minor se contra gesta non venturum. *l. 1. cum Auth. seq. C. Si Adu. vend.* Quid ergo si † contractus nullus sit & minor juret se eum servaturum? Martinus perinde servandum, Bulgarus contra, & quidem Martinum practici sequuntur, ut Faber annotat, Bulgarum theorici. *Ioan. Faber. in d. Auth. Sacramenta. ad vocem contractibus.* Nos distinguimus utrum nullus sit respectu solemnitatis quam ætas minor in obligando & alienando requirit, quo casu juramentũ servari oportet. *ut in d. l. 1. C. si Adversus vend. verb. emptori prædij.* (Quâ ratione & alias servandum juramentũ est quo quis contra juris rationem renunciat beneficio sibi concesso. *c. quãvis. de Pact. in 6. & ibi Canonistæ.*) an verò contractus sit nullus vel ob turpitudinẽ sui, vel de tali re interpositus quæ prohibit[ur] jure in contractũ deduci nó potest, quo casu juramẽtũ servandũ nó est.

8. 9. 10.

 l. non

l.non dubium. C.de Legibus. c.non est obligatorium de Reg. Iur. in 6. Gail. 2.Obs.per tot. Supplet enim juramentum in proposito solummodo defectum ætatis, ad quem contrahentes jurejurando religione censentur respexisse. *gl.in d. Auth.Sacramenta.* Vix 4 autem indefinitè admittendum est, quod Doctores perhibent, minorem juramenti præstatione habendum pro majore. *de quo Jas. in d. Auth.num.55.* nec ineptè proinde id Mauritius impugnat. *in tract.*
12. *Rest.c.113.& seq.* Rectè tamen plerisque annotant, Etsi minor † juraverit se contractum servaturum, nihilominus frui posse beneficio legis secundæ.C.de Resc.Vend. *Commun.dicit Castr. in d. Auth. num.20. Iacobin.num.43. Belviso ad tit.de Pace jur.firm.§ item sacramenta.in Vs.Feud. Dominus Broncborst. Cent.1.c.62. Pinel. ad d.l.2. par.3.c.1. num.9. allegans innumeros alios.* Venit enim beneficium hoc ex causa nova ad quam contrahentes non censentur respexisse, eoque juramentum ad illud non censetur extendi. *l.ult. Qui Satisd. Cog. l. ult. C. de Non Num. Pec.* Nam si † juratum simpliciter
13. sit, minorem nullâ ex causa adversus contractum venturum, magis dicimus ne eo quidem beneficio eum juvandum. *Bart.in d.l.2. num. 11. receptum perhibet Decius Cons.403.col.6. Boër Consil.30. num. 11.* Tum enim quia singularem rescindendi negotij causam allegare nequit, cessat argumentum paulò ante motum. *ex d.l.ult.*
14. *Qui Sat.Cog.& l.ult.C.de Non Num.Pec.* Quid † tamen si minor dolo adversarij ad jurandum sit inductus? nonnulli putant perinde restitutioni non esse locum *propter d.l.1. & Auth. Sacramenta. ubi Bal. Maur.de Minorib.c.115. Canonistæ in c. 1. de Iurejur.* Alij verò juramentum dolo extortum etiam ipso jure nullum autumãt. *Arch.in c.quamvis.de Pact. in 6. arg.c. licet.verb non ui nec dolo. de Iurejur.in 6.* Quod posterius quidem magis est, si juramentum falsis instrumentis sit extortum. *arg.l.si ex falsis.C.de Transact.junc.d.c. licet de Iurejur. in 6.* Aliàs verò non quidem restitutione ex hoc edicto locus est, sed actioni de dolo in id quod interest juramentum præstitum non esse. *arg.d.c.licet.* Sed quod † Moribus obtinuit remissionem juramenti à judice ecclesiastico peti. *Canonistæ in c.1.de Iurejur.* id rectè quidem in casibus admissum est, quibus ex nova ac singulari causa id non servatur, itemque cum id nullum est ipso

An probãda Consuetudo sit ac remissione iuramenti recepta.

15. jure. *ut in l.non dubium. C. de Legib.* remissionem tamen hanc ego supervacuum esse putem. *per l.ult. sup. Qui Satisd. cog.* At verò de casibus ceteris rectè Iason perhibet, fatuos esse judices qui absolutionem à juramento concedunt. *Jas. in d. Auth. sacramenta. num.*
16. *55. Gail.2.Obs.41.num.7.* Sed quæsitum 4 est, ut minor juramento teneatur, an præmonitionem beneficij huius oportuerit præcessisse, quod nonnullis visum est. *Bal.in l.2.C.de Resc. Vend. num.12.*

Din.

Din. Consil. 5. Contrarium tamen receptum est, idque propter indifferentem definitionem textus. *in d.l.* 1. *& Auth. Boër. Consil.* 50. *num.* 12. *Capell. Tolos. q.* 49. Nec ad rem facit quod dicimus, Minoribus juris ignorantiam permissam esse. *l. regula. De Jur. & Facti Ign.* & quod nemo renunciare censetur beneficio quod sibi competere ignorat. *l. mater.* 19. *De Inoff. Test.* Vnde & in proposito, nisi præmonitus sit minor, beneficij huius non meminisse, eoque & restitutio ei uideatur parata, quasi nimirum postulet eam ex nova causa. *per d. ult. Qui Sat. Cog.* hoc enim non procedit in præsenti, quia ipso juramento quo affirmat se negotium non retracturum, beneficio eo destitutus est. *tex. in d. Auth. sacramenta.* Planè † quin adversus delationem juramenti restituatur, cùm nullum eius hoc casu periculum animæ subsit, dubium non est. *l. nam postea quam.* §. *si minor. De Iurejur.* An uerò † quæ de minoribus disseruimus, etiam ad eos pertineant, qui pubertati proximi sunt impuberes si juraverint, quæritur: sed hos restitui Accursius putat. *gl. in l. qui jurasse. & Angel. ib. de Iurejur.* Quod magis est. Quia Authentica sacramenta, de solis puberibus agit, & excludit ergo impuberes. Ratio est quia pupillus non censetur pejerare, *tex. in d. l. qui iurasse. Archid. in c. quamvis. de Pac. in 6.* Nec mutat l. ult. de Lib. Caus. quia ibi minor non proponitur læsus, adeoque id promisisse ad quod ipso jure naturæ sine alia quoque conventione, tenetur. Proinde † quod alij autumant pubertati proximum etiam ad juramentum teneri. *Bar. & alij in d. Auth. sacramenta. Panorm. lib.* 1. *consil.* 39. *gl. & idem Abb. in c. ex literis de Sponsal.* id ad rationem juris civilis non pertinet, sed ad Ius Canonicum referendum est, quo dicimus: Omne juramentum servandum quod sine dispendio salutis servari potest. *per vulg.* Totum tamen hoc an impubes ejus intellectus sit ut malitia suppleat ætatem, in facto consistit, & arbitrio judicis metiendum est. Quo sensu interdum est in impuberem dolum non cadere. *l. impuberem. ad L. Corn. de Fals.* interdum eum doli esse capacem. *l. pupillum. De Reg. Iur. c.* 1. *de Delic. Puer.* De Iuramento † prælati ecclesiæ qui juramentum præstitit quæsitum est, & Speculator in eo idē quod in minore statuit. *h. tit.* §. *qualiter in fine.* Ioannes Calderius contra. *c.* 1. *eod. tit. in* 6. *ut eum allegat Faber in d. Auth. sacramenta.* Nos distinguimus an in animas capitularium juraverit ex eorundem voluntate, aut per capitulares ipsos, quo casu juramentum præstari oportet, nec restitutio concedenda est. *per tex. in c. ex rescripto. De Iureiur.* (itaque speculatoris sententia accipienda est) an uerò propria id authoritate fecerit, quo casu quia nihil agere potest quod in majus præjudicium ecclesiæ tendat. *c. cum laicis. de Reb. Eccl. non alien.* juramentum eius non tenet. *per l. non dubium. C. de*

18.

19.

20.

Legib. & consequenter si quid ex juramento eo sequatur, restituendum est. *idque ex Ioannis sententia.*

1. *Quatenus minor contra minorem restituendus.*

§. ITem quæritur) Quatenus minor contra minorem, ecclesia contra ecclesiam restituenda sit (quod argumentum huius loci est) plenè tradimus infrà *in l. minor. 34. eod. tit.*

Ad l. si apud. 12.

EX hoc textu manifestum est, si minori per restitutionem in integrum res sua salva esse nequeat, exceptionem SC. Velleiani contra eum non fore efficacem.

Ad l. in causæ 13.

1. *Ad cognitionem causæ pertinet etiam an minori soli subveniendum sit, an vero & unà eius fidejussoribus. & 2. 3. 4.*
5. *Conciliantur diversæ leges.*

1. DIsseritio † adhuc versatur circa cognitionem causæ, in qua etiam considerandum, utrum minori soli succurrendum sit, an
2. etiam is qui pro ipso sunt obligati, Neque † enim si ego creditor scirem minorem, & tu fidejusseris pro eo respectu restitutionis, in damnum meum subveniendum est tibi. *tex. hic.* Bona enim ratione, quando fidejussor consulto consilio intercessit, non juvatur. *l. 7. De Except. Paul. 1. Sent. c. 9. Cujac. ibidem.* Ne verò minor interea obligatus sit mandati, tutius est eum contra utrumque tam fidejussorem quàm creditorem restitui. *tex. hic. & in l. 1. C. de Fideiuss.* Pla-
3. nè † si dolus creditoris accesserit ad fidejussorem ignorantem inducendum, eidem quoque restitutio prodest. *l. 2. C. eod.* Quemad-
4. modum eadem tum quoque † prodest cùm fidejussor bona fide accessit sine contemplatione beneficij honorarij huius. *l. stichum. 95. § quod vulgo. De Solut.* Opponi verò † textui nostro solet l. si Titius.
5. 48. § 1. De Fideiuss. ubi confidejussori minoris restitutio prodest
6. pro parte. Sed id eò fit, † quod cum minore principaliter non contraxit & justam ignorantiam habere potuit propter incertum ætatis & restitutionis. Vnde & si priùs major postea quę minor intercessisset, quia ignorantia ea non esset consideranda, restitutio maiori non prodesset. *tex. ibidem.* Opponitur † etiam l. si pupillus. 89.
7. De Acq. hær. sed ibi fidejussoribus ideò subvenitur, quia contra sequentem hæredem actio erat salva. Similis ferè casus est in l. minor.

nor. 51. sup. De Procur. quia & ibidem actio contra eum pro quo interveniret minor, salva foret. Planè ei qui mandavit ut minori crederetur, subvenitur nullò modo. *ut hic.*
§. Interdum.) Quæ ad explicationem huius paragraphi pertinent, de restitutione in rem vel personam impetranda, posuimus suprà, *in l. metum. 9. §. volenti. Quod Met. causa.*

1. *Quamdiu superest remedium ordinarium cessat restitutio.*
2. *Quando id non ita sit. & 3. ac 4.*

§. POmponius.) Quamdiu superest ordinarium remedium, † cessat restitutionis extraordinarium. *ut suprà in princ. huius l.* Sed hoc † non procedit, quando restitutio parata est contra eandem personam quæ nobis actione ordinariâ tenetur. *ut hic.* si utilius minori sit contra vnum restitui, quàm contra alium actionem prosequi. *l. cum mandato. h. t. l. si ex causa. 9. §. 1. sup. eod.* Et hoc potissimum ita est si læsus sit ex negotio tutoris vel curatoris, tum enim electio ei datur utrum restitutionem an verò personalem actionem intentare velit. *l. 3. & l. ult.* C. *si tut. vel cur interu.* Præterquam † si negligentia curatoris in judicio damnum sit passus, tum enim primo personalem actionem, & si per eam non satisfiat, restitutionem implorare potest, *l. properandum §. fin.* C. *de Judic.* At si collusione † vel fraude tutor adversarium passus sit absolvi, utram viam minor eligere mauult, potest. *l. etiam. 45. §. 1. inf. h. t.* 1. 2. 3. 4.

1. *In contractibus circumventio quatenus sit permissa. & 3.*
2. *An hoc loco prebetur dolus.*
4. *Circumventio in pretio emptionis an in foro conscientia permissa.*

§. IDem Pomponius.) Naturali quadam ratione admissum † est, ut contrahentes se in pretio emptionis circumvenire queant, *tex. hic.* Quod ita tamen accipimus, ut sine malitia rem quamque paulò infra vel supra communem æstimationem emere, vendere sit permissum. Quæ res tamen ut modum habeat lege secundâ, C. de Resc. Vend. provisum est singulatim. Sed æstimandum non est hac lege † probari dolum, quia is ipsâ empti actione vindicatur. *l. si quis affirmaverit. 10. in pr. De Dolo.* Intellige igitur hîc circumventionē quæ ex bona fide provenit, quâ nimiū negotiatoribus lucri 1. 2.

causâ

causa in commerciis uti permissum est. *l. item. 22. §. fin. inf. Locati.* & dolo malo adeo directè est opposita. *l. & ideo. 23. eod. isto. tit.* nec vetita idcirco Iure Canonico, *c. pen. ex. de empt. & vend.* Curandum
4 tamen est ne quid hac in re agatur præter officium boni viri. *c. 1. eod. tit.* Quod si † fiat, eam quoque in foro conscientiæ permissa est. *Bal. in Rubr. C. de Contr. Emp. num. 12. Sal. in Auth. ad hac. C. de Usur.* Denique etsi id nonnullis improbatum est. *Anton. Butr. in d. c. pen. Alex. in add. ad Bart. ad d. l. 22.* tamen nihil certius esse ex eo constat, quod aliàs nullus mercator pro viro bono cèseri queat, id verò quia absurdum foret, perinde & absurdum illud esse constat, unde hoc sequeretur:

Ad §. fin. legis 16. & ad l. 17. et ad 17. et l. 18.

QVibus magistratus pro jurisdictione sua in integrum restituere potest. *ut hic.* Iurisdictio etiam ex hac causa alteri mandari potest, quanquam apud judicem datum aut arbitrum restitutionis quæstio tractari non queat *l. ult. C. ubi & ap. quem cogn. in int.* Vide tamen quæ ex Iure Canonico & moribus huius seculi hac de re notavimus suprà *ad l. 1. De Rest. in int.* Minor tamen magistratus non restituit contra sententiam majoris. *l. 18. hic.* Sed nec magistratibus municipalibus restitutionem concedere licet. Hæc tamen moribus mutata sunt. *vide quæ ponimus ad d. l.*

Consuetudo diversa.

Ad l. Interdum. 19.

BEneficium restitutionis transit ad hæredes. *l. prox. §. fin. suprà:* Quamobrem & hæredi interdum tempus restitutionis prorogatur ex persona sua, si & ipse minor fuerit, & in hoc læsus quòd tempus restitutionis siverit præterire *. tex. hic.*

Ad l. Papinianus. 20.

QVatenus exuli reverso tempus in integrum restitutionis prorogari debeat, vel quatenus is aut quis alius necessariâ ex causâ absens procuratorem domi relinquere teneatur vel minus, posuimus latè infrà *in l. 10. & l. sed etsi. 26. §. 1. & l. is qui. 39. Ex Q. Caus. Maior.* ubi & hæc allegata est.

Ad l. cum mandato. 23.

QVatenus minor qui pro alio intervenit procurator, ideoneus sit, relatum est suprà *in l. si minor. §1. De Procur. ubi & hac relata est*. At quatenus restitutione filij iuvetur pater explicatum est *in l. §. sed utrum. h. t.* utrobique verò hæc l. allegata est.

1. *Minor qui procuratorem majorem dedit quatenus restituatur. & num. 2.*

SI AUTEM IPSE DOMINUS MINOR SIT.) Minor qui † majori rei suæ commisit curam, non facilè restituitur, nec aliter quàm si à procuratore servari res non possit. *tex. hic.* in tutore tamen & curatore contrarium est, nam si ij quid procuraverint aut egerint, minori electio est utrum actionem exercere an verò in integrum restitui malit. *l. 3. & ult.* C. *si Tut. Interu.* Mitiùs proinde agitur cum tutore vel curatore quàm procuratore, quod illi ex necessitate gerant, hic liberâ voluntate *gl. hic.* Quid † ergo si minor cum juramento procuratorem constituit, & quia per hoc beneficio ætatis censetur renunciatum, perinde ut in negotijs ceteris. *Auth. sacramenta.* C. *si Adu. Vend.* habebitur pro majore, Atque ita in Curia Romana judicatum perhibet Quintilianus Mandosius *in tr. de Æt. Min. Q. 9.* Num verò minor etiam rectè citari possit, non adhibitâ cautelâ ut compareat cum curatore quæsitum est, *ab eod Mandos. d. lo. Q. 10. ubi tamen non propriè resolvit.* Sed nos hanc quæstionem tractamus suprà plenè. *in l. minor. 8. eod. tit.* 1. 2.

Ad l. Quod si minor. 24.

SI minor sine mandato negotijs majoris interveniat, restituitur, quod si id detrectet ac gerere perseveret, tenetur negotiorum gestorum, nec adversus eam actionem restituitur minor, sed compellitur ei cujus negotia gessit cedere auxilium in integrum restitutionis, & procuratorem eum constituere in rem suam, ut ita sibi damnum propter minorem contingens, resarciat. *tex. hic. fac. l. si minoris. 25. De Adm. Tut.* Sed hoc singulare est ob pervicaciam minoris, nam qui aliàs pro eo procurator in rem suam venit, privilegio eius non gaudet, *l. ex pluribus. 42. De Adm. Tut.*

§ Non semper.) Quando ob læsionem minor restituendus sit vel minùs, suprà explicamus latè *in l. verum. 11. §. secundum. eod.* ubi relatus est hic. §.

§. Scævola.) Hic §. pertinet ad ea quæ ponimus suprà *in l. 7. §. restitutus. eod.*

1. *Restitutione factâ ipso minor quoque pretium rei emptæ restituit.*

2. *An non emptor retinere rem emptam & pretium supplere queat.*

§. RESTITUTIO.) Per in integrum restitutionem omnia reponuntur in pristinum statum. Proinde † restitutione contra venditio-
1. nem impetrata ab ipso minore quoque pretium rei venditæ restituendum est, nisi venditor sciens pecuniam perdituro crediderit. *ut hic. & l. si quidem. C. de Præd. Min. l. patri. 27. §. item ex diverso. inf. eod.* quia enim tum in mala fide est, restitutio pecuniæ meritò cessat. *l. si verò non remunerandi. §. si adolescens. inf. Mand.* Illud † quæsitum
2. est, An non emptor retinere rem venditam possit, & justum pretium minori supplere, quod Petrus & Cinus non putant. *in d. l. si quidem Castr. ad l. non interest. num. 4. C. de his Quæ met Caus. facta sunt. Pinel. ad L. 2. par. 3. c. 1. num. 21. C. de Resc. vend.* moventur legibus iam allegatis, quæ simpliciùs perhibent, rem utrimque restituendam suæ integritati. Accedit ipsa definitio in integrum restitutionis, quæ est in jus priùs repositio. *ut hic & c. 1 ex. de in Int. Rest. vide quæ nos suprà in l. 1. De Rest. in genere.* & hoc igitur magis est. Alij tamen contrà senserunt, *gl. Bart Salic. Bal. in d. l. si quidem. gl. & Abb. in d. l. patri. §. ex quo verb. oporteat. inf. eod.* Movet eos quod pretij supplemento læsio tollitur. *per hunc text.* quæ tamen præcipua restitutionis causa est. Accedit quod alibi responsum est, femina dotis dictione decepta: in æstimationis modo, maritum in arbitrio habere, utrum rem an justam æstimationem præstet, quod & in minore perinde esse respondetur. *tex. in l. si res. §. mulier. De Iure Dot.* Sed hoc in dote speciale est, quippe cujus causa publica & præcipua est *l. 2. eod. tit. l. 1. Sol. matrim.* ut meritò id & ad mulierem minorem referatur, id tamen ad res ceteras producendum non est. Denique ad primum argumentum quod attinet, non satis est læsionem tolli, quia beneficium hoc ampliùs ipsas res utrimque in integrum restitui permittit. *ut hic.* & hoc igitur in praxi sequimur.

Ad l. illud 25.

SI minor indebitum solverit ex quo jure civili repetitio non est, per in integrum restitutionem, utilis saltem condictio ei datur. *tex. hic.* Vtilis ideo quia omnes rescissoriæ restitutoriæque actiones utiles

utiles sunt. *vide quæ nos ponimus hac de re suprà in l.7. §.volenti. Quod Met.Caus.* Pupillus quidem condictionem ipso jure habet, instar furiosi aut eius, ni interdictum est bonis. *l. interdum.* 19. De *Condict. Ind.* sed minore in quem cadere censetur consensus, restitui oportet. *l.ult.*C.*Si Adu. Sol.* junge quæ ponimus suprà *in l.7. §.restitutus, h.t.*

Ad l. patri. 27.

VIde quæ ponimus suprà *in l.3.§. sed utrum eod.* ubi plenè tradimus quatenus filiosfamilias vel patri eius per in int. restitutionem subvenitur.

§.1.& *§§*.seqq.) Relati sunt suprà *in l.24.§.restitutio.eod.* Quomodo verò quis probetur factus locupletior pleniùs alibi tractamus, *in l.utrum. De Her. Pet. ubi vide.*

§.Finalis.) Relatus est suprà *in l.10.& 11.De Dolo.*

Ad l. etiam. 29.

PRincipium huius l. pertinet ad ea quæ ponimus *in l. 7.§.restitutus. ubi & hæc relata est. eod.tit.* suprà.

Ad l. si filius. 30.

VIde quæ posuimus suprà *ad l.3.§.si quis cum minore.eod.tit.* Denique licet jure Dig. & Cod. legatum filio relictum querelam inofficiosi tolleret, quòd legitimæ agi oporteret. *§.pen. Inst.eod.* bonorum tamen possessio relicto legato non impeditetur. *per hunc tex.* De Restitutione verò temporis intra quod bonorum possessio impetranda foret, frustrà hodie agitur, cùm nulla temporis præscriptio adversus minorem currat. *vide quæ ponimus infra in l. auxilium.§.1.h.t.*

Ad l. si mulier. 31.

NOtabile est quod in fine huius legis dicitur, contra creditores, quibus ab hærede minore solutum est, priusquam restitutionem impetraret contra hæreditatis aditionem, reliquos creditores post restitutionem non audiri, ut solutum ijs communicetur. *tex. hic. fac. l. repetitio. inf.* De *Con. Ind. & l.fin.* C.*Depos.*

Ad l. minor. 32.

Quẽadmodũ quis minor aut major probetur ex aspectu aut aliter, tractamus infrà *in l. de ætate. 43. eod.* Quod si quis solo ex aspectu judici major judicatus pecuniã acceperit & perdiderit, etiãsi re ipsã

minor esset, contra eum qui judicio magistratus credens solvit, non restituitur. Curatores tamen hoc nomine conveniri poterunt, qui scientes minorem eum non prohibuerunt pecunias accipere. Sed non convenientur si per errorem, administratione tradita, judicio magistratus acquieverunt. Et igitur si dolo malo de ætate mentitus eam forte magistratus probarit, restitutio ei adversus omnes negatur, qui eum majorem crediderunt. *per hunc tex.* non tamen adversus eos qui eum intelligebant minorem esse. *l. de tutela. C. de in Int. Rest. l. 3. C. Si Min. se Ma. dixi.* Sed si vel errore lapsus vel dolo adversarij minor se majorem præbet, dubium non est quin adversus omnes restitutioni sit locus. *l. 1 & l. ult. C. eod.* Quod si quidem ætatem magistratui non probarit, sed affirmaverit se modò majorem causa decipiendi ejus cum quo contrahebat, adversus eum in integrum restitui non potest, *l. 2. C. eod. tit* Si dolus absit, & per errorem se majorem affirmaverit, restituetur, ut & adversus confessionem erroneam restitui solet. Planè si juret se majorem, religio affirmationi nihil addit, dolus quippe est sive quis juret, sive affirmet simplicius. *l. si legatarius supra. De Dolo. l. ult inf. Stell.* Quemadmodum & si in instrumento juraverit, restitui non potest, nisi alijs instrumentis (nec enim testes eo casu suffecerint) probet se minorem, *l. 3. C. Si Min. Se Major. Dix.* & probabile sit eum non fallendi causâ mentitum. *per d. l. 1. & l. ult. C. eod.*

Ad l si minor. 34.

1. *Minor quatenus restituatur contra minorem.*
2. *Conciliantur diversa argumenta.*
3. *Ecclesia contra ecclesiam restituitur.*

1. MInor † contra minorem restituitur, Sed in eo tantum quo is contra quem restitutio postulatur, locupletior est tempore litis contestatæ. *ut hic.* nam quod jam tum consumtum est, in eo est melior causa consumentis. *l. verum. 11. §. item quæritur. sup. eod.* Ac
2. † videtur restitutio minori contra minorem nullo modo danda, aut enim alter locupletior est, & ex Constitutione divi Pij tenetur hodie jure communi, *l. 3. inf. Comm.* & per consequens restitutione non est opus, *l. 16. sup. eod.* aut non est factus locupletior & ne quidem restitutio contra eum tenet. *d. l. 11. §. item quæritur.* Sed observandum est, minorem quidem in id teneri quo locupletior est, ut re venditâ duobus nummis cuius pretium tres sunt, unum insuper reddat, sed restitutioni rei venditæ non est astrictus sine bene-

ficio

ficio restitutionis in integrum. Planè quâ ratione minor contra † 3.
minorem, eâdem quoque ecclesia contra ecclesiam restituitur. *c. 3. ex eod.* & minor etiam contra ecclesiam, si illo fortè in ædificationẽ monasterij aut cœnobij bona sua destinarit. *per hunc tex. Anton. Gabr. in tr. Com. Op. tit. de Præs. lib.* 1. *Concl.* 12. *num.* 3. Atque ita curia Coloniensis judicavit. Et vicissim proinde ecclesia quoque contra minorem restituenda est.

Ad l. Auxilium. 37.

1. *In pœnis an & quatenus restitutio admissa & num.* 2.
3. *An restitutio contra confessionem danda.*
4. *De Adulterij pœna annotatio singularis.*
5. *De Ambitu.*

AVxilium † in integrum restitutionis executionibus pœnarum paratum non est, *ut hic.* quia minores in delictis non restituuntur. *l. si ex causa.* 9. *§. nunc videndum. sup. eod.* Illud quæsitum 1.
est, An non leviori saltem † pœnâ afficiendi sint, & hac de re non 2.
parum variatum est. Alij enim pœnam leniendam putãt. *Sfort. Od. de in Int Rest. par.* 2. *q.* 79. *& Anton. Thes. in decis. Novis Pedem. Decis.* 161. Moventur per textum in §. 1. hic. *verb. Nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem perduxerit.* Accedunt loci juris nostri complures, *l. ferè in omnibus. De Reg. Iur. l. si adulterium.* 38. *§. fratres. ad L. Jul. de Adult.* Sed diversæ sententiæ authores moventur eò, quod innumeris propè locis relatum est, in delictis minoribus non subveniri, *ut hic in princ. & d. l.* 9. *§ nunc videndum sup. eod. l. si minor.* 36. *ad L. Iul. de Adult. l. excipiuntur. Ad SC. Syllan. l.* 7. *C de Pœn. l.* 6. *C. ad Corn. de Sicar.* Ego respondi rem in facto consistere, ut si frequentia delictorum vel malitia suppleat ætatem, pœna mitiganda non sit, atque ita horum sententia accipienda, sin minùs, ex sententia illorum contrarium statuendum. Vnde est quod leges quæ leniendam pœnam statuunt, plerumque eius rei cognitionem & arbitrium judici relinquunt, *ut in §.* 1. *huius l. in voce. interdum. & in d. l. ferè. De Reg. Iur. in voce. ferè in omnibus. item. l. aut facta. §. persona. De Pœn.* Alia verò † quæstio est, An mi- 3.
nor contra confessionem delicti, cujus tamen convictus non est, restituendus sit, quod Angelo & alijs nonnullis probatum est. *Angel. in l. certum. §. in pupillo. & alij referente Alex. Consil.* 115. *lib.* 3. Movet eos quod responsum absolutè est, minorem contra confessionem restitui. *tex. in d. l. certum. §. in pupillo,* De Conf. Cui accedit,

 quod,

quod, uti aliàs contra inficiationem delicti restituitur. *d.l.9.§. nune videndum.sup.h.t.* ita & adversus confessionem è contrario restituendus videbatur. *arg à contrar.sens.collecto.* Alij tamen contrarium statuunt. *Francis. Sarm.lib.3. Sel.Interp.c. 13. Fach.lib.1. Contrōv.c.* 72. Movet eos quod aliquoties absolutè definitum est, minorem non restitui in delictis. *ut hic in verb. nulla deprecatio pœna est, si se minor adulterum fateatur.& in d l.9.§.nunc videndum.* Ad l.certum. §.in pupillo, respondent, eam solummodo procedere in civilibus, & argumentum à contrario ita demum admitti, si id non repugnet expressæ juris definitioni; quod illâ sententiâ admissâ futurum, & quidem contra hunc ipsum textum perhibent. Et igitur hîc quoque respondi rem in facto consistere, ut si probabilis saltem innocentiæ suspicio aut præsumptio subsit, restituatur (itaque Angeli sententia accipienda est) sin minùs, & præsumptiones nullæ subsint, è quibus eum falsa fuisse confessum convincatur, aliorum sententiam recipimus, non mitigatio videtur. Et hoc igitur cognoscétis quoque arbitrio relinquendum est. *arg.l.1. §.Divus Severus.de*
4. *Quæst.* uti restitutionum harum pleraque. Planè † in adulterij confessione & pœna non tam facilè admittenda mitigatio videtur. *ut hic & d.l. si ex causa.9. §.mulier. sup. eod.* quia adulterium quoque jure naturali prohibitum est. *l.probrum. De Verb. Signif.* quod de incesto tamen non ita indifferenter procedit. *l.si minor.36.& l.si adulterium.38.§.fratres.inf Ad L.Jul.de Adult. videri potest Cujacius hic in verb. Utique atrocioribus.* Planè in crimine ambitus admissum est, ut etiam major eius delicti convictus, restituatur, si alium convincerit eiusdem reum. *l.1.§.2.Ad L.Iul, Amb.* Denique etiam minor qui cœptam accusationem omittit sine abolitione, excusatur. *l.1.§.accusationem. in fine. ad SC.Turpil.* Ceterùm ne in delictis restituatur, omissam semel accusationem denuo intentare non posset. *per hunc text.* Quò pertinet quod suprà relatum est. *in l.3. §. si quis minor.num.6. eod.*

1. *Contra præscriptiones temporales an restitutio jure veteri esset.*
2. *Iure novo quid hac de re sit cautum.*
4. *Re minoris per usucapionem intercepta restitutio est.*
5. *Conciliantur diversæ leges.*

1. §.1.) IN diebus sexaginta † præteritis, quibus jure mariti vir accusare mulierem potest, minor non restituitur, quod eâ ratione veniam delicti impetrare videretur. *tex.hic.* Sed aliàs jure Digestorum

rum plerumque contra temporales præscriptiones restitutio dari solet, ut si decendium ad appellationem elapsum esset. *l. ait prætor. 7 §. pen. sup. eod. l. 1. C. Si sæpius* [illegible] *Post.* Præscriptio tamen temporis querelæ inofficiosi præfixæ, minoribus non objicitur ex constitutione speciali. *l. 2. C. quando in Int. Rest. Necess. Non est.* Quod & de longi temporis præscriptione rescriptum est. *l. 3. C. Quib. Non. Ob Longi Temp. Præs.* Denique † omnem hanc rem Iustinianus generali constitutione finivit, ut nulla præscriptio minoribus currat ipso jure. præter præscriptiones 30. & 40. annorum. *l. ult. C. in Quib. Caus. in Int. Rest. Necess. Non Est. adde l. 3. C. de 30. & 40. An. Præscrip.* Proinde contra illas demum restitutio impetranda est. Id verò ita usum habere potest, si fortè contra minorem præscriptio sit cœpta, & contra alium minorem successorem eius tandem completa. Nam & si contra majorem cepta præscriptio sit, minor ætas successori nō prodest. *l. si intra. C. de Non Num. Pec.* Quod pluribus infra prosequimur. *in l. prox. infrà. ubi vide.* Sed † & quando res minoris propriâ usucapione deprehenditur intercœpta, restitutioni locus est. *l. un. C. Si Advers. Vsucap.* Nec 4 obstat igitur L. properandum. §. fin. C. de Iud. quoniam ea non de præscriptione agit, sed lite ipso jure lapsu triennij exstincto. Nec obstat etiam Novel. 1. de Hær. & Fal. c. ult. §. pupillus: quoniam ea quoque agit de Hæreditate ipso jure amissa ob non impletam intra annum defuncti voluntatem. Sed & opponi potest Novel. 100. de Temp non Num. dot. quâ agitur de præscriptione non numeratæ dotis, cui interrumpendæ minori datâ tempore matrimonij annos 12. & currit proinde eius exceptionis tempus minori. Re tamen ritè examinatâ non tam minori quàm majori currit. Cum enim primùm matrimonij tempus ad summum in decimum quintum ætatis annum cadat, consequitur, ut annus undecimus & duodecimus cadant, in ætatem majorem, & consequenter non tam minoribus quàm majoribus currit. Cum majoribus tantùm annus detur. *l. ult. C. de Dote Cauta Non. Num.* De tempore legis Commissoriæ & eo quod distractioni pignoris præfinitum est, agimus *in l. prox.* infrà, ubi vide.

2.

3.

4.

Ad l. Aemilius 38.

1. *Argumentum huius legis, dissensio inter IC. Paulum & Antonium Principem.*

2. *Minor an restituatur contra usucapionem adversus defunctum majorem cœptam & ipsum completam.*

Si

SI quis rem vendiderit sub pacto legis commissoriæ, cui dein successit hæres minor, & satisfactum intra statutum tempus venditori non sit, eoque res ab emptore alteri sit vendita: dicendum est minorem non restitui, quemadmodum non restitueretur si à defuncto res pignori data distractio eius incideret in ætatem minorem. *l. 2. C. Si Adu. distr. Pig.* Atque ita de proposita quæstione Paulus respondit. Sed Antoninus, cùm quia dies committendi in tempus pupillæ incidisset, tum quia lex commissoria ei parum placebat, denique etiam venditor denunciando solutionem aut distractionem in alium faciendam, recessisse à lege sua videretur, postremo tutores qui contractum non implessent, nec restitui desideraussent offerente id etiam tum venditore, suspecti pronunciati erant: pronunciavit minorem in integrum restituendum. *ut. hic.* Ipso jure tamen extra speciem facti tam singularem, rectiùs dicimus restitutionem negandam. *d. l. 2. C. Si Adu. Vend. Pign. fac. l. 3. princip.*
2. *inf. Quib. in Poss. eatur.* Denique † eadem ratione Cujacius autumat, minorem ob omissam usurpationem non restitui adversus usucapionem contra defunctum majorem ceptam, etiamsi complẽdæ eius tempus inciderit in ætatem minorem. Quod magis est. *arg. l. cum miles. De Rest. Major.* licet enim contra pupillum usucapio incipere non posset. *l. bonæ fidei. De Acq. Rer. dom.* successio tamen pupilli usurpationem usucapionis non inducit. Quod & Bartolo visum fuit. *per l. si fundum. De Feudo Dot. & ab Accursio motum. gl. magna in d. l. etiam prope finem.* Nec obstat l. etiam. 45. inf. eod. quia ea agit de necdum nato. Quia is enim restituitur sicut absentes in usucaptum amiserunt, restituuntur sive cœpta fuerit ante absentiam usucapio, sive minùs: nam & is qui in rebus humanis, cum usucapio impleretur, non fuit, vel maximè absens est. Vox ETIAM igitur ibi non ad jam natos refertur, sed ad alium restituendi modum Nec habetur igitur in proposito jam nato. *Cujac. hic.* quia id ei commodo non foret. *gl. in d. l. etiam.* cùm tamen è diverso, si id ei commodo foret pro jam nato esset. *per vulg.* Minùs verò ad rem facit. *l. ult. C. In Quib. Caus. in Int. Rest. Necess. Non est.* quia ea agit de præscriptionibus seu exceptionibus tempore quæsitis, à quibus usucapio sanè longè diversa est. *vide Subtil. nostras. lib. 4. c. 1.* Denique & illud constat, tametsi ab initio minoribus non currant tempora exceptionum, currere tamen ea quæ à defuncto majore cæperũt, adversus successores ætatis minoris. *l. si intra. C. de Non Num. Pec.* Sed huc transijt stilus cum in proposito textu tamen nihil aliud quàm de pacto commissorio cuius dies in pupillarem ætatem incidit, agatur. *ut suprà.*

Ad

Ad l. Intra utile. 39.

HÆc lex allegata est suprà *ad l. 8. eod.* Quod verò hic dicitur dictâ pro ætate sententia, propter appellationem cetera cognitionis à præside fuisse dilata: ex eo collegeris Iure Digestorum etiam ab interlocutoria potuisse appellari, quod tamen non ita est. *l. 2. C. de Episc. Aud. l. pen. C. Quor. Appell. non Recip.* Præterquam si damnum ex ea tale immineat quod resarciri non possit. *l. 2. inf. De Appell. Recip.* aut sententia super negotio incidenti lata seorsim subsistat instar definitivæ. *l. arbitro. Qui Satisd. Cog.* Quamobrem & in proposito appellationem permissam rationi convenit quia ætatis quæstio toti liti super restitutione motæ præjudicare potuit. Idemque judicandum de l. ait prætor. §. permittitur sup. eod. Opponit Accursius, quod ætatis quæstio incidens sit, & ideo pronunciari de ea non oportuerit separatim. *l. 1. in fine.* C. *de Ord. Iud. l. 2.* C. *de Or. Cogn.* sed rectè Bartolus respondit, de incidenti quæstione pronunciationem necessariam non esse, interpositam tamen valere. Nec mutat d. l. 1. C. de Ord. Cogn. quâ relatum est, judicem super causâ status quæ erat quæstio incidens, non posse pronunciare; id enim ibi speciale est, non quia quæstio erat incidens, sed quia erat judex datus à præside, quia ea cognitio ipsi præsidi est reservata. *l. 2. in fine.* C. *de Pedan. Iud. l. pen.* C. *Ne de stat. Def.* Denique & Iure Canonico permissum est à quavis interlocutoria appellare. *c. 2. de Appel.* Quo jure utimur.

Ad l. præses. 42.

QVi magistratus in integrum restituere possint obiter annoto suprà *in l. 17. & l. 18. eod. h. t. & in l. 1. De Restitut.* Quod verò hîc præterea refertur, beneficium ætatis idem minoribus præstare quod appellatio præstat majoribus, id ad ea pertinet quæ ponimus infrà *in l. si prætor. 75. De Judic.*

Ad l. de ætate. 43.

AEtas minor probanda est ei qui se minorem dicit, & ob hoc restitui postulat *ut hic & l. cum te minorem.* C. *de Prob. l. 4.* C. *de Rest. in Int.* Et quidem probatio hæc vel maximè causæ cognitionem requirit, cum ceteris ferè rebus præjudicet. Probatur verò ætas vel ex aspectu vel per obstetrices, nutrices, vicinos, domesticos, cognatos, & antiquiores parentum annotationes. *arg. l. 3. §. 5. inf. Ad Carbon.* Vtrum verò in hac re parentes præferendi sint, quod ij

optimam huius rei cognitionem habeant, an verò extranei, quod Castrensis autumat. *Consil.* 138. id omne in facto consistit & idcirco judici arbitrandum est. *per l.* 3. *de Testib.* Certissimam verò fidem hac in re præbent archivi censuales & indices parochiales, quibus nomina eorum qui quotidie nascuntur inscribi solent. *Maurit. in trac. in Int. Rest. c.* 321. Quod si verò minor falsò persuaserit vel probaverit judici se majorem, quid juris sit suprà tractamus. *ad l. minor.* 32. *eod.*

l. non omnia. 44.

RElata est ad ea quæ ponimus suprà, *in l. verum*, 11. §. *sciendum. eod.* ubi plenè tradidimus ex quibus damnis vel lucris minorem oporteat restitui.

l. Etiam. 45.

PRincipium huius legis explicatum est suprà *in l.* Æmilius. 38. eod. num. 2. ubi vide.

§. Imperator.) Relatus est in ijs quæ ponimus suprà *ad l. in causæ.* 16. §. *Pomponius. eod.* ubi vide.

Ad l. minor. 48.

§. Finalis.) Hic §. pertinet ad ea quæ posuimus suprà *ad l.* 9. §. *in delictis. eod. tit.*

DE CAPITE MINVTIS.

TIT. V.

Ad l. 1.

CApitis minutio quæ est prioris status mutatio, *ut hic.* hodie parvo aut nullo in usu est. Certum enim est majoribus Europæ Christianæ jura servitutum non frequentari, ut nec adoptionum ac emancipationum solemnia frequentari videmus. *Wesenb. in Par. h. t.* Vnde ne Iure Canonico quicquam de capitis minutione cautum invenitur. *Ioan. à Rosbach. lib.* 1. *Con par. jur. Civil. & Canon. tit.* 1. *num.* 11. Quamobrem quàm parcissimè, pro ratione instituti nostri, de ea re agemus.

Ad

Ad l. 2.

QVi quæve posteaquam cum his quid actum contractum est, capite minuti erunt, in eos perinde quasi id factum non sit, judicium erit ex hoc edicto. *per hunc text.* Quod de minima capitis diminutione scriptum est, nec ad amissionem civitatis aut libertatis refertur, quoniam qui ita capite minuti sunt, ampliùs non conveniuntur. *ut hic.* Quod tamen temperandum ex ijs est quæ alibi tradimus. *vide quæ nos in l. si mandavero, 22. §. is cujus. Mandati.* Quatenus verò is qui in servitute contraxit aut deliquit, post manumissionem teneatur, id alibi explicamus. *vide Subtil. nostras. lib. 7. c. 8. per tot. & quæ nos in l. 1. §. si servus. inf. Depos.*

Ad l. 6.

REctè Florentinus, *privata*, (non privati, ut ceteri malè) hominis & familiæ eius jura.

Ad l. 7.

PRincip.) Verba huius textus nimis sunt distorta. Nos ea simpliciùs sine ulla emendatione accipimus, Tutelas, nimirum, capitis diminutione non amitti, exceptis ijs quæ in jure alieno (hoc est familiá aliá atque in quam capitis minutione transeunt) personis positis deferuntur: id enim est ijs, quicum agnati fuêre, in jus & familiam transeunt alienam. Quod & ex subsequenti textu constat, & Antonio Augustino visum fuit. *lib. 1. Emend. c. 2.* Planè agnati qui sunt, jure novo per arrogationem, familiam priorem non amittunt, cùm agnatorum & cognatorum differentia sit sublata. *Novel. 118. cap. ex his. 5.* eoque & ad tutelam vocantur nihilominus.

§. Si libertate.) Quatenus adversus servum agi possit vel minùs, & quatenus etiam post manumissionem ex negotio tempore servitutis inito, id alibi tractamus latè. *vide quæ nos infra in l. 1. §. si servus. Depos. & latius in l. si mandavero. 22. §. is cuius Mandati.*

§. Scævola.) Hic §. pertinet ad ea quæ ponimus suprà *in l. 7. §. restitutus. eod.*

1. Restitutione factà ipso minor quoque pretium rei emptæ restituit.

2 An non emptor retinere rem emptam & pretium supplere queat.

§. RESTITUTIO.) Per in integrum restitutionem omnia reponuntur
1. in pristinum statum. Proinde † restitutione contra venditionem impetrata ab ipso minore quoque pretium rei venditæ restituendum est, nisi venditor sciens pecuniam perdituro crediderit. *ut hic. & l. si quidem. C. de Præd. Min. l. patri. 27. §. item ex diverso. inf. eod.* quia enim tum in mala fide est, restitutio pecuniæ meritò cessat. *l. si verò non remunerandi. §. si adolescens. inf. M. eod.* Illud † quæsitum
2. est, An non emptor retinere rem venditam possit, & justum pretium minori supplere, quod Petrus & Cinus non putant. *in d. l. siquidem Castr. ad l. non interest. num. 4. C. de his Quæ met. Caus. facta sunt. Pinel. ad L. 2. par. 3. c. 1. num. 21. C. de Resc. vend.* moventur legibus jam allegatis, quæ simpliciùs perhibent, rem utrimque restituendam suæ integritati. Accedit ipsa definitio in integrum restitutionis, quæ est in jus priùs repositio. *ut hic & c. 1 ex. de in Int. Rest. vide quæ nos suprà in l. 1. De Rest. in genere.* & hoc igitur magis est. Alij tamen contrà senserunt, *gl. Bart. Salic. Bal. in d. l. siquidem. gl. & Abb. in d. l. patri. §. ex quo verb. oporteat. inf. eod.* Movet eos quod pretij supplemento læsio tollitur. *per hunc text.* quæ tamen præcipua restitutionis causa est. Accedit quod alibi responsum est, femina dotis dictione decepta: in æstimationis modo, maritum in arbitrio habere, utrum rem an justam æstimationem præstet, quod & in minore perinde esse respondetur. *tex. in l. si res. §. mulier. De Iure Dot.* Sed hoc in dote speciale est, quippe cujus causa publica & præcipua est *l. 2. eod. tit. l. 1. Sol. matrim.* ut meritò id & ad mulierem minorem referatur, id tamen ad res ceteras producendum non est. Denique ad primum argumentum quod attinet, non satis est læsionem tolli, quia beneficium hoc ampliùs ipsas res utrimque in integrum restitui permittit. *ut hic.* & hoc igitur in praxi sequimur.

Ad l. illud 25.

SI minor indebitum solverit ex quo jure civili repetitio non est, per in integrum restitutionem, utilis saltem condictio ei datur. *tex. hic.* Vtilis ideo quia omnes rescissoriæ restitutoriæque actiones utiles

utiles sunt. *vide quæ nos ponimus hac de re suprà in l.7. §.volenti. Quod Met.Cauf.* Pupillus quidem conditionem ipso jure habet, instar furiosi aut eius, ni interdictum est bonis, *l. interdum.* 29. De *Cond. Ind.* sed minore in quem cadere censetur consensus, restitui oportet. *l.ult.* C. *Si Adu. Sol.* junge quæ ponimus suprà *in l.7. §.restitutus, h.t.*

Ad l. patri. 27.

VIde quæ ponimus suprà *in l.3.§. sed utrum eod.* ubi plenè tradimus quatenus filiofamilias vel patri eius per in int. restitutionem subvenitur.

§.1.& §§.seqq.) Relati sunt suprà *in l.24.§.restitutio.eod.* Quomodo verò quis probetur factus locupletior pleniùs alibi tractamus, *in l.utrum. De Her. Pet. ubi vide.*

§.Finalis.) Relatus est suprà *in l.10.& 11. De Dolo.*

Ad l. etiam. 29.

PRincipium huius l. pertinet ad ea quæ ponimus *in l. 7.§.restitutus. ubi & hac relata est. eod.tit.* suprà.

Ad l. si filius. 30.

VIde quæ posuimus suprà *ad l.3.§.si quis cum minore.eod.tit.* Denique licet jure Dig. & Cod. legatum filio relictum querelam inofficiosi tolleret, quòd legitimæ agi oporteret. *§.pen. Inst.eod.* bonorum tamen possessio relicto legato non impediretur. *per hunc tex.* De Restitutione verò temporis intra quod bonorum possessio impetranda foret, frustrà hodie agitur, cùm nulla temporis præscriptio adversus minorem currat. *vide quæ ponimus infra in l. auxilium.§.1.h.t.*

Ad l. si mulier. 31.

NOtabile est quod in fine huius legis dicitur, contra creditores, quibus ab hærede minore solutum est, priusquam restitutionem impetraret contra hæreditatis aditionem, reliquos creditores post restitutionem non audiri, ut solutum ijs communicetur. *tex. hic. fac. l. repetitio. inf.* De *Con. Ind. & l.fin.* C. *Depos.*

Ad l. minor. 32.

Quēadmodū quis minor aut major probetur ex aspectu aut aliter, tractamus infrà *in l. de ætate.* 43. *eod.* Quod si quis solo ex aspectu judici major judicatus pecuniā acceperit & perdiderit, etiāsi re ipsâ minor

minor esset, contra eum qui judicio magistratus credens solvit, non restituitur. Curatores tamen hoc nomine conveniri poterunt, qui scientes minorem eum non prohibuerunt pecunias accipere. Sed non convenientur si per errorem, administratione tradita, judicio magistratus acquieverunt. Et igitur si dolo malo de ætate mentitus eam forte magistratus probarit, restitutio ei adversus omnes negatur, qui eum majorem crediderunt. *per hunc tex.* non tamen adversus eos qui eum intelligebant minorem esse. *l. de tutela.* C. *de in Int. Rest. l. 3.* C. *Si Min. se Ma. dixi.* Sed si vel errore lapsus vel dolo adversarij minor se majorem præbet, dubium non est quin adversus omnes restitutioni sit locus. *l. 1 & l. ult.* C. *eod.* Quod si quidem ætatem magistratui non probarit, sed affirmaverit se modò majorem causâ decipiendi ejus cum quo contrahebat, adversus eum in integrum restitui non potest. *l. 2.* C. *eod. tit* Si dolus absit, & per errorem se majorem affirmaverit, restituetur, ut & adversus confessionem erroneam restitui solet. Planè si juret se majorem, religio affirmationi nihil addit, dolus quippe est sive quis juret, sive affirmet simpliciter. *l. si legatarius supra. De Dolo. l ult inf. Stell.* Quemadmodum & si in instrumento juraverit, restitui non potest, nisi alijs instrumentis (nec enim testes eo casu suffecerint) probet se minorem, *l. 3.* C. *Si Min. Se Major. Dix.* & probabile sit eum non fallendi causâ mentitum. *per d. l. 1. & l. ult.* C. *eod.*

Ad l si minor. 34.

1. *Minor quatenus restituatur contra minorem.*
2. *Conciliantur diversa argumenta.*
3. *Ecclesia contra ecclesiam restituitur.*

1. MInor † contra minorem restituitur, Sed in eo tantum quo is contra quem restitutio postulatur, locupletior est tempore litis contestatæ. *ut hic.* nam quod jam tum consumtum est, in eo est melior causa consumentis. *l. verum. 11. §. item quæritur. sup. eod.* Ac
2. † videtur restitutio minori contra minorem nullo modo danda, aut enim alter locupletior est, & ex Constitutione divi Pij tenetur hodie jure communi. *l. 3. inf. Comm.* & per consequens restitutione non est opus, *l. 16. sup. eod.* aut non est factus locupletior & ne quidem restitutio contra eum tenet. *d. l. 11. §. item quæritur.* Sed observandum est, minorem quidem in id teneri quo locupletior est, ut re venditâ duobus nummis cuius pretium tres sunt, unum insuper reddat, sed restitutioni rei venditæ non est astrictus sine benefi-

ficio

ficio restitutionis in integrum. Planè quâ ratione minor contra † 3.
minorem, eâdem quoque ecclesia contra ecclesiam restituitur. *c.3. ex eod.* & minor etiam contra ecclesiam, si ille fortè in ædificationē monasterij aut cœnobij bona sua destinarit. *per hunc tex. Anton. Gabr. in tr. Com. Op. tit. de Præs. lib. 1. Concl. 12. num. 3.* Atque ita curia Coloniensis judicavit. Et vicissim proinde ecclesia quoque contra minorem restituenda est.

Ad l. Auxilium. 37.

1. *In pœnis an & quatenus restitutio admissa & num. 2.*
3. *An restitutio contra confessionem danda.*
4. *De Adulterij pœna annotatio singularis.*
5. *De Ambitu.*

Auxilium † in integrum restitutionis exsecutionibus pœnarum paratum non est, *ut hic.* quia minores in delictis non restituuntur. *l. si ex causa. 9. §. nunc videndum. sup. eod.* Illud quæsitum 1.
est, An non leviori saltem † pœnâ afficiendi sint, & hac de re non 2.
parum variatum est. Alij enim pœnam leniendam putāt. *Sfort. Od. de in Int Rest. par. 2. q. 79. & Anton. Thes. in decis. Novis Pedem. Decis. 161.* Moventur per textum in §. 1. hic. *verb. Nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem perduxerit.* Accedunt loci juris nostri complures, *l. ferè in omnibus. De Reg. Iur. l. si adulterium. 38. §. fratres. ad L. Jul. de Adult* Sed diversæ sententiæ authores moventur eò, quod innumeris propè locis relatum est, in delictis minoribus non subveniri, *ut hic in princ. & d. l. 9. § nunc videndum sup. eod. l. si minor. 36. ad L. Iul. de Adult. l. excipiuntur. Ad SC. Syllan. l. 7 C de Pœn. l. 6. C. ad* Corn. de Sicar. Ego respondi rem in facto consistere, ut si frequentia delictorum vel malitia suppleat ætatem, pœna mitiganda non sit, atque ita horum sententia accipienda, sin minùs, ex sententia illorum contrarium statuendum. Vnde est quod leges quæ leniendam pœnam statnunt, plerumque eius rei cognitionem & arbitrium judici relinquunt, *ut in §. 1. huius l. in voce. interdum. & in d. l. ferè. De Reg. Iur. in vocc. ferè in omnibus. item. l. aut facta. §. persona. De Pœn.* Alia verò † quæstio est, An mi- 3.
nor contra confessionem delicti, cujus tamen convictus non est, restituendus sit, quod Angelo & alijs nonnullis probatum est. *Angel. in l. certum. §. in pupillo. & alij referente Alex.* Consil. 115. *lib. 3.* Movet eos quod responsum absolutè est, minorem contra confessionem restitui. *tex. in d. l. certum. §. in pupillo,* De Conf. Cui accedit,

 quod,

quod, uti aliàs contra inficiationem delicti restituitur. *d.l.9.§. nunc videndum.sup.h.t.* ita & adversus confessionem è contrariò restituendus videbatur. *arg à contrar.sens.collecto.* Alij tamen contrarium statuunt. *Francis.Salm.lib.3. Sel.Interp.c. 13. Fach.lib.1. Controv.c. 72.* Movet eos quod aliquoties absolutè definitum est, minorem non restitui in delictis. *ut hic in verb. nulla deprecatio pœnæ est, si se minor adulterum fateatur. & in d.l.9.§.nunc videndum.* Ad l.certum. §.in pupillo, respondent, eam solummodo procedere in civilibus, & argumentum à contrario ita demum admitti, si id non repugnet expressæ juris definitioni; quod illâ sententiâ admissâ futurum, & quidem contra hunc ipsum textum perhibent. Et igitur hîc quoque respondi rem in facto consistere, ut si probabilis saltem innocentiæ suspicio aut præsumptio subsit, restituatur (itaque Angeli sententia accipienda est) sin minùs, & præsumptiones nullæ subsint, è quibus eum falsa fuisse confessum convincatur, aliorum sententiam recipimus, non mitigatio videtur. Et hoc igitur cognoscētis quoque arbitrio relinquendum est. *arg.l.1.§.Divus Severus.de*
4. *Quæst.* uti restitutionum harum pleraque. Planè † in adulterij confessione & pœna non tam facilè admittenda mitigatio videtur. *ut hic & d.l. si ex causa.9.§.mulier.sup.cod.* quia adulterium quoque jure naturali prohibitum est. *l.probrum. De Verb. Signif.* quod de incesto tamen non ita indifferenter procedit. *l.si minor.36.& l.si adulterium.38.§.fratres.inf Ad L.Jul.de Adult. videri potest Cujacius hic in verb. Utique atrocioribus.* Planè in crimine ambitus admissum est, ut etiam major eius delicti convictus, restituatur, si alium convicerit eiusdem reum. *l.1.§.2.Ad L.Jul, Amb.* Denique etiam minor qui cœptam accusationem omittit sine abolitione, excusatur. *l.1.§.accusationem. in fine. ad SC.Turpil.* Ceterùm ne in delictis restituatur, omissam semel accusationem denuo intentare non posset. *per hunc text.* Quò pertinet quod suprà relatum est. *in l.3.§.si quis minor.num.6.cod.*

1. *Contra præscriptiones temporales an restitutio jure veteri esset.*
2. *Iure novo quid hac de re sit cautum.*
4. *Re minoris per usucapionem intercepta restitutio est.*
5. *Conciliantur diversæ leges.*

1. §.1.) IN diebus sexaginta † præteritis, quibus jure mariti vir accusare mulierem potest, minor non restituitur, quod eâ ratione veniam delicti impetrare videretur. *tex.hic.* Sed aliàs jure Digestorum

rem plerumque contra temporales præscriptiones restitutio dari solet, ut si decendium ad appellationem elapsum esset. *l. ait prætor. 7. §. pen. sup. eod. l. 1. C. Si sæpius in Int. Rest. Post.* Præscriptio tamen temporis querelæ inofficiosi præfixæ, minoribus non objicitur ex constitutione speciali. *l. 2. C. quando in Int. Rest. Necess. Non est.* Quod & de longi temporis præscriptione rescriptum est. *l. 3. C. Quib. Non. Ob Longi Temp. Præs.* Denique † omnem hanc rem Iustinianus generali constitutione finivit, ut nulla præscriptio minoribus currat ipso jure. præter præscriptiones 30. & 40. annorum. *l. ult. C. in Quib. Caus. in Int. Rest. Necess. Non Est. adde l. 3. C. de 30. & 40. An. Præscrip.* Proinde contra illas demum restitutio impetranda est. Id verò ita usum habere potest, si fortè contra minorem præscriptio sit cœpta, & contra alium minorem successorem ejus tandem completa. Nam & si contra majorem cepta præscriptio sit, minor ætas successori nō prodest. *l. si intra. C. de Non Num. Pec.* Quod pluribus infra prosequimur. *in l. prox. infrà. ubi vide.* Sed † & quando res minoris propria usucapione deprehenditur intercœpta, restitutioni locus est. *l. un. C. Si Advers. Usucap.* Nec obstat igitur L. properandum. §. fin. C. de Iud. quoniam ea non de præscriptione agit, sed lite ipso jure lapsu triennij exstincto. Nec obstat etiam Novel. 1. de Hær. & Fal. c. ult. §. pupillus: quoniam ea quoque agit de Hæreditate ipso jure amissa ob non impletam intra annum defuncti voluntatem. Sed & opponi potest Novel. 100. de Temp non Num. dot. quâ agitur de præscriptione non numeratæ dotis, cui interrumpendæ minori datà tempore matrimonij annos 12. & currit proinde ejus exceptionis tempus minori. Re tamen ritè examinatà non tam minori quàm majori currit. Cum enim primùm matrimonij tempus ad summum in decimum quintum ætatis annum cadat, consequitur, ut annus undecimus & duodecimus cadant, in ætatem majorem, & consequenter non tam minoribus quàm majoribus currit. Cum majoribus tantùm annus detur. *l. ult. C. de Dote Cauta Non. Num.* De tempore legis Commissoriæ & eo quod distractioni pignoris præfinitum est, agimus *in l. prox.* infrà, ubi vide.

(Margin: 2. beside "Denique"; 3. beside "Sed † & quando"; 4. beside "Nec obstat igitur")

Ad l. Aemilius. 38.

1. *Argumentum hujus legis, dissensio inter IC. Paulum & Antonium Principem.*

2. *Minor an restituatur contra usucapionem adversus defunctum majorem cœptam & ipsum completam.*

Si

SI quis rem vendiderit sub pacto legis commissoriæ, cui dein successit hæres minor, & satisfactum intra statutum tempus venditori non sit, eoque res ab emptore alteri sit vendita: dicendum est minorem non restitui, quemadmodum non restitueretur si à defuncto res pignori data distractio eius incideret in ætatem minorem. *l. 2. C. Si Adu. distr. Pig.* Atque ita de proposita quæstione Paulus respondit. Sed Antoninus, cùm quia dies committendi in tempus pupillæ incidisset, tum quia lex commissoria ei parum placebat, denique etiam venditor denunciando solutionem aut distractionem in alium faciendam, recessisse à lege sua videretur, postremo tutores qui contractum non implerent, nec restitui desiderassent offerente id etiam tum venditore, suspecti pronunciati erant: pronunciavit minorem in integrum restituendum. *ut. hic.* Ipso jure tamen extra speciem facti tam singularem, rectiùs dicimus restitutionem negandam. *d. l. 2. C. Si Adu. Vend. Pign. fac. l. 3. princip.*
2. *inf. Quib. in Poss. eatur.* Denique † eadem ratione Cujacius autumat, minorem ob omissam usurpationem non restitui adversus usucapionem contra defunctum majorem ceptam, etiamsi complēdæ eius tempus inciderit in ætatem minorem. Quod magis est. *arg. l. cum miles. De Rest. Major.* licet enim contra pupillum usucapio incipere non posset. *l. bonæ fidei. De Acq. Rer. dom.* successio tamen pupilli usurpationem usucapionis non inducit. Quod & Bartolo visum fuit. *per l. si fundum. De Feudo Dot. & ab Accursio motum. gl. magna in d. l. etiam prope finem.* Nec obstat l. etiam. 45. inf. eod. quia ea agit de necdum nato. Quia is enim restituitur sicut absentes in usucaptum amiserunt, restituuntur sive cœpta fuerit ante absentiam usucapio, sive minùs: nam & is qui in rebus humanis, cum usucapio impleretur, non fuit, vel maximè absens est. Vox ETIAM igitur ibi non ad jam natos refertur, sed ad alium restituendi modum Nec habetur igitur in proposito jam nato. *Cujac. hic.* quia id ei commodo non foret. *gl. in d. l. etiam.* cùm tamen è diverso, si id ei commodo foret, pro jam nato esset. *per vulg.* Minùs verò ad rem facit. *l. ult. C. In Quib. Caus. in Int. Rest. Necess. Non est.* quia ea agit de præscriptionibus seu exceptionibus tempore quæsitis, à quibus usucapio sanè longè diversa est. *vide Subtil. nostras. lib. 4. c. 1.* Denique & illud constat, tametsi ab initio minoribus non currant tempora exceptionum, currere tamen ea quæ à defuncto majore cæperũt, adversus successores ætatis minoris. *l. si intra. C. de Non Num. Pec.* Sed huc transiit stilus cum in proposito textu tamen nihil aliud quàm de pacto commissorio cuius dies in pupillarem ætatem incidit, agatur. *ut suprà.*

Ad

Ad l. Intra utile. 39.

HÆc lex allegata est suprà *ad l. 8. eod.* Quod verò hic dicitur dictâ à pro ætate sententia, propter appellationem cetera cognitionis à præside fuisse dilata: ex eo colligeris Iure Digestorum etiam ab interlocutoria potuisse appellari, quod tamen non ita est. *l. 2. C. de Episc. Aud. l. pen. C. Quor. Appell. non Recip.* Præterquam si damnum ex ea tale immineat quod resarciri non possit. *l. 2. inf. De Appell. Recip.* aut sententia super negotio incidenti lata seorsim subsistat instar definitivæ. *l. arbitro. Qui Satisd. Cog.* Quamobrem & in proposito appellationem permissam rationi convenit quia ætatis quæstio toti liti super restitutione motæ præjudicare potuit. Idemque judicandum de l. ait prætor. §. permittitur sup. eod. Opponit Accursius, quod ætatis quæstio incidens sit, & ideo pronunciari de ea non oportuerit separatim. *l. 1. in fine. C. de Ord. Iud. l. 2. C. de Or. Cogn.* sed rectè Bartolus respondit, de incidenti quæstione pronunciationem necessariam non esse, interpositam tamen valere. Nec mutat d. l. 1. C. de Ord. Cogn. quâ relatum est, judicem super causâ status quæ erat quæstio incidens, non posse pronunciare: id enim ibi speciale est, non quia quæstio erat incidens, sed quia erat judex datus à præside, quia ea cognitio ipsi præsidi est reservata. *l. 2. in fine. C. de Pedan. Iud. l. pen. C. Ne de stat. Def.* Denique & Iure Canonico permissum est à quavis interlocutoria appellare. *c. 2. de Appel.* Quo jure utimur.

Ad l. præses. 42.

QVi magistratus in integrum restituere possint obiter annoto suprà *in l. 17. & l. 18. eod. h. t. & in l. 1. De Restitut.* Quod verò hîc præterea refertur, beneficium ætatis idem minoribus præstare quod appellatio præstat majoribus, id ad ea pertinet quæ ponimus infrà *in l. si prætor. 75. De Iudic.*

Ad l. de ætate. 43.

AEtas minor probanda est ei qui se minorem dicit, & ob hoc restitui postulat *ut hic & l. cum te minorem. C. de Prob. l. 4. C. de Rest. in Int.* Et quidem probatio hæc vel maximè causæ cognitionem requirit, cum ceteris ferè rebus præjudicet. Probatur verò ætas vel ex aspectu vel per obstetrices, nutrices, vicinos, domesticos, cognatos, & antiquiores parentum annotationes. *arg. l. 3. §. 5. inf. Ad Carbon.* Vtrum verò in hac re parentes præferendi sint, quod ij

Hh optimam

optimam huius rei cognitionem habeant, an verò extranei, quod Castrensis autumat. *Consil.* 138. id omne in facto consistit & idcirco judici arbitrandum est. *per l. 3. de Testib.* Certissimam verò fidem hac in re præbent archivi censuales & indices parochiales, quibus nomina eorum qui quotidie nascuntur inscribi solent. *Maurit. in trac. in Int. Rest. c. 321.* Quod si verò minor falsò persuaserit vel probaverit judici se majorem, quid juris sit suprà tractamus. *ad l. minor. 32. eod.*

l. non omnia. 44.

RElata est ad ea quæ ponimus suprà, *in l. verum. 11. §. sciendum. eod.* ubi plenè tradidimus ex quibus damnis vel lucris minorem oporteat restitui.

l. Etiam. 45.

PRincipium huius legis explicatum est suprà *in l.* Æmilius. *38.* eod. num. 2. ubi vide.

§. Imperator.) Relatus est in ijs quæ ponimus suprà *ad l. in causæ. 16. §. Pomponius. eod.* ubi vide.

Ad l. minor. 48.

§. Finalis.) Hic §. pertinet ad ea quæ posuimus suprà *ad l. 9. §. in delictis. eod. tit.*

DE CAPITE MINVTIS.

TIT. V.

Ad l. 1.

CApitis minutio quæ est prioris status mutatio. *ut hic.* hodie parvo aut nullo in usu est. Certum enim est majoribus Europæ Christianæ jura servitutum non frequentari, ut nec adoptionum ac emancipationum solemnia frequentari videmus. *Wesenb. in Par. h. t.* Vnde ne Iure Canonico quicquam de capitis minutione cautum invenitur. *Ioan. à Rosbach. lib. 1. Con par. jur. Civil. & Canon. tit. 1. num. 11.* Quamobrem quàm parcissimè, pro ratione instituti nostri, de ea re agemus.

Ad

Ad l. 2.

QVi quæve posteaquam cum his quid actum contractum est, capite minuti erunt, in eos perinde quasi id factum non sit, judicium erit ex hoc edicto. *per hunc text.* Quod de minima capitis diminutione scriptum est, nec ad amissionem civitatis aut libertatis refertur, quoniam qui ita capite minuti sunt, ampliùs non conveniuntur. *ut hic.* Quod tamen temperandum ex ijs est quæ alibi tradimus. *vide quæ nos in l. si mandavero, 22. §. is cujus. Mandati.* Quatenus verò is qui in servitute contraxit aut deliquit, post manumissionem teneatur, id alibi explicamus. *vide Subtil. nostras. lib. 7. c. 8. per tot. & quæ nos in l. 1. §. si servus. inf. Depos.*

Ad l. 6.

REctè Florentinus, *privata*, (non privati, ut ceteri malè) hominis & familiæ eius jura.

Ad l. 7.

PRincip.) Verba huius textus nimis sunt distorta. Nos ea simpliciùs sine ulla emendatione accipimus, Tutelas, nimirum, capitis diminutione non amitti, exceptis ijs quæ in jure alieno (hoc est familiá aliá atque in quam capitis minutione transeunt) personis positis deferuntur: id enim est ijs, qui cum agnati fuêre, in jus & familiam transeunt alienam. Quod & ex subsequenti textu constat, & Antonio Augustino visum fuit *lib. 1. Emend. c. 2.* Planè agnati qui sunt, jure novo per arrogationem, familiam priorem non amittunt, cùm agnatorum & cognatorum differentia sit sublata. *Novel. 118. cap. ex his. 5.* eoque & ad tutelam vocantur nihilominus.

§. Si libertate.) Quatenus adversus servum agi possit vel minùs, & quatenus etiam post manumissionem ex negotio tempore servitutis inito, id alibi tractamus latè. *vide quæ nos infra in l. 1. §. si servus. Depos. & latius in l. si mandavero. 22. §. is cuius Mandati.*

§. Scævola.) Hic §. pertinet ad ea quæ ponimus suprà *in l. 7. §. restitutus. eod.*

1. *Restitutione factâ ipso minor quoque pretium rei emptæ restituit.*

2 *An non emptor retinere rem emptam & pretium supplere queat.*

§. RESTITUTIO.) Per in integrum restitutionem omnia reponuntur in pristinum statum. Proinde † restitutione contra venditio-
1. nem impetrata ab ipso minore quoque pretium rei venditæ restituendum est, nisi venditor sciens pecuniam perdituro crediderit. *ut hic. & l. si quidem. C. de Præd. Min. l. patri. 27. §. item ex diverso. inf. eod.* quia enim tum in mala fide est, restitutio pecuniæ meritò cessat. *l. si verò non remunerandi. §. si adolescens. inf. Mand.* Illud † quæsitum
2. est, An non emptor retinere rem venditam possit, & justum pretium minori supplere, quod Petrus & Cinus non putant. *in d. l. si quidem Castr. ad l. non interest. num. 4. C. de his Quæ met Caus. facta sunt. Pinel. ad L. 2. par. 3. c. 1. num. 21. C. de Resc. vend.* moventur legibus jam allegatis, quæ simpliciùs perhibent, rem utrimque restituendam suæ integritati. Accedit ipsa definitio in integrum restitutionis, quæ est in jus priùs repositio. *ut hic & c. 1 ex. de in Int. Rest. vide quæ nos suprà in l. 1. De Rest. in genere.* & hoc igitur magis est. Alij tamen contrà senserunt, *gl. Bart Salic. Bal. in d. l. si quidem. gl. & Abb. in d. l. patri. §. ex quo verb. oporteat. inf. eod.* Movet eos quod pretij supplemento læsio tollitur. *per hunc text.* quæ tamen præcipua restitutionis causa est. Accedit quod alibi responsum est, femina dotis dictione decepta: in æstimationis modo, maritum in arbitrio habere, utrum rem an justam æstimationem præstet, quod & in minore perinde esse respondetur. *tex. in l si res. §. mulier. De Iure Dot.* Sed hoc in dote speciale est, quippe cujus causa publica & præcipua est *l. 2. eod. tit. l. 1. Sol. matrim.* ut meritò id & ad mulierem minorem referatur, id tamen ad res ceteras producendum non est. Denique ad primum argumentum quod attinet, non satis est læsionem tolli, quia beneficium hoc ampliùs ipsas res utrimque in integrum restitui permittit. *ut hic.* & hoc igitur in praxi sequimur.

Ad l. illud 25.

SI minor indebitum solverit ex quo jure civili repetitio non est, per in integrum restitutionem, utilis saltem condictio ei datur. *tex. hic.* Vtilis ideo quia omnes rescissoriæ restitutoriæque actiones utiles

utiles sunt. *vide quæ nos ponimus hac de re suprà in l.7. §.volenti. Quod Met.Caus.* Pupillus quidem condictionem ipso jure habet, instar furiosi aut eius, ni interdictum est bonis, *l. interdum.* 29. De *Condict. Ind.* sed minore in quem cadere censetur consensus, restitui oportet. *l.ult.*C.*Si Adv. Sol.* junge quæ ponimus suprà *in l.7. §.restitutus. h.t.*

Ad l. patri. 27.

VIde quæ ponimus suprà *in l.3.§. sed utrum eod.* ubi plenè tradimus quatenus filiofamilias vel patri eius per in int. restitutionem subvenitur.

§.1.& §§.seqq.) Relati sunt suprà *in l.24.§.restitutio.eod.* Quomodo verò quis probetur factus locupletior pleniùs alibi tractamus, *in l.utrum. De Her. Pet. ubi vide.*

§.Finalis.) Relatus est suprà *in l.10.& 11.De Dolo.*

Ad l. etiam. 29.

PRincipium huius l. pertinet ad ea quæ ponimus *in l. 7.§.restitutus. ubi & hæc relata est. eod.tit.* suprà.

Ad l. si filius. 30.

VIde quæ posuimus suprà *ad l.3.§.si quis cum minore.eod.tit.* Denique licet jure Dig. & Cod. legatum filio relictum querelam inofficiosi tolleret, quòd legitimæ agi oporteret. *§.pen. Inst.eod.* bonorum tamen possessio relicto legato non impediretur. *per hunc tex.* De Restitutione verò temporis intra quod bonorum possessio impetranda foret, frustrà hodie agitur, cùm nulla temporis præscriptio adversus minorem currat. *vide quæ ponimus infra in l. auxilium.§. 1.h.t.*

Ad l. si mulier. 31.

NOtabile est quod in fine huius legis dicitur, contra creditores, quibus ab hærede minore solutum est, priusquam restitutionem impetraret contra hæreditatis aditionem, reliquos creditores post restitutionem non audiri, ut solutum ijs communicetur. *tex. hic. fac. l.repetitio.inf.* De *Con.Ind.* & *l.fin.* C.*Depos.*

Ad l. minor. 32.

Queadmodū quis minor aut major probetur ex aspectu aut aliter, tractamus infrà *in l. de ætate.* 43. *eod.* Quod si quis solo ex aspectu judici major judicatus pecuniā acceperit & perdiderit, etiāsi re ipsā

 minor

minor esset, contra eum qui judicio magistratus credens solvit, non restituitur. Curatores tamen hoc nomine conveniri poterunt, qui scientes minorem eum non prohibuerunt pecunias accipere. Sed non convenientur si per errorem, administratione tradita, judicio magistratus acquieverunt. Et igitur si dolo malo de ætate mentitus eam forte magistratus probarit, restitutio ei adversus omnes negatur, qui eum majorem crediderunt. *per hunc tex.* non tamen adversus eos qui eum intelligebant minorem esse. *l. de tutela. C. de in Int. Rest. l. 3. C. Si Min. se Ma. .. dixi.* Sed si vel errore lapsus vel dolo adversarij minor se majorem præbet, dubium non est quin adversus omnes restitutioni sit locus. *l. 1 & l. ult. C. eod.* Quod si quidem ætatem magistratui non probarit, sed affirmaverit se modò majorem causâ decipiendi ejus cum quo contrahebat, adversus eum in integrum restitui non potest, *l. 2. C. eod. tit.* Si dolus absit, & per errorem se majorem affirmaverit, restituetur, ut & adversus confessionem erroneam restitui solet. Planè si juret se majorem, religio affirmationi nihil addit, dolus quippe est sive quis juret, sive affirmet simplicius. *l. si legatarius supra. De Dolo. l. ult. inf. Stell.* Quemadmodum & si in instrumento iuraverit, restitui non potest, nisi alijs instrumentis (nec enim testes eo casu suffecerint) probet se minorem, *l. 3. C. Si Min. Se Major. Dix.* & probabile sit eum non fallendi causâ mentitum. *per d. l. 1. & l. ult. C. eod.*

Ad l. si minor. 34.

1. *Minor quatenus restituatur contra minorem.*
2. *Conciliantur diversa argumenta.*
3. *Ecclesia contra ecclesiam restituitur.*

1. MInor † contra minorem restituitur, Sed in eo tantum quo is contra quem restitutio postulatur, locupletior est tempore litis contestatæ. *ut hic.* nam quod jam tum consumtum est, in eo est melior causa consumentis. *l. verum. 11. § item quæritur. sup. eod.* Ac
2. † videtur restitutio minori contra minorem nullo modo danda, aut enim alter locupletior est, & ex Constitutione divi Pij tenetur hodie jure communi, *l. 3. inf. Comm.* & per consequens restitutione non est opus, *l. 16. sup. eod.* aut non est factus locupletior & ne quidem restitutio contra eum tenet. *d. l. 11. §. item quæritur.* Sed observandum est, minorem quidem in id teneri quo locupletior est, ut re venditâ duobus nummis cuius pretium tres sunt, unum insuper reddat, sed restitutioni rei venditæ non est astrictus sine bene-

ficio

ficio restitutionis in integrum. Planè quâ ratione minor contra † 3.
minorem, eâdem quoque ecclesia contra ecclesiam restituitur. *c. 3. ex eod.* & minor etiam contra ecclesiam, si ille fortè in ædificationê monasterij aut cœnobij bona sua destinarit. *per hunc tex. Anton. Gabr. in tr. Com. Op. tit. de Præs. lib. 1. Concl. 12. num. 3.* Atque ita curia Coloniensis judicavit. Et vicissim proinde ecclesia quoque contra minorem restituenda est.

Ad l. Auxilium. 37.

1. *In pœnis an & quatenus restitutio admissa & num. 2.*
3. *An restitutio contra confessionem danda.*
4. *De Adulterij pœna annotatio singularis.*
5. *De Ambitu.*

AUxilium † in integrum restitutionis exsecutionibus pœnarum paratum non est, *ut hic.* quia minores in delictis non restituuntur. *l. si ex causa. 9. §. nunc videndum. sup. eod.* Illud quæsitum 1.
est, An non leviori saltem † pœnâ afficiendi sint, & hac de re non 2.
parum variatum est. Alij enim pœnam leniendam putãt. *Sfort. Od. de in Int Rest. par. 2. q. 79. & Anton. Thes. in decis. Novis Pedem. Decis. 161.* Moventur per textum in §. 1. hic. *verb. Nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem perduxerit.* Accedunt loci juris nostri complures, *l. ferè in omnibus. De Reg. Iur. l. si adulterium. 38. §. fratres. ad L. Jul. de Adult.* Sed diversæ sententiæ authores moventur eò, quod innumeris propè locis relatum est, in delictis minoribus non subveniri, *ut hic in princ. & d. l. 9. § nunc videndum sup. eod. l. si minor. 36. ad L. Iul. de Adult. l. excipiuntur. Ad SC. Syllan. l. 7. C. de Pœn. l. 6. C. ad Corn. de Sicar.* Ego respondi rem in facto consistere, ut si frequentia delictorum vel malitia suppleat ætatem, pœna mitiganda non sit, atque ita horum sententia accipienda, sin minùs, ex sententia illorum contrarium statuendum. Unde est quod leges quæ leniendam pœnam statuunt, plerumque eius rei cognitionem & arbitrium judici relinquunt, *ut in §. 1. huius l. in voce. interdum. & in d. l. ferè. De Reg. Iur. in voce. ferè in omnibus. item. l. aut facta. §. persona. De Pœn.* Alia verò † quæstio est, An minor contra confessionem delicti, cujus tamen convictus non est, 3.
restituendus sit, quod Angelo & alijs nonnullis probatum est. *Angel. in l. certum. §. in pupillo. & alij referente Alex. Consil. 115. lib. 3.* Movet eos quod responsum absolutè est, minorem contra confessionem restitui. *tex. in d. l. certum. §. in pupillo, De Conf.* Cui accedit,

quod, uti aliàs contra inficiationem delicti restituitur. *d.l.9.§. nunc videndum.sup.h.t.* ita & adversus confessionem è contrariò restituendus videbatur. *arg à contrar.sens.collecto.* Alij tamen contrarium statuunt. *Francis. Sarm.lib.3. Sel.Interp. c. 13. Fach.lib.1. Contròv.c. 72.* Movet eos quod aliquoties absolutè definitum est, minorem non restitui in delictis. *ut hic in verb. nulla deprecatio pœnæ est, si se minor adulterum fateatur.* & *in d. l.9.§.nunc videndum.* Ad l.certum. §.in pupillo, respondent, eam solummodo procedere in civilibus, & argumentum à contrario ita demum admitti, si id non repugnet expressæ juris definitioni; quod illâ sententiâ admissâ futurum, & quidem contra hunc ipsum textum perhibent. Et igitur hîc quoque respondi rem in facto consistere, ut si probabilis saltem innocentiæ suspicio aut præsumptio subsit, restituatur (itaque Angeli sententia accipienda est) sin minùs, & præsumptiones nullæ subsint, è quibus eum falsa fuisse confessum convincatur, aliorum sententiam recipimus, non mitigatio videtur. Et hoc igitur cognoscêtis quoque arbitrio relinquendum est. *arg.l.1.§.Divus Severus.de*
4. *Quæst.* uti restitutionum harum pleraque. Planè † in adulterij confessione & pœna non tam facilè admittenda mitigatio videtur. *ut hic & d.l. si ex causa.9.§.mulier.sup. eod.* quia adulterium quoque jure naturali prohibitum est. *l.probrum. De Verb. Signif.* quod de incesto tamen non ita indifferenter procedit. *l si minor.36.& l.si adulterium.38.§.fratres.inf Ad L.Jul.de Adult.* videri potest *Cujacius hic in verb. Utique atrocioribus.* Planè in crimine ambitus admissum est, ut etiam major eius delicti convictus, restituatur, si alium convincerit eiusdem reum. *l.1.§.2.Ad L.Iul, Amb.* Denique etiam minor qui cœptam accusationem omittit sine abolitione, excusatur. *l.1.§.accusationem. in fine. ad SC.Turpil.* Ceterùm ne in delictis restituatur, omissam semel accusationem denuo intentare non posset. *per hunc text.* Quò pertinet quod suprà relatum est. *in l.3. §. si quis minor.num.6. eod.*

1. *Contra præscriptiones temporales an restitutio jure veteri esset.*
2. *Iure novo quid hac de re sit cautum.*
4. *Re minoris per usucapionem intercepta restitutio est.*
5. *Conciliantur diversæ leges.*

1. §.1.) IN diebus sexaginta † præteritis, quibus jure mariti vir accusare mulierem potest, minor non restituitur, quod eâ ratione veniam delicti impetrare videretur. *tex.hic.* Sed aliàs jure Digestorum

rum plerumque contra temporales præscriptiones restitutio dari solet, ut si decendium ad appellationem elapsum esset. *l. ait prætor. 7. §. pen. sup. eod. l. 1. C. Si sæpius ... Post*. Præscriptio tamen temporis querelæ inofficiosi præfixæ, minoribus non objicitur ex constitutione speciali. *l. 2. C. quando in Int. Rest. Necess. Non est*. Quod & de longi temporis præscriptione rescriptum est. *l. 3. C. Quib. Non. Ob Long. Temp. Præs.* Denique † omnem hanc rem Iustinianus generali constitutione finivit, ut nulla præscriptio minoribus currat ipso jure. præter præscriptiones 30. & 40. annorum. *l. ult. C. in Quib. Caus. in Int. Rest. Necess. Non Est. adde l. 3. C. de 30. & 40. An. Præscrip.* Proinde contra illas demum restitutio impetranda est. Id verò ita usum habere potest, si fortè contra minorem præscriptio sit cœpta, & contra alium minorem successorem eius tandem completa. Nam & si contra majorem cepta præscriptio sit, minor ætas successori nō prodest. *l. si intra. C. de Non Num. Pec.* Quod pluribus infra prosequimur. *in l. prox. infrà. ubi vide*. Sed † & quando res minoris propriâ usucapione deprehenditur intercœpta, restitutioni locus est. *l. un.* C. *Si Advers. Vsucap.* Nec † obstat igitur l. properandum. §. fin. C. de Iud. quoniam ea non de præscriptione agit, sed lite ipso jure lapsu triennij exstincto. Nec obstat etiam Novel. 1. de Hær. & Fal. c. ult. §. pupillus: quoniam ea quoque agit de Hæreditate ipso jure amissa ob non impletam intra annum defuncti voluntatem. Sed & opponi potest Novel. 100. de Temp non Num. dot. quâ agitur de præscriptione non numeratæ dotis, cui interrumpendæ minori datà tempore matrimonij annos 12. & currit proinde eius exceptionis tempus minori. Re tamen ritè examinatâ non tam minori quàm majori currit. Cum enim primùm matrimonij tempus ad summum in decimum quintum ætatis annum cadat, consequitur, ut annus undecimus & duodecimus cadant, in ætatem majorem, & consequenter non tam minoribus quàm majoribus currit. Cum majoribus tantùm annus detur. *l. ult.* C. *de Dote Cauta Non. Num.* De tempore legis Commissoriæ & eo quod distractioni pignoris præfinitum est, agimus *in l. prox.* infrà, ubi vide.

Ad l. Aemilius. 38.

1. Argumentum huius legis, dissensio inter IC. Paulum & Antonium Principem.

2. Minor an restituatur contra usucapionem adversus defunctum majorem cœptam & ipsum completam.

Si

SI quis rem vendiderit sub pacto legis commissoriæ, cui dein successit hæres minor, & satisfactum intra statutum tempus venditori non sit, eoque res ab emptore alteri sit vendita: dicendum est minorem non restitui, quemadmodum non restitueretur si à defuncto res pignori data distractio eius incideret in ætatem minorem. *l. 2. C. Si Adu. distr. Pig.* Atque ita de proposita quæstione Paulus respondit. Sed Antoninus, cùm quia dies committendi in tempus pupillæ incidisset, tum quia lex commissoria ei parum placebat, denique etiam venditor denunciando solutionem aut distractionem in alium faciendam, recessisse à lege sua videretur, postremo tutores qui contractum non impleri, nec restitui desiderassent offerente id etiam tum venditore, suspecti pronunciati erant: pronunciavit minorem in integrum restituendum. *ut. hic.* Ipso jure tamen extra speciem facti tam singularem, rectiùs dicimus restitutionem negandam. *d. l. 2. C. Si Adu. Vend. Pign. fac. l. 3. princip.*
2. *inf. Quib. in Poss. eatur.* Denique † eadem ratione Cujacius autumat, minorem ob omissam usurpationem non restitui adversus usucapionem contra defunctum majorem ceptam, etiamsi complédæ eius tempus inciderit in ætatem minorem. Quod magis est. *arg. l. cum miles. De Rest. Major.* licet enim contra pupillum usucapio incipere non posset. *l. bonæ fidei. De Acq. Rer. dom.* successio tamen pupilli usurpationem usucapionis non inducit. Quod & Bartolo visum fuit. *per l. si fundum. De Feudo Dot. & ab Accursio motum. gl. magna in d. l. etiam prope finem.* Nec obstat l. etiam. 45. inf. eod. quia ea agit de necdum nato. Quia is enim restituitur sicut absentes in usucaptam amiserunt, restituuntur sive cœpta fuerit ante absentiam usucapio, sive minùs: nam & is qui in rebus humanis, cum usucapio impleretur, non fuit, vel maximè absens est. Vox ETIAM igitur ibi non ad jam natos refertur, sed ad alium restituendi modum Nec habetur igitur in proposito jam nato. *Cujac. hic.* quia id ei commodo non foret. *gl. in d. l. etiam.* cùm tamen è diverso, si id ei commodo foret, pro jam nato esset. *per vulg.* Minùs verò ad rem facit. *l. ult. C. In Quib. Caus. in Int. Rest. Necess. Non est.* quia ea agit de præscriptionibus seu exceptionibus tempore quæsitis, à quibus usucapio sanè longè diversa est. *vide Subtil. nostras. lib. 4. c. 1.* Denique & illud constat, tametsi ab initio minoribus non currant tempora exceptionum, currere tamen ea quæ à defuncto majore cœperũt, adversus successores ætatis minoris. *l. si intra. C. de Non Num. Pec.* Sed huc transijt stilus cum in proposito textu tamen nihil aliud quàm de pacto commissorio cuius dies in pupillarem ætatem incidit, agatur. *ut suprà.*

Ad

Ad l. Intra utile. 39.

HÆc lex allegata est suprà *ad l. 8. eod.* Quod verò hic dicitur dictâ pro ætate sententia, propter appellationem cetera cognitionis à præside fuisse dilata: ex eo colligeris Iure Digestorum etiam ab interlocutoria potuisse appellari, quod tamen non ita est. *l. 2. C. de Episc. & Aud. l. pen. C. Quor. Appell. non Recip.* Præterquam si damnum ex ea tale immineat quod resarciri non possit. *l. 2. inf. De Appell. Recip.* aut sententia super negotio incidenti lata seorsim subsistat instar definitivæ. *l. arbitro. Qui Satisd. Cog.* Quamobrem & in proposito appellationem permissam rationi convenit quia ætatis quæstio toti liti super restitutione motæ præjudicare potuit. Idemque judicandum de l. ait prætor. §. permittitur sup. eod. Opponit Accursius, quod ætatis quæstio incidens sit, & ideo pronunciari de ea non oportuerit separatim. *l. 1. in fine. C. de Ord. Iud. l. 2. C. de Or. Cogn.* sed rectè Bartolus respondit, de incidenti quæstione pronunciationem necessariam non esse, interpositam tamen valere. Nec mutat d. l. 1. C. de Ord. Cogn. quâ relatum est, judicem super causâ status quæ erat quæstio incidens, non posse pronunciare: id enim ibi speciale est, non quia quæstio erat incidens, sed quia erat judex datus à præside, quia ea cognitio ipsi præsidi est reservata. *l. 2. in fine. C. de Pedan. Iud. l. pen. C. Ne de stat. Def.* Denique & Iure Canonico permissum est à quavis interlocutoria appellare. *c. 2. de Appel.* Quo jure utimur.

Ad l. præses. 42.

QVi magistratus in integrum restituere possint obiter annoto suprà *in l. 17. & l. 18. eod. h. t. & in l. 1. De Restitut.* Quod verò hic præterea refertur, beneficium ætatis idem minoribus præstare quod appellatio præstat majoribus, id ad ea pertinet quæ ponimus infrà *in l. si prætor. 75. De Iudic.*

Ad l. de ætate. 43.

AEtas minor probanda est ei qui se minorem dicit, & ob hoc restitui postulat *ut hic & l. cum te minorem. C. de Prob. l. 4. C. de Rest in Int.* Et quidem probatio hæc vel maximè causæ cognitionem requirit, cum ceteris ferè rebus præjudicet. Probatur verò ætas vel ex aspectu vel per obstetrices, nutrices, vicinos, domesticos, cognatos, & antiquiores parentum annotationes. *arg. l. 3. §. 5. inf. Ad Carbon.* Vtrum verò in hac re parentes præferendi sint, quod ij

Ad l. 2.

QVi quæve posteaquam cum his quid actum contractum est, capite minuti erunt, in eos perinde quasi id factum non sit, judicium erit ex hoc edicto. *per hunc text.* Quod de minima capitis diminutione scriptum est, nec ad amissionem civitatis aut libertatis refertur, quoniam qui ita capite minuti sunt, ampliùs non conveniuntur. *ut hic.* Quod tamen temperandum ex ijs est quæ alibi tradimus. *vide quæ nos in l. si mandavero, 22. §. is cujus. Mandati.* Quatenus verò is qui in servitute contraxit aut deliquit, post manumissionem teneatur, id alibi explicamus. *vide Subtil. nostras. lib. 7. c. 8. per tot. & quæ nos in l. 1. §. si servus. inf. Depos.*

Ad l. 6.

REctè Florentinus, *privata*, (non privati, ut ceteri malè) hominis & familiæ eius jura.

Ad l. 7.

PRincip.) Verba huius textus nimis sunt distorta. Nos ea simpliciùs sine ulla emendatione accipimus, Tutelas, nimirum, capitis diminutione non amitti, exceptis ijs quæ in jure alieno (hoc est familiâ aliâ atque in quam capitis minutione transeunt) personis positis deferuntur: id enim est ijs, quicum agnati fuêre, in jus & familiam transeunt alienam. Quod & ex subsequenti textu constat, & Antonio Augustino visum fuit. *lib. 1. Emend. c. 2.* Planè agnati qui sunt, jure novo per arrogationem, familiam priorem non amittunt, cùm agnatorum & cognatorum differentia sit sublata. *Novel. 118, cap. ex his. 5.* eoque & ad tutelam vocantur nihilominus.

§. Si libertate.) Quatenus adversus servum agi possit vel minùs, & quatenus etiam post manumissionem ex negotio tempore servitutis inito, id alibi tractamus latè. *vide quæ nos infra in l. 1. §. si servus. Depos. & latius in l. si mandavero. 22. §. is cuius Mandati.*

EX QVIBVS CAVSIS MAIORES RESTITVANTVR.

TIT. VI.

Ad l. 1.

De intellectu huius edicti diversis locis tot. hoc tit. agimus, nec ideo quicquam ea de re hic agimus singulatim. De clausula, SI QVA MIHI IUSTA, *agimus infra* in l. 26. cod.

Ad l. 2.

QVod hic dicitur restitui eos, qui absentes ex justo metu fuere, argumentum præbet, restituendos quoque eos esse, qui durante bello aliquo inter populos vel Principes Christianos, abfuere metu alterius patris: si puta restitutâ pace, vel regione aut municipio recuperato, deprehendantur læsi.

Ad l. legatis. 8.

1. *Legati municipiorum eodem jure gaudent quo reipublicæ causâ absentes.*
2. *An bona vacantia ærario municipali applicentur. & num. 3.*
4. *Privilegia sua cetera an Princeps municipiis det.*
5. *Episcopus an habeat Fiscum.*

1. LEgatos † oppidorum, perinde ut absentes reipublicæ causa restitui expeditum est. *per hunc tex.* cum respublicæ ipsæ restitutionis jure fruantur instar minorum. *l. Republica. C. h. t.* Quod & ad oppida minora & ecclesiam relatum est. *c. 1. de in Int. Rest.* Vnde
2. quæsitum † est an bona vacantia aut damnatorum civitati, perinde ut extrà, eam Fisco applicanda sint. Dubium movet hic textus, magis tamen est ea non municipio applicari, sed Fisco. *l. 1. c. de Bon.*
3. *Vac.* Sed hoc † moribus Germaniæ & Italiæ ita mutatum est, ut civitates imperij quas liberas dicimus, in re fruantur jure Fisci. Quemadmodum & Costalius hoc loco ex Guidone Papa annotat,

Consuetudo Germaniæ contraria.

tat, dominis minoribus in quorum territorijs bona damnatorum sita sunt, eisdem illa applicari. Quod & moribus Galliæ usurpari idem author est, *Costal. hic*. Privilegia † tamen cetera nec Princeps inferior, nec civitas habebit, nisi fortè tempore immemoriali ea usurpaverit, & ita quæsiverit instar constituti. *tex. in l. simile. Ad Municip.* Quemadmodum plerique Germaniæ & Italiæ Principes & civitates quas liberas dicimus, jura majestatis usurpant. Alia quæstio est, An Episcopus Fiscum † habeat, & bona damnati ei applicentur, quod Panormitano visum est, *Costal. hic allegans Abbatem in c. 2. de Success. ab Intestato.* Sed hoc idem author ex Bartolo improbat, nisi bona mobilia essent. In immobilibus igitur contra statuit. *Bart. in l. 1. C. de Bon. Vac. lib. 10. Bal. in Auth. bona damnatorum. C. De Bon. Damn.* Atque eius rei argumentum adferunt, Quod Episcopus territorium non habet. Idque generali consuetudine Franciæ servari perhibent *Costal. hic.* Planè quin igitur moribus Germaniæ & earum regionum, in quibus Episcopi supremâ potestate utuntur, contrarium dicamus, nulla ratio facit. Nam & Abbates nonnulli in Germania territoria habent, ut de abbate Fuldensi & Brouwelirensi constat. 5.

Consuetudo Franciæ Episcopis territorium nō tribuit. Consuetudo Germaniæ diversa.

Ad l. succurritur. 9. & l. 10.

1. Quod dicimus eos qui in vinculis sunt, restitui quatenus accipiendum sit. & num. 2. & 4.
3. Relegati an restituantur.
5. Iure Canonico quid hac re cautum.

HÆc l. allegatur infrà *in l. 26. §. fin. eod.* Sed quod dicitur † de restituendis ijs qui in vinculis sunt, hoc & ad eos pertinet qui sine dedecore in publico nequeunt apparere. *ut hic & l. 2. C. eod.* Inde † quæsitum est an id etiam ad eos referatur qui ob delictum in custodia sunt, quod magis est, namque hi vel maximè sine dedecore nequeunt prodire. Cuius † rei argumentum est quod & relegatis succurritur ex causa, quippe qui & ipsi ob delictum ita coërciti sunt, ut rebus suis nequeant superesse. *l. sed etsi. 26. §. 1. h. t.* Nec ad rem † facit quod ob delictum indignus restitutione videatur, ob id enim exilij pœnam patitur, ut ex ea causa necessariò absens insuper gravari non debeat. *l. Papinianus. 20. in princ. sup. De Minorib.* Et verò faciliùs id admittimus in eo qui est in vinculis, cùm is plerumque necdum sit condemnatus. Arbitror tamen idem dicendum, si tempore læsionis sit condemnatus. *arg. d. l. 26. §. inf. fac.* 1. 2. 3. 4.

 l. sed

l. sed etsi. 4. in princip. sup. Si Quis. Caut. Iud. Hist. Caus. Fac. & ibidem. Bart. Maur. de Rest. in Int. c. 314. Quinimo amplius Iure 4 Canonico admissum est, quemcunque absentem restituendum, qui modò non absit per contumaciam. *per tex. in c. cum Bartoldus 18. De Sent. & Re iud. fac. c. 2. de Procur. Rosbach. lib. 3. Differ. Iur. Civ. & Canon. par. 1. tit. 24.* Quod tamen nec à ratione juris honorarij alienum videtur, *l. nec non. 28. inf. eod. & arg. l. quod quidem. 25. inf. eod.* Qua de re qui plura requirit, videat quæ nos infrà *in l. is cuius. 39. eod.*

Ad l. Ab hostibus. 15.

1. *Sententia huius §. controversa.*

2. *Ad quid restituatur contra quem præsentem usucapio cœpta, & præsentem completa est. & 4 7.*

3. *An restitutione privatus sit contra quem præsentem usucapio cœpta, & post reditum completa est. & 5.*

6. *Conciliatur l. 3. C. de Rest. Mil. & l. pen. C. Qui non ob lon. temp. præs.*

1. §. FInalem.) Inchoata † bonæ fidei usucapione ante absentiam, & contra reversum intra modicum tempus finitâ, restitutionis auxilium paratum est. Si differat restitutionem diutius, non auditur. *ut hic.* Quemadmodum id accipiendum sit, satis controversum est. *inter veteres glossatores Mart. Pet. Bulg. Ioan. ut refert hic Accurs. & Bart.* Et verò duo in hoc capite potissimùm sunt disputata,
2. primum, Ad quid † restituatur contra quem res ante absentiam usucapi cœpit, & post reditum usucapio est completa. Quá de re quidem in textu dicitur nihil, totum tamen hoc alibi expressum est clariùs, nimirum: ut medio tempore quo quis abfuit. *l. ult. sup. De Min.* intra annum utilem annoto, & præscriptione eatenus infractâ, intra tempus restitutum res reperatur. *l. quo tempore. 3. C. de Rest. Mil. l. pen. C. Quib. Non Obst. Longi Temp. Præscrip.* actione puta, quæ antè competebat, utiliter instituenda. *l. si quis stipulatus. 43. inf. eod.* Adde quæ ponimus infrà *in l. is cuius. 31. eod.* Alte-
3. rum verò magis propriè † ad hunc locum pertinet, An puta ob id quod quis post reditum in petenda restitutione cessavit (is sc. contra quem præsentem usucapio cœpta & completa est) eius remedio privatus sit in totum. Quod quidem ita huius textus verbis (NISI PAULO POSTQUAM REDIIT RESTITUTIONEM PETIERIT) indicatur perspicuè.

perspicuè. Neque enim is contra quem præsentem usucapio cœpta est, & præsentem etiam completa restitutionem petendo, dicere potest, se læsum absentem esse, cùm contra præsentem tam cœpta sit usucapio quàm completa. Atque id Martinus, Placentinus, Albertus voluére, quos & Cujacius sequitur. *lib.19. Obs.c.15.* Alij contrà 4 putarunt, nimirum tantò minùs temporis restitui, quanto diutiùs ante usucapionem completam læsus post reditum fuit domi. *Bart.hic. Bal. Sal. in d. l.3. C de Rest. Mil.* Argumenta habent hæc: Si restitutio petenda est post reditum statim, sequitur quadriennium per absentiam læso paratum non esse, at verò quadriennium paratum est. *l.ult.C. de Temp. Rest.* ergo etiam diutiusculè post reditum (nimirum ad præteritionem quadriennij) in postulanda restitutione potest cessari. Sed retorqueri potest, quod ad res hic relatas, puta domum conducendam, sarcinulas colligendas, advocatum quærendum totus annus utilis, aut hodie quadriennium necessarium non sit, ut parum probabiliter tempus modicum hic de toto quadriennio, aut utili intelligatur anno. Respondemus 4 igitur, in casu proposito, restitutionem non dari in universum, si contra præsentem usucapio sit cœpta (qui medio tempore absuit) & contra præsentem tandem completa, quia is, propriè absens non est læsus: sed ita demum eum restitui, si fortè paulò pòst quàm redijt (ut nimirum reditus componendi causâ exiguum spatium habeat) usucapio completa sit. Id nimirum tempus ex bono & æquo tempori absentiæ adjungetur, ne absentia reipublicæ causa cuiquam sit damnosa. Et igitur, si intra modicum tempus hoc lædatur, totum quadriennium habebit restitutioni postulandæ. Sin diutius cessaverit, quia contra præsentem completa usucapio & præscriptio est, non audietur in totum. Nec mutat 4 quod dicitur intermedium tempus læso restituendum. *d.l.3. C. de Rest. Mil. l. pen. C. Quib. non Ob. Longi Temp. Præs.* quia id ita est, quando usucapio vel præscriptio contra absentem cœpta est & completa. Planè 4 equidem arbitror, si quis diu reipublicæ causâ abfuerit, & post reditum læsus sit, ad judicem pertinere an tempus intermedium ei restitui debeat, idque ex generali clausula edicti. *l.1. inf. Castr. in d.l.3. C. de Rest. Mil.*

4.

5.

6.

l. 16.

Relata est ad l. prox. §. fin. sup. & in l. 26. §. 1. eod.

Ad

Ad l. sciendum. 18. et l. 19.

QVI ex hoc edicto restituuntur ad damnum quidem, non tamen ad lucrum restituuntur *ut l. 1. §. fin. sup.* Sed ita temperandum est, si lucrum illud tendat ad damnum tertij. *per hunc text.* aliàs enim quin etiam ad lucrum restituantur sibi interceptum, nulla dubitatio est. *l. & sive. 27. inf. eod. inf.* Plura de restitutione lucri posuimus suprà *in l. ait prætori. §. hodie. de Minorib.*

Ad l. item ait. 21. et l. 22.

Vers. NAM SI FUIT PROCURATOR.) Hic textus notatur in eo quod contra procuratorem absentis judicium initium habere potest, quodque procurator absentis etiam ab initio potest citari. *ut not.* Bal. *fac. l. 3.* De *Adim. Leg. l. eum qui*, C. *de Procur.* Sed & administrator sine mandato citari potest, defendere tamen ita demum videbitur, si & judicium suscipiat, & judicatum solvi satisdet. *per hunc text.* Defensor verò comparere non tenetur, nisi vel generali citetur edicto, vel speciali. *not. Bal. & Bolog hic.* Itaque si dominus ipse absens citetur, hoc defensorem non ligat. Quanquam illud expeditum maneat, si defensor non caveat, eum non audiendum, & consequenter absentem haberi pro indefenso. Rogari tamen aut citari super ea re propinquos ac amicos oportet, an eum defendere velint, qui si id non acceptent, testatione accipiendum est eos id negare, ut ita restitutioni sit locus. *per. l. 22. hic.*

Ad l. sed etsi 26.

1. *Relegatus an & quando per absentiam læsus restituatur.*
2. *Procuratore damnato quatenus absens restituatur.*
3. *In causis arduis an quis procuratorem mittere cogatur.*

1 §. 1.) CONtra bannitum † ac relegatum restitutio est, at ipsi relegato restitutio vix aliter datur quàm ex causa, *tex & DD. hic.* Ponamus eum domi procuratorem relinquere non potuisse, utique restituendus est. *ut hic. & l. 40. §. 1. inf. eod.* qui non restituetur si procuratorem mittere potuerit. *l. Papinianus. 20. in princ.* De *Min.* Planè † si procurator eius qui ex justa causa abfuit, sit con-
2 demnatus, dominus eatenus restituitur ut appellare queat. *l. ult. sup.* De *Rest. in Int.* sed ulterius non restituatur. *l. 15. qui. 39. inf. eod.* *ubi*

ubi vide quæ hac de re tractemus latius. Denique & rectè † dicimus in causis arduis neminem absentem facilè cogendum invitum procuratorem mittere. *c.2. ex procur.* Ceterùm quando causa & occasio defendendi talis sit ut relegatus procuratorem domi relinquere potuerit vel debuerit, an minùs, id omne in facto consistit, & æquo judicis arbitrio finiendum est. *arg. text. in l. non enim. 16. sup. h t.* 1.

1. An ob ignorantiam restitutio contra præscriptionem danda. & num. 2.

3. Capitali crimine damnatus an per matrimonium cum meretrice liberetur, item quid si per restim ceciderit, aut executionem miraculosè declinarit.

§. Final. ET GENERALITER QUOTIESCUNQUE QUIS EX NECESSITATE NON EX VOLUNTATE ABFUIT, DICI OPORTET, EI SUBVENIENDUM. &c.) Sed quæsitum est, an ex generali clausula, *Si qua mihi justa*: ob probabilem † ignorantiam contra longi vel longissimi temporis præscriptionem, restitutio danda sit, quod multis visum est. *Maur. in tract. Rest. c. 57. 58. 59. & alij.* Contrarium tamen verius est. Sunt enim inventa præscriptionum jura, ne dominia rerum in incerto essent, & ut quisque moveatur summâ solertiâ rem suam curare. *Inst. de Usucap.* quæ si prætextu ignorantiæ queant infringi, iam definitiones earundem magna ex parte vacuæ fient. Neque enim qui scit rem suam ab alio possessam, suâ eam voluntate alteri relinquet, eoque & præscriptiones plerasque probabilius dicimus contra ignorantes inductas. *l. ult. verb. nullâ scientiâ C. de Praescrip. Longi Temp.* Cui accedit quod is qui præscripsit plenissimâ minutione dicitur securus. *l. omnes. C. de 30. An. Præs.* At verò vel maximum eius rei argumentum est, quòd olim etiam biennio conclusa fuit, rerum Italicarum præscriptio, quam quidem temporis angustiam imperator correxit, de cetero tamen nihil excepit. *l. un. C. de Usucap. Transfor.* Scio equidem his responsum esse, convinci argumentis ijs præscriptionem etiam contra ignorantes esse, sed restitutionis beneficium non tolli: at hoc parum probabile est, cùm nulla lege cautum sit, ignorantiam restituendi majoris esse causam. Neque verò ad rem facit generalis huius edicti clausula, quia ea non obtinet in ijs quæ contra rationem juris introducuntur, sed illis modò speciebus quæ variè ex facto accidunt. *Wesenb. in Comm. huius tit. num. 10. Covarruu. in c. possessor male fidei. par. 2. §. 3 Fachin. lib. 1. Controu. c. 69. Pinel. in Auth. nisi C. de Bon. Matern.* Planè † tametsi is qui lucri sui causa abest regulariter 2.

Ii hoc

hoc edicto non fruitur. *l. reipublicæ. 36. inf. eod.* benignè tamen dicimus, eum, si & unà justâ ignorantiâ laboret, restituendum. Atque eo sensu communis sententia de restitutione adversus præscriptionem dandâ, accipitur apposité. Quod † verò hodie passim receptum
3. est, ut capitali crimine damnatus, si meretricem vel quam aliam mulierem in matrimonium ducere paratus sit, impunitate donandum, id reipublicæ prorsus perniciosum, nec idcirco in consequentiam trahendum est: cùm eâ ratione tutum delinquentibus asylum statuatur. *Clar. in Pr. Crim. q. 98. num. 6. Covar. lib. 3. Var. Resol. c. 13.* Sed quæsitum est, An qui reste fracto, aut quo alio modo extremum supplicium declinaverunt, impunitate donandi sint, quod ipsum & multis in locis hodie receptum est, & hoc aliquibus visum est, modò princeps super ea re consulatur. *Luc. de Pan. in l. 1. vers. Sed pone damnatus. C. de desertorib. lib. 12.* Chassan. *in Consuet. tit. de Justitia. fol. 49. in Addit.* Contrà *tamen alij disputant. Guil. Rovil. in descrip. Just. & Injust. lib. 3. de Exsecut. Crim.* Quos utrimque allegat Boërius *Decis.* 217. *num.* 18. Et quidem expeditum est jure scripto id non admitti. Ceterùm si de consuetudine quæratur, benigniùs est id in arbitrium Principis conferendum, ut is damnatum restituat si novo quodam ac miraculoso evaserit modo, quasi nimirum divinitus liberatus sit, sin verò magis socordiâ exsecutoris elapsus sit, non restituatur. Quod omne tamen ita temperandum, nisi condemnatus delictorum frequentia laboret. Hunc enim rectiùs dicimus, ne à Principe quidem recente inaugurato restituendum. *Boër. latè. d. lo. num.* 19. *&* 2. *&* 22. SIVE HABUIT PROCURATOREM SIVE NON.) Quod hîc dicitur, absentem qui procuratorem habuit restitui, vide quatenus verum sit, infrà. *in L. is qui. 39. eod.*

Ad l. & sive. 27.

Vide tex. & quæ nos in eo, suprà. *in l. 18. eod.*

Ad l nec non. 28.

DE eo absente qui procuratorem habuit vide infrà *in l. is qui. 39. eod. tit.* De eo verò qui aliàs abest ex probabili causa agimus suprà *in l. 9. eod.*

§. Penult.) De Actione & exceptione temporali & perpetua agimus infrà *in l. si is cuius. 31. eod.*

Ad

Ad l. cum miles. 30.

QVod hîc dicitur possessio defuncti continuari in hæredem, intellige non de possessionis actu sed usucapione, effectum nimirum pro causa per metonimiam. An verò possessio in hæredem transeat, id alibi explicamus. *vide qua ponimus ad l. in suis*, De *Lib. & Post. Her.*

Ad l. si is cuius. 31.

1. *Qui post restitut. possessionem rei nactus est, quam actionem in posterum habeat.*
2. *Quam exceptionem.*
3. *Rescissoria actio & Restitutoria quamdiu durent. & n. 4.*

SI is cuius † rem reipublicæ causa absens usucepit, possessionem nactus sit restitutione jam impetratâ, eamque postea amiserit, non temporalem actionem habet intra tempus restitutione redditum, sed è diverso, perpetuam. *tex. hic.* Subintellige restitutionem quidem concessam, sed actionem rescissoriam necdum fuisse institutam. Neque enim si læsus possessionem nactus sit, ulterius ad rem repetendam opus actione habet, quia per recuperationem possessionis actio rescissoria finita est. *per hunc tex.* Vnde & post id † tempus exemplo actionis rescissoriæ exceptionem habet. *l. nec non. § pen. sup. eod.* Non quidem temporalem sed perpetuam. Perinde nimirum, ut si in posterum possessio amittatur, non actio hæc quæ temporalis est. *§. rursus. Inst. de Act. junc. l. in honorariis. De Obl. & Act.* sed perpetua datur. *ut hic.* Ceterùm quia † temporalis actionis meminimus, videamus restitutoria actio & rescissoria quamdiu durent. Ego ita sentio, Restitutionis remedium hodie durare quadriennium. *l. ult.* C. *de Temp. in Int. Rest.* Rescissoriam verò actionem, id est ex hoc edicto jam nunc restitutam ultra annum non extendi. *l. in honorariis. 35. De Obl. & Act. d. §. rursus. ibique* DD. *de Inst.* qui annus à die restitutionis impetratæ continuus est. *ut rectè Bart. not. in l. fin.* C. *Ex Quib. Caus. Mai.* Hoc tamen † temperandū, non ut ex quacunque restitutione in posterum agendi facultas sit annalis, sed ita, ut si longiùs tempus absentiæ fuerit quæ restitutione dedit causam, id anno finiatur. Nam si anno brevius sit, non diutius experiri licebit quàm intra tempus læso restitutum. *l. sed & si 26. §. si feria. sup. eod. l. ult. sup. de Min. fac. d. l. 3. De Rest. Mil. & l. pen.* C. *Quib. Non ob longi temp. præs.* Potest tamen utrumque judicium semel exerceri, quo casu utrique finiendo quadriennium datum est. *d. l. ult.* C. *de Temp. in Int. Rest.*

Ii 2 I Rei-

l. Reipublicæ. 36.

Relata est suprà *ad l. 26. §. fin. eod.*

Ad l. is qui. 39.

1. *Qui reipublicæ causâ absens procuratorem domi reliquit an restituatur. & num.* 3.
2. *Explicatur 26. §. fin. vers. sæpissimè sup. eod.*

1. QVi reipublicæ † causâ absens procuratorem domi reliquit, si restitui velit non auditur. *tex. hic.* præterquam ad appellandum.
2. *l. ult. suprà. De in Int. Rest.* Quod igitur † alibi relatum est, absentem reipublicæ causâ restitui sive procuratorem habuerit sive minùs. *l. sed etsi. 26. §. fin. vers. sæpissimè sup. h. t.* id cum moderamine accipiendum, quando puta contra procuratorem mandati actio est inanis, quòd scilicet is vel omnem diligentiam quam debuit, adhi-
3. buit, vel necessaria ex causa procuratio finita sit. Denique † & restitutio locum habet omnimodo si procurator sit defunctus vel ex causa impeditus negotium absentis rectè procurare. *l. nec non. 28. sup. eod.* Adde quæ ponimus suprà *in d. l. 26. §. 1. eod.*

Ad l. si qua. 40.

Vide quæ posita suprà *in l. 10. & l. sed etsi. 26. §. 1. eod.*

Ad l. si quis stipulatus. 43.

Vide quæ ponimus suprà *in l. ab hostibus. 15. §. fin. eod.*

DE ALIENATIONE IVDICII MVTANDI CAVSA FACTA.

TIT. VII.

l. 1.

Allegata est infrà in l. 4.

Ad. l. 3.

§. opus. SI is cui novum opus nunciatum est, locum vendiderit, emptorque novum opus fecerit, cum neutro ex novi operis nunciatoris potest agi. Neque enim huic novum opus nunciatum

ciatum est, neque venditor novum opus fecit. *ut hic.* Nec mutat l. ult. infrà. De Novi. Op. Nunc. ubi ea actio rei nomine datur in emptorem, id enim tantum eatenus verum est, ut novum opus patiatur tolli. *DD. ibidem. Pac. Cent. 3. Enant. q. 12.* Impensarum verò nomine adversus emptorem actio est; eoque ad eas repetendas ex hoc edicto, per restitutionem prætoris adversus venditorem agendum est in factum, *ut hic in §. ex quibus.*

§. Final.) Obstat l. sin autem. 27. §. sed & is. & qui petitorio. 36. in princ. De Rei Vind. Solutionem, vide ibidem.

Ad l. 4.

QVod hic dicitur, re usucapta ab eo cui illam possessor alienavit ut eo modo ipse conveniri non possit, locum habere hoc edictum: intellige de re non furtivâ, nec simili vitio affectâ. *§. furtivæ. Inst. de Vsucap.* Nec ad rem facit quòd quæque ferè res judicij mutandi causâ alienata, dolosè contrectari videtur. *l. 1. sup. eod.* quia in usucapione jure civili saltem satis est, eam ab initio bona fide fuisse possessam. *l. 15. §. fin. De Vsucap. l. pen. pro Emp.* Sed quia hoc jure Canonico mutatum est, ita ut omni possessionis tempore bona fides requiratur. *c. ult. de Præs. c. possessor. de Reg. Iur. in 6.* probabilius dicimus, rem saltem mobilem dolo malo judicij alienandi causâ cessam, si ea revera alterius sit, non usucapi. *eodem jure.* At verò usucapio biennio, triennio, & ita deinceps perficitur. *Inst. & C. de Vsucap.* quando igitur hoc judicium annale est. *l. vel post. 6. inf. h. t.* evenit nec post rem usucaptam id ipsum superesse. Sed præsupponendus est casus quo res diutiùs ab alienatore fuit possessa, ut intra anni spatium ab emptore usucapio sit completa. Continuatur enim eo modo possessio bonâ fide incepta. *Ius Canon. in hac re diversum, & quomodo.*

l. Vel post annum. 6.

ALlegata in ijs est quæ posuimus proximè *ad l. 4.* Annum autem hic, ut in plerisque restitutionibus, cum Martino utilem, non continuum intelligimus.

Ad l. cum miles. 11.

ACtor in quem judicij mutandi causa facta alienatio est, exceptione dilatoriâ repelli potest, adeò ut si vel ipse vel author eius rem prosequi ulterius velit, is agere compellatur qui rem vel actionem cessit. *tex. hic.* At cur ita, cùm cedendo jus suum in poten-

 tiore,

magisque est appellari non posse. *l. non distinguimus. 32. §. cum quidam. inf. eod. l. 1. C. eod.* Si tamen evidens gratia aut iniquitas arbitri apparuerit, petitioni pœnæ in conventionem compromissi deductæ opponitur exceptio doli. *dd. legibus*. Sed propter eandem causam, si enormis læsio sit, reductio ad arbitrium boni viri recepta est. Quod quidem omni dubio caret si fiat intra decennium. *l. per pen. C. eod.* Sed & postea si de evidenti gratia aut iniquitate judicis constet, idem admittimus. *l. 32. §. cum quidam. inf. eod.* Eius verò postulandæ tempus metimur ex edicto de Rest. major. *vide nostra. in d. §. cum quidam inf.* Malè proinde Fachinæus ex Immola annotat, à sententia arbitri reductionem non peti. *Fach. lib. 8. Controu. c. 94.* Namque id nec interpretibus probatum nec moribus receptum est. Quamdiu verò reductio pronunciationis postulare queat ab arbitratore factæ, id infrà explicamus. *in l. 76. Pro hoc.* Sed quæ læsio enormis † sit & gratiam aut iniquitatem judicis arguat, id totũ in facto consistit, & arbitrio judicis relinquendum est. *Panorm. in c. quintavallis. num. 33. in fine. De Iurejur. Gail. II. Obs. 154. num. 12.* Malo tamen more eadem in nonnullis Belgicæ curijs facili & plerumque sine altiori causæ cognitione conceditur, quod optandum foret quandoque emendari, cùm ex ea consuetudine lites serantur litibus. Ad quem verò judicem reductionis cognitio pertineat, † disputatum est, & nonnulli eam ad judicem causæ controversæ referunt ordinarium. *per l. 2, C. ubi & Ap. Quem & l. cum hi. §. transactiones. De Transac.* Quod moribus obtinet, cùm & ex generali jurisdictionis fundandæ regula actor sequatur forum rei. *Gail. 1. Obs. 149. Mins. Cent. 2. Obs. 61. Rebuff. de Arb. Art. 1. gl. 10.* Nec ad rem facit quod alij eam ad judicem arbitri ipsius tanquam ad judicem superiorem referunt. *arg. l. non distinguimus. 32. §. cum quidam. inf. eod.* licet enim ibi reductio comparetur appellationi, non tamen ob hæc in appellationem propriam cadit. Quinimo † & ex cõstitutione Iustiniani etiam ex pacto compromissi, si sententia arbitri utrimque sit subscripta, vel lapsu decendij sine contradictione firmata, actori actio & reo exceptio datur, instar judicati. *d. l. pen. C. eod.* Sed hoc casu à sententia arbitri appellare Bartolus autumat. *Bart. in l. 2 inf. eod.* Contrarium tamen & interpretibus & moribus receptum ait. *per tex. & DD. in d. l. non distinguimus. §. cum quidam. inf. h. t. l. 1. C. eod.* Id enim quia non invenitur mutatum, quare aliter statuamus nulla ratio facit. *Bal. Salic. Angel. in d. l. 1. Mar. par. 2. distinc. ult. nu. 259. eleganter Dominus Bronch. Cent. 1. Enant. c. 62.* Neque verò ad rẽ facit l. ab arbit. 9. De Satis. quia ibi arbiter accipitur pro judice partiũ consensu dato. *ut & in l. ex consensu. de App.* Hæc ita, si non tenere cõpromissi partes in appellationẽ cõsenserint. Nam

l. sed etsi. 4. in princip. sup. Si Quis. Caut. Iud. Sist. Caus. Fac. & ibidem. Bart. Maur. de Rest. in Int. c. 314. Quinimo amplius Iure 4 Canonico admissum est, quemcunque absentem restituendum, qui modò non absit per contumaciam. *per tex. in c. cum Bartoldus 18. De Sent. & Re iud. sac. c. 2. de Procur. Rosbach. lib. 3. Differ. Iur. Civ. & Canon. par. 1. tit. 24.* Quod tamen nec à ratione juris honorarii alienum videtur, *l. nec non. 28. inf. eod. & arg. l. quod quidem. 25. inf. eod.* Qua de re qui plura requirit, videat quæ nos infrà *in l. is cuius. 39. eod.*

Ad l. Ab hostibus. 15.

1. *Sententia huius §. controversa.*
2. *Ad quid restituatur contra quem præsentem usucapio cœpta, & præsentem completa est. & 4 7.*
3. *An restitutione privatus sit contra quem præsentem usucapio cœpta, & post reditum completa est. & 5.*
6. *Conciliatur l. 3. C. de Rest. Mil. & l. pen. C. Qui non ob lon. temp. præs.*

1. §. FInalem.) Inchoata † bonæ fidei usucapione ante absentiam, & contra reversum intra modicum tempus finitâ, restitutionis auxilium paratum est. Si differat restitutionem diutius, non auditur. *ut hic.* Quemadmodum id accipiendum sit, satis controversum est. *inter veteres glossatores Mart. Pet. Bulg. Ioan. ut refert hic Accurs. & Bart.* Et verò duo in hoc capite potissimùm sunt disputata,
2. primum. Ad quid † restituatur contra quem res ante absentiam usucapi cœpit, & post reditum usucapio est completa. Quâ de re quidem in textu dicitur nihil, totum tamen hoc alibi expressum est clariùs, nimirum: ut medio tempore quo quis abfuit. *l. ult. sup. De Min.* intra annum utilem annoto, & præscriptione eatenus infractâ, intra tempus restitutum res repetatur. *l. quo tempore. 3. C. de Rest. Mil. l. pen. C. Quib. Non Obst. Longi Temp. Præscrip.* actione puta, quæ antè competebat, utiliter instituenda, *l. si quis stipulatus. 43. inf. eod.* Adde quæ ponimus infrà *in l. is cuius. 31. eod.* Alte-
3. rum verò magis propriè † ad hunc locum pertinet, An puta ob id quod quis post reditum in petenda restitutione cessavit (is sc. contra quem præsentem usucapio cœpta & completa est) eius remedio privatus sit in totum. Quod quidem ita huius textus verbis (nisi paulo postquam rediit restitutionem petierit) indicatur perspicuè.

perspicuè. Neque enim is contra quem præsentem usucapio cœpta est, & præsentem etiam completa restitutionem petendo, dicere potest, se læsum absentem esse, cùm contra præsentem tam cœpta sit usucapio quàm completa. Atque id Martinus, Placentinus, Albertus voluêre, quos & Cujacius sequitur. *lib.19. Obs.c.15.* Alij contrà 4 putarunt, nimirum tantò minùs temporis restitui, quanto diutiùs ante usucapionem completam læsus post reditum fuit domi. *Bart.hic. Bal.Sal.in d. l.3. C de Rest. Mil.* Argumenta habent hæc: Si restitutio petenda est post reditum statim, sequitur quadriennium per absentiam læso paratum non esse, at verò quadriennium paratum est. *l.ult.* C. *de Temp. Rest.* ergo etiam diutiusculè post reditum (nimirum ad præteritionem quadriennij) in postulanda restitutione potest cessari. Sed retorqueri potest, quod ad res hîc relatas, puta domum conducendam, sarcinulas colligendas, advocatum quærendum totus annus utilis, aut hodie quadriennium necessarium non sit, ut parum probabiliter tempus modicum hic de toto quadriennio, aut utili intelligatur anno. Respondemus 4 igitur, in casu proposito, restitutionem non dari in universum, si contra præsentem usucapio sit cœpta (qui medio tempore absfuit) & contra præsentem tandem completa, quia is, propriè absens non est læsus: sed ita demum eum restitui, si fortè paulò pòst quàm redijt (ut nimirum reditus componendi causâ exiguum spatium habeat) usucapio completa sit. Id nimirum tempus ex bono & æquo tempori absentiæ adjungetur, ne absentia reipublicæ causa cuiquam sit damnosa. Et igitur, si intra modicum tempus hoc lædatur, totum quadriennium habebit restitutioni postulandæ. Sin diutius cessaverit, quia contra præsentem completa usucapio & præscriptio est, non audietur in totum. Nec mutat 4 quod dicitur intermedium tempus læso restituendum. *d.l.3.C.de Rest.Mil.l.pen.C.Quib. non Ob.Longi Temp. Præs.* quia id ita est, quando usucapio vel præscriptio contra absentem cœpta est & completa. Planè 4 equidem arbitror, si quis diu reipublicæ causâ absfuerit, & post reditum læsus sit, ad judicem pertinere an tempus intermedium ei restitui debeat, idque ex generali clausula edicti. *l.1.inf.Castr.in d.l.3.C.de Rest.Mil.*

4. 5. 6.

l. 16.

Relata est ad l.prox.§.fin. sup. & in l. 26.§.1. eod.

Ad

Ad l. sciendum. 18. et l. 19.

QVI ex hoc edicto restituuntur ad damnum quidem, non tamen ad lucrum restituuntur *ut l. 1. §. fin. sup.* Sed ita temperandum est, si lucrum istud tendat ad damnum tertij, *per hunc text.* aliàs enim quin etiam ad lucrum restituantur sibi interceptum, nulla dubitatio est. *l. & sive. 27. inf. eod. inf.* Plura de restitutione lucri posuimus suprà *in l. ait prætori. §. hodie. de Minorib.*

Ad l. item ait. 21 et l. 22.

Vers. NAM SI FUIT PROCURATOR.) Hic textus notatur in eo quod contra procuratorem absentis judicium initium habere potest, quodque procurator absentis etiam ab initio potest citari. *ut not.* Bal. *fac. l. 3.* D*e Adim. Leg. l. eum qui.* C. *de Procur.* Sed & administrator sine mandato citari potest, defendere tamen ita demum videbitur, si & judicium suscipiat, & judicatum solvi satisdet. *per hunc text.* Defensor verò comparere non tenetur, nisi vel generali citetur edicto, vel speciali. *not. Bal. & Bolog hic.* Itaque si dominus ipse absens citetur, hoc defensorem non ligat. Quanquam illud expeditum maneat, si defensor non caveat, eum non audiendum, & consequenter absentem haberi pro indefenso. Rogari tamen aut citari super ea re propinquos ac amicos oportet, an eum defendere velint, qui si id non acceptent, testatione accipiendum est eos id negare, ut ita restitutioni sit locus. *per . l . 22 . hic.*

Ad l. sed etsi 26.

1. *Relegatus an & quando per absentiam læsus restituatur.*
2. *Procuratore damnato quatenus absens restituatur.*
3. *In causis arduis an quis procuratorem mittere cogatur.*

1 §. 1.) COntra bannitum † ac relegatum restitutio est, at ipsi relegato restitutio vix aliter datur quàm ex causa, *tex & DD. hic.* Ponamus eum domi procuratorem relinquere non potuisse, utique restituendus est. *ut hic. & l. 40. §. 1. inf. eod.* qui non restituetur si procuratorem mittere potuerit. *l. Papinianus. 20. in princ. De Min.* Planè † si procurator eius qui ex justa causa abfuit, sit con-
2 demnatus, dominus eatenus restituitur ut appellare queat. *l. ult. sup. De Rest. in Int.* sed ulterius non restituatur. *l. 15. qui. 39. inf. eod.* ubi

ubi vide quæ hac de re tractemus latius. Denique & rectè 1 dicimus in causis arduis neminem absentem facilè cogendum invitum procuratorem mittere. *c.2. ex procur.* Ceterùm quando causa & occasio defendendi talis sit ut relegatus procuratorem domi relinquere potuerit vel debuerit, an minus, id omne in facto consistit, & æquo judicis arbitrio finiendum est. *arg. text. in l. non enim. 16. sup. h. t.* 1.

1. *An ob ignorantiam restitutio contra præscriptionem danda. & num. 2.*

3. *Capitali crimine damnatus an per matrimonium cum meretrice liberetur, item quid si per restim ceciderit, aut executionem miraculosè declinarit.*

§. Final. ET GENERALITER QVOTIESCUNQVE QVIS EX NECESSITATE NON EX VOLUNTATE ABFVIT, DICI OPORTET, EI SUBVENIENDUM. &c.) Sed quæsitum est, an ex generali clausula, *Si qua mihi justa*: ob probabilem 1 ignorantiam contra longi vel longissimi temporis præscriptionem, restitutio danda sit, quod multis visum est. *Maur. in tract. Rest. c. 57. 58. 59. & alij.* Contrarium tamen verius est. Sunt enim inventa præscriptionum jura, ne dominia rerum in incerto essent, & ut quisque moveatur summâ solertiâ rem suam curare. *Inst. de Vsucap.* quæ si prætextu ignorantiæ queant infringi, jam definitiones earundem magna ex parte vacuæ fient. Neque enim qui scit rem suam ab alio possessam, suâ eam voluntate alteri relinquet, eoque & præscriptiones plerasque probabilius dicimus contra ignorantes inductas. *l. ult. verb. nullâ scientiâ C. de Præscrip. Longi Temp.* Cui accedit quod is qui præscripsit plenissimâ munitione dicitur securus. *l. omnes. C. de 30. An. Præs.* At verò vel maximum ejus rei argumentum est, quòd olim etiam biennio conclusa fuit, rerum Italicarum præscriptio, quam quidem temporis angustiam imperator correxit, de cetero tamen nihil excepit. *l. un. C. de Vsucap. Transfor.* Scio equidem his responsum esse, convinci argumentis ijs præscriptionem etiam contra ignorantes esse, sed restitutionis beneficium non tolli: at hoc parum probabile est, cùm nulla lege cautum sit, ignorantiam restituendi majoris esse causam. Neque verò ad rem facit generalis huius edicti clausula, quia ea non obtinet in ijs quæ contra rationem juris introducuntur, sed illis modò speciebus quæ variè ex facto accidunt. *Wesenb. in Comm. huius tit. num. 10. Covarruu. in c. possessor malæ fidei. par. 2. §. 3. Fachin. lib. 1. Controu. c. 69. Pinel. in Auth. nisi C. de Bon. Matern.* Planè 2 tametsi is qui lucri sui causa abest regulariter 2.

Ad l. cum miles. 30.

QVod hîc dicitur possessio defuncti continuari in hæredem, intellige non de possessionis actu sed usucapione, effectum nimirum pro causa per metonimiam. An verò possessio in hæredem transeat, id alibi explicamus. *vide quæ ponimus ad l. in suis*, De Lib. *& Post. Hær.*

Ad l. si is cuius. 31.

1. *Qui post restitut. possessionem rei nactus est, quam actionem in posterum habeat.*
2. *Quam exceptionem.*
3. *Rescissoria actio & Restitutoria quamdiu durent. & n. 4.*

SI is cuius † rem reipublicæ causa absens usucepit, possessionem nactus sit restitutione jam impetratâ, eamque postea amiserit, non temporalem actionem habet intra tempus restitutione redditum, sed è diverso, perpetuam. *tex. hic.* Subintellige restitutionem quidem concessam, sed actionem rescissoriam needum fuisse institutam. Neque enim si læsus possessionem nactus sit, ulterius ad rem repetendam opus actione habet, quia per recuperationem possessionis actio rescissoria finita est. *per hunc tex.* Vnde & post id † tempus exemplo actionis rescissoriæ exceptionem habet. *l. nec non. § pen. sup. eod.* Non quidem temporalem sed perpetuam. Perinde nimirum, ut si in posterum possessio amittatur, non actio hæc quæ temporalis est. *§. rursus. Inst. de Act. junc. l. in honorariis. De Obl. & Act.* sed perpetua datur. *ut hic.* Ceterùm quia † temporalis actionis meminimus, videamus restitutoria actio & rescissoria quamdiu durent. Ego ita sentio, Restitutionis remedium hodie durare quadriennium. *l. ult.* C. *de Temp. in Int. Rest.* Rescissoriam verò actionem, id est ex hoc edicto jam nunc restitutam ultra annum non extendi. *l. in honorariis. 35. De Obl. & Act. d. §. rursus. ibique* DD. *de Inst.* qui annus à die restitutionis impetratæ continuus est. *ut rectè Bart. not. in l. fin.* C. *Ex Quib. Cauf. Mai.* Hoc tamen † temperandû, non ut ex quacunque restitutione in posterum agendi facultas sit annalis, sed ita, ut si longiùs tempus absentiæ fuerit quæ restitutione dedit causam, id anno finiatur. Nam si anno brevius sit, non diutius experiri licebit quàm intra tempus læso restitutum. *l. sed & si 26. §. si feriæ. sup. eod. l. ult. sup. de Min. fac. d. l. 3. De Rest. Mil. & l. pen.* C. *Quib. Non ob longi temp. præs.* Potest tamen utrumque judicium semel exerceri, quo casu utrique finiendo quadriennium datum est. *d. l. ult.* C. *de Temp. in Int. Rest.*

l. Reipublicæ. 36.

Relata est suprà *ad l.26.§.fin.eod.*

Ad l. is qui. 39.

1. *Qui reipublicæ causâ absens procuratorem domi reliquit an restituatur. & num.* 3.

2. *Explicatur 26. §.fin. vers. sæpissimè sup. eod.*

1. QVi reipublicæ † causâ absens procuratorem domi reliquit, si restitui velit non auditur. *tex. hic.* præterquam ad appellandum.
2. *l. ult. suprà. De in Int. Rest.* Quod igitur † alibi relatum est, absentem reipublicæ causâ restitui sive procuratorem habuerit sive minus. *l. sed etsi. 26. §. fin. vers. sæpissimè sup. h. t.* id cum moderamine accipiendum, quando puta contra procuratorem mandati actio est inanis, quòd scilicet is vel omnem diligentiam quam debuit, adhi-
3. bait, vel necessaria ex causa procuratio finita sit. Denique † & restitutio locum habet omnimodo si procurator sit defunctus vel ex causa impeditus negotium absentis rectè procurare. *l. nec non. 28. sup. eod.* Adde quæ ponimus suprà *in d. l. 26. §. 1. eod.*

Ad l. si qua. 40.

Vide quæ posita suprà *in l. 10. & l. sed etsi. 26. §. 1. eod.*

Ad l. si quis stipulatus. 43.

Vide quæ ponimus suprà *in l. ab hostibus. 15. §. fin. eod.*

DE ALIENATIONE IVDICII MVTANDI CAVSA FACTA.

TIT. VII.

l. 1.

Allegata est infrà in l. 4.

Ad. l. 3.

§. opus. SI is cui novum opus nunciatum est, locum vendiderit, emptorque novum opus fecerit, cum neutro ex novi operis nunciatoris potest agi. Neque enim huic novum opus nunciatum

ciatum est, neque venditor novum opus fecit. *ut hic.* Nec mutat l. ult. infrà. De Novi. Op. Nunc. ubi ea actio rei nomine datur in emptorem, id enim tantum eatenus verum est, ut novum opus patiatur tolli. *DD. ibidem. Pac. Cent. 3. Enant. q. 12.* Impensarum verò nomine adversus emptorem actio est; eoque ad eas repetendas ex hoc edicto, per restitutionem prætoris adversus venditorem agendum est in factum, *ut hic in §. ex quibus.*

§. Final.) Obstat l. sin autem. 27. §. sed & is. & qui petitorio. 36. in princ. De Rei Vind. Solutionem, vide ibidem.

Ad l. 4.

QVod hic dicitur, re usucapta ab eo cui illam possessor alienavit ut eo modo ipse conveniri non possit, locum habere hoc edictum: intellige de re non furtivâ, nec simili vitio affectâ. *§. furtiva. Inst. de Usucap.* Nec ad rem facit quòd quæque ferè res judicij mutandi causâ alienata, dolosè contrectari videtur. *l. 1. sup. eod.* quia in usucapione jure civili saltem satis est, eam ab initio bona fide fuisse possessam. *l. 15. §. fin. De Usucap. l. pen. pro Emp.* Sed quia hoc jure Canonico mutatum est, ita ut omni possessionis tempore bona fides requiratur. *c. ult. de Præs. c possessor. de Reg. Iur. in 6.* probabilius dicimus, rem saltem mobilem dolo malo judicij alienandi causâ cessam, si ea revera alterius sit, non usucapi. *eodem jure.* At verò usucapio biennio, triennio, & ita deinceps perficitur. *Inst. & C. de Usucap.* quando igitur hoc judicium annale est. *l. vel post. 6. inf. h. t.* evenit nec post rem usucaptam id ipsum superesse. Sed præsupponendus est casus quo res diutiùs ab alienatore fuit possessa, ut intra anni spatium ab emptore usucapio sit completa. Continuatur enim eo modo possessio bonâ fide incepta.

Ius Canon. in hac re diversum, & quomodo.

l. Vel post annum. 6.

ALlegata in ijs est quæ posuimus proximè *ad l. 4.* Annum autem hic, ut in plerisque restitutionibus, cum Martino utilem, non continuum intelligimus.

Ad l. cum miles. 11.

ACtor in quem judicij mutandi causa facta alienatio est, exceptione dilatoriâ repelli potest, adeò ut si vel ipse vel author eius rem prosequi ulterius velit, is agere compellatur qui rem vel actionem cessit. *tex. hic.* At cur ita, cùm cedendo jus suum in potentiore,

 tiore,

magisque est appellari non posse. *l. non distinguemus. 32. §. cum quidam. inf. eod. l. 1. C. eod.* Si tamen evidens gratia aut iniquitas arbitri apparuerit, petitioni pœnæ in conventionem compromissi deductæ opponitur exceptio doli. *dd. legibus*. Sed propter eandem causam, si enormis læsio sit, reductio ad arbitrium boni viri recepta est. Quod quidem omni dubio caret si fiat intra decennium. *l. per pen. C. eod.* Sed & postea si de evidenti gratia aut iniquitate judicis constet, idem admittimus. *l. 32. §. cum quidam. inf. eod.* Eius verò postulandæ tempus metimur ex edicto de Rest. major. *vide nostra. in d. §. cum quidam inf.* Malè proinde Fachinæus ex Immola annotat, à sententia arbitri reductionem non peti. *Fach. lib. 8. Controu. c. 94.* Namque id nec interpretibus probatum nec moribus receptum est. Quamdiu verò reductio pronunciationis postulare queat ab arbitratore factæ, id infrà explicamus. *in l. 76. Pro hoc.* Sed quæ læ-
sio enormis † sit & gratiam aut iniquitatem judicis arguat, id totū 4.
in facto consistit, & arbitrio judicis relinquendum est. *Panorm. in c. quintavallis. num. 33. in fine. De Iurejur. Gail. II. Obs. 154. num. 11.* Malo tamen more eadem in nonnullis Belgicæ curijs facili & plerumque sine altiori causæ cognitione conceditur, quod optandum foret quandoque emendari, cùm ex ea consuetudine lites serantur
litibus. Ad quem verò judicem reductionis cognitio pertineat, † 5.
disputatum est, & nonnulli eam ad judicem causæ controversæ referunt ordinarium. *per l. 2, C. ubi & Ap. Quem & l. cum hi. §. transactiones. De Transac.* Quod moribus obtinet, cùm & ex generali jurisdictionis fundandæ regula actor sequatur forum rei. *Gail. 1. Obs. 149. Minsf. Cent. 2. Obs. 61. Rebuff. de Arb. Art. 1. gl. 10.* Nec ad rem facit quod alij eam ad judicem arbitri ipsius tanquam ad judicem superiorem referunt. *arg. l. non distinguemus. 32. §. cum quidam. inf. eod.* licet enim ibi reductio comparetur appellationi, non ta-
men ob hoc in appellationem propriam cadit. Quinimo † & ex cō- 6.
stitutione Iustiniani etiam ex pacto compromissi, si sententia arbitri utrimque sit subscripta, vel lapsu decendij sine contradictione firmata, actori actio & reo exceptio datur, instar judicati. *d. l. pen. C. eod.* Sed hoc casu à sententia arbitri appellare Bartolus autumat. *Bart. in l. 2 inf. eod.* Contrarium tamen & interpretibus & moribus receptum ait. *per tex & DD. in d. l. non distinguemus. §. cum quidam. inf. h. t. l. 1. C. eod.* Id enim quia non invenitur mutatum, quare aliter statuamus nulla ratio facit. *Bal. Salic. Angel. in d. l. 1. Mar. par. 2. distinc. ult. nu. 259. eleganter Dominus Bronch. Cent. 1. Enant. c. 62.* Neque verò ad rē facit l. ab arbit. 9. De Satis. quia ibi arbiter accipitur pro judice partiū consensu dato *ut & in l. ex consensu. de App.* Hæc ita, si non temere cōpromissi partes in appellationē cōsenserint.

Nam

Nam cùm conventiones aliàs, tum vel maximè in proposito contractui legem dant, *d.l.non distinguemus. §.de officio.inf.eod.* Quem-
7. admodum † & si judex super reductione pronunciaverit, etiamnum appellari posse magis dicimus. Quod licet Bartolus vix probare visus est. *in l.1.num.18.De Legat.2. Innocen. 1.c.præsenti. De Rescrip. Abbas in c.quintavallis.num.40.De Iurejur.* Fatendum tamen est super reductione proprium exerceri judicium, quid ni igitur à sententia eius litis queat appellari? & verò si appellari à judice potest consensu partium electo, vt jure cautum est. *d.l.ex consensu*, quid ni etiam de re contra invitum finitâ. Nec ad rem facit quod aiunt, ad judicem eum deveniri tanquam ad virum bonum: quia regulare est id quod officio judicis creditur ei tanquam viro bono commissum censeri. *l. fideicommissarij quanquam. De Leg.3. l.si libertus. De Op.Lib.l.vir bonus.Iud.solvi.cum sim.* Recepta est igitur Baldi sententia, quòd & in proposito judex officio suo fungatur tanquam judex, & idcirco propriam sententiam pronunciet. *Bal. Castr. Immola in d.l.1. De Leg.2. Covar. lib.2. Var. Resol. c.12. num.4. & 5. Gail.1.Obs.149.num.4. Fachin. lib.8. Controu.c.96.* Sed in Hollandia, Zelandia, Frisia, hæc res ad provincialem curiam pertinet, ut
8. & ceteræ restitutiones in integrum ex edicto de Rest. majo. Ne tamen † per hoc litigatores ansam arripiant causam protelandi, consultum est judicibus, ut reductionis causæ eiusmodi summario judicio finiantur, quod ferè in curia Hollandiæ, Zelandiæ, & Frisiæ observatur. Idemque & alibi memini receptum.

Consuetudo Hollandiæ laudabilis.

Ad l. 2.

1. *Quis olim compromissi fuerit effectus. & 4.*
2. *Quis hodie.*
3. *Iuramento an compromittere liceat.*
5. *An olim arbiter sententiam ferre coactus sit sine pœna, interposita stipulatione.*
6. *Quid si sub pœna sit compromissum, & post reductionem pars una queratur se injustè gravatam an teneatur ad pœnam.*

1. OLim † ex compromisso non aliter actio erat, quàm si adjecta esset pœna, sed nec dabatur exceptio. *tex. hic.* Id tamen accipe de exceptione rei vindicatæ, certum enim est post sententiam arbitri ex promisso exceptionem esse, *l.inter litigatores.§. interdum. inf. eod. Accurs. & Odofr. hic,* si puta reus obtinuerit, ut exceptione fruatur

fruatur tanquam ex pacto, *l. pen. princip. C. eod.* Sed utrimque sententia effectum habere potest, si pactum compromissum ipsâ vi pœnale sit. Verbi gratiâ litigatores mutui inter se debitores sunt, & conveniunt, ut qui non paruerit sententiæ non petat quod sibi debetur. *d. §. interdum.* quod si ita non sit, ab una parte exceptio non suffecerit in hoc ut arbiter sententiam dicere cogatur. *l. 13. §. idem Pomponius. inf. eod.* Hodie verò effectum habet sententia si subscripta † aut decem dierum silentio sit confirmata. *d. l. pen. §. altera. C. eod.* Sed olim juramento compromittere † licuit. *d. §. altera.* quod tamen postea ita correctum est, ut juramento compromittere non liceret: *Novell. 82. c. quia verò. 11.* Iure tamen Canonico si compromisso juramentũ sit adjunctum, servari id oportet. *c. 2. & c. 9. & ibi Abb. ex eod.* Quod admittendum est, nisi qua lege aut consuetudine provinciali contrarium sit receptum, ut in Hispania nullæ conventiones juramento stabiliuntur. *Vide quæ nos in l. 1. inf. De Iureiur.* Planè tametsi † ex sententia arbitri per stipulationem electi olim actio non erat. *d. l. pen. C. h. t.* si tamen singulari pacto sententiæ standum convenisset, in id quod interest ex stipulatu agebatur. *l. diem. 27. §. fin. inf. eod. convenit. c. per tuas. ex eod.* Quid † ergo, An hoc casu arbiter sententiam ferre cogatur: non videtur, quia ad hoc haudaliter astrictus censetur quàm si pœna sit adjecta. *d. l. 32. § 1. inf. eod.* Atque ita vetus glossographus Petrus sensit. Magis tamẽ est id quod interest hîc succedere loco pœnæ, quod Iohanni visum fuit: neque enim hîc refert certa an incerta summa sit promissa. *l. nõ autem. 28. inf. eod.* incerta verò summa ipsa re censenda est, cum id quod fieri convenerat non præstatur, *l. si quis ab alio. De Re Iud.* Illud † quæsitum est, compromisso sub pœna facto, & reductione ad arbitrium boni viri ab altera parte postulata, quæ ipsa injustè succumbat, an pœnam solvere teneatur: Quod quidem Bartolo & plerisque visum est, *Bart. in l. qui Romæ. §. duo fratres. in 1. oppos. De Verb. Obl. Cum. Salic. & alii quos allegat Jas. ibidem. num. 15.* & in judicando sequendũ. Pœna enim ea non tam ex sententia quàm ex conuentione procedit. *per tex. in d. §. duo fratres.* Nec ad rem facit quod in specie eius textus non manifestè constat sententiam fuisse injustam: nam etiam tum cum sententia de re principali justa non est, de accessorio officium judicis impertiendum est. *l. ex diverso. §. 1. De Rei Vind.* Sunt tamen & alia argumenta in hanc sententiã ab aliis prolata, sed quæ rem rectè examinanti minùs ad rem pertinere parebunt. Ego in proposito satis esse puto pœnam ex stipulatione deberi, quæ commissa est quàm primùm promissor censetur contra compromissum venire. Nonnulli tamen diversum senserunt. *Aret. & Angel. in d. §. duo fratres.* Movet eos, quod justa causa

2.
3.
Ius Canon. diversum.
4.
5.

Ad l. sciendum. 18. et l. 19.

QVi ex hoc edicto restituuntur ad damnum quidem, non tamen ad lucrum restituuntur *ut l. 1. §. fin. sup.* Sed ita temperandum est, si lucrum istud tendat ad damnum tertij. *per hunc text.* aliàs enim quin etiam ad lucrum restituantur sibi interceptum, nulla dubitatio est. *l. & sive. 27. inf. eod. inf.* Plura de restitutione lucri posuimus suprà *in l. ait prætori. §. hodie. de Minorib.*

Ad l. item ait. 21. et l. 22.

Vers. NAM SI FUIT PROCURATOR.) Hic textus notatur in eo quod contra procuratorem absentis judicium initium habere potest, quodque procurator absentis etiam ab initio potest citari. *ut not.* Bal. *fac. l. 3.* De *Adim. Leg. l. eum qui.* C. *de Procur.* Sed & administrator sine mandato citari potest, defendere tamen ita demum videbitur, si & judicium suscipiat, & judicatum solvi satisdet. *per hunc text.* Defensor verò comparere non tenetur, nisi vel generali citetur edicto, vel speciali. *not. Bal. & Bolog. hic.* Itaque si dominus ipse absens citetur, hoc defensorem non ligat. Quanquam illud expeditum maneat, si defensor non caveat, eum non audiendum, & consequenter absentem haberi pro indefenso. Rogari tamen aut citari super ea re propinquos ac amicos oportet, an eum defendere velint, qui si id non acceptent, testatione accipiendum est eos id negare, ut ita restitutioni sit locus. *per. l. 22. hic.*

Ad l. sed et si 26.

1. *Relegatus an & quando per absentiam læsus restituatur.*
2. *Procuratore damnato quatenus absens restituatur.*
3. *In caussis arduis an quis procuratorem mittere cogatur.*

1 §. 1.) COntra bannitum † ac relegatum restitutio est, at ipsi relegato restitutio vix aliter datur quàm ex caussa, *tex & DD. hic.* Ponamus eum domi procuratorem relinquere non potuisse, utique restituendus est. *ut hic. & l. 40. §. 1. inf. eod.* qui non restituetur si procuratorem mittere potuerit. *l. Papinianus. 10. in princ. De Min.* Planè † si procurator eius qui ex justa caussa abfuit, sit con-
2 demnatus, dominus eatenus restituitur ut appellare queat. *l. ult. sup. De Rest. in Int.* sed ulterius non restituatur. *l. 15. qui. 39. inf. eod.* *ubi*

ubi vide quæ hac de re tractemus latius. Denique & rectè 1 dicimus in causis arduis neminem absentem facilè cogendum invitum procuratorem mittere. *c.2. ex procur.* Ceterùm quando causa & occasio defendendi talis sit ut relegatus procuratorem domi relinquere potuerit vel debuerit, an minus, id omne in facto consistit, & æquo judicis arbitrio finiendum est. *arg. text. in l. non enim. 16. sup. h. t.* 1.

1. An ob ignorantiam restitutio contra præscriptionem danda. & num. 2.

3. Capitali crimine damnatus an per matrimonium cum meretrice liberetur, item quid si per restim ceciderit, aut exsecutionem miraculosè declinarit.

§.Final. ET GENERALITER QVOTIESCUNQVE QVIS EX NECESSITATE NON EX VOLUNTATE ABFVIT, DICI OPORTET, EI SUBVENIENDUM. &c.) Sed quæsitum est, an ex generali clausula, *Si qua mihi justa*: ob probabilem 1 ignorantiam contra longi vel longissimi temporis præscriptionem, restitutio danda sit, quod multis visum est. *Maur. in tract. Rest. c. 57. 58. 59. & alij.* Contrarium tamen verius est. Sunt enim inventa præscriptionum jura, ne dominia rerum in incerto essent, & ut quisque moveatur summâ solertiâ rem suam curare. *Inst. de Usucap.* quæ si prætextu ignorantiæ queant infringi, iam definitiones earundem magna ex parte vacuæ fient. Neque enim qui scit rem suam ab alio possessam, suâ eam voluntate alteri relinquet, eoque & præscriptiones plerasque probabilius dicimus contra ignorantes inductas. *l. ult. verb. nullâ scientiâ C. de Præscrip. Longi Temp.* Cui accedit quod is qui præscripsit plenissimâ minutione dicitur securus. *l. omnes. C. de 30. An. Præs.* At verò vel maximum eius rei argumentum est, quòd olim etiam biennio conclusa fuit, rerum Italicarum præscriptio, quam quidem temporis angustiam imperator correxit, de cetero tamen nihil excepit. *l. un. C. de Usucap. Transfor.* Scio equidem his responsum esse, convinci argumentis ijs præscriptionem etiam contra ignorantes esse, sed restitutionis beneficium non tolli: at hoc parum probabile est, cùm nulla lege cautum sit, ignorantiam restituendi majoris esse causam. Neque verò ad rem facit generalis huius edicti clausula, quia ea non obtinet in ijs quæ contra rationem juris introducuntur, sed illis modò speciebus quæ variè ex facto accidunt. *Wesenb. in Comm. huius tit. num. 10. Covarruu. in c. possessor malæ fidei. par. 2. §. 3 Fachin. lib. 1. Controu. c. 69. Pinel. in Auth. nisi C. de Bon. Matern.* Planè 2 tametsi is qui lucri sui causa abest regulariter 1.

Ii hec

2.

Ad l. cum miles. 30.

QVod hîc dicitur possessio defuncti continuari in hæredem, intellige non de possessionis actu sed usucapione, effectum nimirum pro causa per metonimiam. An verò possessio in hæredem transeat, id alibi explicamus. *vide quæ ponimus ad l. in suis*, De *Lib. & Post. Hær.*

Ad l. si is cuius. 31.

1. *Qui post restitut. possessionem rei nactus est, quam actionem in posterum habeat.*
2. *Quam exceptionem.*
3. *Rescissoria actio & Restitutoria quamdiu durent. & n. 4.*

SI is cuius † rem reipublicæ causa absens usucepit, possessionem nactus sit restitutione jam impetratâ, eamque postea amiserit, non temporalem actionem habet intra tempus restitutione redditum, sed è diverso, perpetuam. *tex. hic.* Subintellige restitutionem quidem concessam, sed actionem rescissoriam necdum fuisse institutam. Neque enim si læsus possessionem nactus sit, ulterius ad rem repetendam opus actione habet, quia per recuperationem possessionis actio rescissoria finita est. *per hunc tex.* Vnde & post id † tempus exemplo actionis rescissoriæ exceptionem habet. *l. nec non. § pen. sup. eod.* Non quidem temporalem sed perpetuam. Perinde nimirum, ut si in posterum possessio amittatur, non actio hæc quæ temporalis est. *§. rursus. Inst. de Act. junc. l. in honorariis. De Obl. & Act.* sed perpetua datur. *ut hic.* Ceterùm quia † temporalis actionis meminimus, videamus restitutoria actio & rescissoria quamdiu durent. Ego ita sentio, Restitutionis remedium hodie durare quadriennium. *l. ult.* C. *de Temp. in Int. Rest.* Rescissoriam verò actionem, id est ex hoc edicto jam nunc restitutam ultra annum non extendi. *l. in honorariis. 35. De Obl. & Act. d. §. rursus. ibique* DD. *de Inst.* qui annus à die restitutionis impetratæ continuus est. *ut rectè Bart. not. in l. fin.* C. *Ex Quib. Caus. Mai.* Hoc tamen † temperandũ, non ut ex quacunque restitutione in posterum agendi facultas sit annalis, sed ita, ut si longiùs tempus absentiæ fuerit quæ restitutione dedit causam, id anno finiatur. Nam si anno brevius sit, non diutius experiri licebit quàm intra tempus læso restitutum. *l. sed & si 26. §. si feriæ. sup. eod. l. ult. sup. de Min. fac. d. l. 3. De Rest. Mil & l. pen.* C. *Quib. Non ob longi temp. præs.* Potest tamen utrumque judicium semel exerceri, quo casu utrique finiendo quadriennium datum est. *d. l. ult.* C. *de Temp. in Int. Rest.*

l. Reipublicæ. 36.

Relata est suprà *ad l. 26. §. fin. eod.*

Ad l. is qui. 39.

1. *Qui reipublicæ causâ absens procuratorem domi reliquit an restituatur. & num.* 3.

2. *Explicatur 26. §. fin. vers. sæpissimè sup. eod.*

1. QVi reipublicæ † causâ absens procuratorem domi reliquit, si restitui velit non auditur. *tex. hic.* præterquam ad appellandum.
2. *l. ult. suprà. De in Int. Rest.* Quod igitur † alibi relatum est, absentem reipublicæ causâ restitui sive procuratorem habuerit sive minùs. *l. sed etsi. 26. §. fin. vers. sæpissimè sup. h. t.* id cum moderamine accipiendum, quando puta contra procuratorem mandati actio est inanis, quòd scilicet is vel omnem diligentiam quam debuit, adhi-
3. buit, vel necessaria ex causa procuratio finita sit. Denique † & restitutio locum habet omnimodo si procurator sit defunctus vel ex causa impeditus negotium absentis rectè procurare. *l. nec non. 28. sup. eod.* Adde quæ ponimus suprà *in d. l. 26. §. 1. eod.*

Ad l. si qua. 40.

Vide quæ posita suprà *in l. 10. & l. sed etsi. 26. §. 1. eod.*

Ad l. si quis stipulatus. 43.

Vide quæ ponimus suprà *in l. ab hostibus. 15. §. fin. eod.*

DE ALIENATIONE IVDICII MVTANDI CAVSA FACTA.

TIT. VII.

l. 1.

Allegata est infrà in l. 4.

Ad. l. 3.

§. opus. SI is cui novum opus nunciatum est, locum vendiderit, emptorque novum opus fecerit, cum neutro ex novi operis nunciatoris potest agi. Neque enim huic novum opus nunciatum

ciatum est, neque venditor novum opus fecit. *ut hic*. Nec mutat l. ult. infrà. De Novi. Op. Nunc. ubi ea actio rei nomine datur in emptorem, id enim tantum eatenus verum est, ut novum opus patiatur tolli. *DD. ibidem. Pac. Cent. 3. Enant. q. 12.* Impensarum verò nomine adversus emptorem actio est; eoque ad eas repetendas ex hoc edicto, per restitutionem prætoris adversus venditorem agendum est in factum, *ut hic in §. ex quibus.*

§. Final.) Obstat l. sin autem. 27. §. sed & is. & qui petitorio. 36. in princ. De Rei Vind. Solutionem, vide ibidem.

Ad l. 4.

QVod hic dicitur, re usucapta ab eo cui illam possessor alienavit ut eo modo ipse conveniri non possit, locum habere hoc edictum: intellige de re non furtivâ, nec simili vitio affectâ. *§. furtivæ. Inst. de Vsucap.* Nec ad rem facit quòd quæque ferè res judicij mutandi causâ alienata, dolosè contrectari videtur. *l. 1. sup. eod.* quia in usucapione jure civili saltem satis est, eam ab initio bona fide fuisse possessam. *l. 15. §. fin.* De *Vsucap. l. pen. pro Emp.* Sed quia hoc jure Canonico mutatum est, ita ut omni possessionis tempore bona fides requiratur. *c. ult. de Præs. c. possessor. de Reg. Iur. in 6.* probabilius dicimus, rem saltem mobilem dolo malo judicij alienandi causâ cessam, si ea revera alterius sit, non usucapi. *eodem jure*. At verò usucapio biennio, triennio, & ita deinceps perficitur. *Inst. & C. de Vsucap.* quando igitur hoc judicium annale est. *l. vel post. 6. inf. h. t.* evenit nec post rem usucaptam id ipsum superesse. Sed præsupponendus est casus quo res diutiùs ab alienatore fuit possessa, ut intra anni spatium ab emptore usucapio sit completa. Continuatur enim eo modo possessio bonâ fide incepta.

Ius Canon. in hac re diversum, & quomodo.

l. Vel post annum. 6.

ALlegata in ijs est quæ posuimus proximè *ad l. 4.* Annum autem hic, ut in plerisque restitutionibus, cum Martino utilem, non continuum intelligimus.

Ad l. cum miles. 11.

ACtor in quem judicij mutandi causa facta alienatio est, exceptione dilatoriâ repelli potest, adeò ut si vel ipse vel author eius rem prosequi ulterius velit, is agere compellatur qui rem vel actionem cessit. *tex. hic.* At cur ita, cùm cedendo jus suum in potentiore,

magisque est appellari non posse. *l. non distinguemus. 32. §. cum quidam. inf. eod. l. 1. C. eod.* Si tamen evidens gratia aut iniquitas arbitri apparuerit, petitioni pœnæ in conventionem compromissi deductæ opponitur exceptio doli. *dd. legibus*. Sed propter eandem causam, si enormis læsio sit, reductio ad arbitrium boni viri recepta est. Quod quidem omni dubio caret si fiat intra decennium. *l. per pen. C. eod.* Sed & postea si de evidenti gratia aut iniquitate judicis constet, idem admittimus. *l. 32. §. cum quidam. inf. eod.* Eius verò postulandæ tempus metimur ex edicto de Rest. major. *vide nostra. in d. §. cum quidam inf.* Malè proinde Fachinæus ex Immola annotat, à sententia arbitri reductionem non peti. *Fach. lib. 8. Controv. c. 94.* Namque id nec interpretibus probatum nec moribus receptum est. Quamdiu verò reductio pronunciationis postulare queat ab arbitratore factæ, id infrà explicamus. *in l. 76. Pro hoc.* Sed quæ læsio enormis † sit & gratiam aut iniquitatem judicis arguat, id totũ in facto consistit, & arbitrio judicis relinquendum est. *Panorm. in c. quintavallis. num. 33. in fine. De Jurejur. Gail. 11. Obs. 154. num. 11.* Malo tamen more eadem in nonnullis Belgicæ curijs facili & plerumque sine altiori causæ cognitione conceditur, quod optandum foret quandoque emendari, cùm ex ea consuetudine lites serantur litibus. Ad quem verò judicem reductionis cognitio pertineat, † 5 disputatum est, & nonnulli eam ad judicem causæ controversæ referunt ordinarium. *per l. 2, C. ubi & Ap. Quem & l. cum hi. §. transactiones. De Transac.* Quod moribus obtinet, cùm & ex generali jurisdictionis fundandæ regula actor sequatur forum rei. *Gail. 1. Obs. 149. Mins. Cent. 2. Obs. 61. Rebuff. de Arb. Art. 1. gl. 10.* Nec ad rem facit quod alij eam ad judicem arbitri ipsius tanquam ad judicem superiorem referunt. *arg. l. non distinguemus. 32. §. cum quidam. inf. eod.* licet enim ibi reductio comparetur appellationi, non tamen ob hoc in appellationem propriam cadit. Quinimo † & ex cō- 6 stitutione Iustiniani etiam ex pacto compromissi, si sententia arbitri utrimque sit subscripta, vel lapsu decendij sine contradictione firmata, actori actio & reo exceptio datur, instar judicati. *d. l. pen. C. eod.* Sed hoc casu à sententia arbitri appellare Bartolus autumat. *Bart. in l. 2 inf. eod.* Contrarium tamen & interpretibus & moribus receptum ait. *per tex. & DD. in d. l. non distinguemus. §. cum quidam. inf. h. t. l. 1. C. eod.* Id enim quia non invenitur mutatum, quare aliter statuamus nulla ratio facit. *Bal. Salic. Angel. in d. l. 1. Mar. part. 2. distinc. ult. nu. 259. eleganter Dominus Bronch. Cent. 1. Enant. c. 62.* Neque verò ad rē facit l. ab arbit. 9. De Satif. quia ibi arbiter accipitur pro judice partiũ consensu dato. *ut & in l. ex consensu. de App.* Hæc ita, si non temere cōpromissi partes in appellationē cōsenserint.

Nam

fruatur tanquam ex pacto, *l. pen. princip. C. eod.* Sed utrimque sententia effectum habere potest, si pactum compromissum ipsa vi pœnale sit. Verbi gratia litigatores mutui inter se debitores sunt, & conveniunt, ut qui non paruerit sententiæ non petat quod sibi debetur. *d. §. interdum.* quod si ita non sit, ab una parte exceptio non sufficerit in hoc ut arbiter sententiam dicere cogatur. *l. 13. §. idem Pomponius. inf. eod.* Hodie verò effectum habet sententia si subscripta † aut decem dierum silentio sit confirmata. *d. l. pen. §. altera. C. eod.* Sed olim juramento compromittere † licuit. *d. §. altera.* quod tamen postea ita correctum est, ut juramento compromittere non liceret. *Novell. 82. c. quia verò. 11.* Iure tamen Canonico si compromisso juramentũ sit adjunctum, servari id oportet. *c. 2. & c. 9. & ibi Abb. ex eod.* Quod admittendum est, nisi qua lege aut consuetudine provinciali contrarium sit receptum, ut in Hispania nullæ conventiones juramento stabiliuntur. *Vide quæ nos in l. 1. inf. De Iureiur.* Planè tametsi † ex sententia arbitri per stipulationem electi olim actio non erat. *d. l. pen. C. h. t.* si tamen singulari pacto sententiæ standum convenisset, in id quod interest ex stipulatu agebatur. *l. diem. 27. §. fin. inf. eod. convenit. c. per tuas. ex eod.* Quid † ergo, An hoc casu arbiter sententiam ferre cogatur? non videtur, quia ad hoc haud aliter astrictus censetur quàm si pœna sit adjecta. *d. l. 32. § 1. inf. eod.* Atque ita vetus glossographus Petrus sensit. Magis tamẽ est id quod interest hîc succedere loco pœnæ, quod Iohanni visum fuit: neque enim hîc refert certa an incerta summa sit promissa. *l. nõ autem. 28. inf. eod.* incerta verò summa ipsa re censenda est, cum id quod fieri convenerat non præstatur, *l. si quis ab alio. De Re Iud.* Illud † quæsitum est, compromisso sub pœna facto, & reductione ad arbitrium boni viri ab altera parte postulata, quæ ipsa injustè succumbat, an pœnam solvere teneatur: Quod quidem Bartolo & plerisque visum est, *Bart. in l. qui Romæ. §. duo fratres. in 1. oppos. De Verb. Obl. Cum, Salic. & alii quos allegat Jas. ibidem. num. 15.* & in judicando sequendũ. Pœna enim ea non tam ex sententia quàm ex conventione procedit. *per tex. in d. §. duo fratres.* Nec ad rem facit quod in specie eius textus non manifestè constat sententiam fuisse injustam: nam etiam tum cum sententia de re principali justa non est, de accessorio officium judicis impertiendum est. *l. ex diverso. §. 1. De Rei Vind.* Sunt tamen & alia argumenta in hanc sententiã ab aliis prolata, sed quæ rem rectè examinanti minùs ad rem pertinere parebunt. Ego in proposito satis esse puto pœnam ex stipulatione deberi, quæ commissa est quàm primùm promissor censetur contra compromissum venire. Nonnulli tamen diversum senserunt. *Aret. & Angel. in d. §. duo fratres.* Movet eos, quod justa causa

Marginalia (right margin, in order): 2. — 3. — *Ius Canon. diversum.* — 4. — 5.

excusat à dolo. *l. igitur. §. potest. De Lib. Causa.* & expensis. *l. quisolidum § etiam. de Leg. 2.* ergo & à compromissi pœna *arg. l. de rebus. inf. h. t.* Sed responsum est, ejusmodi causam in judicio quo pœna petitur, allegari non posse, cùm res ea judicio jam sit terminata. *Iaf. in d. duo fratres. num.* 19. Maximè cùm id quod inter easdem partes semel in uno judicio cognitum est, in alio nequeat retractari. *l. quod in diem. §. 1. De Compens. latè Fach. lib. 10. Controu. c. 93.*

Ad l. sed si servum. 9.

§. SI quis judex.) Iudex ordinarius eius rei quæ in controversiam deducta est, compromissum suscipere nequit. *tex. hic.* Nec mutat l. 1. §. & post. De Op. Novi. Nunc. quia is non de compromisso, sed proprio judicio accipitur. Planè Iure Canonico & Consuetudine huius seculi receptum est contrarium, cùm in ipsos judices decisiones litium compromittantur quotidie. *gl. in c. ex tempore. & c. ex parte. ex. eod. Bl. tract. de Arb. q. 2. per tot.*

Ius Canon. contrariū.

l. 11.

§. Interdum.) Relatus in ijs quæ ponimus suprà *ad l. 2. eod.*

l. Pomponius. 13.

§. Penult.) Relatus in ijs est quæ ponimus infrà *ad l. 36. eod.*

Ad l. Item si unus. 17.

§. ITem si plures.) Plures qui arbitrium receperunt, uno aut altero absente, sententiam non rectè pronunciant *tex. hic.* Quod non ita est in decretis ordinis municipalis, aut corporis cujusque alterius, vide quæ posuimus suprà *ad l. nulli. Quod Cuius. Vn. Nom.* Sed si arbitri omnes præsentes sint plura suffragia vincunt, etiamsi aliqui dissentiant. *c. 1. ex. eod.* Quinimo amplius Iure Canonico major pars arbitrorum etiam alterâ parte absente sententiam ferre queunt, modò omnes citati sint. *tex. & gl. in c. ult. de Ar. in 6.* Quod obtinuit & finiendis litibus benignius est.

Ius Canon. & consuetu. diversa.

Ad

Ad l. Celsus. 23.

QVi ab arbitro intra certam diem solvere aliquid vel præstare damnatus est, etiamsi transactâ die solutionem offerat, nihilominus tenetur ad pœnam. Quod si debitum accipiatur, pœnam creditor petere non potest, sed doli exceptione removetur. *ut hic.* Perinde & aliàs quando dies ac pœna pariter in obligatione sunt, non admittitur purgatio moræ. *l. magnam.* C. *de Contr. stip. l. 2.* C. *de Iure Emph. l. traiectitia. de Obl. & Act.* Quod tamen in stipulationibus prætorijs non tam strictum est. *vide l. sancimus.* C. *de Fidejuss. & l. & si post tres.* *Si Quis Caut. Ind. sist.*

l. diem. 27.

§. SI quis litigatorum.) Refertur in ijs quæ ponimus infrà *in l. 39. eod. tit.*

§. Finalis.) Relatus est suprà *in iis quæ ponimus ad l. 2.*

l. Non autem. 28.

REIata est suprà in ijs quæ ponimus ad *l. 2.*

§. Cum quidam.) Relatus est in ijs quæ suprà, *ad l. 1. eod.*

Ad l. non distinguemus. 32.

§. 1.) AN compromisso sine pœna facto cogi nequeat arbiter ad sententiam ferendam, dixi suprà, *ad l. 2. eod.*

§. Si mulier.) Femina pro alio compromittere nequit, quia id intercessionem saperet, *ut hic.* Sed neque compromissum ipsæ mulieres suscipiunt, quia officium hoc virile est. *l. ult.* C *eod. l. femina. De Reg. Iur. & ibi Dec.* Quod tamen cum moderamine accipiendum, nisi permissu Principis munus publicum sustineat, quod moribus huius seculi usu venit quoties ipsa principatum vel dominationem beneficiariam vel jure suo vel tutelæ nomine liberorum, administrat. Eo igitur casu & arbitri munus commodè sustinebit. Idque & Iure Canonico constitutum est. *c. dilecti ex. eod.*

Mulier quo modo ex moribus huius seculi compromissum suscipiat.

§. Cum quidam.) An à sententia arbitri appellari queat pluribus suprà tractamus *in l. 1. eod.* Illud constat ex hoc textu, si manifesta iniquitas judicantis apparuerit, exceptionem doli mali pœnæ postulationi opponi posse. Et igitur si pœna adposita non sit, sed aliàs sententia ex partium approbatione, *iuxta formam l. pen.* C. *eod.* effe-

ctum habuerit, quod causâ malevolentiæ & iniquæ pronunciationis postea demum apparuerit, benignè admissum est, restitutionem in integrum postulari posse ex clausula, *Vel si qua alia mihi justa*. De *Rest. Maior.* idque hîc Costalius. *ex Bal. in l. vexates. Quando Prov. Non est Nec.* annotat, & usu obtinuit. Sed eam nec nunc solerti causæ cognitione dandam putarim, licet ordinarius processus vix in hac re sit usitatus. Rectè verò, & litium breviandarum causa appositè.

Ad l. si duo. 34.

COmpromissum unius ex correis credendi aut debendi alteri nocet vel prodest ita demùm si socij sint, aliàs non item. *tex. hic.* Nec mutat l. si unus. 27. in princ. De Pact. ubi relatum est sociū socio pacto nocere non posse, quia hoc verum est in pacto simplici: nam socius si pacto remittat causam communem malè versatur in communi re, non perinde compromittendo. *Connan. lib. 6. Com. 6. 5. num. 13.*

Ad l. si feriatis. 36.

SEntentia arbitri cogente prætore die feriatâ data non subsistit, nisi aliud convenerit. *tex. hic.* Quinimo si partes non contradicant, etiam non cogente prætore, diebus feriatis sententia lata valet. Quemadmodum sæpe vidi terminos compromissorum diebus etiam feriatis servari. Atque id moribus receptum est, quanquam difficiliùs à Prætore cogendus sit arbiter alijs diebus quàm cogeretur judex, sententiam ferre. *l. Pomponius. 13. §. pen. sup.* & si cogatur de facto, magis sit sententiam nullam esse. *per hunc text.*

Ad l. non omnibus. 39.

1. *An arbiter punire contumaciam possit. & 3.*
2. *Conciliatur l. 2. inf. De Iudic.*

1 QVod † hic dicitur arbitrum contumaciam partis punire pecuniâ posse, dubio non careret. Concessum enim id est solis magistratibus & quidem majoribus. *l. 1. princ. Si Quis Ius Dic. Non Obtemp.* Et verò quia id ibi negatur magistratibus municipalibus, arbitris negatum censetur multò magis. Sed ibi agitur de puniendis ijs qui quod extremum in jurisdictione est, non faciunt, quippe

quos

ques coërcere solis ijs concessum est qui imperium habent, hic verò agitur de simplici pecuniaria pœna. At obstare † gravius videtur, *l. 2. §. fin. De Iudic.* ubi solis ijs multæ dicendæ jus datur qui publicè judicium habent. Sed respondemus, Arbitrum quidem condemnare posse in pecuniam quam partes in pœnam contumaciæ sunt stipulati, ut hic, sed ea multæ nomine non venit. *l. aliud. 131. De Verb. Signif.* Denique † si nihil de pœna contumaciæ convenerit, & alteruter litigantium emaneat contumax, nec sententia pronunciari potest, & si pronuntietur, (nisi id actum sit ut absente quoque parte sententia proferri queat) ipso jure non subsistit. Absens tamen in pœnam incidit compromisso contentam, quia per ipsum effectum est quò minùs arbitretur. *l. diem. §. si quis litigatorum. sup. cod.* 2. 1.

Ad l. Arbiter. 43.

EX hoc textu constat, ne quidem Fisco uti tertio pœnam ex privatorum conventione deberi. Nec mutat l. 1. in fine princ. inf. De Iure Fisci, quia ea procedit cum ex contractu aliquo privatorum illicito pœna Fisco obvenit. Quin tamen Fisco per tertium quæri possit, quoties per tertium quæritur privato, nulla dubitatio est. *Bart. in l. non aliter. Rem. Pup. Salu. Fore. gl. in c. quanquam. De Vs. in 6.*

Ad l. in compromissis. 43.

AN reductio ad arbitrium boni viri in arbitrijs locum habeat, posuimus suprà in l. 1. *& l. non distinguemus. 32. §. cum quidam. cod. & in l. 76. Pro Soc.*

NAVTÆ, CAVPONES, STABVLARII, VT RECEPTA RESTITVANT.

TIT. IX.

Ad l. 1. in fine, l. 2 & l. 3. in princip.

QVod hìc dicitur, nautam vectorum, cauponem viatorum factum præstare, ei repugnat l. licet. *6 §.* in factum. inf. cod. sed ea procedit in actione furti adversus Nautas, Caup. Stabul. conve-

nit l. an. §. pen. inf. Furti. Advers. Naut. hic verò textus in actione recepti honoraria, Differunt enim actiones eæ, quod ea de qua hoc titulo agitur procedat quasi ex maleficio, at illa ex delicto. *Bart. in Rubr. istius tituli, Vide Wesenb. in Comm. hic.* Atque ita respondi Coloniæ Agrippinæ studiorum causâ degens de facto in judicio contradictorio consultus, cùm per vim clandestinam viatores quid ex caupona rapuissent. Anno 1597.



Pars

Pars II.

LIBER QVINTVS.

DE IVDICIIS ET VBI QVISQVE AGERE VEL CONVENIRI debeat.

TIT. I.

Ad Rubricam.



IVDICII significatio varia est, modò enim censuram, modò publicam causarum disceptationem, modò actionem; rursus locum ubi lites peraguntur, denique etiam consessum judicis & assessorem designat. Sed hoc titulo præsertim tractatur, ubi & apud quem, quo ordine causæ disceptari debeant. Vnde judicium hic & pro foro competenti, & legitimâ causarum disceptatione ponitur. Differt igitur titulus iste ab eo qui suprà positus est, de Iurisdictione, quia illo agitur de officio ac potestate, quam solent antiquitus in jure dicundo exercere magistratus. Licet nonnulla etiam ibidem de foro competenti admisceantur. *ut in l. si convenerit. 18. item l. pen. & ult. eodem illo titulo.*

Ad l. 1. & princ. l. 2.

1. *Consensus partium quatenus jurisdictionem fundet, vel minus. & 2.*

3. *Consuetudines quæ jurisdictiones præter jus commune receptæ.*

4. *In loco contractus aut solutionis quatenus quis forum sortiatur*

sortiatur vel minùs. & num. 5. 6.

7. *Consuetudo arrestorum unde.*

8. *Quatenus accipienda.*

9. *Absentes Reipublicæ causâ revocandi domum ius habent.*

10. *Actio in rem ubi exercenda.*

11. *In mutuis petitionibus idem, & ratione continentiæ quomodo quis jurisdict. sortiatur. & num. 12.*

13. *Ratione delicti etiam forum sortimur.*

14. *Clericus & studiosus quatenus forum sortiantur ratione privilegij. & 15. 16. 17. 18. & 19.*

20. *In causis arduis Germaniæ, & feudis principalibus quis jurisdictionem habeat.*

1. QVi † jurisdictioni præest, si quæ partes alterius fori in eum consentiant, inter easdem jurisdictionem sortitur. *tex. hic.* Consentire verò ita intelliguntur, si sciant unà & ipsius jurisdictionem non esse. *l. 2. hic.* aliàs enim per errorem adire & consequenter nihil agere censentur. *l. si per errorem. 15. sup. De jurisdict. ubi dixi.* Hoc ta-
2. men ita, nisi in solo nomine sit erratum. *l. antepen. inf. eod.* Quod † si in eum consentiatur qui jurisdictioni nulli præest, privatorum consensus jurisdictionem non tribuit. *l. 3. C. de Iurisdict. Om. Iud. l. pen. inf. h. t.* Hoc † ita nisi more aut consuetudine contrarium ad-
3. missum sit. *arg. l. cum prætor. 12. §. 1. inf. eod.* Quâ ratione hodie Consuetudine Europæ ferè Generali Dominus feudorum inter omnes vasallos de controversijs beneficiorum ex conventione eorum mutuâ jurisdictionem & curiam nactus est. Eodemque modo & jurisdictiones ecclesiasticæ primùm sunt introductæ. Prorsus ut hodie in Gelria, diœcesi Vltrajectinâ & Transisulana Belgicæ provincijs, moribus obtinuit ut Locator qui jure emphyteuseos fundos ac prædia emphyteutica alijs concessit, inter emphyteutas judicium exerceat, quemadmodum id exercet dominus inter homines beneficiarios. Videamus quibus præterea modis forum sortiamur.

Iudicia diversa moribus introducta.

4. Principio igitur † illud constat, actionem quamque personalem ibi instituendam ubi domicilium habet reus, etiamsi pro tempore ibi non degit. *l. 2. §. legatis inf. hic. l. 2. C. de Iurisd. Om. Iud.* Sed † &
5. ubi quisque solvere promisit rectè convenitur. Quemadmodum & conveniri quis potest ubi contraxit, modò vel tabernam ibi habeat, vel expositas teneat merces. *l. heres. 19. §. 1. cum l. seq. inf. eod.* Temperandum enim hoc ita foret, ut si quis advena forte quippiam emat à mercatore statim recessurus, eo casu reus, nisi aliud convenerit,

nerit, loco domicilij sit quærendus. *d. l. 19. §. 2. l. exigere. 65. inf. eod.* Sed hoc † jure novissimo mutatum est, ita ut ubicunque quis contraxit, ibi & indistinctè queat conveniri. *Novel. 69. c. 1.* Indeque † recepta consuetudine hujus seculi passim in Belgico arresta ea sunt, quibus in personalibus vel debitores ipsi, vel bona eorum præcluduntur ne discedere loco queant, quin priùs satisfecerint postulationi arrestantis. Consuetudo † tamen ea privilegia fori, & justas exceptiones dilatorias non excludit. Planè quod diximus eos qui certo loco solvere promiserunt ibidem forum sortiri, id ita accipimus ut nisi solvant ibi, sed in mora sint, nihilominus in loco domicilij conveniantur rectè. *d. l. 19. §. fin. inf. & tot. tit. De Eo Quod Certo Lo. vide quæ nos in l. 1. eod. isto tit. & in l. si convenerit. sup. De Iurisdic.* Ceterùm † absentes reipublicæ causâ revocandi domum jus habent, *l. 1. §. legatis. inf. hic. ubi vide quæ nos latè.* Denique & actio in rem ibi exercenda est, ubi res est, *tit. C. ubi in Rem Ag. fac. l. quod legatur. 38. inf. h. t. l. si res. 10. inf. De Rei Vind.* quanquam & ubi quis domicilium habet, etsi res alibi sita esset, conveniri posset. *l. 3. & ibi gl. d. tit. C. ubi in Rem.* Eâdem † verò ratione qua actio in rem exercenda est ubi ea sita est, legatum quoque petendum ibi est, ubi sita est major hæreditatis pars. *l. si fideicommissum. 50. inf. eod.* nisi vel certum legatum sit (quippe quod ibi postulandum est ubi id ipsum est. *d. l. 38. inf.*) vel testator id expressè aut verosimiliter alibi solvi voluerit. *l. si fideicommissum. 50. inf. eod.* Sed & † forum sortimur ratione continentiæ & affinitatis causarum, pone plures debitores ejusdem rei uni judici esse subjectos, æquum est de ea agi coram judice omnium communi. *tot. tit. De Quib. Reb. Ad Eundem. Iud. Eat. l. nulli. C. de Iud. Gail. 1. Ob. 32. Minsi. Cent. 1. Obs. 110.* Idemque † est in mutuis petitionibus; nimirum ut qui coram aliquo judice convenitur, coram alio reconventionem non instituat. *l. qui non cogitur. 22. inf. eod. vbi vide quæ hac de re ponimus latiùs.* Atque eodem pertinet quod cautum, ut venditor emptorem in loco quo convenitur ad evictionem defendere teneatur. *l. venditor. inf. eod.* Similiter † & ratione delicti convenitur delinquens ubicunque invenitur. *l. 1. C. ubi de Crim. Ag.* Hoc tamen moribus hodiernis ferè ita temperatum est, ut si notorium sit, delictum perpetratum non esse dolo malo, non statim apprehendatur, sed instar actionis civilis ob id conveniatur sub præstatione sufficientis cautelæ. Sed in loco delicti convenitur omnimodo. Demum † & ratione privilegij quis forum sortitur, quâ ratione studiosus solummodo apud Rectorem universitatis (qui moribus Germaniæ jurisdictionem habet) conveniri potest, *not. ad Auth. habita. C. Ne Fil. Pro Patr.* & clericus tantum ad forum ecclesiasticum trahitur. *Auth. statuimus. C. de*

Margin: 6. 7. *Consuetudo arrestorum.* 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

15. *Epis. & Cl. Clar. lib. 5. Pr. Quæst. 35. 36. & 37.* Non † tamen indistinctè à laicorum jurisdictione clerici exempti sunt, sed hoc cum moderamine quodam accipiendum est, ut dicemus paulò post. Illud quæsitum est, An non consensu saltem libero clericus submittere se foro civili possit, quod non videtur admissum. *vide quæ nos in l. si convenerit. 15. sup. De Jurisdict.* licet Iure Civili contrarium foret *l. si quis in conscribendo. C. de Pact.* Illud † receptum est, clericum in foro seculari conveniri per reconventionem posse. *per tex. in d. l. qui non cogitur. inf. eod. Bart. in Auth. & consequenter. num. 19. C. de Sent. & Interlo.* itemque in causa possessionis. *Minf. Cent. 2. Ob. 67. cum multis ibidem allegatis. fa. Maran. in Speculo. par. 4. distinc. 6.* Ac tametsi id de reconventione in dubium vocat Cinus. *in d. Auth. statuimus. Panor. in c. at si clerici. ex h. t.* rationi tamen cōveniens est, cùm propter continentiam causarum ex qua reconventiones pleræque redundant, tum gratiâ litium finiendarum. *gl. & Abb. in c. clericum. 10. q. 1. Felin. latè in c. at si clerici. num. 8. cum seqq. de Iud.* Perinde dicimus † clericum venditorem ad defensionem emptoris teneri in judicio quo idem emptor convenitur, idque etiam privilegio fori non obstante. *l. venditor. 49. inf. eod. ubi Costal. & DD. Gail. 1. Obs. 37. num. 6. Minf. 1. Obs. 21. num. 7.* Qui † tamen amplius ibidem clericum ipsum rei nomine coram judice laico conveniri censet, & hoc in Camera judicatum perhibet, quoniam videlicet in hujusmodi litibus non tam personarum quàm rerum ratio habetur. *per l. fin. C. ubi in rem Actio. arg. l. 1. §. si alter fundus. Fin. reg. fac. & l. qui aliena. §. fin. De Neg. gest.* Nōnulli tamen aliter sentiunt. *per d. Auth. statuimus. & Auth si clericus. C. de Episc. & Cler. vide allegatos apud Minf. d. c. 21.* Sed quæstio decisu facilis est. Aut enim res in controversiam ducenda est spiritualis seu ecclesiastica, & clericus forum laicum declinabit, aut non ecclesiastica, & forum civile agnoscere cogetur. Et hoc ita distinctè moribus obtinet. Cujus rei argumentum est, quod clericus etiam ratione feudi coram ejusdem domino ex moribus respondere tenetur. *c. si diligenti. §. fin. de Foro Comp. Guido Pap. decis. 139. Archid. in c. 1. de conjug. in 6. qui fatetur hanc sententiam inter laicos moribus servari.* Singula verò hæc licet disputandi causâ à Canonistis passim in dubio trahantur, tamen ita moribus servantur, *ut hic annotamus*. præcipuè in Gallia & Germania, *Boër. decis. 69. Costal. in l. venditor. inf. cod. Minsing. d. lo. Gail. d. 1. Ob. 37. per tot.* Denique † & instantia à laico defuncto, incepta à clerico hærede continuanda est, *Costal. in l. 19. inf. eod. Comm. dicit Soar. in thes. Recep. Sent. lit. C. num. 104.* quod ita receptum esse contra Marantam perhibent, 19. *Viv. lib. 2. Op. 48. Soar. d. lo. Gail. d. lo. num. 8.* Absurdus enim judex foret

Margin notes: *Iure Canon.* 16. 17. 18. *Consuetudo Galliæ & Germaniæ communis.*

foret qui laicum non tam venientem ex persona sua quàm defuncti ab instantia absolveret. Præterquam enim quod expeditum est, hæredem succedere in jus defuncti, exceptio declinatoria post litem contestatam nequit admitti. Denique & illud ex Moribus hîc annotandum, Quæstiones inter Principes & civitates imperij motas coram judicio Cameræ peragi. *Ord. Cam. par. 2. 3. 4. 5.* Sed de Feudis imperij principalibus quæ ab imperio immediatè tenentur, solus Princeps vel Rex Romanorum cognoscit, *Ord. Cam. tit. 7. Gail & Minsing. insignes Consuetudinum Germanicarum observatores locis diversis* De litibus verò ipsi Imperatori motis cognoscit Princeps Palatinus, idque ex privilegio Caroli Quarti. *Aur. Bulla, tit. de Priv. Com. Pal.* *Consuetudo Germaniæ.*

Ad l. 2.

1. *Legati & testimonij dicendi causâ evocati, revocandi domum jus habent.*
2. *Quatenus id ita sit.*
3. *De dolo actio in loco legationis peragenda.*

§. Legatis.) Legati & † testimonij dicendi causâ evocati, etiam ob debitum ante legationem contractum conventi, revocandi domum jus habent *tex. hic.* Sed hoc † ita ut lapsus diei interim non noceat actori, *ut hic in §. penult.* sed nec de contractu facto tempore legationis, si conventi sint, domum revocabunt. *ut hic in §. omnes autem.* Cetera ad hanc rem pertinentia tractamus infrà, *in l. 8. eod. h. t.* Occasio tamen interdum postulat, ut lis in loco legationis contestetur, ne actio exspiret, *l. sed etsi, 28. §. sed etsi inf. eod.* Quoties autem † id cum causæ cognitione admissum est, toties de dolo actio si competat, ibidem ad finem peragenda est, quia ejus judicij contra absentem restitutio non est, intraque biennium tam finienda est, quàm instituenda. *l. ult. C de Dolo. gl. in d. l. 28. §. sed etsi* Denique etsi legatus in loco legationis hæreditatem adierit, non quidem convenitur ob hoc, legatarijs tamen cavendum est, *l. de eo. 56. inf. eod.* Tenetur etiam legatus ædium nomine damni infecti promittere. *d. l. 58. §. 3. inf. eod.* 1. 2. 3.

§. fin.) His mulctæ dicendæ jus est qui publicè judicium habent, & non alijs, nisi quibus id specialiter sit permissum. *tex. hic.* Ergo &

judices dati(licet non tam jurisdictionem habent, quàm notionem, *l.5. De Sent. & Re Iud.*) quia publicè, id est ex publica authoritate, judicium exercent mulctam dicere poterunt, *l.pen. C. de Sport.* Quod tamen priùs ex mandatis principum ad solos magistratus pertinuit. *l.aliud.131.§.fin. De Verb.sign.* Procurator verò Cæsaris mulctam dicere non potest, *l.2.C.de Modo Mul.* quia is nec publicè judex est, sed tantum cognoscit inter fiscum & privatos. Sed nec defensores civitatis olim dicendæ mulctæ jus habebant. *l.1. & l.5.C.de Defens.Civit.* Hoc verò hodie mutatum moribus est, adeò ut etiam oppidorum & pagorum judices minimi multare queant; puta pro modo jurisdictionis cuique permisse, *arg.l.2.Si Quis Jus. Dic.Non Obtemp.* Denique nec ad rem facit quod suprà de arbitris responsum est, arbitrum punire contumaciam pecuniâ posse, *l.non omnibus.39. supra de Arbitr.* quia id intelligitur de pecunia quam partes in pœnam contumaciæ stipulati sunt, *dixi in d.l.39.latè.*

Consuetudo hodierna de mulctis.

Ad l. 3.

EX hoc textu arguitur eum qui declinatoriam exceptionem habet non posse damnari tanquam contumacem, *fac.l. extra territorium. De Jurisdict. ubi dixi.* Idemque est, si contra non præsentem judicium prætor daret. *per hunc text.*

Ad l. nulla 4.

1. *An inter parentes & liberos judicium consistat.*
2. *Quid in adventitiis.*
3. *Iure Canonico an quid in hac re sit mutatum.*

1. NVlla † nobis lis esse potest cum ijs quos in potestate habemus, præterquam ex peculio castrensi, vel quasi castrensi, *tex.hic. & l.actionis.7.inf. de Obl. & Act.* Id jure veteri regulare fuit, & paucis in casibus exceptum.
2. Probabiliùs † verò jure novo in adventitijs, quorum ususfructus quæritur patri, idem quod in castrensibus admissum dicimus. *Bart. hic. & in vulg.l. frater à fratre. De Con. Indeb.* Quod & nostris moribus sequendum Castrensis putat, & magis est. *Castr.hic.* dominium enim eorum penes filium est. Ac nisi eo jure utamur, pater re fructuariâ abuti pro arbitrio poterit, contra quam jure cautum est. *tit. C. de Bon. Quæ Lib. & de Bon. Matern.*
3. Sunt etiam † qui jure Canonico in actionibus patriam potestatem non considerari putant, *gl.ult.in c.ult.de Jud.in 6. Castr. hic.*

hic per c. quaeritur. caus. 2. *q.* 7. quod tamen ijs locis non convincitur. Ceterùm moribus hodiernis eius rei consideratio non valde necessaria est, quia patria potestas hoc tempore exigui momenti est. *vide quae posuimus in diversis legib. suprà. De Statu Hom.* nam plerisque in locis quacunque de causa peculiari liberi contra parentes agere queunt. Quod tamen cum moderamine accipiendum, ut humiliter & liberali cum modestia fiat. *d. c. quaeritur.* 2. *q.* 7. DD. *in l.* 11. De Dolo.

Ad l. 5.

1. Ex alieno territorio vocatus an & quatenus citatus comparere teneatur & num. 3.

2. Conciliatur l. ult. de jurisdict.

4. An judex de injuria sibi illata cognitionem habeat.

5. Clericus in foro civili deprehensus an & quatenus remittendus vel minùs.

SI quis † ex aliena jurisdictione vocetur, venire debet, & praetor cognoscere an vocatus respondere teneatur vel minùs. *tex. hic. & l.* 2. *sup. Si quis in jus voc. non eat.* Nec † mutat l. ult sup. De Iurisdict. quia ea procedit cùm constat apertè, vocatum non subesse jurisdictioni vocantis, haec verò lex procedit in dubio. Sunt † tamen diversi casus quibus forum alterius sequi non tenemur. Nā quoties de jurisdictione uti dominio quaeritur, jure forū etiam ab absente declinatur. *Pan. in c. ceterùm. col. ult. de Iud.* eâ enim ratione quis fieret judex in causa sua. *contra tit. C. Ne quis in caus. sua jud.* Quâ ratione nec dominus feudi cognoscere potest an sua jurisdictio sit, *gl. in c. un. de Inu. in mar. fac.* Ceterùm quod nonnulli voluêre, toties huius rei cognitionem non pertinere ad praetorem, quoties ex ea quid emolumenti ad eum redundat. *Bart. in l.* 2. *lect.* 1. *col.* 2. *Si quis in jus voc. non eat. gl. in l. de jure. inf. Ad Municip.* id nec jure probatum est, nec moribus Galliae aut Belgicae receptum. Quia pauci hodie judices sine mercede judicant, unde & in plerisque processibus emolumentum eorum vertitur. Bartoli tamen opinionem admittimus quoties causa ipsa quoquo modo judicem unà concernit. Sed & annotatum † est, judicem quemque injuriae sibi illatae cognitionem habere. *Bart. in l. absentem. §. fin. De Poen.* Quod ipsum quoque temperationem ex moribus admittit, ut ita demùm procedat, si injuria in ipso judicio sit commissa, vel magistratui uti personae publicae illata. Aliàs enim rectiùs contrarium dicimus.

Ll 3 Clericus.

Clericus verò in foro civili conventus vel à Iudice laico deprehensus, remittendus est ad forum ecclesiasticum, *Auth. statuimus. C de Episc. & Cler.* idque sine ulteriori cognitione an talis sit vel minùs. Excipiendi tamen casus sunt quos suprà rotuli. *in l. 1. eod.* Planè si deprehensus in habitu laico sit, judex quidem cognoscit utrum sit clericus, si tamen talis deprehendatur, ad judicem suum remittendus est. *c. judex laicus. ex. de Sent. Excomm.*

Ad l. si quis. 7.

VOcatus ad aliquod tribunal ob accedens privilegium jurisdictioni non eximitur. *tex. hic. fac. l. pen. suprà* De *Iurisdict. ubi dixi.*

Ad l. si quis in legatione. 8.

SVprà relatum est, legatos ratione obligationis ante legationem contractæ, revocandi domum jus habere. Quod non ita est in negotio eodem tempore contracto. *tex. ibid.* Cui additur hic, quod legati ex constituto tempore legationis facto de debito tamen antè contracto, ubi constituerint judicium pati non coguntur. *tex. hic.* Opponi solet l. eum qui. §. Iulianus. 1. De Const. Pec. sed ibi hoc à legato qui Romæ erat, ipso constituto actum erat ut Romæ tempore legationis solveretur, quod in proposita re vel maximè considerandum est. *l. 3. inf. de Legat.*

l. si à me. 11.

Pertinet ad posita suprà *in l. lis nulla. eod tit.*

Ad l. Cum Prætor. 12.

1. *Qui judicem dare queant remissivè. & num. 2.*
3. *Olim judicum album Romæ asservatum.*
4. *Qui judices esse non possint.*
5. *Mutus sensu an judicare potuerit.*
6. *Cæcus an judicandi munere fungi potuerit.*
7. *Hæreticus & infamis an judex esse queat.*
8. *An juris imperitus judex esse queat.*
9. *Iudex ordin. an recusari queat.*

Qui

QVi judicem † dare queant posuimus suprà *in l.1. De Jurisdict.* 1.
ubi & relatum est, olim magistratus ipsos non aliter de facto cognoscere solere quàm extra ordinem; hodie tamen contràesse. Iudicant nimirum magistratus ipsi hodie ordinariè, judiciaque etiam magistratuum summorum ordinaria dicuntur, nec delegatio aliter consueta est quàm casu necessitatis, *juxta l.2. C.de Ped.Iud.*
Quoties † verò delegare alios necessarium est toties id possunt magistratus ordinarij quicunque, uti duces, marchiones, comites, aulæ, curiæ & rotæ Regum, Principum & Populorum, Præsides itē & Satrapæ, singuli puta pro modo suæ jurisdictionis. Quæ igitur olim erat cognitio extraordinaria, eadem hodie est ordinaria. Porrò † solet antiquitus certum iudicum album servari, *Agell.14. Noct. Att. c. 2.* C*ic.Or.* 2. *pro Cluen.* ex quo iudices ad causarum cognitiones dabantur partibus ferè consentientibus. *l.ex consensu.de Appell.* nā si quis iudex esset in quem partes non consentirent, rectè recusabatur. *l.observandum.47. h. t.* Videamus † qui iudices esse nequeant. Eo in numero est in primis minor annis octodecim. maior quidem hac ætate, tametsi minor viginti sit, iudicat rectè, *l.quidam consulebat.57.De Re Iud.* cogi tamen à magistratu ad iudicandum ante annum vigesimum non potest. *l.cum lege.41.De Recep.Arb.* Nec mutat l.ad rempublicam. De Mun.& Hon. quia ea procedit in gravibus muneribus reipublicæ gerendæ. Minùs ad rem facit d. l. cum lege. quia ea agit de arbitro, cuius sententia majoris præjudicij est quòd non subjaceat appellationi. *Dominus Bronchorst. Cent. 1. Enant. c.65.* Iudicare † præterea apud Romanos non poterat motus senatu. *tex. hic.* eò quod illa dignitas ibi perpetua erat. Hoc igitur moribus non obtinet in illis rebuspublicis ubi Senatus vel annuus est, vel aliàs non perpetuus. Mutus, surdus, furiosus, ne hodie quidem judicant rectè. *tex. hic. & l. judex.46. inf. eod.* Cæcus † tamen judicandi officio fungi ita potest, si ei hoc vitium durante judiciali munere obvenerit, *l.cæcus.6.h.t.* ab initio enim cæcus in judicem eligi non potest. *arg.l.1.§.quamvis.De Postul. Rob.3.Sent.c.2.* Quod etsi Duarenus non probat, *lib.1 disp.c.2.* quia in d.l.cæcus de judice agitur, at in d. l.1. De Postul. de magistratu: tamen maior ratio est; quamobrem iudicem cæcum ab initio non recipiamus, quàm magistratum. Incumbit enim iudici cognitio facti, quā instrumentorum fides ac pondus etiam in momentis singularum literarū quandoque sunt expendenda; id verò non usquequaque requiritur in magistratu. Denique † nec hæreticum ad iudicandum idoneum esse volunt. DD. *in l.pen.arg.eius text. C.de Hær. & Manich.* uti nec infamem, *per text.in l.un. C. de infam.* quod quidem ita in hæreticis & infamibus ut jure ita moribus obtinuit. Postremò an † iuris imperitus

Margin notes: 2. 3. 4. 5. *Consuetudo huius seculi diversa.* 6. 7. 8.

ritus rectè iudex detur, quæsitum est: & magis est magistratu eum quidem fungi rectè (quia præses assessores habere cogitur peritos. *l.1.De Off. Assess.l.2.D.Quod Quisq.Iur.iunc.l.pen.C.eod.*) iudicis autem dati munere fungi minùs rectè. *Rob.3.Sent.c.3. Cuiac.in Nov.82.per eum tex.& lib.23.Obs.ult.* Quæ quidem distinctio vera est, si posteriora tempora & eiusdem Novellæ definitionem spectemus. Ceterùm ego sic statuo, Olim & iudices datos imperitos iuris esse potuisse. Nam cognitio iuris non iudicum sed magistratuum erat, qui ipsi ex consilio assessorum judicibus judicandi formulam præscribebant. Id verò mihi nec Cujacius nec quisquam Romanæ antiquitatis peritus negaverit. *vide quæ ponimus latè suprà in l.1. De Iurisdict.* Quemadmodum verò hodie in hac re agatur facilè ex moribus singularum regionum metimur. Illud constat, judicandi munere sine consilio prudentiorum imperitum literarum non rectè fungi, nec in benè constitutâ republicâ ei facilè munus tam arduũ committendum esse. Vnde statuto Transisulaniæ provisum est ne qui judices provinciæ sine consilio judicent jureconsultorum. Optimâ etiam ratione magistratus majores, quales sunt curiæ Regum, Principum, populorum, ferè ex jurisconsultis constat, & ceteri plerique jurisconsultos cõsiliarios habent. An † verò judex ordinarius recusari ut suspectus queat, quæsitum est, quod non videtur, quia adiungendus ei alius est, ut Novellâ 86. expressum est. Disputatur tamen id ab aliis, & nos quæstionem totam alibi tractamus. *lib.3.c.10.Subtil.* ubi vide. Illud hîc tantùm movebimus, moribus hodiernis regulariter iudicem suspectum recusari, vel alium eius loco à iud. maiore constitui.

Statutum Transisulanum laudandum.

9.

Consuetudo hodierna de suspecto iudice.

Ad l. si filiusfamilias. 15.

§. IVdex. 1.) Iudex ita veram litis æstimationem præstare cogetur, si dolo malo in fraudem legis sententiam dicat. *tex. hic.* & notam infamiæ ferè ex eadem causa subit. *l. eum quem. 79. in fine. inf. eod. fac. Auth. novo jure. cum l. seq. C. de Pœn. Iud. Qui malè jud.* Iure verò Canonico per annum suspenditur ab officio, & parti læsæ in æstimationem litis damnatur. *c. 1. de Sent. & Re Jud. in 6. c. intimasti. ubi gl. & not. de Appell.* Quod si non dolo sed culpa litem suam fecerit, non veram æstimationem, sed quantum iudex arbitrabitur præstabit. *l. ult. de Var. & Extr. Cogn.*

Ius Canon. diversum.

Ad

Ad l. 18.

§. 1.) Refer hunc textum ad ea quæ ponimus *in l. 13. inf. De Obl. & Act.* infrà.

Ad l. hæres. 19.

PRincipium huius legis pertinet ad ea quæ ponimus infrà *in l. ubi acceptum. eod. tit.*

§. 1. & fin.) Reliqua huius legis pertinent ad ea quæ ponimus *in l. 1. sup. eod.*

Ad l. si debitori. 21.

SI reus debitum fateatur & dilationem solvendi causa petat, auditur, ita ut ei tempus judicati indulgeatur sub debita cautione. *tex. & DD. hic.* Sed id de actionibus in personam accipimus. nam in realibus restitutio jussu judicis facienda est statim, nisi fortè in præsenti restituere nequeat. *vide §. & si in rem. Inst. de Off. Iud. & l. 68. de Rei Vind.*

Ad l. qui non cogitur. 22.

QVi agit alibi tanquam actor, etiamsi ipse ibi judicium accipere non cogeretur, tamen propter litem à se primò motam, per reconventionem denuo respondere tenetur. *ut hic. & l. 2. §. sed & si agant. suprà. eod. l. quoties. 3. C. h. t. l. si idem. §. 1. suprà. de Iurisdict.* Iure verò Canonico judex civilis de causa ecclesiastica cognoscere non posset. *c. tua. de Ord. cogn. c. causam. 4. & c. lator. Qui Fil. Sint Leg.* sed remittenda esset ad iudicem ecclesiasticum. *d. c. tua. & c. si judex laicus. de Sent. Excomm. in 6.* Quod & in praxi sequimur. *Mins. Cent. 1. Ob. 100. Rosbach lib. 3. diff. Iur. Civ. & Can. tit. 2. num. 7.* Alia quæstio est, An reconventio ex causa non feudali coram paribus institui queat, quod multi non putant, quia parium de solis causis feudalibus jurisdictio sit. *Schenk à Tautenb. in §. 1. tit. de Contr. Feud. ap. pares ter. Mins. Cent. 4. Obs. 90.* Contrarium glossæ visum est, *in d. §. 1. per hunc tex. & l. cum Papinianus. cum Auth. seq. C. de Sent. & Interlo. Om. Iud.* Nos distinguimus, utrum partes consenserint quo casu, quia causa prorogationis & reconventionis concurrit jurisdictio subsistit, an non consenserint, sed altera pars remitti postulet, quo casu si dominus judicet, sententia nulla erit. *Ius Canon. diversum in causa reconventionis.*

Ad l. non potest. 23.

1. *Quod post litem contestatam accidit in judicium venire non censetur.*

2. *Quomodo id accipiendum.*

3. *Conciliatur l. 9. §. fin. De Pign. Act.*

4. *Conciliatur l. 16. De Hær. Pet.*

1. NOn intelligitur † in judicium venisse quod post litem contestatam accidit, proinde nova interpellatione est opus. *tex. hic.* Hoc
2. † ita, si pro eo quod postulatur, tempore litis contestatæ omnino nequeat agi, posteaque ex nova causa supervenerit actori jus aliud. *l. non quemadmodum. inf. eod.* Recipit enim regula hæc temperationem, ut quod post rem semel rectè postulatam ex rei parte supervenerit, ab initio etiam in judicium censeatur venisse. *l. sin autem. 27. §. 1. de Rei Vind.* ut quod ipsa vi actione instituta cõtinetur, posteaque ante sententiam supervenerit, directò in litem venisse intelligatur, *l. 4. & l. 41. inf. de Pet. Hær. l. quæsitum. in princ. infrà. De Pecul. l. 1. §. non tantum. 20. Depos. l. ædiles. 25. §. item sciendum. de Ædil. Ed. l. si tertius §. officium. inf. de Aq. Pl. Arc.* Qua ratione & fructuum & redituum annuorum nomine qui post litem contestatam obvenerunt, nova instantiâ non est opus. Neque derogat huic
3. textui, l. si rem. 9. §. fin. inf. De Pign. Act. ubi debitor qui non rectè egerat pignoratitiâ quod pecuniam necdum solvisset, tamen si in judicio pecuniam offerat, pignus recipit: quia ibi rectè agere est stricto jure agere, oblatio enim pecuniæ in judicio facta eo casu ex benigna interpretatione idem operatur quod solutio. Non mutat
4. etiam l. quod si 16. De Hær. Pet. ubi an dies venerit inspiciendum dicitur tempore rei judicatæ: quia & ibi, minuendarum litium causâ, superveniente die ante sententiam, retrotrahitur dies. Et his jungenda sunt quæ ponimus infrà latè, *in l. in omnibus. 41. eod. tit.*

Ad l. si legationis. 25.

VIde quæ ponimus infrà *in l. 5. de Const. Pec.* ubi hæc quoque allegata est & explicata.

Ad l. sed etsi. 28.

§. Sed etsi.) Allegatus in ijs est quæ ponimus suprà, *ad l. 2. §. legatis. eod.*

§. 3.) Allegatus est ibidem.

Ad

Ad l. ubi acceptum. 30.

1. *Vbi judicium cæptum est ibi & ad finem ducendum est.*
2. *Qui per contumaciam victus est, alibi exceptionem litis-pendentia non habet.*
3. *Quando lis dicatur cæpta.*
4. *Quid si quidem quis ad rem respondeat, sed cum protestatione ne litem eâ re contestetur. & num. 5.*

VBi judicium † ceptum est, ibi & ad finem perduci debet. *tex. hic.* 1
Quod & in hæredibus ita est, ut nimirum ij quoque judicium ibi peragant ubi id cœpit defunctus, licet ipsi alibi degant. *l. heres. 19. & l. si is qui. 34. inf. eod.* Idemque & de clerico dicimus qui laico successit, *vide quæ ponimus suprà in l. 1. eod.* Is tamen qui alibi ob eandem causam vocatus per contumaciam † emansit, hac exceptione non utetur, ne nimirum quis sentiat beneficium ex culpa sua. *Costal. hic allegans Bart. in l. quamvis. 2. col. de Dam. Inf.* Atque ita ego respondi consultus à Satrapa Tuentiæ. Videamus† quando judicium dicatur acceptum, & quidem expeditum est, judicium accipi litis contestatione. Ea verò est prima causæ principalis disceptatio. *l. un. C. de Lit. Contest. Dominus God. ad. l. 36. num. 9. de Verb. Signif.* ab utraque parte vel per se vel per alium præsento facta. Quæ ferè fit propositione intentionis ab actore explicatæ, & responsione ad eam qualicunque rei. Et hæc fundamentum processus est, nec omitti vnquam potest, *DD. in d. l. un. C. de Lit. Cont.* In realibus tamen sola libelli seu intentionis explicatione res litigiosa censetur. *Auth. litigiosa. & ibi DD. C. de Litig. gl. in c. 1. verb. litigantibus. ut lite pend. in 6.* Et hoc jure Canonico generale censetur ut nimirum tam in personalibus quàm realibus per insinuationem citationis res litigiosa fiat. *Clem. 2. ut lite pend.* Ideoque eius juris intuitu judicium à citatione incipi putatur. *c. gratum. cum seq. de Off. deleg. c. quoniam contra. de Prob.* Sed quæsitum † est, An 4
is qui ad rem quidem respondit, sed cum protestatione, ne intelligeretur eâ re litem contestari; nec aliter responsum intelligatur, quàm si dilatoriæ non admittantur, an is litem intelligatur contestatus, quod Maranta non putat. *par. 6. dist. 10. in fine. Sichar. ad tit. C. eod. num. 6.* Gail contra, eò quod protestatio actui contraria nihil censeatur operari. *fac. l. in bello. §. facti. De Capt. & Postl. rev. Gail. lib. 1. Obs. 73. num. 6. & 7.* Sed admissa est

Minfingeri distinctio, quod aut excipiens dilatoriè, protestetur simplicius se litem non contestari narratione intentionis suæ ad causam principalem, quo casu super dilatoriâ jus administrandum est: aut verò proponat exceptiones dilatorias cum protestatione ut super causa principali non aliter litem contestetur quàm in eventum, quo casu protestatio non admittitur. *Minf. Cent. 3. Ob. 75. allegans*
5 *Socin & alios.* Illud † expeditum est, si priùs respondeat reus aut litem contestetur, & deinde demum protestetur se non respondisse animo litem contestandi, protestationem eam nihil operari. *l. sed etsi. 52. in princip. inf. eod.* quia dilatoriæ exceptiones necessariò ante litem contestam opponendæ sunt, *l. exceptionem. C. de Prob.* Atque ita ego aliàs obtinui exceptionem rejici. Planè quin id cuius in uno loco condemnatio facta est, in alio executio fieri queat, nulla dubitatio est. *l. argentarium: 45. §. 1. inf. eod.*

Ad l. si petitor. 31.

Vide quæ posui infrà, *in l. via. 17. de Servit.*

l. Si is qui. 34.

Allegata est infrà *in l. 37. eod.*

Ad l. non quemadmodum. 35.

Vide quæ ponimus suprà, *in l. non potest. eod. tit.*

Ad l. si de vi. 37.

1. *Priùs de possessione quàm proprietate quærendum esse.*
2. *An petitorium cum possessorio eodem judicio cumulari queat, & quomodo.*
3. *Petitorium cum interdicto retinedæ an cumuletur, & quomodo. num. 5.*
4. *Conciliatur l. ordinarij. C. de Rei Vind.*
6. *Quid si indistinctè facta cumulatio sit.*
7. *Quid si Princeps rescripto suo mandet utramque causam simul tractandam.*

1 SI de possessione † & proprietate simul quæratur, priùs de possessione, post de proprietate cognoscendum est. *tex. hic. & in l. ordinarij.*

nary.C. de Rei Vind. Et id quidem expeditum est. In eo subsistimus, An † eodem judicio petitorium & possessorium cumulari queat, quod in interdicto recuperandæ & adipiscendæ possessionis admittunt. arg. hujus tex. & d. l. ordinarij. gl. & DD. hic. communem dicit Castren. Sed an idem in interdicto retinendæ sit paulò magis controversum est à gl. hic. & in l. clam possidere. §. qui ad nundinas. De Acq. poss. Cyn. in d. l. ordinarij. C. de Rei Vind. DD. in l. naturaliter. § 1. de Acq. poss. & in l. officium. inf. de Rei Vind. Costal. hic. Menoch. rem. Ret. 3. q. 56. num. 511. Schneid. in §. retinendæ. num. 11. Inst. de Interdict. et profectò hæc res parum perspicuè à plerisque tractata est, ego sine recensione diversarum opinionum, eam ita explicabo, ut benigno lectori fatendum sit, nihil inesse ei difficultatis. 2.
Existimo † igitur, quandoque & cum interdicto retinenda rei vindicationem rectè cumulari; at ita demùm, cùm incertum est an actor possideat. Si enim certum sit actorem possidere, frustrà rei vindicatione experitur unà cum hoc interdicto; quia rei vindicatio tantùm parata est non possidenti. l. 1. §. interdictum. uti Poss. atque id ferè regulare est. Quando verò incertum est an possideat actor, uti possidetis & utrubi interdicta cum rei vindicatione cumulantur rectè. Idque usque adeo est, ut & priùs cœpto judicio in rem, post alterum retinendæ rectè proponatur. d. l. naturaliter. §. nihil commune. de Acq. Poss. Cujac. 7. Obs. 38. & lib. 25. Ob. 34. modò id ante conclusionem causæ in petitorio fiat. c. pastoralis. de causs. poss. & propr. Nec † mutat l. ordinarij. C. de Rei Vind. & l. incerti. C. de Interdict. quia ijs id tantum perhibetur, controversia proprietatis & possessionis simul motá priùs cognoscendum esse de possessione, eaque finitá de proprietate. Planè † illud omittendum non est, quoties interdictum retinendæ cum petitorio cumulatur, toties alternativè concludendum esse. Quando enim penè pugnantia sunt rem ab altero asserere & possessionem ejus sibi defendere, inepta conclusio foret quæ utrumque id cumularet per convectionem. Si tamen † indistinctè facta cumulatio sit, judex ex officio ut illud priùs disputetur, jubere potest. l. officium. de Rei Vind. Panorm. in c. 2. de caus. poss. & propr. Quid † ergo si Princeps rescripto suo utramque causam mandet simul tractandam, an rescriptum id effectum sortiatur, quæsitum est: Tomas Gram. non putat. consil. 84. quia rescriptum ejusmodi contra jus foret; per l. 3. C. de Interdic. & d. l. ordinarij C. de Rei Vind. quod genus placiti non subsistere constat. l. ult. C. si contra jus vel ut. publ. & l. rescripto. C. de Prec. Imp. Off. Contrarium tamen Alexandro visum est, lib. 5. consil. 54. & a quos refert Anton. Thesaur. decis. Pedem. 15. Movet eos quod Principis rescriptum toties subsistit, quoties non aufertur eo alteri jus suum;

3.

4.

5.

6.

7.

sed tantum conceditur temporalis exceptio, *l. quoties.* C. *de Prec. Imp. Offer.* Nos utramque sententiam admittimus, nimirum ut rescriptum Principis effectum habeat eâ lege ut ordo interim legitimus in cognoscendo observetur. Si verò constet Principis mentem eam esse ut pari cognitione res sopiatur, inspiciendum est utrum id ex urgenti causa fiat, an minùs, priori casu Alexandri sententiam probamus, posteriori ceterorum. *Qui verò de utraque hac quaestione plura requirit, videat Fachin. lib. 8.* Controv. *c. 6. & 7.*

Ad l. in omnibus. 41.

1. *In judicijs bonae fidei cautio exigi ante adventum diei potest.*

2. *An in strictis juris judiciis idem sit.*

3. *Num repromissione nudâ an verò fidejussoribus cavendum sit.*

4. *An debitum in diem ante diei cessionem peti possit.*

1. IN judicijs † bonae fidei ante diem solutionis rectè quis expetitur ad interponendam cautionem, & si justa postulationis causa subsit, sequitur condemnatio. *tex. hic. & l. inter. sup. de Satisd. l. 2. inf.*
2. *de Evict. l pro Socio. 38. Pro Soc.* An verò † idem etiam in stricti juris judicijs sit, videamus, Accursius dubitat. *gl. hic.* Plerique tamen & in illis idem esse putant. *Bart. hic. qui ita Doctoribus probatum perhibet. sequitur* Castr. *&* Costal. *hic.* quod magis est si arbitraria fiant. *per l. si pecuniam. §. item si quis dederit. in fine. inf. de* Condict. Caus. *datâ* Caus. *non sec.* Nec mutat hic textus qui nominatim meminit judiciorum bonae fidei: hoc enim in ijs ferè regulare est ob majorem judicis in his quàm stricti juris judicijs, potestaté, Si tamen ea arbitraria fiant, par judicis in utrisque potestas est. *not.* DD. *in §. praeterea.*
3. *Inst. de Act.* Ceterùm quod † Accursius autumat non fidejussoribus sed sola promissione cavẽdum. *gl. hic. & Cujac. 17. Ob. 37.* id alijs improbatum est, quia eâ cautione nihil amplius consequeremur quàm primâ obligatione. *Bart. &* Castr. *hic.* Nec mutat l. 2. princ. De Haer. vel Act. Vend. quia ea intelligitur si nondũ subsit justa causa. Denique & contrarium in ijs dicimus quae non tam iure actionis quàm officio iudicis exiguntur, ut sunt usurae ex mora, namque in his & similibus futuri temporis tractatus ad iudicem non pertinet. *l. 1. §. nec*

nec tamen. infrà.de Usur. nisi ipse judex ad actionem judicati sit datus. *ut in l. 1. C. de Sent. quae sive cert. quant.* Sed + & hoc textu expedita Doctorum controversia est, quâ alij contendunt, debitum in diem ante diei cessionem quoque peti posse, ita ut adveniente die solvatur, quia nata jam obligatio & actio sit, *idque evinci argumento l. quod si in diem. 16. De Her. Pet. Alc. in l. cedere diem. 213. de Verb. Sign.* Ita sensit Decius *in l. 1. num. 29. Si Cert. Pet. Bart. in l. si finita. §. eleganter. De Dam. Inf. Alex. & alij ibidem.* Alij contrà, *Cagnol. in l. in omnibus. num. 16. de Reg. Iur. & in l. lecta. num. 165. Si Cert. Pet. Alex. lib. 1. Consil. 95.* quia creditor plus tempore petiturus sit, *§. plus autem. Inst. de Act. c. 1. de Plus. Pet.* quòd vexari ea ratione reus ante tempus videatur, *argum. l. fin. de Usu & Hab.* Nos distinguimus, ut si ex moventi causa condemnatio postuletur, creditor audiendus sit *per d. l. 16. de Har. Pet. cum sim.* quod in exactione juris redituum usum perspicuum habet. Quemadmodum & judex datus ad cognoscendum de actione judicati, pronunciare potest ut usuræ pendantur, quoad pecunia condemnationis fuerit soluta. *l. 1. C. de Sent quae sine certa quant. prof.* sin verò id fiat sine urgenti causa contrarium dicimus, *per §. hodie. Inst. de Act.*

Ad l. argentarium. 45.

§. 1.) Vide quæ ponimus suprà, *in l. ubi acceptum. 30. sub fin. eod. tit.* ubi hæc quoque allegatur.

Ad l. pars literarum. 48.

Magistratus quamdiu cum imperio sunt, neque agere neque conveniri possunt. *tex. hic* quia nec in jus vocari queunt. *l. 2. suprà. de in Ius Voc.* Nec mutat l. quemadmodum. 29. §. magistratus infrà Ad L. Aq. quia ibi agitur de magistratibus minoribus. Quo sensu etiam accipiendæ sunt leges ejusdem sententiæ plures, *l. ut sunt. suprà Ex Quib. Caus. Maior. & l. jubemus.* C. *ad L. Iul. Rep.* Minusque ad rem facit l. 2. C. Ubi Sen. vel Clar. quia ea procedit in honoratis qui non funguntur magistratu. Hodie tamen, quia magistratus plerique, majores perpetui sunt, conveniuntur rectè. *Consuetudo hodierna de magistratibus conveniendis.*

Ad

Ad l. venditor. 49.

QVi pro alio intervenit defendendi ejus caussâ sequitur necessario forum rei conventi, nec excusatur ob privilegium sibi paratum. *tex. hic. in prin. convenit. l. 1. C. ubi in rem. Act.* Hoc tamen effectum dilatoriarum exceptionum, si quæ aliæ fortè competant emptori aut venditori, non tollit. Quinimo si natura actionis talis sit, ut eam ex statuto in foro venditoris institui oporteat necessariò, venditor pro emptore interveniens privilegio suo fruetur, verbi gratiâ, ponamus actorem in hæreditatis petitione ex statuto alligatum, ut forum sequatur sub quo defunctus est præcessor venditoris, & emptor in rem conveniatur hæreditatis petendæ caussâ, venditor pro emptore interveniens privilegio suo fruetur. Et id aliàs in praxi defendi & obtinui coram judicio Raeltensi.

§. 1.) Iudices à magistratu dati, durant etiam tempore successorum. *tex. hic.* Opponitur l. cum qui. §. 1. suprà. De Iurisdict. solvi ibidem.

Ad l. quamvis. 51.

QVæ ad hanc legem pertinent posuimus suprà *ad l. 18. in fine. De Iurisdict.* Vbi vide.

Ad l. sed etsi. 52.

QVi super actione fideicommissi litem contestatur, postea declinatoriâ fori non rectè utitur. *tex. hic.* Dilatoriæ enim regulariter in principio opponendæ sunt. *l. exceptionem. C. de Prob. vide quæ posuimus suprà in l. ubi acceptum, De Iudic.* Sed quemadmodum eum astringet sententia ab incompetenti judice dicta? intelligendus igitur est hæres in judicem consensisse. Neque enim qui exceptione aliqua uti potest (ut hoc casu hæres exceptionem haberet quod alibi major hæreditatis pars sita esset) propterea sententiam ab incompetenti judice pronunciatam dicet, quia præscriptionem fori per juris errorem omisisse censetur. Planè si in facto erraverit, idque constet manifestè, rectiùs dicimus judicem per errorem aditum cognitione suâ nihil agere. Idque aliàs memini judicatum cum super re emphyteuticâ coram judice feudali per errorem actum esset. Ceterùm & Iure Canonico singulatim admissum est, ut dilatoriam excommunicationis reus in quacunque litis parte opponere possit, *c. exceptionem. de Excep.* *Ius Canon. diversum.*

Ad

Ad l. per minorem. 54.

Vide quæ ponimus suprà *in l. 4. de Rest. in Int.*

Ad l. licet. 56.

QVæ ad hanc legem pertinent posita sunt suprà *in l. si procurator.* 28. *§. pen. & fin. de Procur.* ubi vide.

Ad l. judicium solvitur. 58.

IVdicium solvitur vetante eo qui jusserat judicare, vel etiam qui majus imperium in ea jurisdictione habet. *tex. hic.* Sed statuto Transisulaniæ ne Principes quidem imperio suo cursum justitiæ impedire queunt. Quod tametsi valde salubre sit, difficiliùs tamen in praxi recipitur. *Consuetudo Transisulana diversa.*

Ad l. non ab judice. 64.

IN actionibus personalibus doli æstimatio non ex eo quod revera interest, sed ex eo quod in litem juratur, fieri solet. nam & prædoni actiones commodati, depositi & similes competunt. *tex. hic.*

Ad l. si quis intentione. 66.

Libellus obscurus in favorem authoris eius interpretandus est. *tex. hic.* neque enim quis præsumitur nocere voluisse sibi ipsi. An autem & quatenus libellum mutare liceat posuimus suprà, *in l. 1. de Eden.* Ceterum quod hoc textu de libello dicitur, id etiam de libello exceptionis & aliis similibus, quibus utrimque partes intentiones suas exponunt, accipiendum est. *DD. hic.* In contractibus tamen non ita est. vide quæ ponimus suprà, *in l. veteribus. 39. De Pact.*

Ad l. & post edictum. 68. 69. 70. 71. 72.

1. *Citationes edictales in quibus casibus usitatæ sint.*
2. *Qui eas decernere queant. & num.* 3.
4. *Ubi affigenda.*
5. *Quando olim proponi consueta, Quando hodie,* 7. 9. 10.

6. *Earum effectus.*

8. *Termini dilationum exspectatorij, & peremptorij ex moribus nostris & Iure Canonico qui.*

TRactemus hoc loco de citatione edictali. De forma enim & requisitis citationum in genere, latiùs egimus suprà. *in l. 1. de In*
1. *Ius Voc.* Igitur extra territorium † judicis, à quo citatio impetra-
2. tur, frequentantur citationes edictales. Has † verò decernunt quidem magistratus, non tamen judices delegati, excepto interim delegato Principis. *Auth. qui semel. C. Quom. & Quan. Iud.* Planè
3. cui † mandata jurisdictio est, quia & is magistratus est. *vide posita in l. 1. suprà. de Iurisdict.* Perinde ut qui eam mandavit hoc citandi
4. modo utetur. *fac. l. 2. sup. de Iurisdict.* Edicta † verò ejusmodi affigenda sunt vel domui rei, vel ibi ubi ea verosimiliter ad notitiam
5. eius perventura sunt. *Gail. 1. Obs. 55. num. 3.* Ea olim † post litem ceptam ita proponebantur, ut absenti condiceretur decima dies, ac nisi comparuisset, ter singulis decem diebus. *ut hic in l. 68. & 69. junc. l. 2. & l. 3. C. Quom. & Quan. Ind.* Post quæ peremptorium proponebatur, quod aliquando tamen & solum proponi solet, tanto tempore dato quantum continerent reliqua tria. *l. 70. 71. 72. hic.*
6. Si non † compareret reus, lis pro deserta habebatur. *eleganter ut*
7. *pleraque Cujacius lib. 9. Obs. c. 22.* Hodie † idem obtinet latitante citando. *Clem. 1. de Iudic.* vel degente in loco non tuto, *Gail 1. Obs.*
8. *56. num. 7. & 8.* Ceterum † ad terminos dilationum quod attinet, expeditum est, & Iure Canonico & moribus huius seculi, eos omnino in arbitrio judicantis consistere, & in civilibus raro iterandos præterquam ex gravi causa. *l. oratione. 7. sup. De Fer.* Quod tam de dilationibus peremptorijs, quàm exspectatorijs, quas dicunt, intelligendum est. Denique † & si citandus sit vagabundus, aut contradictor incertus, item in materia legis Diffamari, eadem citandi
9. ratio consueta est. Planè † si citandus remotiùs habitet, & probabile
10. sit citationem ei non fuisse insinuatam, facilè restituitur ex clausula edicti; *Si qua mihi justa. vide quæ ponimus suprà. De restitut. in l. pen.* Vnde majoris cautelæ causâ hodie etiam per locos remotiores ad habitationem vocandi citationes edictales transmitti solent, ipsisque citandis per apparitorem insinuari.

Ius Canon. & consuetudo hodierna in dilationibus dandis quid permittant.

Ad l. & post edictum. 73.

1. *Quemadmodum procedatur contra non comparentem.*
2. *Conciliatur l. contumacia. De Re jud.*

3. Contra

3. *Contra emanentem actorem quomodo procederetur olim.*

4. *Quomodo hodie.*

5. *Quomodo ex moribus Galliæ & Transisulaniæ.*

6. *Quid si quis citetur ad judicem non suum.*

Lite contestata † si citatio decreta sit, absens adveniente die condictâ citatur, & sive veniat, sive minùs, causa disceptatur, & finitur, non utique secundùm præsentem, sed & absens si bonam causam habeat, vincet. *tex. hic in princ.* Non mutat † l. contumacia. De Re Iud. ubi definitur contumaciam absentis damno litus coërceri: quia hoc verum est eatenus ut nequeat appellare, itemque ut sumptus litis refundere cogatur etiamsi vincat. *tex. hic. in §. fin. & l. properandum. §. sin autem & §. sive autem.* C. *de Judic.* Hæc ita obtinent emanente reo. Si actor † ipse emaneat qui peremptorium impetravit, circumducitur edictum (edictum verò pro circumducto habetur, tribus juridicis effluxis. *Gail.* 1. *Ob.* 59. *num.* 1. quod omne tamen ex moribus singularum regionum metiri oportet) posteaque reus absolutionem ab observatione iudicii obtinet, nec actor denuo auditur sine nova citatione. Et antiquiori iure nihil amplius obtinebat. *tex. hic. in §.* 2. Hodie † tamen si ex actis quo modo de postulatione actoris constet, reus in contumaciam eius litem contestari potest, ita etiam ut actor lite contestata nullum habeat regressum. *l.* 13. §. 2. & *Auth. qui semel.* C. *Quom. & Quan. Iud.* Quod si ea feratur pro actore absente, nihilominus is in expensas damnatur. Si causa necdum eò perducta sit ut cognosci de ea possit, prætor absolutionem ab observatione iudicii decernit, & actor perinde condemnatur in expensas quas fecit reus præsens, nec denuo auditur, nisi sumptus hoc nomine factos refundat. *d. l. properandum. §.* 1. & *§.* & *si quidem.* C. *de Iudic. Novell.* 53. *c.* 1. Denique & Novellâ 112. & Novellâ Leonis. 108. reductum est ius antiquum, ut & lite nondum contestatâ, si pars tribus edictis evocata non compareat intra annum, contra absentem procedatur & absens condemnari possit. Quod & moribus Galliæ obtinet ut Boërius annotat, *Boër. Decis.* 63. *num.* 8. ea lege tamen ut is qui in contumaciam procedit, intentionem suam legitimè probet, *Boër. d. lo. num.* 9. Idemque in Hollandia, Zelandia, & Frisia servatur, *Dñs Merula familiaris meus, in Praxi Holl. Zel. Fr.* & statuto Transisulaniæ cautũ est, & observãdum respondi de facto consultus à prætore Ommensi in causa principis à Luneburch & Doctoris Sãdij Geltiæ consiliarij. Idemque Curia Hollandiæ judicavit in causa Ordinum

Consuetudo Galliæ.

Nn 2 Transi-

51 Transisulaniæ contra Comitem à Bentem. Quod † si tamen quis ad judicem non suum vocetur, non integrum annum sed decem tantùm dies citatum exspectari oportet. *d. Novell.53.c.1.*

Ad l. si prætor. 73.

1. Ad exsecutionem quæ remedia parata.

2. An judex datus ad cognoscendum de judicato, simul de viribus sententiæ cognoscere possit. & latiùs num.5.& 6.

3. Quid juris sit si sententia dicatur dolo vel falsis allegationibus obtenta aut aliàs nulla.

7. Iure Canonico in hac re quid cautum.

1. Quatenus id admittendum.

1. NOtum † est, ad exsecutionem judicati tam officium judicis paratum esse, quàm ipsam judicati actionem, *l. qui restituere. 68. de Rei Vind. l. miles. 9. fin. de Re Jud. Gail. 1. Ob. 113. num. 17.* Vnde
2. quæsitum est, An judex † datus ad cognoscendum de actione judicati, simul etiam de viribus sententiæ cognoscere possit? Iulianus definit non posse. *tex. hic* Et hoc igitur de exsecutore simplici, id est, eo judice qui ad exsequendum requisitus est, dici oportet multò
3. magis, *Costal. hic.* Planè si dicatur † dolo vel falsis allegationibus victoris, sententia contra absentem obtenta, benignè dicimus excipientem audiendum *ut hic in vers. Marcellus.* Idemque verum est quoties sententia dicitur ipso jure nulla. *l.4.§ si condemnatus. de Re Iud.* Hodie tamen causæ nullitatum quæ ex defectu processus redundant, non solent attendi modò de meritis causæ ex actis planè constet. Quod & in Camera observari ex Ordinatione imperij Gailius annotat. *lib. 1. Obs. 73. num. 4. 5. 6.* Denique & idem erit si proponatur causa excusans à contumacia, & restitutioni contra sententiam in absentem datam locum faciens. *ut hic in §. Paulus notat.* Quod enim via restitutionis obtinemus, idem & per exceptionem retinemus. *l. metum. 9. §. sed quod prætor ait. D. Quod Met. Causâ.* Ceterùm hoc ita, si dolus adversarij, nullitas causæ, vel absentiæ justa causa magna & notoria sit, vel sine omni exceptione probetur in continenti. Namque eo casu qui restitutionem habet re exclu-
4. sus non videtur. *l. nemo. 5. sup. de Rest.* Planè † si non magna sit & notoria, aut probetur plus manifestò in continenti, regulariter dicimus, facultatem impetrandæ restitutionis, contra juris ordinem non attendi, & consequenter effectum judicati non remorari, *per*

l. 4.

l.4.§.1. De Fid. Lib. Itaque respondi de facto consultus inter dominos à Rhede. Si verò restitutio jam re ipsa sit impetrata: idem operatur quod interposita appellatio. *per l. praesu.42. sup. de Minorib.* Alia quaestio est, An ipse judex ad cognoscendum de judicato datus vel exsecutor, de ijs quoque rebus cognoscat, de qua ita statuo, querelam eum quidem admissurum, sed cognitionem ipsam remittendam ad praetorem eúmve qui judicem dedit, *Castr. & Cost. hic.* Ratio est quia minor judex contra sententiam majoris non restituit. *l. minor. 18. in princ. De Minorib.* Existimo tamen in judicibus potestate paribus, si ad exsequendum requirantur, idem esse; quod usum habet quoties bona unius territorij discussa judicato non sufficiunt, ideoque judex iste alium requirit ut dein' reliquum eius sententiae exsequatur. Certum enim est, commissum vitium faciliùs deprehensum iri ab eo qui processus memoriam & perfectam notitiam habet, quàm altero cui id ex improviso demonstratur. Quod si aliter statuamus lites ex litibus provenient, ac morosi debitores semper ejusmodi effugia quaerent quibus exsecutionem impediant. Remittendam igitur cognitionem eius rei ad judicem priorem esse, respondi de facto consultus in causa nobilium à Routenberch contra Ketelei ter Alle. Planè quod dicimus de nullitate in exsecutione opponenda, id Iure Canonico admissum non est si tres sententiae similes latae sint. *not. Canonistae in Cl. ut calumniis. de Re Jud. per illum tex. Castr. hic.* Sed & eodem Iure rescriptum est: Ordinarium cui à delegato Principis commissa exsecutio est, eandem prosequi debere, tametsi ordinarius ipse sciat eam injustam. *c. pastoralis. §. quia verò. de Off. & Pot. jud. deleg.* Hoc tamen rationi vix convenit, est enim judicis officium oppressos à manu calumniantium liberare. *Ierem. c. 22.* Sed & jure nostro judicibus vim facientibus resistitur rectè. *l. prohibitum. & l. defensionis. C. de Jure Fisci.* & nihil injustum exsequi ulli magistratui permissum est. *Novella de Mand. Princ. c. deinde.* Verum quidem est, neminem praeter Principem, delegati sui sententiam infringere posse. *l. adversus. C. si adv. rem jud.* Sed quia idcirco delegatus censetur ut justitiam administret *c. cum aeterni. de Re Iud. in 6.* si contra fecerit vel ipse vel ordinarius cui ipse quid commendat, officium non facit. Consultum proinde in ejusmodi casu est, rem vel ad delegatum, vel Principem ipsum remitti ut is de vitio cognoscat. An autem sententia contra absentem lata nulla sit, dixi suprà. *in l. Divus. de Rest.* ubi & de reliqua huius legis materia videri possunt plura.

Margin notes: 5. — 6. — 7. *Iuris Canon. adversitas.* — 8.

Ad l. in privatis. 71. & l. 78.

AN pater filium, vel contra hic illum judicem habere queat, plenius alibi tractamus. *in l. qui jurisdictioni. suprà. de Iurisd.* *quæ solet opponi. solvi ibidem.*

l. qui neque. 81.

Pertinet ad posita in l. 1. sup. eod.

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

TIT. II.

Ad Rubricam.

TEstamentum inofficiosum est quod ob injustam exhæredationem factum censetur contra officium pietatis. Querela inofficiosi est, quâ idem rescindi postulatur, & actionis nomine venit. *l. nihil interest. in fine princ. l. nam etsi. 15. §. 2. inf. h. t.* Ea introducta est lege Glicià. arg. inscriptionis. *l. 4. inf. eod.* Cujac. 2. *Obs.* 21. *&* 3. *Obs.* 14. *Sibr. Siccama familiaris meus in tr. de Centum. Ind. lib. 2. c. 6.* & etiamnum locum habet inter ascendentes & descendentes, quotiescunque exhæredatio fit ex justa causa quam hæres nequit probare. *Bart. in l. 1. Qui Test. Fa. Poss. Schneid. &* DD. *in princ. Inst. h. t.* aliter quàm Martinus glossator sensit, qui existimavit querelæ huic ob Novellam. 115. in linea recta hodie non esse locum: quod nimirum aut causa probari possit, quo casu exhæredatio procedit, aut contra non probari, quo casu testamentum ipso jure nullum foret. Id enim rectè communiter improbatum est, eò quòd exhæredatio quidem in posteriori casu locum habet, cùm ex causa justa facta sit: sed rescissione opus sit per remedium præsens. *Soar. in thes. Recep. Sent. lit. I. num. 88.* Atque hanc sententiam iuvat, quòd causa exhæredationis testamento inserta nec probata, institutionem quidem rescindit, legata verò nihilominus debentur, quod non ita esset, si testamentum hoc casu esset nullum. *d. Nov. 115. c. 3. in fine.* Martini tamen opinionem admittimus, quoties exhæredatio facta est simpliciter sine causa, vel ex tali causa quæ d. Novellà continetur, tum enim exhæredatio tanquam contra ius facta est ipso iure nulla. *per l. non dubium. C. de ll.* Quid ergo dicemus, si causa quidem testa-

testamento non sit inserta, hæres autem eam probare velit, & Iason putat eum audiendum, *in Auth. Non licet.* C. *de Lib. Prat.* Contrarium tamen receptum est, quia ex dispositione iuris & expressio causæ & exhæredatio requiritur. *tex. in d. Auth. non licet. desumptâ ex. d. Nov. 115. c. 3. Covar. ad c. Rainutius. num. 7. de Testam. Gomes. 1. Var. Resol. c. 11. num. 11.* Idemque erit si causa quidem inserta sit, filius autem præteritus. neque enim testamentum quod propter præteritionem filii nullum est, conservabitur ob id quod hæres causam exhæredationis probare conatur. nam cùm in proposito ipsa exhæredatio omissa sit, causa quoque eius probatur frustrà, DD. *in d. Auth. non licet.*

Ad l. 1.

1. *Querela inofficiosi primo ordine datur liberis.*

2. *Liberi naturales an & quando querelam habeant contra testam. matris.*

3. *Liberi in proposito jam nati & doli capaces intelliguntur.*

4. *Deficientibus liberis secundo ordine querela parata est parentibus.*

5. *An & quando testatio militaris, item de castrensi vel quasi castrensi peculio querela locum det vel minùs.*

6. *Tertio ordine querela quibus sit parata.*

7. *Turpes persona qua censeantur ut fratribus querela detur.*

8. *An testamento per querelam rescisso fratrum liberi cum patruis admittantur ad successionem.*

DEfinitur [1] hìc quibus inofficiosi accusatio competat, quibus non item. Datur querela in primis liberis, *ut hìc. & l. 3. infrà hic. l. 7. & l. 15. C. eod.* Liberos verò accipimus naturales & legitimos simul, sive ij in potestate sint, sive emancipati. *arg. Nov. 118. c. 1.* sive in adoptionem dati, *l. pen. C. de Adop.* Ceterùm liberi [2] naturales tantùm querelam non habent, præterquam super testamēto matris aut avi materni, *l. si. suspecta, 29. §. 1. inf. eod.* An verò in liberis illustrium feminarum aliud dicendum, quæsitum est: & nōnulli putant naturalem solùm de testamento illarum queri non posse. Sed hoc quatenus ita sit ex singularum provinciarū moribus dependet; quæ ubi tales non sunt ex jure nostro respondemus, eum non minùs de earum testamentis quàm plebeiarum queri rectè. Planè [3] quod de liberis dictum est, id de jam natis & doli capacibus vulgò accipitur; de postumis & infantibus non item, quia nec in infantes exhæredationum causæ cadunt. *gl. in l. 4. in fine. C. de Lib.*

de lib. Prat. Cujac. *in l.4. De Lib. & Posth.* Gotofr. *ad d. Novell.* 115. *c.* 2. DD. *in* §.1. *Inst. eod.* Magis tamen est, testamentum quo ii exhæredantur & cui justa exhæredationis insita causa est, rescindi ut inofficiosum. neque enim, ut inofficiosum testamentum sit, requiritur causam posse veram esse: sed hoc tantùm, legitimam causam exhæredationi additam esse, quæ si vera non sit, obtinent liberi. *tex. in d. Nov.* 115. *c.* 3. Et verò quando constat postumum vel infantem cum expressione causæ exhæredatum, constat mox unà, istam ipsam in eum cadere non posse; nisi fortè negetur, exhæredatum doli incapacem esse. *Vigl. ad* §. *tam autem. num* 9. *Inst. de Testam.* Connan. *lib.* 9. *Comm. c.* 10. Nec mutat quod infans non potest ingratus vocari, eoque nec ab hæreditate repelli. *l. si quis suo.* 33. §. *fin.* C. *de Inoff. Test.* quia eo quidem convincitur testamentum eiusmodi justi testamenti vires non habere, non tamen inde sequitur id ipso jure nullum fore. Rescissione † igitur est opus. Liberis deficientibus vel
4. quoquo modo ab exhæredatione exclusis, secundo loco parentibus querela datur, sive testator in potestate eorum sit, sive minùs. *ut*
5. *hic. & l. pater.* 14. *l. adversus.* 30. *inf. eod.* Hoc † ita, nisi filiusfamilias super castrensi peculio testatus sit, quia eiusmodi testamentum saltem in peculio castrensi non subjacet querelæ, *l. ult.* C. *eod.* nisi sit emancipatus, quia hic peculium non habet. *d. l. ult.* §. *fin.* Denique si paterfamilias miles filium exhæredarit, vel intra annum post missionem exhæredatione facta decesserit, querelæ non est locus. *l. Papinianus.* §. *Papinianus. inf. eod. l.* 9. C. *eod.* Sed hæc in quasi castrensibus correcta sunt. *per d. Novell.* 115. *c.* 4. *in princ. junc. Nov.* 123. *c.* 19. ubi definitum est, filium in quasi castrensibus non aliter testari, quàm si liberis vel parentibus relinquat legitimam, eósve justis de causis exhæredet. Quod & ita de castrensibus dicendum est, quia utraque hæc comparantur, *in d. Nov.* 123. *c.* 19. *& in Auth. presbiteros.* C. *de Episc. & Cler. gl. Bart. Ias. in l. ult.* §. *testamenta.* C. *eod. fac. d. Novell.* 115. *c.* 4. *in princ.* ubi liberi omnino vetantur parentes rebus proprijs, in quibus testandi licentiam habent, privare. Tertio
6. loco querela parata † est fratribus & sororibus, quorum querela ita demum admittitur, si turpes institutæ sint personæ. *tex. hic. & in* §. 1. *Inst. eod. l.* 21. C. *eod.* Sed neque hoc admittimus in uterinis.
7. *l. fratres.* 27. C. *eod.* Turpes † autem personas dicimus infames, tam infamiâ facti quàm juris. *d. l.* 27. C. *eod.* Hoc tamen ad spurios non pertinet quia hi revera infamia facti non laborant, si modo honestam degant vitam. *Paleot. in tr. de Spur. c.* 55 Et verò de turpi persona quod dicimus, id ita verum est, si non & ipse frater præteritus vel exhæredatus sit talis. *l. in arenam* 11. *ubi* DD C. *eod.* Illud quæ-
8. situm † est, An testamento per querelam rescisso, unà cum patruis admit-

admittantur liberi fratrum vel sororum, atque id Accursio & Angelo visum est, quia in successione utrorumque eorum ab intestato par jus sit. *per vulg.* rescisso enim testamento succedit statim causa intestati, *l.6.§.1.inf.eod.* Magis tamen est eos non admitti, quia ea ratione fraus legi fieret quæ fratrum liberos à querela inofficiosi penitus excludit. *ut hic & l.fratres.C.eod. Minsin d.§.1.num.11. Inst.eod.Vigl.num.9.ibidem.* Nec obstat d.l. Pomponius. 6.§. si quis ex ijs.inf.eod. quia ea obtinet cum ij qui rescissionem fortuitò impetrarunt, ipsi succedendi jus non habent.

Ad l. 2.

NE testamentum arguatur manifestæ impietatis, receptum est, hoc colore querelam institui, quasi testator non fuerit satis sanæ mentis, *tex.hic.& princip. Inst.eod.* Bartolus tamen autumat colorem dementiæ hodie non adhiberi, quia exhæredationem ex justa causa fieri oportet, ea verò ab insano dari non potest. *Bart. hic. Schneid.in d.princ.Inst.num.17. in fine.* Fulgosius contra, *Fulgos. in Auth. ex causa. C. de Lib. Prat.* Sed hujus sententiam recipimus, cùm hæc lex nusquam correcta sit, *Vigl. & Minsin d.princ. Inst.* Ego tamen existimo, ob prætextum eum omissum, libellum non repudiari, quod formularum & vocum aucupia hodie sint sublata. *tit.C. de Form.Subl.*

Ad l. 3. & 4.

TEstamentum inofficiosum dicere, est allegare se immeritò esse exheredatum, *tex.hic.& l.28.C.eod.* Id hodie correctum est, ita ut ipse hæres causam exhæredationis teneatur probare. *Nov.115. c.3.& ibi DD.*

Ad l.Pomponius. 6.

§.1.) TEstamento per querelam inofficiosi, rescisso ab eo cui jure successio intestati non debetur, non is qui fortuitò testamentum rescidit, sed qui ab intestato successionem habet, succedet. *ut hic.& l.pater.14. inf.eod.* Quatenus verò id ita sit posuimus suprà *in l.1.in fine. ubi vide.* Non mutat quod dicimus, rem inter alios actam non præjudicare aut prodesse alijs, *l. 1. De Excep. Rei Jud.& tit.C. Quib. Rei Iud. Excep. Non Noc.* quia in proposito rescissio per se non prodest alijs: sed quia causa testati sublata est, succedit simpliciùs causa intestati. Illud ex hoc textu commodè colle-

ctum est, quòd existente statuto quo filiæ existentibus masculis non succedunt, eædem nec querelam inofficiosi habent. *per c. 27. Numeri, Bart. in l. fin. ad Tertull.* adeoque nec supplementum legitimæ petunt. *arg. l. 30. & 34. C. de Inoff. Test. Corn. 2. Consil. 1. num. 14.* Quod & ita moribus Germaniæ obtinet in filiabus quæ dote contentæ, pactis dotalibus reliquæ hæreditati paternæ renunciarunt, ut infrà latiùs tradimus. *in l. stipulatio. 61. de Verb. Obl.*

1. *Quando querela transmittatur ad hæredem.*
2. *In liberis singulare est ut ad eos querela transmittatur.*
3. *Quando pater querelam non transmittat.*
4. *Conciliatur l. pen. inf. eod.*
5. *An querela inofficiosi transactione finita, si non stetur placitis, transmittatur ad hæredem.*

1. §. Final.) QUerela † inofficiosi ita transmittitur ad hæredem, si & adita hæreditas & querela præparata sit, vel defunctus ad eam instituendam venerit. *ut hîc. l. 5. & l. 36. §. fin. C. eod.* nisi tamen postea declaraverit contrarium. *l. nam etsi. §. 1. inf. eod.* Omnino
2. tamen † hoc quod de hæredibus dicimus, de extraneis accipimus, nam ad liberos querela transmittitur indistinctè. *l. si quis. 34. C. eod.*
3. Quid ergo † si pater ingratus fuerit? quid si querelæ renunciarit? relictum agnoverit? quinquennium tacuerit? querelam non trans-
4. mittit. *tex. in d. l. 34. in fine.* Nec † mutat l. pen. inf. eod. ubi dicitur, si is cui querela competit, nolit vel nequeat accusare, sequentem admitti: id enim ita accipitur ut sequens admittatur & agat jure suo, non eius qui defunctus est & querelâ abstinuit, *DD. in d. l. 34.* Regulare nimirum est, ut uno per sententiam vel quo alio modo à querela excluso, succedat sequens. *l. pater. 14. & d. l. pen. inf. eod. Bal. ibidem. Costal. hîc.* Quemadmodum & aliàs si pater ab avi successione, vel deportatione vel justa exhæredatione excludatur, admittitur nepos. *l. si qua pœna. 7. suprà. De his qui sui vel alieni jur. sunt. l. 1. §. fin. de Bon. Poss. Sec. Tab. l. si necem §. deportatus. de Bon. Lib.*
5. Alia † quæstio est, an querela inofficiosi per transactionem finita, si placitis non stetur, transmittatur ad hæredem: quàm infrà tractamus, *in l. si instituta. 27. eod.*

Ad l. Papinianus 8.

Princ.) PAter nomine filij invito eo inofficiosi querelam non instituit. Sed nec præparatam filius transmittit ad patrem. *tex. hic.* Neque enim patri successio filij ut hæreditas, sed ut peculium defertur, nisi tamen justo filij testamento sit institutus hæres. *l. 2. inf. de Castr. Pec.* Hodie tamen querela filij ad patrem defertur indistinctè, ut Accursius annotat & Baldus probat, quia etjam parentes hæredes sunt. *Novell. 118. c. 2. gl. & Bal. hic.*

§. Papinianus.) Ad hunc §. pertinentia posita sunt suprà, *in l. 1. num. 5. eod. & in l. 6. §. fin.* ubi plenè tradimus quando pater querelam inofficiosi habeat de testamento filij vel minùs.

1. Mater pupillarem substitutionem à patre filio factam, inofficiosam accusare nequit, & quatenus rescisso per querelam testamento substitutio valeat.

2. Quomodo quis pro parte testatus & pro parte intestatus decedat. & 3. & 4.

§. SEd nec impuberis.) Mater † pupillarem substitutionem à patre filio factam, inofficiosam accusare non potest, quia testamentum ei fecit pater. Sed nec frater inofficiosam dicet, quia filij testamentum est non patris; nisi tamen ipsius patris testamentum dicat inofficiosum. Rescisso verò hoc modo patris testamento nec substitutio valebit. Id ita nisi testamentum patris tantùm ex parte rescindatur, quod fieri potest, & tum institutio valebit. *tex. hic.* At † quemadmodum testamentum rescindetur pro parte? cùm enim jus nostrum non patiatur quem pro parte testatum & pro parte intestatum decedere, *l. 7. De Reg. Iur.* dicendum videtur testamentum per rescissionem ex parte factam, corrumpi, veniendo puta in eum casum unde incipere non potest, *l. pro parte. 11. De Serv.* Respondemus † testamentum re ipsa rescindi in totum, sed quoties unà (quispiam è liberis institutus est cui tanta portio est assignata quantam ab intestato esset habiturus: rescissionem eo modo intelligi pro parte factam, cùm rescissio non ampliùs operetur quàm in parte eius qui querelam instituit, *fac. l. pater. 6. inf. de Dot. Coll.* eòque casu substitutio pupillaris valet. *ut hic.* Nec absurdum est ex post facto ejusmodi casu videri quem pro parte decessisse intestatū. *l. nā etsi. 15. §. fin. inf. eod.* quia etiam aliàs qui exhæredatus quidem est nō tamē queritur, quámdiu spes est eum admissum iri, facit partē: eoq; hoc casu querela tātū pro parte instituēda est. *§. quoniā. inf. in hac eod. l.*

 Ceterùm

Marginal numbers: 1. (beside "Sed nec impuberis"), 2. (beside "scindatur"), 3. (beside "mus † testamentum")

4. Ceterùm † institutione pro inæquali parte facta, si rescindatur testamentum per querelam, rescissio in totum facta censetur; quoniam & is qui institutus est, partem integram quam ab intestato habiturus esset, consequitur. Quod rectè Irnerius etiam locum habere dixit adita per institutum hæreditate, quia ab isto tempore querela vel maximè competit, *l. mater. 19. & ibi Irner. infra eod.* Atque hæc est verissima sententia cùm huius textus, tum d. l. 19. inf. eod. à paucis antea solidè declarata.

1. Qui legitimam liberis relinquit querelam inofficiosi non metuit.

2. Legitima Institutionis titulo relinquenda.

3. Legitima hodie quanta sit.

4. An legitima in fratribus quoque aucta intelligatur.

5. Legitima intelligitur deducto ære alieno.

6. Legata ad pias causas an legitimam minuant.

7. Sumptus studiorum an legitimam minuant.

8. Capolla notatus.

9. Quâ actione supplementum legitimæ petendum sit.

10. Quanto tempore postulationi ad supplementum præscribatur.

11. An legitima statuto tolli possit.

12. Quid iuris si statuto cautum sit, ut filia ex arbitrio boni viri dotata non succedat, & dotata aliqua filia ex arbitratu boni viri non sit.

13. Quid iuris si successioni paternæ renunciatum sit.

14. Quid si id factum sit cum iuramento. & num. 15.

16. An filius ex asse hæres acceptare legitimam & reliquam hæreditatem repudiare possit.

17. Quid iuris si hæreditas nimium sit onerata legatis libertatum.

1. §. SI QVIS MORTIS CAVSA.) Qui filio † quartam eius quod ab intestato habiturus esset mortis causâ relinquit, testatur securè, *tex. hic.* Hoc Iustinianus ita emendarat, ut quicquid liberis vel parentibus relictum esset, in legitimam imputaretur, & agere-
2. tur ad supplementum, *per l. omnimodo. 30. C. eod.* Sed & † hoc postea correctum est, ut nisi justa de causa testamento inserta exhæredatio fiat,

fiat, quicquid relinquitur institutionis titulo sit relinquendum, & quod deest legitimæ supplendum sit ab hærede. *Novel. 115. c. aliud. 3. Gomes. 1. Var. Resol. 11. num. 24. Vigl. ad §. fin. Inst. eod. num. 2. & DD. plerique.* Baro contra institutionis titulo non ita necessariò relinquendum. *Baro in §. sed hac ita. Inst. eod. Vaud. 1. Quæst. 6.* movet eum Novella 18. c. 1 quâ continetur, etiamsi legati vel fideicommissi titulo relictum sit, nihilominus ad supplementum trientis agi, eamque volunt per d. Novellam. 115. non corrigi. At profectò re arctiùs examinatâ, palam est in Novella 18. non illud definiri, ut etiam inviti liberi legato vel fideicommisso sint contenti acturi dein' ad legitimam: at hoc tantùm ut pro quadrante triens vel semis pro numero liberorum in legitimam sit, eaque tam qualitate quàm quantitate servetur æqualis, etiamsi alicui quid legato solummodo aut fideicommisso relictum esset. Propositum inquam Principi non fuit eâ Novellâ definire utrum liberis relinquendum esset jure fideicommissi an institutionis: sed hoc solum ut legitima post istud tempus auctior esset. Contrà Novellâ, 115. posteriore propositum ei fuit ut necessariò parentes liberos aut instituerent aut justa ex causa exhæredarent. Atque ita patet dissensum eum ex malo intellectu d. Novellæ 18. progressum: Sed ut † ad tractatum de legitima veniamus, expeditum est, quæ olim erat quadrans, eam hodie esse trientem, si pauciores sint liberi quàm quatuor; vel semissem, si quatuor sint liberi vel plures, *ex d. Nov. 18. c. 1.* Ea autem auctio ad trientem in parentibus quoque recipienda est. *d. Nov. 115. c. 5. gl. & Bal. in Auth novissima. C. de Inoff. Test.* In † fratribus tamen haud ita esse plerique voluêre, *Bal. post gl. d. lo. Cost. in l. 15. h. t.* Quod etsi Cujacius non probat, *in d. Novel. 18.* perspicuam tamen rationem habet, quia testator regulariter ijs legitimam relinquere non tenetur; nec querelam habent præterquam in una facti specie, nimirum si turpis homo sit institutus hæres. Legitimam † verò accipimus eorum quæ deducto ære alieno supersunt, eoque hæc sine ullo gravamine relinquenda est. *§. quartam in hac eadem l.* Libertates autem legitimam minuunt, itemque funeris impensæ. *ut hîc in §. quarta. & Paul. 4. Sent. tit. 5.* Quod † tamen de legatis ad pias causas Costalius dicendum non putat, quia & legitima juris definitione piè sit liberis assignata, non tantum ad conservandum ultimas parentum voluntates, sed etiam alimenta liberis assignandâ. *Costal. in §. si imperator. in hac eadem l.* Et verò multò rectius legatum quodcunque aliud legitimæ impositum pro non adjuncto habetur. *Gail. 2. Ob. 119. & Obs. seq. num. 12. ubi vide hac de re ad longum per tot. Obs.* Denique nec † sumptus studiorum pro filio erogati illam minuent, quia hi nec veniunt in collationem. *vide quæ*

 ponimus

ponimus infrà in l qua pater. 50. Fam. Ercisc. At † improbum est quod Cæpolla monuit, parentes qui liberos legitima privare vellent, eos in solidum hæredes instituturos, assemque exhausturos legatis. Vergit enim ea cautela tam in fraudem juris naturalis quàm civilis, & repugnat definitioni Novellæ 18. c. 3. præsertim enim jure naturali, à quo successio & liberorum conservatio est, legitima debetur. *l. 36. §. illud. C. eod. Moller. 3. Semest. 11.* Et igitur multò benigniùs hac in re Ius Canonicum sequimur, quod & legitimam & Trebellanicam ijs simul conservat. *secundum Canonistas. in c. Rainutius. de Testam.* quod tamen pleniùs explicamus suo loco. Illud

9\. † quæritur, Qua actione supplementum legitimæ postulandum sit: & quidem si simpliciter interroges, qua actione legitima petenda sit, certum est hæreditatis petitionem paratam, quia eadem necessariò titulo institutionis relinquenda est. *d. Nov. 115. c. 3. Cyn. in l. scimus. C. de Inoff. Test. Zas. in §. actionum Inst. de Act.* Sed ad supplementum plerisque placuit condictione legis omnimodo. C. eodem: agendum. *DD. ibidem.* quia puta legitima magis sit quota bonorum quàm hæreditatis. Alij tamen hæreditatis petitionem vel familiæ erciscundæ judicium esse contendunt, quia legitima titulo institutionis relinquenda sit. *per d. Nov. 115. c. 3.* Idque ad amovendam injuriam exhæreditationis (quod hac in re spectamus) benignius est. Non mutat quod legitima intelligitur deducto ære alieno. *l. quod bonis. 15. §. quod avus. l. æris alieni. 39. & l. 87. §. 2. D. ad L. Falc.* quia hæreditatem eiusque petitionem non ex rebus hæreditarijs, sed ex jure successionis metimur. Et si id argumentum quicquam valeret: jam & hæredi cui Falcidiæ beneficium usui est, negabimus hanc actionem. Quod tamen nemo juris peritus ad-

10\. mittet. Et rectè igitur dicimus huic actioni triginta demum annis præscribi. *Vigl. ad §. sed hac ita. num. 2. Minsi. ib. Ias. in l. 34. C. eod. Communem dicit Wesenb. in Comm. hujus tit. num. 6. Gail. 2. Obs. 120. Boër. decis. 150. num. 1.* Malè verò è contrario Accursius, Bartolus, & qui eos in hac re sequitur Cujacius. *Responso 60.* quia hæc actio surrogata sit in locum querelæ, ideo ei perinde ut querelæ, quinquennio præscribi. Neque enim consequentia hæc perpetua est; cum & actio de dolo annalis (vel biennalis hodie) sit, at in factum actio eidem surrogata, *in l. 10. & 11. De Dolo.* perpetua est, *l. itaque 28. eod. tit. de Dolo.* quia puta, illa famam cum damno prosequitur, hæc damnum solum. Ita enim probabilius & querelam quinquennio præscribi, quia ad rescindendum testamentum detur; sed actionem ad supplementum, quia ea conservat ultimam voluntatem nec injuriam exhæreditationis vindicat, perpetuam dicimus esse.

11\. *DD. suprà relati.* An † verò legitima statuto tolli possit, quæsitum est,

tum est, Qua in re juris authores variant, Nonnulli enim putant tolli eam posse, quia jure civili debeatur, *l. lege.* C. *de Legit. hær. & in §. 1. Auth. de Triente & Sem. & c. 1. vers. primam. Novel. Auth. de Hær. & Falc.* & omnia remedia quibus eam prosequimur, à jure civili sint introducta. Quando igitur jus ipsum hoc statuto tolli potest. *per tex. & not. in l. omnes populi. De Iust. & Iure. & l. de quibus de Legib.* effectum quoque tolli posse consequenter perhibent. *Cyn. in l. sancimus num. 6 & 10.* C. *de Nup. Panorm. Vol. 1. Consil. 75. nũ. 11. incipit, primo est videndum. Vbi dicit communem.* Cur. *Iun.* Consil. *10. num. 7. cum seq. incipit, visa ac diligenter. Vbi perinde communem dicit.* Id verò maximè ita esse autumant si accedat favor sanguinis aut agnationis, ut si statuto cautum sit, existentibus masculis feminas non admitti. cùm enim id ex probabili ratione procedat, ut puta, familiæ conserventur, nec hæreditates per successionem ad alias familias volvantur, quod parum favoris habet, *l. si in emptionem. de Min. & l. quæ tutores §. ergo* C. *de Adm. Tut.* idem & jure Divino videtur admissum. *Num. cap. 27.* Alij contra quia legitima loco alimentorum cedat eam quidem lege deberi, sed ita ut interim jure naturali unà debeatur, *l.* 36. §. 1. C. *h. t.* cùm alimentorum ratio à jure naturæ sit. *l. 1. §. jus naturale. de Iust. & Iure. §. 1. Inst. de Iure Nat. Gent. &* Civ. Idque clariùs expressum est jure Novellarum. *§. non licebit. Auth. de Trien. & Sem.* Quando igitur jura naturalia mutari nequeunt: nec legitimam ab ijs introductam, tolli perhibent. *§. sed naturalia. Inst. de Iure Nat. Gent. &* Civ. Eiusque rei argumentum aliud adferunt ex l. hac edictali. C. de Sec. Nup. *ibi nullo modo minuatur.* Minui tamen eam statuto posse non negant, quia & aucta Iure Romano sit. *per Novell. 18.* Res igitur hæc temperatione conciliata est, ut si legitima sine ratione vel natu minoribus vel filiabus negetur masculis existentibus, ita ut alimenta habere nequeant, non valeat statutum, quia repugnet juri naturali, sin verò alimentorum rationem non auferat, ut si caveatur quo filiæ dotatæ pro arbitrio boni viri ad successionem regressum non habeant, aut ut natu minores certà re vel quantitate contenti, qua victum parent, nihil amplius petant, è contrariò valeat. *vide Dominum Andr. Gail. luculentâ disputatione hanc rem tractantem lib. 2. Obs. 122. per tot. Mins. Cent. 5. Obs. 43.* Quid igitur, † si statutum sit, ut filia è facultatibus parentum arbitrio boni viri dotata, non succedat cum filio, an si minùs quàm vir bonus arbitraretur, 125.

accepe rit,

acceperit, ad supplementum agere queat, an verò succedat? Baldus, Castrensis non succedere, sed ad supplementum agere, *Bald. in Auth. res quæ. C. Com. de Leg. Castr. hic. in §. si non mortis*, quòd magis
13. est. *per d. c. 27. Num.* Planè † si quis filius successioni paternæ renunciavit, etiamsi certam aliquam rem ex dispositione paterna agnoverit, tamen per hoc non tollitur actio ad supplementum, nisi tamen patre jam defuncto speciatim cum hæredibus transegerit. *l. si quando. 35. §. 1. C. eod.* Quanquam Consuetudine & moribus hujus seculi vix fit ut filia quæ honestè & pro conditione sua à parentibus dotata successioni paternæ renunciavit, ad postulationem supplendæ legitimæ admittatur. *ut latè docemus infrà in l. stipulatio hoc modo. 61. De Verb. Obl.* Planè si vivo † quoque patre cum reli-
14. gione juramenti successioni paternæ renunciatum sit, ad legitimæ supplementum agi non potest. *per c. quamvis. de Pac. in 6.* & id quoque ita in praxi servatur. *Bart. in rubr. de Verb. Obl. num. 4. Covarr. in d. c. quamvis. par. 3. §. 3. num. 3.* Nec obstat quod juramentum contra jus vel bonos mores præstitum obligatorium non est, *c. non est obligatorium. de Reg. Iur. in 6.* quia id non procedit quoties jurejurando quis renunciat favori sibi concesso, *Din. & alij in d. c. non est obliga-*
15. *torium.* Ceterùm † omne hoc quod de juramento dicimus, ita accipiendum est, si à puberibus præstetur. *arg. Auth. sacramenta. C. Si*
16. *Adu. Vend.* Illud disputatum † est, An filius ex asse vel majori saltem hæreditatis parte institutus, acceptare legitimam & reliquam hæreditatem repudiare possit. Dubium movet, quod legitima ferè ut æs alienum deducitur, *arg. huius l. in §. si quis impubes. Costal. in d. §. 4. quarta.* Sed id non admittimus. *arg. l. 3. C. de Impub. & alijs Subst.* Magna quippe liberorum in parentes ingratitudo foret, legitimam adipisci, & repudiare interea onus erogandorum debitorum & legatorum. Quando igitur periculum non est, legitimam fideicommissis aut legatis minutam iri, Grassi opinionem repudiamus, qui *Quæst. 1. num. 6.* ob multitudinem legatorum legitimam acquiri posse, repudiatâ interim reliquâ hæreditate putavit. Sed falsò, aut enim ex testamento legitimam suscipit, & hæres est, aut ab intestato, & perinde hæres, *l. quoties. 91. De Reg. Jur.* & verò si hæres, legata quoque (per hæc saltem legitimâ non diminuendâ) & debita erogare tenetur. *Soar. in thes. Recep. Sent. lit. L. num. 96. Alex. in l. quia poterat. num. 12. Ad SC. Trebell. Dec. & Corras. in d. l. 3.*
17. *C. de Imp. & Al. Subst.* Ceterùm † si legitima vel tota hæreditas nimium libertatibus onerata sit, eo casu causam institutionis omittere & substituto locum facere potest, querelam verò denuo instituet ut obtineat hæreditatem. Quod si substitutum non habeat, omissâ causâ testamenti, ab intestato denuo adeat, idque citra pœnam

pœnam edicti. §. *sed an libertates.infrà in hac ead. l.* hoc est ut utilibus actionibus legatarum libertatum nequeat conveniri. Subest enim justa omittendi causa quæ ab edicto illo excusat, *l. qui autem.* 6. §. *non simpliciter. Si Quis Om. Causâ Test.*

§. Quoniam. & §. Quarta.) Relati sunt & explicati suprà *in in §. Si quis mortis causâ.ead.hac lege.* Et idem §. quoniam.relatus est infrà.*in l.16.§.1.& l.17.eod.tit.*quæ solent opponi, solvi ibidem.

1. *Filius si agnoverit legatum querelâ exclusus est.*
2. *Iure Codicis quid in hac re mutatum sit.*
3. *Quid Iure Novellarum postremo.*

§. SI conditioni.) Si pater † hæredem vel legatarium testamento jusserit, filio legatum conferre, quod filius agnoverit jam aditâ hæreditate (quia ab hoc demum tempore querela competit) excluditur à querela. *tex.hic.* Id ita fuit Iure veteri, sed Iure † Codicis legatum agnitum quidem querelam tollit, verùm ad supplementum nihilominus actio est. *l. omnimodo. & l.scimus. C. eod.* prætérquam si nominatim de querela sit transactum. *l.si quando.* 35. §. 1. C. *eod.* Sed & eodem Codicis jure, si non agnovisset legatum, nihilominus actione ad supplementum contentus esse cogebatur. Novissimo † verò Novellarum jure, etiamsi legatum agnitum esset, non aliter querelam excluderet, quàm si relinquatur titulo institutionis. *d. Novell.* 115. *c.* 3. quo ipso tamen casu ad supplementum actio esset. *d. Nov.* 115. *c.* 5.

1. *Iussus hæreditatem post certum tempus restituere quatenus fructus imputet legitimæ.*
2. *Iure novissimo legitima purè sine onere ususfructus relinquenda.*

§. VIde si quis fuit.) Qui jussus est hæreditatem restituere post † certum tempus, fructus medij temporis imputat in legitimam, *tex.hic.* Sed hoc in legitima liberis primi gradus relinquenda correctum est primò, *in l.jubemus.C.ad SC.Trebell.* Novissimo verò jure † etiam in liberis ulterioris gradus constitutum est, ut mera proprietas legitimæ unà cum usufructu purè & statim relinquatur. *Auth.novissima.* C. *h. t.* Si igitur ea relicta non sit, ipso statim jure post defunctum testatorem debetur, *Novell.* 18. *c.* 1. *& c.* 3. Adeò ut si tota hæreditas vel pars minor maiorve legitimâ alteri sit relicta, itáve ut post certum tempus restituatur, & proprietas & u-

Pp susfructus

Ad l.16.§. 1. & ad l. 17.

VIde quæ posita infrà, *in l. si ponas. 23. §. fin eod. tit.* Quod autem hîc dicitur, eum qui cessat ab accusatione, reliquis non facere partem, ei repugnat. l. Papinianus. 8. §. quoniam. suprà eod. Sed illa procedit in eo qui adhuc spem successionis habet, qui tametsi cesset ab accusatione, potest tamen eam instituere: hæ verò locum habent quando acturus ab omni successionis spe frustratus est.

Ad l. mater. 19.

VIde quæ ponimus suprà, *in l. 8. §. sed nec impuberis. eod. tit.* ubi vide hanc explicatam.

l. eum. qui 21.

Relata est in l. 10. §. fin. suprà eod.

Ad l. si ponas. 23.

QVod in principio huius legis ponitur, pertinet ad tit. De Conjung. Cum Emanc. Lib. Eor. quamvis ejus vigor hodie sublatus est *Novell. 118. c. 1. gl. hîc.* vide quæ nos infrà *ad l. 1. §. si filius. 16. De Conjung. cum Emanc. lib. eorum.*

1. *Exhæredatus si institutum ut hæredem agnoverit, an querelæ renunciasse censeatur. & num. 2.*
3. *Quemadmodum id hodie correctum sit.*

§. 1.) SI exhæredati † ab institutis, scientes eos hæredes esse, hæreditarium quid emerint vel conduxerint, vel quo alio modo eos ut hæredes agnoverint, cessat querela. *tex. hîc.* & multò magis igitur, si renunciatione vel repudiatione à querela destiterint, *l. qui repudiantis. 17. suprà eod.* Idemque olim erat, si is † qui querelam habebat, advocatus patrocinium præstitisset ad legatum pro tertio ex testamento consequendum. *l. ult. in princ. inf. eod.* nisi patrocinium id ratione officij susciperet necessariò, verbi gratiâ si tutorio vel curatorio nomine ageret. *l. adversus. 30. §. 1. inf. eod. §. si tutor. & ibi DD. Inst. eod.* Sed hoc † hodie correctum est. *per l. si quando. 35. C. eod.* quâ cavetur, ne quidem si exhæredatus legatum sibi relictum agnoverit, & hæredi (quod ampliùs est) caverit de securitate, à legitima exclusum, nisi transactione ejusmodi speciatim renunciatum fuerit ulteriori querelæ. Hoc enim si ita est. 1.
2.
3.

multo magis dicimus hæredem legitimum non excludi, si fortasse quo alio actu extraneo agnoverit scriptum.

1. *Ius accrescendi etiam in querela inofficiosi locum habet & quatenus.*

2. *An liberi exhæredati numerum augeant ita ut pro triente detur semissis.*

3. *Bartolus notatus.*

1. §.Final.) HOc loco † proponitur jus accrescendi etiam in querela inofficiosi locum habere. Ponamus è duobus liberis exhæredatis, unum querelam deserere, pars eius statim accrescet
2. alteri. *tex. hic. & l. filio. 16. & l. 17. suprà eod. gl. hic.* Quid ergo, quia † pro dispari numero liberorum modo triens modo semis relinquenda est, *juxta Novell.* 18. an in auctione legitimæ ob eam rem quæ ratio habenda sit liberorum qui justè exhæredati sunt, quæri potest: & verum est eorum rationem non habendam. Cessat enim eo casu multitudo liberorum in hæreditate participanda, quæ sola distinctionis ratio est *in Novell.* 18. & meritò igitur Constitutio quoque cessat. *per vulg.* Frustrati enim successionis spe censentur, & habentur perinde ac si non essent, ideoque nec reliquis faciunt partem, *l.* 16. §. 1. *& l.* 17. *suprà eod.* & quantum attinet ad successionem à qua exclusi sunt, pro mortuis habentur. *l.* 1. §. *sed & si patruus. De Conjung. Cum Emanc. Lib.* Vnde & annotatum est, existente statuto, ut deficientibus masculis succedant feminæ masculis exhæredatis feminis esse locum. *Costal. in d. l.* 17 *suprà eod. alle-*
3. *gans Bart. in d. l.* 1. §. *sed & si patruus.* In eo † tamen Bartolus fallit, quod putat, tribus existentibus liberis, quorum unus justè exhæredatur, duo reliqui verò ex re quadam certa instituuntur, duos non accipere integrum trientem. *Bart. in l.* 1. §. *qui habebat.* 7. *De Bon. Poss. Contra Tab.* Obstat enim perspicuè cum hic textus tum l. 17. suprà eod. Præterquam quod expeditum est, quoties qui è re certa instituuntur toties perinde censeri, ac si ex certa hæreditatis instituerentur parte rebus ipsis non nominatis, *l. si alterius.* 10. *De Hær. Inst.*

L. circa. 24.

RElata est ad l. Papinianus. 8. §. sed nec impuberis. suprà eod. & notatur hic quod licet ab initio nemo possit pro parte testatus & intestatus decedere, idem tamen fieri queat ex post facto.

Ad.

Ad l. si non mortis. 25.

QVod hîc ex altero membro principij argui videtur, etiam ex causa testati collationem esse, contra quam alibi in jure nostro proditum est sæpius, *l. 1.* C. *de Coll.* accipiendum tamen est de causa intestati. Quid verò de tota collationum materia juris sit latissimè tractamus infrà suo loco, *in l. 1. de Collat.*

Ad l. si instituta. 27.

ACcusatione inofficiosi iam institutâ si lis transactione perimatur, nec hæres conventum præstet, pro natura innominatarum conventionum, causa denuo incipi potest. *tex. hic.* Opponitur l. cum mota. C. de Transac. sed ibi species est in hæredibus eius qui transegerat, & ad quos querela non erat transmissa. cùm enim is cui querela competebat post litem transactione peremptam ibi proponatur decessisse, ad hæredes nihil transmittitur præter id quod superest ex placito transactionis. Nec ad rem facit quòd aliàs dicimus conditionem obligationis non mutari ex persona hæredis, *l. 2. §. ex his. De Verb. Obl.* quia in querela inofficiosi speciale est ut ea ad hæredem non transmittatur, si defunctus cui ea competebat jure suo, declaraverit se eam non prosecuturum, *l. nam etsi, 15. §. 1. suprà eod.* id verò transactione vel maximè fecit defunctus.

l. si suspecta. 28.

§. finalis.) Relatus est in ijs quæ suprà, *in l. 1. eod.*

l. 30.

§. 1. Relatus est in ijs quæ ponimus suprà, *in l. 23. eod. tit.*

Ad l. si is qui penult.

PRinc.) Si is cui accusatio vel querala inofficiosi competit, ea uti vel nequeat vel nolit, admittitur sequens. *ut hic.* Nec mutat l. si quis filium. 34. in fine. C. eod. quia ea procedit si sequens agere velit jure defuncti, hæc verò si ageret jure suo. Vide quæ posuimus hac de re latiùs suprà *in l. 6. §. fin. eod. tit.*

QVi hæreditatis petitionem † habet, non refert an eam suo nomine, an verò per successionem postulet interpositæ personæ. *tex. hic.* Hæredis enim mei hæres quoque meus censetur. *l. hæredis. 65. de Verb. Signif.* Vnde † annotatum est libellum non rejici quo se hæres hæredis simpliciter hæredem proponit. *Cagnol. in l. qui per successionem. num. 7. de Hær. Inst.* Planè si partis † adversæ intersit, judex ad instantiam eius interrogabit actorem, an per se an verò per alium interpositum succedat *l. 9. §. illud quæritur. inf. de Interrog. in Iure Fac.* aliud est, si non intersit, *d. l. 9. §. illud. & ibi Bart.* Idque ita est in hac actione potissimùm in qua constare oportet, an reus pro possessore possideat an pro hærede, eoque speciatim in ea receptum est, ut titulum possessionis suæ prodat. *l. cogi. C. eod.*

Ad l. legitimam. 8.

NOta hîc eum qui vires testamenti ignorans ex eodem hæreditatem petens succubuit, nihilominus illam ab intestato petere rectè. Aliud tamen dicimus, si hæreat in errore juris. *arg. l. 3. inf. Si Quid in Fraud. Patr.* Planè rescisso testamento per querelam, non eam modò partem quam testamento, sed & quam ab intestato habiturus esset, consequetur, juxta ea quæ posui suprà *in l. 8. §. sed nec impuberis. de Inoff. Test. ubi vide.*

Ad l. regulariter. 9. l. 10. 11. 12.

1. Petitione tenetur qui pro hærede vel possessore possidet.

2. Pro hærede & possessore qui possidere dicantur.

3. Vtrum justo titulo hæreditatem nactus ab eo qui pro possessore vel pro hærede possidebat, hac actione conveniri queat.

REgulariter † hæreditatis petitione tenetur qui pro hærede vel possessore jus vel rem etiam minimam hæreditatis possidet. *tex. hic.* Pro † hærede possidet qui se quoquo modo hæredem esse contendit, cùm non sit. *l. 11. hic.* Pro possessore possidet quivis malæ fidei possessor justo titulo carens. Sed & qui titulum habet simulatum, ver. gr. qui exiguo pretio hæreditatem emit, vel sciens alienā esse, comparauit, utili hac actione tenetur. *l. nec ullā. 13. §. 3. 4. 5. hic.* Quem-

Quemadmodum & utiliter tenetur maritus, cui mulier hæreditatem in dotem dedit, quamvis mulier ipsa hoc casu conveniatur actione directa. *d. l. 13. §. 10.* Vtilis tamen in ejusmodi causis directæ præjudicat. *arg. l. doce ancillam.* C. *de Rei Vind.* Illud hîc appositè
1. quæritur, Vtrum ✝ hæreditatem justo titulo ab eo consecutus qui hæreditatis petitione conveniri poterat, eadem actione conveniatur: quod Bartolo visum est. *Bart. in l. cogi. C. eod. & in l. Neratius. infrà. h. t. Angel. & Immola. in l. si is qui bonis. de Acq. Har.* quod absurdum sit quempiam plus juris consequi ab authore suo, atque habuit ipse. *arg. l. si mulier. §. 1. ad* SC. *Velleian.* Alij tamen diversum statuunt, eumque ita demum conveniri hac actione, si lite pendente titulum consecutus sit, aliàs minùs. Nam titulus lite pendente quæsitus, injustus censetur. *l. 5. de Pet. Har. l. alienationes. Fam. Ercisc.* ita sensit *Alex. ad l. ult. col. pen.* C. *de Edicto Divi Hadr. Toll. Franc. Aret. in l. is qui bonis. col. ult. de Acq. Har.* Et hoc igitur magis est. Confirmat id l. etiam putavit. 35. §. 1. inf. eod. ubi Iurisconsultus de ipsa hac facti specie ita respondit, ut duobus tantùm casibus hæreditatis petitione conveniatur, si puta vel hæreditatis venditor non extet, vel modico pretio ea empta sit. Nec ad rem facit allegata regula, Quod successor melioris conditionis esse nequeat quàm præcessor, rarò enim est ut axiomata ejusmodi generalia non patiantur exceptiones. *l. omnis definitio. de Reg. Jur.* Planè contra ceteros, qui cum titulo possident justo, ipsa rei vindicatio est. *l. 2. in fine.* C. *eod.* vide quæ ponimus proximè *in l. 13. hic.*

Ad l. nec ullam. 13.

1. *Titulo singulari possidens har. petit. non tenetur.*
2. *Quæ sit eius rei ratio.*
3. *Quæ actio sit contra possessorem tituli specialis.*
4. *An rei vindicatio cum hæredit. petitione cumulari queat. & num. 6.*
5. *Conciliantur & explicantur diversa leges à DD. opposita.*

1. §. 1. §. 2. & §. Quid si hæreditatem emerit.) Ex casibus 4 hoc textu relatis plenissimè constat, eum qui justo titulo speciali, bonaque fide hæreditatem nactus est, hac actione nô teneri, cùm regulariter is solus eadem conveniatur qui vel pro hærede possidet vel pro posses-
2. sore. *dixi ad l. 9. 10. 11. 12. supra eod.* Cuius quidem rei rationes varias Doctores statuunt, sed potior hæc est, quod titulo possidens potius

potius jus habet quàm agens petitione hæreditatis; quippe quæ & prosequitur res quoquo modo in hæreditate repertas, etiamsi nullo dominij jure detineantur. *l. non tantum, 19. inf. eod. ubi dixi.* Quid ergo, si hæreditatis petitio non sit, an hæredem jure suo privatum dicemus? & id nemo juris peritus dicet. Igitur rei 4 vindicatio parata erit. *l. 2. §. emptor. C. eod.* quippe adversus quam titulus à tertio paratus non prodest. Et hoc rectè Bartolo visum est, *per d. l. 2. C. gl. ib.* nihil enim certius est quàm hæredem etiam necdum declaratum, contra tertios rerum hæreditariarum possessores, interim actionem in rem habere. *l. si bona fidei. 4. inf. h. t.* & faciliùs igitur contra possessorem hæreditatis, ipsum habebit eandem. Duarenus tamen eò inclinare visus est, ut & adversus hunc utilis hæreditatis petitio esset, *Duar. ad tit. de Inoff. Test. c. 10. arg. tit. de Possess. Her. Pet.* quod verum est, si hæreditatem possideat ut emptor universitatis, sciens alienam compararit, parvo compararit, aut emerit à fisco quasi vacantem. *ut in §. si quis sciens. & §. si quis à fisco. in ead. hac. lege.* sed si quis substantiam hæreditatis aut rem quampiam unam atque alteram singularem detineat titulo singulari, rei vindicatione tenetur. *d. l. 2. §. emptor. C. eod. & arg. d. l. 49. inf. h. t.* Illud †quæsitum est, An non rei vindicatio cum hæreditatis petitione possit cumulari. Dubium movet, quod alibi relatum est, sententiâ in una earum lata, præjudicari alteri. *tex. in l. si quis cum totum. §. penult. de Excep. Rei Iud.* Quando enim regulare est, duas actiones, quarum altera alteram consumit, simul institui non posse, *per l. fundum. & l. fundi. de Excep. Rei Iud.* consequens etiam videtur in proposito dicendum idem esse. Cui accedit & illud quod sæpius in jure nostro repetitum est, quoties plures actiones concurrũt, toties eligendam unam esse. *l. nemo ex his. §. quoties. de Reg. Iur. gl. & alij ad l. ult. C. de Nox. Act.* Doctores nostri sese his regulis mirificè implicant, nec, quâ se expediant, viam inveniunt. *Dec. & Ferrar. in l. nemo. §. quoties. de Reg. Iur. gl. in d. l. 2. C. h. t. Din. in c. nullus. de Reg. Iur. in 6.* Ego ut eam rem obiter & succinctè †explicem, ita statuo, Regulam eam, quâ dicimus, è duabus actionibus, quarum altera alteri præjudicio est, pendente unâ alteram institui non debere, *ex d. l. fundum. & d. l. fundi.* ita accipi, si ex definitione & judicato unius absurdum præjudicium alterius sequi posset, verbi gratiâ, si de fructibus quæstio moveatur causa principali necdum finitâ, vel Communi dividundo judicium instituatur quæstione in rem pro indiviso nondum terminatâ, pendentibus ijs sc. perperam alias proponi: posterioresque removeri exceptione doli, *Ne ea de qua agitur re, præjudicetur proprietati* Sensus inquam hîc est, quod judicio prius de fundo motò, præposterè veniatur per instantiam nouam ad fru-

Qq ctuum

ponimus infrà in l qua pater. 50. Fam. Ercis. At † improbum est quod Cæpolla monuit, parentes qui liberos legitima privare vellent, eos in solidum hæredes instituturos, assemque exhausturos legatis. Vergit enim ea cautela tam in fraudem juris naturalis quàm civilis, & repugnat definitioni Novellæ 18. c. 3. præsertim enim jure naturali, à quo successio & liberorum conservatio est, legitima debetur. *l. 36. §. illud. C. eod. Moller. 3. Semest. 11.* Et igitur multò benigniùs hac in re Ius Canonicum sequimur, quod & legitimam & Trebellanicam ijs simul conservat. *secundum Canonistas. in c. Rainutius. de Testam.* quod tamen pleniùs explicamus suo loco. Illud
9. † quæritur, Qua actione supplementum legitimæ postulandum sit: & quidem si simpliciter interroges, qua actione legitima petenda sit, certum est hæreditatis petitionem paratam, quia eadem necessariò titulo institutionis relinquenda est. *d. Nov. 115. c. 3. Cyn. in l. scimus. C. de Inoff. Test. Zas. in §. actionum Inst. de Act.* Sed ad supplementum plerisque placuit condictione legis omnimodo. C. eodem: agendum. *DD. ibidem*, quia puta legitima magis sit quota bonorum quàm hæreditatis. Alij tamen hæreditatis petitionem vel familiæ erciscundæ judicium esse contendunt, quia legitima titulo institutionis relinquenda sit. *per d. Nov. 115. c. 3.* Idque ad amovendam injuriam exhæreditationis (quod hac in re spectamus) benignius est. Non mutat quod legitima intelligitur deducto ære alieno. *l. quod bonis. 15. §. quod avus. l. aris alieni. 39. & l. 87. §. 2. D. ad L. Falc.* quia hæreditatem eiusque petitionem non ex rebus hæreditarijs, sed ex jure successionis metimur. Et si id argumentum quicquam valeret: jam & hæredi cui Falcidiæ beneficinm usui est, negabimus hanc actionem. Quod tamen nemo juris peritus ad-
10. mittet. Et rectè igitur dicimus huic actioni triginta demum annis præscribi. *Vigl. ad §. sed hac ita. num. 2. Minsi. ib. Ias. in l. 34. C. eod. Communem dicit Wesenb. in Comm. hujus tit. num. 6. Gail. 2. Obs. 120. Boër. decis. 150. num. 1.* Malè verò è contrario Accursius, Bartolus, & qui eos in hac re sequitur Cujacius. *Responso 60.* quia hæc actio surrogata sit in locum querelæ, ideo ei perinde ut querelæ, quinquennio præscribi. Neque enim consequentia hæc perpetua est; cum & actio de dolo annalis (vel biennalis hodie) sit, at in factum actio eidem surrogata, *in l. 10. & 11. De Dolo.* perpetua est, *l. itaque 28. eod. tit. de Dolo.* quia puta, illa famam cum damno prosequitur, hæc damnum solum. Ita enim probabilius & querelam quinquennio præscribi, quia ad rescindendum testamentum detur; sed actionem ad supplementum, quia ea conservat ultimam voluntatem nec injuriam exhæreditationis vindicat, perpetuam dicimus esse.
11. *DD. suprà relati.* An † verò legitima statuto tolli possit, quæsitum est,

tum est, Qua in re juris authores variant, Nonnulli enim putant tolli eam posse, quia jure civili debeatur, *l. lege.* C. *de* L*egit. hær. & in §. 1. Auth. de Triente & Sem. & c. 1. vers. primam. Novel. Auth. de Hær. & Falc.* & omnia remedia quibus eam prosequimur, à jure civili sint introducta. Quando igitur jus ipsum hoc statuto tolli potest. *per tex. & not. in l. omnes populi. De Iustit. & Iure. & l. de quibus de Legib.* effectum quoque tolli posse consequenter perhibent. C*yn. in l. sancimus. num. 6 & 10.* C. *de Nup. Panorm. Vol. 1.* C*onsil. 75. nũ. 11. incipit, primo est videndum. Vbi dicit communem.* C*ur. Iun.* C*onsil. 10 num. 7. cum seq. incipit, visa ac diligenter. Vbi perinde communem dicit.* Id verò maximè ita esse autumant si accedat favor sanguinis aut agnationis, ut si statuto cautum sit, existentibus masculis feminas non admitti. cùm enim id ex probabili ratione procedat, ut puta, familiæ conserventur, nec hæreditates per successionem ad alias familias volvantur, quod parum favoris habet, *l. si in emptionem. de Min. & l. quæ tutores §. ergo* C. *de Adm. Tut.* idem & jure Divino videtur admissum. *Num. cap. 27.* Alij contra quia legitima loco alimentorum cedat eam quidem lege deberi, sed ita ut interim jure naturali unà debeatur, *l. 36. §. 1.* C. *h. t.* cùm alimentorum ratio à jure naturæ sit. *l. 1. §. jus naturale. de Iust. & Iure. §. 1. Inst. de Iure Nat. Gent. &* Civ. Idque clariùs expressum est jure Novellarum. *§. non licebit. Auth. de Trien. & Sem.* Quando igitur jura naturalia mutari nequeunt: nec legitimam ab ijs introductam, tolli perhibent. *§. sed naturalia. Inst. de Iure Nat. Gent. &* Civ. Eiusque rei argumentum aliud adferunt ex l. hac edictali. C. de Sec. Nup. *ibi nullo modo minuatur.* Minui tamen eam statuto posse non negant, quia & aucta Iure Romano sit, *per Novell. 18.* Res igitur hæc temperatione conciliata est, ut si legitima sine ratione vel natu minoribus vel filiabus negetur masculis existentibus, ita ut alimenta habere nequeant, non valeat statutum, quia repugnet juri naturali, sin verò alimentorum rationem non auferat, ut si caveatur quo filiæ dotatæ pro arbitrio boni viri ad successionem regressum non habeant, aut ut natu minores certà re vel quantitate contenti, qua victum parent, nihil amplius petant, è contrariò valeat. *vide Dominum Andr. Gail. luculentâ disputatione hanc rem tractantem lib. 2. Obs. 122. per tot. Mins. Cent. 5. Obs. 43.* Quid igitur, † si statutum sit, ut filia è facultatibus parentum arbitrio boni viri dotata, non succedat cum filio, an si minùs quàm vir bonus arbitraretur, 12.

acceperit,

acceperit, ad supplementum agere queat, an verò succedat? Baldus, Castrensis non succedere, sed ad supplementum agere, *Bald. in Auth. res qua. C. Com. de Leg. Castr. hic. in §. si non mortis*, quòd magis
13. est. *per d. c. 27. Num.* Planè † si quis filius successioni paternæ renunciavit, etiamsi certam aliquam rem ex dispositione paterna agnoverit, tamen per hoc non tollitur actio ad supplementum, nisi tamen patre jam defuncto speciatim cum hæredibus transegerit. *l. si quando. 35. §. 1. C. eod.* Quanquam Consuetudine & moribus hujus seculi vix fit ut filia quæ honestè & pro conditione sua à parentibus dotata successioni paternæ renunciavit, ad postulationem supplendæ legitimæ admittatur. *ut latè docemus infrà in l. stipulatio hoc modo. 61. De Verb. Obl.* Planè si vivo † quoque patre cum reli-
14. gione juramenti successioni paternæ renunciatum sit, ad legitimæ supplementum agi non potest. *per c. quamvis. de Pac. in 6.* & id quoque ita in praxi servatur. *Bart. in rubr. de Verb. Obl. num. 4. Covarr. in d. c. quamvis. par. 3. §. 3. num. 3.* Nec obstat quod juramentum contra jus vel bonos mores præstitum obligatorium non est, *c. non est obligatorium. de Reg. Iur. in 6.* quia id non procedit quoties jurejurando quis renunciat favori sibi concesso, *Din. & alij in d. c. non est obliga-*
15. *torium.* Ceterùm † omne hoc quod de juramento dicimus, ita accipiendum est, si à puberibus præstetur. *arg. Auth. sacramenta. C. Si*
16. *Adu. Vend.* illud disputatum † est, An filius ex asse vel majori saltem hæreditatis parte institutus, acceptare legitimam & reliquam hæreditatem repudiare possit. Dubium movet, quod legitima ferè ut æs alienum deducitur, *arg. huius l. in §. si quis impubes. Costal. in d. §. 4. quarta.* Sed id non admittimus. *arg. l. 3. C. de Impub. & alijs Subst.* Magna quippe liberorum in parentes ingratitudo foret, legitimam adipisci, & repudiare interea onus erogandorum debitorum & legatorum. Quando igitur periculum non est, legitimam fideicommissis aut legatis minutam iri, Grassi opinionem repudiamus, qui *Quæst. 1. num. 6.* ob multitudinem legatorum legitimam acquiri posse, repudiatâ interim reliquâ hæreditate putavit. Sed falsò, aut enim ex testamento legitimam suscipit, & hæres est, aut ab intestato, & perinde hæres, *l. quoties. 92. De Reg. Iur.* & verò si hæres, legata quoque (per hæc saltem legitimâ non diminuendâ) & debita erogare tenetur. *Soar. in thes. Recep. Sent. lit. L. num. 96. Alex. in l. quia poterat. num. 12. Ad SC. Trebell. Dec. & Corras. in d. l. 3.*
17. *C. de Imp. & Al. Subst.* Ceterùm † si legitima vel tota hæreditas nimium libertatibus onerata sit, eo casu causam institutionis omittere & substituto locum facere potest, querelam verò denuo instituet ut obtineat hæreditatem. Quod si substitutum non habeat, omissâ causâ testamenti, ab intestato denuo adeat, idque citra

pœnam

pœnam edicti. §. *sed an libertates.infrà in hac ead. l.* hoc est ut utilibus actionibus legatarum libertatum nequeat conveniri. Subest enim justa omittendi causa quæ ab edicto illo excusat. *l. qui autem. 6. §. non simpliciter. Si Quis Om. Causâ Test.*

§. Quoniam. & §. Quarta.) Relati sunt & explicati suprà *in in §. Si quis mortis causâ.ead. hac lege.* Et idem §. quoniam.relatus est infrà. *in l. 16. §. 1. & l. 17. eod. tit.* quæ solent opponi, solvi ibidem.

1. *Filius si agnoverit legatum querelâ exclusus est.*
2. *Iure Codicis quid in hac re mutatum sit.*
3. *Quid Iure Novellarum postremo.*

§. SI conditioni.) Si pater † hæredem vel legatarium testamento jusserit, filio legatum conferre, quod filius agnoverit jam aditâ hæreditate (quia ab hoc demum tempore querela competit) excluditur à querela. *tex. hic.* Id ita fuit Iure veteri, sed Iure † Codicis legatum agnitum quidem querelam tollit, verùm ad supplementum nihilominus actio est. *l. omnimodo. & l. scimus. C. eod.* prætorquam si nominatim de querela sit transactum. *l. si quando. 35. §. 1. C. eod.* Sed & eodem Codicis jure, si non agnovisset legatum, nihilominus actione ad supplementum contentus esse cogebatur. Novissimo † verò Novellarum jure, etiamsi legatum agnitum esset, non aliter querelam excluderet, quàm si relinquatur titulo institutionis. *d. Novell. 115. c. 3.* quo ipso tamen casu ad supplementum actio esset. *d. Nov. 115. c. 5.*

1. *Iussus hæreditatem post certum tempus restituere quatenus fructus imputet legitima.*

2. *Iure novissimo legitima purè sine onere usus fructus relinquenda.*

§. VIde si quis fuit.) Qui jussus est hæreditatem restituere post † certum tempus, fructus medij temporis imputat in legitimam. *tex. hic.* Sed hoc in legitima liberis primi gradus relinquenda correctum est primò, *in l. jubemus. C. ad SC. Trebell.* Novissimo verò jure † etiam in liberis ulterioris gradus constitutum est, ut mera proprietas legitimæ unà cum usufructu purè & statim relinquatur. *Auth. novissima. C. h. t.* Si igitur ea relicta non sit, ipso statim jure post defunctum testatorem debetur. *Novell. 18. c. 1. & c. 3.* Adeò ut si tota hæreditas vel pars minor maiorve legitimâ alteri sit relicta, itáve ut post certum tempus restituatur, & proprietas & u-

Ad l.16.§. 1. & ad l.17.

VIde quæ posita infrà, *in l. si ponas*. 23. §. *fin eod. tit*. Quod autem hîc dicitur, eum qui cessat ab accusatione, reliquis non facere partem, ei repugnat. l. Papinianus. 8. §. quoniam. suprà eod. Sed illa procedit in eo qui adhuc spem successionis habet, qui tametsi cesset ab accusatione, potest tamen eam instituere: hæ verò locum habent quando actutus ab omni successionis spe frustratus est.

Ad l. mater. 19.

VIde quæ ponimus suprà, *in l.8.§. sed nec impuberis. eod. tit.* ubi vide hanc explicatam.

l. cum qui 21.

Relata est in l. 10. §. fin. suprà eod.

Ad l. si ponas. 23.

QVod in principio huius legis ponitur, pertinet ad tit. De Conjung. Cum Emanc. Lib. Eor. quamvis ejus vigor hodie sublatus est *Novell*. 118. *c.1. gl. hîc*. vide quæ nos infrà *ad l. 1. §. si filius. 16. De Conjung. cum Emanc. lib. eorum.*

1. *Exhæredatus si institutum ut hæredem agnoverit, an querela renunciasse censeatur. & num. 2.*
3. *Quemadmodum id hodie correctum sit.*

§. 1.) SI exhæredati + ab institutis, scientes eos hæredes esse, hæreditarium quid emerint vel conduxerint, vel quo alio modo eos ut hæredes agnoverint, cessat querela, *tex. hîc*. & multò magis igitur, si renunciatione vel repudiatione à querela destiterint, *l. qui repudiantis*. 17. *suprà eod*. Idemque olim erat, si is + qui querelam habebat, advocatus patrocinium præstitisset ad legatum pro tertio ex testamento consequendum. *l. ult. in princ. inf. eod.* nisi patrocinium id ratione officij susciperet necessariò, verbi gratiâ si tutorio vel curatorio nomine ageret. *l. adversus*. 30. §. 1. *inf. eod*. §. *si tutor. & ibi DD. Inst. eod.* Sed hoc + hodie correctum est. *per l. si quando*. 35. C. *eod*. quâ cavetur, ne quidem si exhæredatus legatum sibi relictum agnoverit, & hæredi (quod ampliùs est) caverit de securitate, à legitima exclusum, nisi transactione ejusmodi specialim renunciatum fuerit ulteriori querelæ. Hoc enim si ita est multò

multo magis dicimus hæredem legitimum non excludi, si fortasse quo alio actu extraneo agnoverit scriptum.

1. *Ius accrescendi etiam in querela inofficiosi locum habet & quatenus.*
2. *An liberi exhæredati numerum augeant ita ut pro triente detur semissis.*
3. *Bartolus notatus.*

1. §.Final.) HOc loco † proponitur jus accrescendi etiam in querela inofficiosi locum habere. Ponamus è duobus liberis exhæredatis, unum querelam deserere, pars eius statim accrescet
2. alteri. *tex. hic. & l. filio. 16. & l. 17. suprà eod. gl. hic.* Quid ergo, quia † pro dispari numero liberorum modo triens modo semis relinquenda est, *juxta Novell.* 18. an in auctione legitimæ ob eam rem quæ ratio habenda sit liberorum qui justè exhæredati sunt, quæri potest: & verum est eorum rationem non habendam. Cessat enim eo casu multitudo liberorum in hæreditate participanda, quæ sola distinctionis ratio est *in Novell.* 18. & meritò igitur Constitutio quoque cessat. *per vulg.* Frustrati enim successionis spe censentur, & habentur perinde ac si non essent, ideoque nec reliquis faciunt partem, *l. 16. §. 1. & l. 17. suprà eod.* & quantum attinet ad successionem à qua exclusi sunt, pro mortuis habentur. *l. 1. §. sed & si patruus. De Conjung. Cum Emanc. Lib.* Vnde & annotatum est, existente statuto, ut deficientibus masculis succedant feminæ masculis exhæredatis feminis esse locum. *Costal. in d. l. 17 suprà. eod. alle-*
3. *gans Bart. in d. l. 1. §. sed & si patruus.* In eo tamen Bartolus fallit, quod putat, tribus existentibus liberis, quorum unus justè exhæredatur, duo reliqui verò ex re quadam certa instituuntur, duos non accipere integrum trientem. *Bart. in l. 1. §. qui habebat. 7. De Bon. Poss. Contra Tab.* Obstat enim perspicuè cum hic textus tum l. 17. suprà eod. Præterquam quod expeditum est, quoties qui è re certa instituuntur toties perinde censeri, ac si ex certa hæreditatis instituerentur parte rebus ipsis non nominatis. *l. si alterius. 10. De Hær. Inst.*

L. circa. 24.

RElata est ad l. Papinianus. 8. §. sed nec impuberis. suprà eod. & notatur hic quod licet ab initio nemo possit pro parte testatus & intestatus decedere, idem tamen fieri queat ex post facto.

Ad.

Ad l. si non mortis. 25.

QVod hîc ex altero membro principij argui videtur, etiam ex causa testati collationem esse, contra quam alibi in jure nostro proditum est sæpius, *l. 1. C. de Coll.* accipiendum tamen est de causa intestati. Quid verò de tota collationum materia juris sit latissimè tractamus infrà suo loco, *in l. 1. de Collat.*

Ad l. si instituta. 27.

ACcusatione inofficiosi iam institutâ si lis transactione perimatur, nec hæres conventum præstet, pro natura innominatarum conventionum, causa denuo incipi potest. *tex. hic.* Opponitur l. cum mota. C. de Transac. sed ibi species est in hæredibus eius qui transegerat, & ad quos querela non erat transmissa. cùm enim is cui querela competebat post litem transactione peremptam ibi proponatur decessisse, ad hæredes nihil transmittitur præter id quod superest ex placito transactionis. Nec ad rem facit quòd aliàs dicimus conditionem obligationis non mutari ex persona hæredis, *l. 2. §. ex his. De Verb. Obl.* quia in querela inofficiosi speciale est ut ea ad hæredem non transmittatur, si defunctus cui ea competebat jure suo, declaraverit se eam non prosecuturum, *l. nam etsi, 15. §. 1. suprà eod.* id verò transactione vel maximè fecit defunctus.

l. si suspecta. 28.

§. finalis.) Relatus est in ijs quæ suprà, *in l. 1. eod.*

l. 30.

§. 1. Relatus est in ijs quæ ponimus suprà, *in l. 23. eod. tit.*

Ad l. si is qui penult.

PRinc.) Si is cui accusatio vel querela inofficiosi com petit, ea uti vel nequeat vel nolit, admittitur sequens. *ut hic.* Nec mutat l. si quis filium. 34. in fine. C. eod. quia ea procedit si sequens agere velit jure defuncti, hæc verò si ageret jure suo. Vide quæ posuimus hac de re latiùs suprà *in l. 6. §. fin. eod. tit.*

QVi hæreditatis petitionem † habet, non refert an eam suo nomine, an verò per successionem postulet interpositæ personæ. *tex. hic.* Hæredis enim mei hæres quoque meus censetur. *l. hæredis. 65. de Verb. Signif.* Vnde † annotatum est libellum non rejici quo se hæres hæredis simpliciter hæredem proponit. *Cagnol. in l. qui per successionem. num. 7. de Hær. Inst.* Planè si partis † adversæ intersit, judex ad instantiam eius interrogabit actorem, an per se an verò per alium interpositum succedat. *l. 9. §. illud quæritur. inf. de Interrog. in Iure Fac* aliud est, si non intersit, *d. l. 9. §. illud. & ibi Bart.* Idque ita est in hac actione potissimùm in qua constare oportet, an reus pro possessore possideat an pro hærede, eoque speciatim in ea receptum est, ut titulum possessionis suæ prodat. *l. cogi. C. eod.*

Ad l. legitimam. 8.

NOta hîc eum qui vires testamenti ignorans ex eodem hæreditatem petens succubuit, nihilominus illam ab intestato petere rectè. Aliud tamen dicimus, si hæreat in errore juris. *arg. l. 3. inf. Si Quid in Fraud. Patr.* Planè rescisso testamento per querelam, non eam modò partem quam testamento, sed & quam ab intestato habiturus esset, consequetur, juxta ea quæ posui suprà *in l. 8. §. sed nec impuberis. de Inoff. Test. ubi vide.*

Ad l. regulariter. 9. l. 10. 11. 12.

1. *Petitione tenetur qui pro hærede vel possessore possidet.*

2. *Pro hærede & possessore qui possidere dicantur.*

3. *Vtrum justo titulo hæreditatem nactus ab eo qui pro possessore vel pro hærede possidebat, hac actione conveniri queat.*

REgulariter † hæreditatis petitione tenetur qui pro hærede vel possessore jus vel rem etiam minimam hæreditatis possidet. 1
tex. hic. Pro † hærede possidet qui se quoquo modo hæredem esse 2
contendit, cùm non sit. *l. 11. hic.* Pro possessore possidet quivis malæ fidei possessor justo titulo carens. Sed & qui titulum habet simulatum, ver. gr. qui exiguo pretio hæreditatem emit, vel sciens alienã esse, comparauit, utili hac actione tenetur. *l. nec ullã. 13. §. 3. 4. 5. hic.*

Quem-

potius jus habet quàm agens petitione hæreditatis; quippe quæ & prosequitur res quoquo modo in hæreditate repertas, etiamsi nullo dominij jure detineantur. *l. non tantum, 19. inf. eod. ubi dixi.* Quid ergo, si hæreditatis petitio non sit, an hæredem jure suo privatum dicemus? & id nemo juris peritus dicet. Igitur rei 4 vindicatio parata erit. *l. 2. §. emptor. C. eod.* quippe adversus quam titulus à tertio paratus non prodest. Et hoc rectè Bartolo visum est, *per d. l. 2. C. gl. ib.* nihil enim certius est quàm hæredem etiam necdum declaratum, contra tertios rerum hæreditariarum possessores, interim actionem in rem habere. *l. si bonæ fidei. 4. inf. h. t.* & faciliùs igitur contra possessorem hæreditatis, ipsum habebit eandem. Duarenus tamen eò inclinare visus est, ut & adversus hunc utilis hæreditatis petitio esset, *Duar. ad tit. de Inoff. Test. c. 10. arg. tit. de Possess. Hær. Pet.* quod verum est, si hæreditatem possideat ut emptor universitatis, sciens alienam compararit, parvo compararit, aut emerit à fisco quasi vacantem. *ut in §. si quis sciens. & §. si quis à fisco. in ead. hac. lege.* sed si quis substantiam hæreditatis aut rem quampiam unam atque alteram singularem detineat titulo singulari, rei vindicatione tenetur. *d. l. 2. §. emptor. C. eod. & arg. d. l. 49. inf. h. t.* Illud † quæsitum est, An non rei vindicatio cum hæreditatis petitione possit cumulari. Dubium movet, quod alibi relatum est, sententiâ in una earum lata, præjudicari alteri. *tex. in l. si quis cum totum. §. penult. de Excep. Rei Iud.* Quando enim regulare est, duas actiones, quarum altera alteram consumit, simul institui non posse, *per l. fundum. & l. fundi. de Excep. Rei Iud.* consequens etiam videtur in proposito dicendum idem esse. Cui accedit & illud quod sæpius in jure nostro repetitum est, quoties plures actiones concurrũt, toties eligendam unam esse. *l. nemo ex his. §. quoties. de Reg. Iur. gl. & alij ad l. ult. C. de Nox. Act.* Doctores nostri sese his regulis mirificè implicant, nec, quâ se expediant, viam inveniunt. *Dec. & Ferrar. in l. nemo. §. quoties. de Reg. Iur. gl. in d. l. 2. C. h. t. Din. in c. nullus. de Reg. Iur. in 6.* Ego ut eam rem obiter & succinctè † explicem, ita statuo, Regulam eam, quá dicimus, è duabus actionibus, quarum altera alteri præjudicio est, pendente unâ alteram institui non debere, *ex d. l. fundum. & d. l. fundi.* ita accipi, si ex definitione & judicato unius absurdum præjudicium alterius sequi posset, verbi gratiâ, si de fructibus quæstio moveatur causa principali necdum finitâ, vel Communi dividundo judicium instituatur quæstione in rem pro indiviso nondum terminatâ, pendentibus ijs sc. perperam alias proponi: posterioresque removeri exceptione doli. *Ne ea de qua agitur re, præjudicetur proprietati* Sensus inquam hîc est, quod judicio prius de fundo motò, præposterè veniatur per instantiam nouam ad fru-

Qq ctuum

ctuum exactionem, quamdiu causa principalis necdum est finita; itemque quod quæstione vigente in rem præposterè deveniatur ad judicium communi dividundo, judicio priore necdum finito, quin obstet exceptio, ut prius finiatur quæstio proprietatis. Atque id indicant exempla earum legum manifestè. Ceterùm si quis inde colligere velit eodem judicio ac libello plures actiones ad eundem effectum tendentes, quarum altera alteri præjudicio sit, cumulari non posse, is etiam admittere cogetur postulationem principalis rei & fructuum uno libello proponi non posse, itemque qui velit colligere, judicium communi dividundo cum actione in rem eadem ratione cumulari non posse, longè errabit. Id enim utrumque absurdum est, illud quidem ex natura actionum omnium quibus officium judicis etiam in fructibus deservit, & ab actore invocatur ipso statim actionis libello, hoc verò per rationem ipsam, quia si negetur dominus qui rem cujus divisionem postulat comperitur, non possidere, is ipse judex de ea re primùm cognoscit. *l.1. §.1. Fam. Ercis.* Denique ut rem redigamus in pauca, oppositis legibus ne illud quidem traditur, exempla actionum ibi propositarum cumulari eodem libello non posse, nedum colligatur inde regula qua in ceteris judicijs id perpetuum statuatur. Illud inde recté collegeris, judicio eorum alterutro instituto, alterum pendente priore proponi non posse: quia ex parte actoris in judicium venire non potest, super quo lis non est contestata *l. non potest. de Judic. ubi dixi.* & verò multò minùs id fieri posse instantijs diversis. Eodem modo accipienda est regula, qua dicimus, quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, unâ tantùm experiundum esse. *d. l. nemo. §. quoties. de Reg. Iur.* Ne nimirum ex duobus lucrum duplex ferat actor. *l. 1. C. de Furt. l. un. C. Si Serv. Ext. Se Emi Mand.* Cumulari inquam electivè queunt, ut judex super alterutra disponat, non etiam cumulativè ut utraque pariter commodum ferat, quod tamen in reo contrarium est. *d. c. nullus. de Reg. Iur. in 6. & d. l. nemo. in prin. fac. qua nos in d. l. non potest.* Planè de axiomate eo, quo dicimus sententiam in hæreditatis petitione latam præjudicare rei vindicationi, omnino idem censendum, ut id quoque accipiatur si diversis instantijs altera ex eodem jure resumatur. *ut indicant verba tex. in d. l. si quis cum totum. de Excep. Rei Iud.* Ceterùm si quis inde collegerit, nullas actiones eodem libello proponi posse, quarum alteræ alteras consumant, longè aberrabit, quandoquidem id ut nusquam relatum est, ita rationi repugnat, & stilo tribunalium penitus non admissum. Siquidem in omnibus actionibus quæ ad eundem effectum tendunt, si singularum instantia una, judicio & sententia definitiva sit terminata, eadem alteri præjudicat. Quod si

jam

jam inde sequatur ob hoc eas cumulari non posse alternativè aut electivè, sequatur etiam necesse est, nec Publicianam cum Rei Vindicatione, nec actionem ex stipulatu de evictione, cum ipsa actione ex empto, nec ullam utilem actionem cum directa cumulari posse: sed hoc quia absurdum est, & omnium tribunalium ac judiciorum stilo repudiatum; sequitur & perinde ineptum esse unde hoc sequeretur. Rectè igitur & bona ratione in contrarium reflectimus, Hæredit. Petitio, & Rei Vindicatio difficiliùs diversis instantijs aut terminis in eadem causa separatim admittuntur, eò quod altera alteram consumit: ergo eodem judicio ac libello cumulantur rectè, ne ex inani verborum captatione justus hæres cadat suo jure. *Contra tit. C. de Form. & Imp. Subl.* Proinde concludimus † Hæreditatis petitionem cum rei vindicatione eodem libello non modò cumulari posse, sed & cumulari prudenter, *per l. un. §. quia autem. infrà. Quod Leg.* & judici eligendum ex libello esse id quod actori utilius est. *per text. in l. si quis intentione, de Iudic.* Atque hoc Angelus & Castrensis probarunt. Tametsi verò id disputatum est *à gl. & Cumano in d. l. 2. C. eod.* argumenta tamen eorum non alia fuère, quàm quæ jam pluribus sunt confutata, nec ipsa in praxi admissa. De tota verò cumulandarum actionum materiâ pleniùs agimus infrà. *in l. si is qui stichum. de Obl. & Act.* 4.

§. Penult.) Relatus in ijs est quæ ponimus infrà *in l. 7. de Rei Vind.* ubi tradimus quatenus conveniri possit qui rem dolo alienavit, vel minùs.

Ad l. & non tantum. 19.

1. *Quæ res in hæreditatis petitionem veniant.*

2. *Feuda an hæreditatis petitione rectè postulentur & quatenus.*

3. *An feudi successor hæres feudum retinere possit ipsâ hæreditate repudiatâ.*

4. *An filius defuncti feudum retinere queat hæreditate repudiatâ.*

5. *Feuda in bonorum exsecutionibus ordine postrema sunt.*

Veniunt in hæreditatis petitionem res non modò quæ defuncto propriæ fuère, † sed & quoquo modo in hæreditate repertæ, quarumque nomine hæres verus ex jure successionis ita tertijs obligatus est, ut erat cui ipse successit, quales sunt depositæ, commodatæ, 1.

Ad l. item veniunt. 20.

1. *Fructus in hac petitione augere hæreditatem censentur.*
2. *In hac actione fructus veniunt jure actionis.*
3. *Empta hæreditas fructibus non augetur.*
4. *In hoc judicio etiam consumpti fructus considerantur, si possessor ijs locupletior sit.*
5. *An ea distinctio etiam in alijs judicijs admittatur.*

§. ITem non solum.) Fructus †omnes itemque ancillarum partus 1
augent hæreditatem. *l. illud. 40. §. 1. & 2. inf. eod.* Unde † colli- 2
gunt in hæreditatis petitione fructus venire jure actionis, cùm in ceteris actionibus restituantur officio ac jussu judicis singulari. DD. *hic*. Indeque annotatum est, eum qui bona fide alterius possidet hæreditatem, fructus (aliter quam in actionibus in rem reliquis, *l. qui scit. §. 1. de Usur. l. bonæ fidei. 48. de Acq. Rer. Dom.*) non facere suos. Quod magis est, quia hac actione conventus, titulum vel prorsus nullum habet, vel saltem invalidum. *l. regulariter. 9. cum ll. seqq. suprà eod.* unde nec fructus suos facere potest. Planè si bonæ fidei possessor hæreditatis justo possideat titulo, verbi gratiâ, ex testamento, fructus etiam interim facit suos. *l. per servum. 32. inf. eod.* Fructibus enim augetur hæreditas cùm ab eo possidetur à quo ea peti potest. Empta † proinde hæreditas fructibus non augetur, 3
cùm ab emptore bonæ fidei, peti hæreditas non possit, ut suprà diximus, *in l. 13. eod.* itaque eo casu consumpti & percipiendi restituuntur demum à tempore litis acceptæ. *l. 2. C. eod.* Quoties igitur fructibus augeri hæreditas dicitur, subintelligendum semper est, vel bonam fidem vel justum titulum possessori defuisse. Aliàs enim penderet ea res ab incerto eius qui possessorem conventurus esset, & arbitrio & jure, quòd valde ineptum foret ut rectè Accursius annotat. *gl. hic in verb. omnes.* Denique & illud † in hac actione no- 4
tandum est, quod etiam consumptorum fructuum ratio habetur, si bonæ fidei possessor ijs locupletior sit. *d. l. illud. §. in bona. inf. eod.* Quæ distinctio † inter possessorem locupletiorem factum vel non 5
factum, licet multis indefinitè in lucro fructuum observata sit, *Ias. & Dec. l. si me & Titium. infrà de Reb. Cred. Alex. qui communem dicit, in l. Nesennius. §. fin. num. 7. de Re Iud. Afflict. Decis. 240. num. 2.* tamen nusquam textibus aut in praxi (quod sciam) probata est, præterquam in judicijs universalibus. *Molin. in Consuet. Paris. §. 22. num. 49. Covarru. lib. 1. Resol. c. 3. num. 6. Pinell. in Comm. l. 2. C. de Resc. Vend. par. 2. c. 4. num. 47.* Nisi fortè ita quædam expensa sint, ut

aliæ res vicissim eâ pecunia sint comparatæ, quò manifestum sit eam consumptam non esse. Tum enim quia non perijt, etiamnum exstare censetur. Vniversam verò disputationem de lucro & restitutione fructuum plenissimè explicavimus alibi, *in trac. de Off. Iud. c. 7. per tot. & lib. 4. Subtil. c. 13. & c. 14.*

§. cùm prædiximus.)

IN hoc judicium veniunt actiones hæreditariæ omnes, unde quæsitum est, An non actio quæ inficiatione crescit veniat cum suo incremento: Vlpianus Iulianum secutus incrementum non venire. *tex. hîc.* Sed hoc ita nisi hæres jam duplum re ipsa exegerit, id enim ne lucrum sentiat ex hæreditate, restituit meritò. *l. evicta. 55. inf. eod.*

Ad l. utrum. 23.

1. *Quando quis censeatur locupletior.*
2. *Doctorum sententia de hac quæstione diversa.*
3. *Sententia Authoris.*

1. BOnæ fidei possessor † ad pretium rei alienatæ non tenetur, nisi quatenus locupletior est. *tex. hîc. & l. item veniunt. §. præter hæc sup. eod.* Quando verò locupletior censeatur, quæsitum est. Et est quæstio hæc, ut pluribus juris nostri locis communis, ita multis al-
2. tiùs examinata. Nonnulli perhibent † ita quem locupletiorem censeri si constet pecuniam ad aliquem pervenisse. *quò inclinare videtur gl. hîc in verbo consumpsisse. sequitur Angel. eodem hoc lo. Fulgos. ad l. sed etsi lege. §. quod autem. h. t. Rom. consilio. 149. num. 2. Decius in l. ex pœnalibus. num. 5. de Reg. Iur.* moventur eo, quod nemo præsumatur jactare suum, *l. cum de indebito. de Prob.* Accedit quod alibi relatum est, minorem restituere debere pecuniam quæ ad eum pervenit, nisi quis sciens dederit consumpturo. *l. quod si minor. §. restitutio. de Minorib. & l. 1. C. de Reput. quæ fiunt.* Ceterùm è diverso, pecuniam consumptam, præsumi, & idcirco probandum esse, quod ea sit conversa in utilitatem accipientis, alijs visum est, *Decius ad l. certi condictio. §. quoniam. num. 3. Si Cert. Pet. Alciatus. ib. num. 10. Menoch. lib. 6. præsump. 27. num. 6. Angel sibi in hac re non ita constans consil. 160. circa finem.* Movet eos quod relatum est, tempore litis contestatæ inspici an aliquis sit factus locupletior, *l. in pupillo. de Solut.* inde enim consequitur non sufficere quod pecunia ad aliquem pervenerit. Accedit

dit quod cavetur, verbum pervenisse cum effectu accipiendum, ita ut sit factus locupletior. *tex. hîc. junc. l. prædiorum. & l. si prædium, C. de Præd. Min. Verb. pro ea duntaxat parte te conveniri permittit, quam in facultates tuas erogatam esse constiterit. adde l. 1. & 2. C. si Adv. Cred.* Alij rursus diversimodè distinguunt, *Bart. in d. l. 1. C. si Adv. Cred. Duar. ad eundem C. tit.* Ego respondi † rem in facto consistere, ut nimirum quisque qui alium locupletiorem factum pro fundamento intentionis suæ contendit, id probare cogatur. Proinde qui cum pupillo contraxit, quia haud aliter actionem habet, quàm si is locupletior sit. *l. 3. Commod. cum sim.* id ante omnia probabit. Perinde si quis minori pecuniam crediderit, id probare cogetur, *per tex. & not. in d. l. 1. & 2. C. si Adv. Cred.* E diverso in casibus ceteris negotiorum quæ cum minoribus inita sunt, quia fundamentum restitutionis est læsio, minor se læsum docebit. *l. nam postea. 9. §. si minor. de Jurejur.* ideoque adversarij, ad probandum, hîc nullum est onus. In hæreditatis verò petitione ceterisque causis quæ cum majoribus peraguntur, id artiùs ex facto metiri oportet, ut nimirum si homo frugi pecuniam acceperit, ipsa receptione locupletior censeatur, nisi probet se perdidisse. Illud enim certum est, hæredem ad rationes & computum omnium emolumentorum teneri, quod si igitur à computu aliquorum excusari contendit, docebit se ijs non factum locupletiorem, id est vel perdidisse, vel consumpsisse, vel donasse. Quod si id non fiat, locupletior censetur & ad computum manet obligatus. *ut hîc.* Atque id causæ est, quamobrem tam multa & prolixa capita sub hoc titulo exstent, quibus doceatur quando possessor locupletior censendus sit. *ut hîc. & l. deperditum. supra. l. sed etsi. 25. §. 1. & §. quod autem. 16. inf. eod. & alibi.* Re igitur ritè examinata certum est de proposita quæstione nihil certi posse definiri, sed totam prudentiori judicis arbitrio relinquendam, ut is pro factorum circumstantijs & qualitate modò huic probandum injungat pecuniam perditam, modò illi in rem alterius versam. Præterquam si quando quis id ipsum in fundamentum prætendat suæ intentionis. Quo casu ad principia probationum respicimus, ut sive quis agat sive excipiat, medium conclusionis suæ probet, *l. 2. inf. de Prob. l. actor. C. eod.*

Ad l. sed etsi lege. 25.

§. 1.) *Pertinet ad ea quæ ponimus in l. utrum. 23. eod.*
§. Si ante.) *Opponitur l. illud. 40. infra eodem. Solutionem, vide ibidem.*
§. Item si rem,) Allegatur in ijs quæ nos in *l. 7. de Rei Vind.*

§. Petitio.)

§. PEtitio.) Hæreditatis petitio propriè in rem actio est. *tex. hic.* id enim propriè petitionis verbum designat, *l. actio. 28. de Obl. & Act. l. 178. §. actionis. de v. Sign.* recipit tamen præstationes quasdam personales, *ut hic & l. 31. inf. eod.* quo respectu eadem & nonnullis mixta dicta est. *Bal. in l. 7. C. eod. Schneid. in § actionum. Inst. de Act.* Quod alijs vix probatur, *Maran. par. 4. Speculi. distinc. 3. num. 8.* Sed quia hoc dissidium in verborum apicibus consistit, utrum teneas nihil refert. *vide Donell. in §. omnium. num. 8. Inst. de Act.*

Ad l. post SC. 28.

Hæc L. relata est suprà *in l. item veniunt. 20. §. cum prædiximus. eod. tit.*

l. per servum. 32.

Explicata est suprà *in l. 20. §. item non. solum.* eod.

Ad l. Planè. 38.

De impensis recipiendis egimus plenè *in l. sumptus. 48. de Rei Vind.*

Ad l. illud quoque. 40.

BOnæ fidei possessor ne quidem post litem contestatam tenetur ad restituendum res casu fortuitò perditas; de prædone contrarium dicimus. *ut hic.* Non obstat l. sed etsi 25. §. si ante eod. ubi bonæ fidei possessor post litem contestatam malæ fidei censetur: quia illa procedit in restitutione fructuum, hæc verò in periculo rei ipsius.

Ad l. evicta. 25.

EVicta hæreditate bonæ fidei possessor ad omne lucrum tenetur quod hæreditatis nomine percepit, adeoque & ad duplum quod ex inficiatione, aut aliàs ex L. Aquilia lucrum nactus est. *ut in hoc textu convenit l. post SC. 25. suprà eod.* non tamen ad id quod re ipsâ nactus non est. *l. 20. §. cum prædiximus. supra eod.* Planè si quis non possederit hæreditatem, de ea tamen mota quæstione transegerit, lucrum eius occasione perceptum non restituit. *ubi vide hac de re nonnulla quæ ponimus accuratius.*

Ad

Ad l. cum idem. 57.

QVi hæreditatem contra duos defendit, quorum alter prior obtinuit, non aliter eam restituere cogitur, quàm si præstetur ei à victore cautio ut à tertio defendatur. *ut hic & L. is à quo. 57. infrà. de Rei Vind.* Sed & probabiliter dicimus, exsecutionem prioris sententiæ impediendam, si tertius in continenti jus suum probare paratus sit. *arg. l. Titia. 34. inf. Sol. Matrim. & c. cum super. de Re Jud.*

SI PARS HÆREDITATIS PETATVR.

TIT. IIII.

l. 1. Allegata est infrà in ijs quæ pono ad l. 3. & 4.

§. INterdum prætor.) An & quatenus in stirpes vel in capita succedatur, quod non pauci hoc loco tractant, nos infrà explicamus suo loco, *in l. 1. de Suis. & Leg. Her.*

Ad l. 3. & 4.

QVi post eum gradum agnationis sunt quo futurus est is qui in utero est, non admittuntur quamdiu incertum est an ille nasci possit. Qui verò in pari cum ventre gradu est, ei pro tempore quarta pars hæreditatis conceditur; quasi nimirum tres possint nasci. *tex. hic.* Pro tempore, inquam, quia si postea pauciores nascantur, quod ei deest pro rata accrescit, sin plures, quòd superest, decrescit, *ut hic in l. 4.* Non mutat l. 1. §. fin. suprà eod. ubi respectu proximi incerta pars dicitur vindicanda: quia ea procedit in extraneis, hæc verò in suis. Ratio differentiæ est, quod suus ipso jure sit hæres. *l. in suis. 11. de Lib. & Posth. Her.* adeò ut si unus tantùm in utero sit, suus jam ante natus revera hæres sit ex dimidia parte. *l. cum quidam. 30. § suum. de Acq. Her.* etsi ob incertitudinem numeri posthumorum, quarta ei tantùm assignetur. *ut hic.* Planè si extraneus ex certa parte sit institutus, de eo idem quod de suo dicendum est. *l. prox §. 1. inf. eod.*

Ad l. 5.

§. 1.) Allegatus est proximè in fine eorum quæ ponimus *ad l.* 3. *&* 4. suprà.

§. final.) Ex incerta parte scriptus hæres, utiliter hæreditatem adit. *tex. hic.* qui tamen ex certa parte se scriptum putat, & ex alia per errorem hæreditatem adit, nihil agit. *l ex semisse.* 75. *infrà. de Acq. Her.*

LIBER SEXTUS

DE REI VINDICATIONE.

Ad Rubr.

POST generales in rem actiones sequuntur vindicationes speciales. Quarum prima singulari nomine REI VINDICATIO dicta hoc titulo proponitur. Ea sic dicta est à vindicando, hoc est asserendo rem à manu illius qui eam tenet. *Gell.* 20. *Noc. Att.* est enim vindicare adsciscere, revocare. *Nonc.* 4. *de Lin. Lat. vide Subtil. nostras. lib.* 1. *c.* 7. Ea in directam dividitur quæ vero rei domino datur, & utilem quæ datur aliis jus dominio minus habentibus in rem, ut vasallis, emphyteutis & similibus. An verò inde dominium rectè aliud utile aliud directum dicatur, quæsitum est, Sed hanc quæstionem nos alibi plenè tractamus. *d. lib.* 1. *Sub. c.* 7. *& infrà in l.* 1. *Si Ag. Vect. Pet.*

Ad l. 1.

1. *Quæ res rei vindicatione petantur.*
2. *Vindicatio juris incorporei.*
3. *Res præscripta an perinde ut usucapta vindicari queat.*

1. §. QVæ specialis. 1.) Petuntur † hac actione omnes res tam mobiles quàm soli. *tex. hic.* modò corporeæ sint. §. 1. *Inst. de Act.*
2. Planè † tametsi & juris incorporei vindicatio sit. *inf. tit. Si Usufruct. pet. & Si Seru. Vind.* ea tamen constituit genus tam materiâ quàm
3. agendi forma diversum. Illud quæsitum est, † an etiam res præscripta non usucapta (usucaptum enim, aut longi temporis 10. vel 20. annorum præscriptione comparatum & ab ipso veteri domino vel creditore hypothecario rectè vindicari, constat. *l. pen. in princ. C. de*

30. *vel*

30. *vel 40. An. Præscrip.*) vindicari queat, & obtinuit vindicari rectè, idque propter præscriptionis & usucapionis differentiam sublatam. *l. un. C. de Vsucap. Transform.* Accursius tamen & alij distinguunt, ut immobilium quidem præscriptione dominium utile quæratur, directum non item. *gl. Ias. alij in l. traditionibus. C. de Pact.* eoque & utilis vindicatio sit. Sed hoc ceteris visum non est, *Alciato in d. l. traditionibus. Pinell. in Auth. nisi triennale. num 37 C. de Bon. Mater.* Nam quia præscriptione dominium indistinctè quæritur, *d. l. un. C. de Vsucap. Transform.* sequitur etiam indistinctè locum habere vindicationem. *d. l. pen. C. de 30. & 40. ann. præscrip. in princip.* Eiusque rei argumentum & illud non leve est, quod etiam olim ex præscriptione prædiorum prouincialium, vel quæ juris eorum nec mancipi erant (eoque nec usucapi poterant) utilis vindicatio fuit. *l. cum sponsus §. in vectigalibus. de Public. in Rem.* multò enim certiùs hodie directa erit, differentia pura dominij & possessionis eiusmodi prædiorum omnino sublata. Illud excipimus, si is qui 30. annis præscripsit ab initio in mala fuerit fide, & possessionem deinde amiserit, quia is vindicare rem perditam non potest, *d. l. pen. §. 1. C. de Præscrip. 30. Ann.*

Ad l. 5. §. penult. & ad l. si in rem. 6.

1. *In rem agentem quid dicere oporteat.*
2. *Conciliatio l. 66. de Iudic.*
3. *Absurda nonnullorum observatio notata.*

IN rem † agentem dicere oportet, quid, quale, quantum sit id quod vindicat, pro re nata. *ut hic in textu clarius.* error verò vocabuli nihil officit, *suprà l. prox. § pen.* modò declaretur res circumstantijs vel qua designatione alia ex diversis adjunctis potiùs, aliàs enim sententia in hoc judicio ferri non debet, *ibidem in §. fin* Nec † obstat his, quod declaratio intentionis obscuræ pertinet ad actorem, eoque modo processus videatur conservandus, *l. si quis intentione. 66. ubi dixi. suprà. de Iudic. text. in l. inter stipulantem. 83. §. 1 de Verb. Obl.* id enim procedit quando verosimilis actoris declaratio & intentio est: hic verò textus, quando probabilis declaratio adduci non potest. Malè igitur alij huius † litis conciliandæ causa somniarunt, hoc loco intelligi actum de hærede, cui scilicet declarandæ voluntatis eius qui defunctus est, non foret facultas. *Accurs. Bal. Costal. hic.* id enim & hic nō dicitur, & per se repugnat principijs

1.

2.

3.

succeſſionum, quæ hoc volunt ut hæres ſuccedat in univerſum jus defuncti. Quanquam aliàs in nonnullis ob probabilem ignorantiam benignius cum eo agatur. Vt uſu venit in pœnis quæ ad hæredem delinquentis non tranſeunt.

Ad l. ſi is 7.

1. Eo qui ſe liti obtulit damnato, nihilominus poſſeſſor conveniri poteſt.

2. Conciliantur diverſa.

3. Quatenus quis teneatur nomine culpæ poſt litem conteſtatam commiſſæ.

1. DAmnato † eo qui ſe obtulit fundi vindicationi, res nihilominus rectè poſtulari poteſt à poſseſsore. *tex. hic.* idemque eſt re dolo malo alienata à poſſeſsore priùs convento. *l. nec ullam.* 13. *§. pen. ſu-*
2. *prà. de Hær. Pet. l. Stichum.* 95. *§. dolo de Solut.* Nec mutat † l. ſed etſi. 25. §. item ſi rem 17. verſ. certè. ſuprà. *de Hæret. Pet.* quia ea locum habet in alienatore bonæ fidei, hæc verò in eo qui rem alienavit malâ fide. Tametſi verſiculus ibidem ſequens unà agat de malæ fidei poſseſsore. Minuſque ad rem facit l. ſi quis dolo. 51. §. 1. infrà. de Re Iud. ubi creditor miſsus in poſseſſionem cauſa rei ſervandæ, & quia non eſt admiſsus: id quod intereſt à venditore recipiens, non poteſt ampliùs debitorem poſſidentem convenire: quia ea procedit in creditore perſonali, in quo genere etjam alius pro alio ſolvendo,
3. invito liberationem parit. *l. ſi pro me.* 40. *de Solut.* Quatenus † verò quis culpæ nomine poſt litem conteſtatam commiſſæ conveniatur, infrà tractamus, *l. ſin autem.* 27. *§. poſſidere. & l.* 36. *h. t.*

Ad l. Pomponius. 8.

1. Hæreditas individua.

2. Conciliantur oppoſita.

3. Res mobiles individuæ & quare.

1. HIc textus ferè planus eſt. Illud † tamen memini diſputatum, quemadmodum accipiendum ſit, quod dicitur hæreditas nunquam diviſa poſſideri poſſe. *tex. hic.* Cui accedit quod hæreditas res incorporea dicitur. *l.* 1 *de Rer. Div.* & ſine ullo corpore intellectum juris habet. *l. hæreditas.* 50. *in princip. ſuprà. de Hær. Pet.* Iuris verò communio ne ſeparatim quidem intelligitur, nedum dividatur.

tur. *l. arbor.* 19. §. 1. *infrà. Comm. Div.* Proinde quoque hæreditas quæ & ipsa dominij jure censetur, *l.* 2. §. *fin. de Bon. Poss. Sec. Tab.* Opponi solent † diversa. & princip. tit. Si pars Hær. Pet. item id, 2.
quòd hæreditas in 12. uncias dividitur. *l. interdum.* 13. §. 1. *l.* 50. §. *fin. de Hær. Inst.* Sed & obstat quod hæreditatis dividendæ causa judicium familiæ erciscundæ proponitur *D. & C. Fam. Ercis.* Denique & illud opponi consuevit, quod dividua dicuntur quæ usum dividuum habent, *l. via.* 17. *de Seru.* Inde enim & hæreditas ante omnia dividua habenda videtur. Sed respondetur argumentis cum his, tum ceteris similibus: toties hæreditatem dividuam esse, quoties considerantur substantia & res ipsæ in hæreditate existentes; quoties verò abstractum jus successionis consideratur, quia id in solo juris intellectu etiam apud plures unius successores pro indiviso est, eam individuam esse. Illud † etiam con- 3.
troverti potest, quamobrem hîc dicatur, rem mobilem pro diviso possideri non posse. *ut hîc in fine.* Nam & tignum integrum unum duorum pro diviso esse potest. *l. binas. de Seru. Præd. Vrb.* sed ibi tignum propter contignationem duorum ædificiorum, immobile est. Opponi quoque solet l. pen. Pro Soc. verùm ibi arbor vel lapis exemptus habetur pro indiviso. *ut in l. arbor. infrà. Comm. Div.* Quamobrem verò ea individua dicantur apposité quæritur, & probabile est id eò fieri, quod dividi nequeant sine interitu rerum ipsarum, ut vel maximè in animalibus rebusque compluribus alijs perspicuum est. Hoc autem de immolibus, verbi gratia fundo, dici non potest, eo quod fundo diviso singulæ partes pro fundis singulis sint. Sed hac de re qui plura requirit Hotomannum consulat, *in Quæst. Illust. c.* 18. 19. 20. & 21. ubi ex professo tractat quæ res quemadmodum dividuæ vel individuæ sint.

l. Officium. 9.

PErtinet ad ea quæ ponimus infrà *in l. bona fides.* 31. §. 1. *Depos.* Allegata quoque eadem est suprà, *in l. si de vi. de Iudic.* ubi plenè tractamus an & quatenus possessorium & petitorium simul, an verò alterum altero prius disputetur, aut officio judicis examinetur.

Ad l. non solum 13. & l. 14.

1. *Officium judicis in rei vindicatione quod sit.*
2. *Damni dati nomine etiam legis Aquiliæ actio est.*
3. *Restitutione rei, ejusdem vindicatio perempta est.*

4. *An ad id quod interest post rem restitutam agi queat.*
5. *Quid si id quod interest ex sola debitoris veniat mora.*
6. *Quid si desit jus aliquod rei traditæ.*

1. OFficium † judicis in rei vindicatione est, non solùm ut res restituatur, sed & ut negligentiæ aut culpæ resarciatur damnum.
2. *tex hic. & l. qui petitorio. 36. §. 1. inf. eod.* Sed & † Legis Aquiliæ actio hoc nomine parata est, *ut hic & l. liber homo. Ad L. Aq.* Cessat ta-
3. men † rei vindicatio ob hanc causam, re jam restitutâ. Sic enim & ceteræ actiones stricti juris, verbi gratiâ, certi condictio rei receptione perimuntur. *l. 7. §. non solum. de dolo. l. de eo. 6. §. sæpius. Ad Ex-*
4. *hib.* Ceterùm † si quæ supersint actiones aliæ, nihilominus rectè exercentur, *hic & l. si quis. 17. in fine. Ad Exhiben. l. exhibitionis. C. eod.* Idque usque adeò ita est, ut & post restitutionem rerum, ad id quod interest resarciendum, rectè intentetur actio de dolo & in factum, *d. l. 7. §. non solùm. de Dolo. d. l. exhibitionis. C. ad Exh.* Si ta-
5. men † id quod interest ex sola debitoris veniat morâ, receptione pecuniæ creditor id ipsum remisisse censetur, *l. ult. De Eo Quod*
6. *Certo Lo.* Sed quid si desit adhuc aliquid juri eius rei quæ jam tradita est, verbi gratiâ, fundus traditur alteri obligatus, servus necdum noxâ solutus, vel si eo nomine caveri postuletur? magis est, hoc casu pristinam etiamnum actionem (re quantumvis traditâ) superesse. *l. etiam. 27. l. qui servus. 72. §. qui hominem. de Solut. l. Julianus. 131. §. 1. de Verb. Obl. Castr. in l. 1. §. si res. infra. Depos.* Ceterum in bonæ fidei judicijs perpetuum est, ut etiam post restitutionem rei exerceri queant. *vide quæ nos. & in l. 3 §. 1. Commod. l. 7. §. non solùm. suprà de Dolo. Plenissimè verò in Subtil. nostris. lib. 5. c. 14.*

Ad l. item si verberatum. 15. & l. 16. & l. 17.

EX principio legis 16. malè vulgò colligitur, Principi permissum esse sine justa causa privato jus suum auferre, ut infrà docemus. *in l. Lucius. 11. de Evict.*

§. Final.) Cujus periculo res cujusque apud alium detenta pereat, latissimè tradimus infrà, *in l. 5. de Reb. Cred.* ubi vide.

Ad §. 1. legis. 17.

DE fructibus vide quæ ponimus infrà in l. videamus. *& l. fructus. de Usur. & lib. 4. Subtil. c. 13. & 14.*

Ad

Ad l. post acceptum. 18.

Vide quæ ponimus infrà *in l. 2. de Vsucap. ubi hæc refertur.*

Ad l. in rem. 23.

1. Rei vindicatio domino datur.
2. Vtilis vindicatio cui detur.
3. An ei vindicatio detur qui rem usucepit.
4. An & quatenus uxori aut marito detur vindicatio rei dotalis.
5. Res sacræ & religiosæ an vindicentur.

VIndicatio rei domino † datur. *tex. hic.* Vindicamus enim ea tantùm quæ nostra sunt. *l. Quintus. §. argento. de Auro & Arg. Leg.* Quod quidem de vera rei vindicatione & directa accipiendum est; utilis enim † datur etiam non habentibus dominium, sed solum jus in rem, *tot. tit. de Pub. In Rem. Act. & Si Fun. Vect. Pet.* Quemadmodum & hypothecaria in rem actio dicitur. *videantur in primis hac de re plenissimè Subtil. nostra. lib. 1. c. 7.* An † verò ut ei qui rem quampiam usucepit rei vindicatio datur, ita & detur qui præscripsit, definitum est suprà, *in l. 1. §. 1. eod. tit. ubi vide.* Illud quæsitum † est: An uxori vindicatio rei dotalis constante matrimonio detur? qua in re præmittendum est, maritum traditione rei dotalis etiam naturali ratione dominum fieri, *§. per traditionem. Inst. de Rer. Div.* idque initij intuitu. nam si finem respiciamus, & dissoluti matrimonij tempus, solâ juris subtilitate dominus censetur, & uxor tam civili quàm naturali ratione intelligitur domina mansisse. *l. in rebus. C. de Iure Dot.* Subtilitate igitur juris considerata maritus constante matrimonio rei vindicationem habet, & contra eum datur. *l. doce. C. h. t.* Sed interdum & mulier eam habet, ut si maritus ad inopiam vergat, *l. ubi C. de Iure Dot.* vel si ita divortium fiat, ut dos maneat uxoris. *arg. l. 13. §. 10. suprà. de Her. Pet.* 1. 2. 3. 4.

§. 1.) Res sacræ aut religiosæ vindicari nequeunt ut nostræ, quia non sunt in nostro dominio. *tex. hic. & l. quæ religiosis. 43. inf. eod. junc. l. in tantum 6. §. sacra. de Rer. Div.* Vindicari tamen ferè ab episcopis & præpositis ecclesiarum curatorio nomine queunt. nam & ecclesia dominium habere censetur, *tex. in l. sancimus. 21. ubi not. C. de Sacros. Eccles.* Quod Iure Canonico vel maximè ita est. 5. *Episcopi vindicare res sacras queunt, & maxime Iure Canonico.*

1. An

1. An pictura cedat tabulæ.
2. Conciliatur l. 9. §. sed & non uti. De Acq. Rer. Dom.

1. §. SEd & id quod in charta.) Dubitatum † est, Anne pictura tabulæ cedat, an verò contra tabula picturæ: & plerique putant, Paulum hoc loco ita statuere, ut pictura tanquam accessorium domino tabulæ cedat. Obstat l. qua ratione. 9. §. sed & non uti. de Acq.
2. Rer. Dom. ubi referuntur † diversæ authorum hac de re opiniones; obtinuisse tamen, ut tabula cedat picturæ, idque ob pretium eius, quod ipsum in hoc tractatu & aliàs sæpius consideratur, *l. quicquid. 27. §. fin. eod. tit. de Acq. Rer. Dom.* Ceterum verba Pauli hoc loco ita commodè accipies, ut per sequentia corrigantur priora, idque per adversativam hanc particulam LICET, *rectè Pacius Cent. 3. Enant. c. 44.* Nec refert quod in sequentibus rursus dicitur: *sed necesse est ei rei cedere, sine qua esse non potest.* Ibi enim, *sed* designat idem quod plerumque designat, *sed aliàs*, idque phrasi Græca. Quasi dicat juris author, in proposito quidem ob pretium picturæ tabula ei cedit, sed aliàs regulariter unumquodque cedit ei sine quo esse non potest. Eiusmodi verò loquendi ratio juris authoribus non inusitata est, ut alibi docuimus.

§. Item quæcunque. 5.) Hic §. refertur infrà *ad l. sed si meis. 26. de Acq. Rer. Dom.* ubi vide.

Ad l. si autem. 27.

§. POssidere.) Qui in rem conventus litis contestatæ tempore non possedit, tempore verò sententiæ ferendæ possidet, condemnandus est, *tex. hic quem refer ad ea quæ ponimus in l. non potest. 23. de Iudic.* Contra qui possidet quidem tempore litis contestatæ, possedisse autem tempore sententiæ sine dolo malo desijt, absolvendus est. *tex. hic.* Planè quod de dolo dicimus, idem & ad culpam pertinet post litem contestatam commissam, ut nimirum si culpa rei effectum sit quo minus tempore sententiæ possideat, teneatur nihilominus *l. qui restituere. 68 l. si homo. 45. & l. si culpa. 63. fac. & l. si in rem. inf. eod.* Quod si quis rem depositam semel contrectaverit, deinde eam sibi redemerit solvendi depositi causâ, licèt ea postea sine dolo perierit, tenetur tamen ob dolum semel commissum. *l. 1. §. si rem depositam. 25. infrà. Depos.*

§. Sed & is.) Relatus est hic §. est *in l. 36. infrà. eod.*

Ad

Ad §. finalem, legis 27. & ad l. 28. l. 29 & l. 30.

IMpensæ in servum factæ non repetuntur, nisi vindicans eum fortè habeat venalem, ut propter impensas plus ex pretio redigere possit, vel possessor actori denunciarit ut impensam solveret, & eo dissimulante opponatur exceptio doli, quod eæ utiles forent vindicanti, *tex. hic.* vide quæ latè ponimus de impensis infrà *in l.* 48. *eod. tit.* Nec mutat l. apud Celsum. §. si minor. de Doli Excep. ubi etiam minori qui servum donavit, rectè pro alimentis dicitur objici exceptio doli: bellè enim Accursius id ibi singulare perhibet, quia conventus causam habuerit ab ipso vindicante. Quâ ratione & in l. 1. C. de Infant. Expos. singularis subest favor eius qui expositum educavit.

Ad l. fructus. 33.

VIde ad hanc legem quæ ponimus suprà, *in l. sed & partus.* 12. *Quod Met. Caus.* solet enim opponi l. si fundum. C. de Rei Vind. quam solvimus cum hac in d. l. 12. Quod Met. Caus. De lucro fructuum verò tam bonæ quàm malæ fidei possessoris, vide infrà *in l. fructus.* 45. *de Vsuris. & lib.* 4. *Subtil. nostr*, *c.* 13. *& in l. bona fidei. de Acq. Rer. Dom.*

Ad l. & ex diverso. 35.

1. Condemnationem rei principalis, condemnatio fructuum consequitur, & quomodo. num. 2. & 3.
4. Explicatur l. fundi de Re Iud.
5. In judicijs universalibus fructus veniunt jure actionis, quod in ceteris non ita est.
6. De expensis litium omissis quid juris.

§. 1. COndemnatione † de re principali facta, victus etiam de fructibus condemnandus est, *ut hic & l.* 1. C. *si Mul. Sec. Nup.* Quod si judex de ijs nihil statuerit, succedit condictio vel sine causa (solutâ nimirum causâ possessionis) *arg. l.* 1. §. *fin. de Condict. sine causa.* vel ex lege, *l.* 3. C. *de Condict. Ex Lege.* Vnde † quæsitum est an valeat sententia, qua simul judicatur rem restitui cum fructibus. Dubium movit l. fundi. de Re Iud. quâ cautum est priùs de re principali quàm de fructibus cognoscendum. Sed distinguimus utrum fructus eodem libello sint postulati, quo casu magis est sen- 1. 2.

tentiam ita rectè ferri, *l. ut fundus. infrà Communi Div. l. ult. C. de Fideicomm. lib.* an verò è libello omissi sint, quo casu exspectandum est ad sententiæ pronunciationem, ut nimirum dein eodem jure de fructibus cognoscatur, quo cognitum est de causa principali, *tex. in d. l. fundi. de Re Iud.* & eorum adjudicatio fiat, *ut hic.* & liquidatio, *per l. un. C. Si Mul. Sec. Nups. & l. in sententiis. §. qui fortis. de Re*
3. *Jud.* Planè si & † è libello omissi sint fructus, & judex è causæ meritis intelligat etiam de restituendis ijs actorem sensisse, benigniùs dicimus earum rationem etiam in sententia haberi posse, idque litium abbreviandarum causâ. *per vulg.* Atque hæc omnia quotidie
4. in praxi servantur. Nec ad rem † facit d. L. fundi de Re Iud. quia ibi id modò relatum est, ne pendente judicio de causa principali fructus per novam instantiam postulentur, aut ne fructuum postulatio
5. rei petitionem præjudicio suo præcedat. Sententia † enim de re principali etiam in fructibus jus parit, *ut hic.* Amplius in universalibus judicijs fructus etiam jure actionis veniunt. *l. item veniunt. 20. §. item non solum. de Her. Pet.* sed hoc in particularibus non ita est. *ut hic. & d. l. fundi.* Quod autem hîc ab Accursio quæritur, an etiam de percipiendis statuere judex debeat, & de quibus demum, *gl. in princ. huius l.* id nos alibi explicamus fusiùs. *in l. fructus. de V. Iur. & in libro nostro de Off. Iud. c. 7. item lib. 4. Subtil. c. 13. per tot.* De-
6. nique † in expensis litium singulare est, ut nisi earum condemnatio fiat, postea à victo postulari non possint. *l. 3. C. de Fruct. & Lit. Exp.* Ibi enim de solis litium expensis agi ex eo constat, quod in ratione fructuum computandorum etiam sumptuum & impensarum ceterarum ratio habetur. *ut in l. 18. sup. eod. dixi.* Fructuum verò ratio etiam lite finita haberi potest. ut in d. l. 3. De Condict. Ex Leg.

1. Petitor an possessori de evictione caveat post receptam litis æstimationem.

2. Conciliatur l. si donatæ. de Don. inter Vir. & Vx.

3. Evictâ re cuius æstimatio soluta est, an & quatenus de evictione agi queat. & 4. & 5.

1. §. Petitor.) Petitor possessori, qui litis æstimationem † præstitit de evictione cavere non tenetur: sibi enim imputabit quod non rem ipsam restituit, *tex. hic. & l. ideoque 10. Rer. Am. l. 14.*
2. *§. 1. de Condict. Ent. l. si pignori. Fam. Ercis.* Nec mutat † L. si donatæ. de Don. inter Vir. & Vx. quia ibi in rem conventus causam possi-
3. dendi habebat ab ipso vindicante. Qui † verò ex textu præsenti colligere volet, evictâ re ipsâ, evictionis nomine non fore actionem, graviter

graviter errabit. Nam qui litis æstimationem præstitit pro emptore est, *l.* 1. *Pro Emp. l. si propter res. Rer. Amot.* Planè † si res petita transactione rei dubiæ maneat apud reum, ita ut dato alio vel accepto actor juri qualicunque suo renunciet, ut res in veram æstimationem non cadat, petitor de evictione non tenetur, *l. si pro fundo.* 33. *in fine.* C. *de Transact.* Idemque † est, si æstimatio ita accepta sit, ut venditor postea nihil præstaret, sed id solum venditum sit, si quid juris esset venditoris. *l. Quod si.* 10. *de Her. vel Act. Vend.* quanquam si dominium eo casu actoris sit, id tam transactione propria quàm litis æstimatione transeat in possidentem, *l. eius rei.* 46. *infrà. cod.* 4 5

Ad l. qui petitorio. 36.

1. *In rem actione tenetur etiam is qui dolo vel lata culpa desijt possidere.*

2. *Nam idem sit si reus possidere desierit ante litem contestatam.*

3. *An rei vindicatio cum actione in factum ex edicto de alienatione* judicij *mutandi causâ concurrat.*

4. *Quid juris de actione in factum si tantum culpa lata intervenerit.*

HAc actione † tenetur tam is qui dolo vel lata culpa possidere desijt, quàm qui ipso actu in præsenti rem tenet, *ut in l. in rem. suprà. & l. qui restituere.* 68. *infrà cod.* Illud quæsitum † est, An idem sit, si ante litem contestatam possessionem dolo amiserit, magisque est conventum teneri, *per l. sin autem.* 27. §. *sed & is. h. t. gl. hic. Bart. in l. quia.* 1. §. *fin. de Alien. Iud. Mut. Caus.* Vnde & consequens videtur, hoc judicium (utile saltem) concurrere posse cum actione ex edicto de alienatione judicij mutandi causâ. Quod & Wesenbecius probat, *in Comm. h. t. num.* 4. *& suprà de Alien. Iud. Mut. Caus. num.* 6. *sub fin.* Nec † mutat l. 3. §. fin. illo tit. quia ibi tantum dicitur, reum actione judicij mutandi non conveniendum, si paratus sit utilem in rem actionem suscipere: eo ipso enim sententia hæc confirmatur, quia nimirum is casus solus actionem ex illo edicto excludit, regulariter diversum dicimus. Malè igitur alij per eum textum aliud tradunt. *Panor. in c.* 1. *& 2. de Alien. Iud. Mut. Caus. Ias. Zas. Mins. in* §. 1. *Inst. de Act.* Quid ergo † si non quidem dolo, latâ tamen culpâ possessio ante litem contestatam amissa sit, an idem dicamus? & expeditum est in civilibus latam culpam ferè dolo cóparari. *l. Quod Nerva.* 32. *Depos. cum sim. ubi plura de hoc art. videri queunt in nostris.* 1 2 3 4

Ceterùm quia edictum istud datam operam requirit destinatam in hoc ut difficilior nobis adversarius constituatur, *l.1. de Alien. Iud. Mut. Caus.* rectè dicimus, si quis fortè moventem ob causam, quò onus judicij ipse vitaret, rem alienet, in factum actionem illam cessare. *Wes. d. lo.* At in rei vindicatione probabiliùs latam culpam dolo comparamus, quod in civilibus earum rerum rara distinctio sit. *vide tex. in d. l. quod Nerva. Depos.* Et hoc ita est sine dubio in malæ fidei possessore, *per §. 1. hic.* quique ex pòst facto rem alterius esse deprehendit, namque hic si latam culpam committat, in dolo est, *per d. l. quod Nerva.* in eo enim qui bona etiamnum fide possidet, probabiliùs dicimus, culpam demum præstandam, post litem contestatam. *l. si homo. 45. inf. eod.*

Ad l. Iulianus. 37. & l. seq.

HÆ leges agunt de deducendis impensis, quam materiam tractaemus latiùs infrà, *in l. sumptus. 48. eod. tit.*

Ad l. redemptores. 39.

REdemptores (ij sunt qui suis sumptibus opus exstruendum conduxerunt) statim cæmenta eorum faciunt in quorum ædificant solo. *tex. hic.* Ceterùm aliàs regulare est locatione dominium non mutari. *l. non solent. 39. infrà Loc. ubi dixi.*

Ad l. si quis hac lege. 41.

Princ.) QVod hîc dicitur, emptorem cui fundus in diem addictus est, antequam adjectio facta sit, uti in rem actione, id ita intellige, si fundus jam traditus sit emptori. solo enim contractu dominium non quæritur, eoque nec jus vindicandi, *l. si ager. 50. infrà eod. ubi vide quæ dixi latè.* quia traditionibus non nudis pactis rerum dominia transferuntur. *l. traditionibus C. de Pact.*

§. Si servus.) Si servus liberam peculij administrationem habens, vel procurator cum speciali alienandi mandato, mihi rem vendidit & tradidit, hanc actionem habeo. Non mutat l. antepen. §. fin. infra Mand. quia ibi censendus est alienans modò habuisse mandatum generale; quo casu si quis non ex fide sed fraudulenter sui principalis negotia gerat, alienatio non valet. *gl. hic.* Quatenus verò procurator rem domini rectè & cum effectu alienet, vel minùs latè tractamus suprà *de Transact. in l. nulli procuratorum.* ubi vide.

Ad

Ad l. quæ religiosis. 43.

Ad hanc l. vide quæ ponimus suprà, *ad l. in rem. 23. §. res sacra. eod. h. t.*

Ad l. fructus. 44.

FRuctus pendentes pars fundi sunt. *ut hic.* Ideoque si non singulatim officio judicis postulantur, sed jure actionis veniunt. Quod notabilem usum habet, ut quando quid alienatur in fraudem creditoris, & postea revocatur. licèt enim eo casu percepti fructus non restituantur, restituuntur tamen pendentes. *per hunc tex. & l. ult. §. pen. Quæ in Frau. Cred.* Vnde est, quod postulatio redituum annuorum, qui à vasallo constituti sunt sine domini consensu, non in fructus pendentes, sed tantùm perceptos exsequi permissum est. *arg. huius text.* Perinde & fructus pendentes, si fructuarius decedat, non hæredum ejus sunt, sed domini ipsius. *l. uxori. 35. de Vsufr. Leg.* Itaque licet fructus non augeant donationem si insinuationis habenda ratio sit. *l. in ædibus. §. 1. de Don.* tamen in pendentibus diversum est. *per hunc text.*

l. si homo. 45.

Relata est suprà in *l. qui petitorio. sub fin. de Rei Vind.*

Ad l. eius rei. 46.

AD hanc l. vide quæ ponimus suprà, *in l. & ex diverso. 35. §. petitor. eod. tit.* ubi vide.

Ad l. hæc si. 47.

SI conventus rem non habeat præsentem, eoque & illam restituere nequeat, sed litis æstimationem pendat, non aliter lis æstimatur, quàm si caveat actor, per se non futurum quò minus reo possessio eius tradatur. *tex. hic.* Planè reliquis oneribus, puta, cedendarum actionum aut evictionis, petitor liberatur, quoties reus dolo malo desijt possidere. *l. & ex diverso. 35. §. fin. suprà. & l. is qui dolo. infrà eod.* Quod non ita est, si tantùm culpâ possidere desierit. *l. si culpa. 63. infrà. eod.* Vide quæ ponimus hac de re latiùs suprà *in l. & ex diverso. §. petitor. eod.*

Ad l. sumptus. 48.

1. *Bonæ fidei possessor quomodo sumptus in rem vel fructus factos recipiat.*

2. *Exceptio doli retentionis impensarum nomine etiam in exsecutione opponi potest.*

3. *An etiam detur possessori malæ fidei, & quatenus, itē 5. 6.*

4. *Quid juris si ratio expensarum superet pretium meliorationis.*

7. *Quomodo judicem æstimare oporteat, utrum ædificata potiùs auferri, an impensæ debeant refundi.*

8. *Quid juris si quid impenderit non possessor.*

9. *Quid remedij si victus exceptionem retentionis omiserit.*

10. *De impensis voluptarijs quid juris.*

1. BOnæ fidei possessor † rei vindicatione victus, via retentionis, vel officio judicis vel opposita exceptione doli, expensas & sumptus in rem factos recuperat (cum consita & ædificata ipso jure maneant victoris, *l. si fundi. 53. infrà eod.*) computatione scilicet & compensatione cum fructibus factá, si summam eorum excedant, *tex.*
2. *hic. & l. super empti. 16. C. de Evict.* Quæ† exceptio etiam rectè in exsecutione opponitur, secundum Baldum, *in l. in fundo. 2. lect. suprà eod.* & hoc perspicuum est, quòd earum ratio ferè judicis officio ha-
3. beatur. Planè † de doli exceptione fruenda quod in proposito dicimus, plerumque acceptum est de bonæ fidei possessore, malæ enim fidei qui est difficiliùs hac exceptione utetur, quanquam hoc ei concedendum sit ut sine dispendio domini areæ tollat infixa. *l. Julianus. 37. suprà eod.* (quod in colono aut inquilino tamen maximè est. *l. habitator. 59. inf. eod.*) De deducendis impensis autem quod dicimus, extra controversiam est in impensis utilibus, quibusque res
4. facta est melior. Quod † si verò æstimatio eius quo prædium melius effectum est, impensas superet, possessor tamen non amplius repetet quàm est expensum, *l. in fundo. 38. suprà eod. fac. l. si fundum. de In Rem verso.* Sed in impensis necessarijs etiam malæ fidei possessori permissa retentio est, *tex. in d. l. domum. C. h. t.* & hoc minus contro-
5. versum est, *DD. communiter in d. l. domum.* Ceterùm ad utiles † impensas ut redeamus, dictum est, malæ fidei possessorem tantùm auferre posse quod ædificavit, quatenus id fieri potest sine structuræ
6. detrimento, *ut in d. l. 37.* Nec † mutat §. ex diverso. Inst. de Rer. Diu. ubi relatum est inædificatum cedere solo, quia id quidem strictà juris ratione ita est, benigniùs tamen admissum est, ut officio judicis

dicis etiam in malæ fidei possessore utilium ratio habeatur, & nisi dominus eas patiatur tolli, doli quoque exceptio sit, *l. planè. 38. de Har. Pet.* Vnde elegāter Cujacius infert, stricta ratione inter bonæ fidei & malæ fidei possessorem in ratione deducendarum impensarum differentiam esse, benigniori tamen æquitatis respectu id non attendi. *Cujac.* 10. *Obs.* 1. *cap.* Idque ideo, quod ratio ea utrique communis sit, Ne petitor locupletetur cum alterius jactura, *per tex. in d.l. planè.* & idcirco nullus existat casus quo impensarum deductio non fiat, *l. fundus. 51. in fine. Fam. Ercis. & l. quod in fructus. de Vsur.* Planè † num auferre possessor ædificata debeat, an verò dominus potiùs impensas solvere & ædificata aut infixa retinere, id vel maximè in facto consistit, & pro re nata ac personarum qualitate ita judici constituendum est, ne litigantium pauperior damnum patiatur, vel indulgeatur malitiæ alterutrius. *tex. in l. in fundo. prox. infrà & ibi Bart.* Denique † & si is quid impenderit qui non possidet, non repetit, *l. si servus servum. 27. §. si olivam. infra Ad L. Aq.* 7. 8.
Quid ergo † si quo casu victus possessione cadat, aut rem restituat impensarum exceptione non opposita, & strictâ ratione perinde impensarum nomine actio non erit, quia possessor sibi neminem voluit obligare. *l. Paulus. 14. de Excep. Doli. l. si in area. 33. de Condict. Ind.* Vetus tamen interpres Martinus, ei quoque ex æquitate actionem dandam censet, *Azo in Sum. C. de Rei Vind. nu. 26.* Actionem autem intellige prætoriam in factum. *arg. l. si & me & Titium. § 1. de Reb. Cred. Castr. in d. l. si in area.* ubi notat se ita de facto consuluisse. Sed & rectè dicimus, possessionem incerti condictione repeti posse, ne eam restituere cogatur priusquàm receperit sumptus, *per tex. in l. si uxor filio. de Don. Inter Vir. & Vx.* Nam & aliàs in dubio rectius favemus repetitioni quàm adventitio lucro, *l. non debet. 42. §. in re obscura. de Reg. Iur.* Ceterùm † impensas voluptarias repetit nemo, adeoque earundem nomine nemo exceptionem opponet: Idque ex eo evincitur, quod retentio tantum de utilibus & necessarijs admissa est, *in d. l. domum.* Igitur & si voluptariæ fundum reddiderint pretiosiorem, ejusdem quo ceteræ juris erunt, *per tex. in l. utiles. 39. de Har. Pet.* Et hoc in casu non dissimili placito Curiæ Parisiensis decretum Costalius annuat, *ad d. l. in fundo. sup.* 9. 10.

Ad l. solum. 49.

1. *Meum est quod ex re mea superest.*
2. *Conciliatur l. mortuo. 49. de Leg. 2.*
3. *In personalibus actionibus quatenus id quod superest ex rebus debitis postulari queat.*
4. *Interire quid dicatur.*

Meum

1. MEum † est, quod ex re mea superest, cuius vindicandi jus habeo, *tex. hic. convenit l. si servus. §. bove. de* Condict. *Furt.* Nec
2. mutat † l. mortuo. 49. De leg. 2. ubi definitur, bove legato mortuo nec cornua nec corium deberi: subintelligendum enim ibidem est, legatum necdum fuisse agnitum, eoque & bovem legatarij necdum fuisse proprium. Etenim rectâ juris ratione legatum demum nostrum fit eiusdem agnitione, *l. ei qui ita. 13. de Cond. Inst. l. cum verò. in fine. de Fideicomm. Lib.* tametsi certum sit agnitionem retro agi ad diem aditæ hæreditatis. *l. servum filij. §. 1. l. si tibi homo. §. cum servus. de* Leg. 1. Delatum enim legatum repudiari potest, adquisitum repudiari non potest, *l. 1. §. decretalis. de Success. Ed.* Itaque adquisiti seu agniti saltem legati vindicatio ut totius, ita & partis erit, *per*
3. *hunc text.* Ceterùm † aliàs in actionibus personalibus ferè distinguimus, ut si procedant ex causis lucrativis, quod superest non debeatur, *arg. d. l. mortuo. 49. de* Leg. 2. sin verò ex onerosis, contrarium
4. *fit. l. si servus. §. bove. de Condict. Furt.* Interire † verò res quæque censetur cuius forma penitus exstincta est, *per not. in l. peculium. 40. in fine. de Pecul.* siquidem forma, ut aiunt, dat esse rei. *l. Iulianus. §. sed si quis. inf. Ad* Exhib. Qua de re qui plura requirit, videat Hotomannum, *in lib. Quæst. Illust. c. 8. per tot. &* Cujac. *tr. 5. ad Afr. in l. 36. de Vsufr.*

Ad l. si ager. 50.

1. Traditionibus non pactis rerum dominia & in rem actionem transferri.

2. Conciliatur l. 41. suprà eod.

3. Quando sine traditione in rem actio paretur. & num. 4. 5. 6.

7. Ex Iure Canonico in beneficijs ecclesiasticis & feudis quid juris.

1. REgulare † ac tritum est, Rerum dominia non traditionibus sed pactis transferri, *per vulg. l. traditionibus. C. de Pact.* Quamobrem solo emptionis contractu perfecto, re tamen nondum traditâ, cessat hæc actio. *ut hic. adde quæ nos infrà in l. sive autem. §. si duobus.*
2. *de Publ. In Rem.* Nec † mutat l. 41. suprà eod. subintelligitur enim
3. ibi res tradita fuisse. Planè quibusdam † casibus & in rem actio est sine propria traditione. Nam & rei vindicatio ut quævis actio personalis, vendi potest, & empta utiliter exerceri. *l. ult.* C. *de Her. vel Act. Vend.* Idemque dicimus de datione in dotem, per quam licet sine traditione res non transferatur, *l. de divisione. 5. Sol. Matrim.*

per

per d. l. ult. C. Sed & traditione clavium vel instrumenti dominium quæri admissum est, quia ea pro vera rei traditione censetur. *l.* 1. C. *de Don. l.* 1. §. *per quarundam. de Acq. Poss. l.* 74. *de Contr. Emp.* Opponitur † quod donatione proprietatis ita facta ut ususfructus maneat apud donatorem, dominium rectè transfertur. *l. quisquis.* 28. C. *de Don.* Sed hoc casu donator possessionem constitutione ususfructus sibi factâ, tanquam procurator vel negotiorum gestor donatarij rem tenet. Nam & aliàs generale est, quoties quis alterius nomine se possessurum constituit, toties eum alteri possessionem quærere. *l. quod meo.* 18. *de Acq. Poss.* Itaque si in venditione rei eam denuo conducamus aut pignori accipiamus, constitutione ejusmodi possessio & dominium fit emptoris. *d. l. quod meo. fa.* §. *fin. & ibi gl. de Reb. Eor.* Quod tamen omne sanè intelligendum est, si puta venditor possideat ipse. Aliàs enim constitutum est, facto tertij possessionem nobis non interverti. *l. ult.* C. *de Acq. Poss.* Est tamen † quando & aliàs sine possessione ante accepta dominium quæritur, & consequenter jus vindicandi, ut quando hæres vindicat id quod hæreditati obvênit, *l. à Titio.* 64. *de Furt.* quemadmodum & legatarius si velit rem vindicat sibi legatam, *l. legatum.* 80. *de Leg.* 2. *l. filiusfamilias.* 16. *Qui Test. Fac. Poss.* Quò pertinet quod ob rationis similitudinem de bonorum possessoribus & fideicommissarijs hæredibus idem obtinuit. *l.* 1. *de Bon. Poss. l. facta.* 63. *ad* SC. *Trebell.* Idemque † est, si quis sub conditione quid donet & tradat, dominium enim tum deficiente conditione redit ad donatorem. *l.* 1. C. *de Don. Quæ sub Modo.* nam si conditio non impleatur, donatum non intelligitur, *l ult.* C. *eod. illo tit. l. causam.* 20. *in fine. de Manum. Adde l.* 41. *suprà eod.* Eadem ratione & res vendita sub pacto legis commissoriæ, si pactum non servetur, rem pristinus dominus denuo vindicat. *l.* 4. C. *de Pact. inter Emp. & Vend.* Atque hæc est solida hujus materiæ explicatio, quam alij antea miserè nimis distorsere, & Hotomannus præcipuè, immerentem Tribonianum valde perstringens. *in Ill. Q. c.* 11. Quanquam eruditionem viri illius & laudo & magni facio. Denique † & in collatione præbendarum sola investitura & titulus quasi dominium conferre censentur. *c. si tibi absenti. de Præb. in* 6. *c. proposuit. de concess. præb. c. ex ore. de his quæ fiunt à majori parte Capit.* Quod moribus etiam ad investituram feudalium pertinet. *c.* 1. *quid sit Invest. & ibi Feudista.*

Ad l. si fundi. 53.

QVod hîc dicitur, fundo evicto possessorem sata non auferre: id quidem per se verum est: habet tamen victus exceptio-

nem doli quâ retineat rem donec ei de impensis satisfiat, ut latè docui suprà in *l. sumptus. 48. eod. ubi vide omnino.*

Ad l. inter officium. 54.

NOta ex hoc textu, eum qui alteri advocatus in causa fuit, si ignoret jus proprium quod habet in eam rem: id ipsi non præjudicare. Nec mutat l. fin. in princip. de Inoff. Test. ibi enim subintelligendum est, advocatum jus suum scivisse. Sed neque advocato patrocinium præbuisse nocebit, si jus eius & clientis pariter subsistat, vel ipse advocatus justo facti errore sit deceptus. *arg. l. sicut. 8. §. non videtur. Quib. Mod. Pig. vel Hyp. Sol.*

Ad l. si possessor. 55.

DE dividendis actionibus in hæredibus vel hæredes agimus infrà *ad l. si duo. 22. Depos.*

Ad l. is à quo. 57.

Vide quæ ponimus suprá *in l. pen. de Her. Pet.*

l. Habitator. 59.

PErtinet ad ea quæ ponimus *in l. sumptus. 48. suprà eod.* ubi & hæc relata est.

Ad l. Minutius. 61.

1. *An navis tota ex aliena materia exstructa fiat ædificantis, an minùs.*
2. *Conciliatur l. 26. de Acq. Rer. Dom.*
3. *Si carina alterius fuerit, quid juris.*

QVod hîc dicitur, navem alienâ materiâ refectam eius manere cuius ante fuit: id satis expeditum est. Illud controversum
1 memini, An navis † tota ex aliena materia confecta, sit ædificantis: quod quidem Iulianus hoc loco ex Minutio negat, *tex. hic.* Sed ob-
2 stare † visa est l. sed si meis. 26. in princ. De Acq. Rer. Dom. ubi navis ex alienis tabulis confecta dicitur fieri ædificantis: verùm hæc res temperanda est distinctione, *ex l. adeo. 7. §. cùm quis ex aliena. de Acq. Rer.*

Rer. Dom. ut si tabulæ jam ad construendam jungendámve navim fuerint formatæ, & in pristinas partes restitui queant, maneant domini cuius fuerunt, si verò exstructa ex tabulis aut lignis infectis, & tabulæ ab ædificante ad formam navis compositæ ac formatæ, navis fiat ædificantis, *dixi latiùs infrà in d. l. sed si meis.* Planè † si, præcipua pars jam parata, verbi gratiâ, carina, sit alterius, tabulæ quoque affixæ sequuntur eandem. *ut hic. & d. l. 26. §. 1.* 3.

Ad l. si navis. 62.

1. *Pensiones pro fructibus.*
2. *Reditus nomen speciale pro fructibus.*
3. *An statutum agens de fructibus, etiam pertineat ad pensiones.*

PEnsiones † navis, domus, & rerum similium obventiones, fructuum nomine venire magis est, *per hunc text & l. prædiorum de Vsur.* Et ita quotidie in praxi servamus. Verùm quidem est hoc fieri per latiorem eius vocis significatum: sed nihilominus id ipsum regulare est. Quemadmodum & aliàs † reditus nomen speciale, rursus pro quocunque obventionum genere ponitur. *vide lib. 1. nostrum de Ann. Redit. c. 1.* Nec † admittimus Iasonis doctrinam, qui statutum agens de fructibus, ad pensiones referendum non putat, *Jas. in l. divortio. 2. col. Sol. Matrim.* quia statuta communiter in stricto significatu accipienda Doctores perhibeant: regula enim ea ab ipso & alijs plerumque minùs rectè accepta est. Quando enim dicimus statuta strictè accipienda, id ita intelligimus, quod ea ferè valeant in vim conventionum privatarum. Strictè enim accipere in eo axiomate est, rem accipere ex propria statuentium mente. *vide quæ nos obiter in l. omnes populi. de Iust. & Iure.* Igitur & in proposito, statuta quæ fructuum meminerunt, secundum communem praxin de omnibus obventionibus intelligimus, nisi eadem ipsa nominatim distinguantur, *per hunc text.* nec ego jam decennium consulendo & advocando in praxi versatus ullo in loco aut specie ulla aliter memini observatum.

(Margin numbers: 1. beside line 1; 2. beside "gulare est"; 3. beside "strum de Ann.")

Ad l. si culpa. 63.

SI is condemnetur qui culpâ possessionem amisit, audiendus est ut actor ei cedat actiones quas ipse habet. *tex. hic.* non idem est, si

possessionem amiserit dolo, *l. is qui 69. infra eod.* Nec mutat l. in depositi. 12. infrà. De Re Iud. quia ea procedit in personalibus. Ratio differentiæ est, quod vindicatio ex arctiori jure, nempe dominij procedit, quàm actiones personales, venientes modò ex obligatione personali. *Bart. in d. l. in depositi. de Re Iud. sequitur* Pac. *Cent. 3. q. 49.* Adde his quæ ponimus suprà latiùs *in l. 27. §. possiaere, & in l. qui petitorio.*

Ad l. non ideo. 66.

QVod hic dicitur, vindicationem non ideo impediri quod abire à nobis dominium possit, existente conditione legati: id intelligi oportet, cùm dominium interea nostrum esset, non etiam si legatum demum relictum sub conditione sit. Tum enim res nostra non est priusquam dies existat. Atque ita accepta est l. mortuo. 49. de Leg. 2. *vide quæ nos supra in l. solum. 49. h. t.*

Ad l. qui restituere. 68.

1. *An possessor qui rem dolo non restituit sine ulla omnino moderatione condemnetur.*
2. *An sententiæ binæ in arbitrarijs definitivæ sint.*
3. *Æstimationem reus quando præstare queat.*
4. *An de evict. teneatur qui æstimationem recepit.*
5. *Æstimatio ad quod tempus referenda.*

1 AN possessor † qui rem dolo non restituit, sine ulla omnino moderatione damnetur in id quod juramento in litem affir-
2 maverit victor, id infrà tractamus *in l. 5. de In Lit. Iur.* An verò † sententiæ, quas binas in arbitrarijs judicijs admitti receptum est, una interlocutoria & altera definitiva dicenda sit supra tractamus, *in l. item. 14. §. hæc autem actio. Quod Met. Causa.* De æstimatione
3 † vera id obiter annotamus, si res præstari ampliùs nequeat, eam succedere & rectè præstari posse, *ut hic. & l. si culpa. 63. supra eod.* Quemadmodum & si malit hoc actor & possessor pariter. Quod & in debitis personalibus ita est, *ut hic. & l. si domus. 71. §. cum alicui. 3. de* Leg. 1. *Donell. ad l. 22. num. 4. de Reb. Cred.* An verò † & quando
4 is qui æstimationem recepit, de evictione teneatur explicui suprà
5 *in l. & ex ex diverso. eod tit.* Ad quod † autem tempus in æstimatione ineunda respiciatur, id alibi plenissimè explicuimus. *in l. vinum. 22. de Reb. Cred.*

Ad l. is qui. 69.

OBstat huic l. in depositi. 12. De Re Iud. sed illa locum habet in personalibus, hæc in actionibus in rem, Vide quæ posuimus suprà *in l. si culpa. 63. h. t.*

Ad l. in speciali. 73.

Vide quæ ponimus infià in l. ult.

Ad l. ult.

NE actor frustrà experiatur, inquirere potest utrum reus possideat an dolo possidere desierit vel minùs. *l. qui petitorio. 36. suprà eod.* idque ante litem contestatam faciendum, *l. qui servum. §. in jure, de Interrog. Act.* & reus respondere tenetur. Quod si mentitus fuerit, in pœnam mendacij possessio ab eo transfertur, *ut hic.* Diversum tamen est si de jure suo rogetur, *l. cogi. C. de Her. Pet. l. in speciali. supra. h. t. vide quæ nos in l. 3. de Her. Pet.* Regulare nimirum est ut actor priùs doceat de proprio jure, quod si non fiat, commodum possessionis est ut reus absolvatur. *§. commodum. Inst. de Interdic. cum sim.* Sed in beneficijs ecclesiasticis speciali jure receptum perhibent, ut possessor ordinario collatori titulum edere cogatur, *per c. ordinarij. de Offic. Ord. in 6.* nisi tamen collator ipse, de defectu juris quod habuisset prior collator certior factus, denuo ei contulisset. nam quantum ad se attinet, dispensâsse censetur, *fac. c. veniens. de Fil. Presb. c. accepimus. de Æt. & Qual.* Planè si alius admitti velit, cùm electio ferè pertineat ad canonicos eiusdem ecclesiæ, *c. cum ecclesia. de Causs. Poss. & Propr.* edere possessor titulum & jus suum debet. *c. un. ut eccl. beneficia sine dimin. c. constitutis. & ibidem Innocen. & Abb de elect.* Denique nec ratione caret quod dicimus in beneficialibus facilius edendum titulum esse, quia beneficiorum proprietas & dominium ad ecclesiam pertinet, quorum fructibus tantum utimur precario jure. *gl. & Abb. in c. 1. de Concess. Preb.* Atque huic haud absimile est quod moribus Galliæ vasallus domino postulanti non tantum jus suum sed & catalogum rerum feudalium edere tenetur, *Molinæus in Consuet. Paris. par. 1. §. 1. tit. 1. per tot.*

Ius Canon. in beneficialibus quare diversum.

DE PVBLICIANA IN REM ACTIONE.

TIT. II.

Ad l. 1.

PVbliciana in rem actio datur ei qui rem à non domino bona fide comparavit, & necdum usucepit. *tex.hic.* Vnde quæsitum est an dominus rei verus eam exercere nequeat, quod multis visum est. *Ias.in §.namque si cui. Inst.de Act. Minsi.ibidem.num.36. Schneid. in §.sed ista Inst.eod.* Qui idcirco hanc cum rei vindicatione rectè cumulari putant, idque ob difficultatem dominij probandi, quam rei vindicatio propria admittit. Faber tamen Accursium secutus contrarium putat, *gl hic. Fab. in d.§. sed ista. num.7.* eò quod verò domino parata sit actio directa, & idcirco ad honorariam hanc non queat deveniri. *per hunc text.* Quod quidem subtili ratione verum est, sed moribus obtinuit ut saltem cumulari queant disiunctivè, *Gail.1. Obs.62.num. 4. & 5.* Nam & una priùs dein' altera institui potest. *l.minor.29.§.1. de Evict.* Nec mutat igitur l.1,C. de Furt. l. un.C.Si Seru Ext.Se Emi Mand.quia ijs hoc tantum dicitur, contrarias actiones simul exerceri non posse, minimè verò prohibetur disiunctivè eas proponi, ut nimirum in eam judex condemnet reum quæ actori potior sit, *per vulg. l. si quis intentione. de Iudic. Add. ad Bart. in l.1 .infrà tit. 1.* Magis tamen est, si in rem actio institui debeat, id faciendum simpliciùs, nam si actor titulum & possessionem probet apud se fuisse dominij jure, fundata in rem actio est, cùm nomen actionis exprimere in proposito hodie supervacuum sit, *arg.l.1. C.de Form. & Imp. Subl. vide quæ nos in l.1.de Ed.* Quinimo ampliùs, cùm regulare sit libellum interpretandum in favorem actoris, *d.l.si quis intentione, de Iud.* is etiam qui rei vindicationem instituit, fundatâ publicianâ, nisi potior exceptio dominij opponatur, *l. mandatum. 57.Mandati.* obtinebit.nec ego subtiliores distinctiones has vnquam in praxi vidi observari. De cumulandis verò actionibus pleniùs alibi agimus, *in l. 18. de Obl. & Act.*

Ad

Ad l. 2. 3. 4.

REferuntur hoc loco diversi tituli ex quibus dominium transfertur, aut jus in rem saltem ad Publicianam efficax si res à non domino alienata sit. Ad eos verò etiam res judicata pertinet. *ut hic in fine legis 3.* quippe ex qua & usucapiendi conditio nasci potest. *l. & generaliter. de Nox. Act.* An verò id etiam in absolutoria sententia dicendum sit, quæri potest, Costalius Baldum secutus in ea idem esse, *Costal. hic. allegans Bald. in l. 1. C. Comm. Vtriusque Iud.* sed hoc difficiliùs admittendum est. Quando enim res judicata eo demum casu usucapiendi conditionem tribuit, quo pro causa possessionis est, *l. si per errorem. 17. de Vsucap.* in proposito diversum est, cum & is qui ab initio mala fide possedit, vel rem aliquam usurpavit, à non domino conveniri & propter commodum possessionis absolvi potuerit, cui tamen actio hæc parata non erit. *arg. l. sed si possessor. 11. de Jurejur.* Et hoc indifferenter admittimus sive actionibus in rem sive in personam actum sit: contrà quàm Costalius hoc loco putat. Neque enim diversum evincitur ex l. si pro fundo. C. de Transact. quam ipse allegat, quoniam ea ad propositum non pertinet. Illud tamen rectè annotatum est, ut publiciana sit, præter titulum, possessionem oportere apprehensam fuisse. *ut hic. & l. 7. §. bonam. infra eod.* Quod Innocentius in incorporalibus supervacuum putavit, *ut Costal. eum hic allegat ad c. in nostris, de Concess. Preb.* cujus sententia ita admittenda est, ut in ijs tamen jus sententiâ perceptum actu aliquo antè sit usurpatum, *per l. quoties. de Serv.*

Ad l. sed & si res. 7.

QVando æstimatio litis dominium paret solventi suprà tractatum est, *in l. & ex diverso. de Rei Vind. & l. qui restituere. eod tit.* §. Marcellus.) Titulus à furioso quæsitus, cùm eum talem esse ignorarem, ut Publicianam ita & usucapiendi conditionem præbet. *ut hic.* Nec mutat l. 2. §. si à furioso. Pro Emp. quia ea procedit si contra ipsum furiosum experiamur, hæc si contra tertium possessorem. *gl. hic. vide tamen quæ nos latiùs in d. l. 2. §. si à furioso.*

§. Prætor ait.) Vt in usucapione, sic in Publiciana utenda ab initio sufficit intervenisse bonam fidem. *ut hic.* Nec hoc Iure Can. mutari putandum est, quo cavetur, bonâ fidem ab initio possessionis ad finẽ usucapionis adfore oportere. *c. poss. & ibi Din. de Reg. Iur. in 6.* quia id jus respectu domini tale est. Publiciana verò in dominũ nõ datur. *An Ius Canon. hic diversum.*

l. man-

l. mandatum. 57. Mandati. cum exceptio dominij hanc actionem perimat statim. *l. Paulus notat. inf. h. t.* Nisi tamen Publiciana ex tali causa vindicanti parata esset, quam dominus ipse pati cogeretur, ut si contra possessorem noxali judicio actum esset, *l. & generaliter. de Nox. Act.* vel domino mandante res vendita, quàm ipse dominus postea tradi prohibuisset intempestivè. *l. Papinianus. 14. inf. h. t.* §. Bonam autem fidem.) Allegatus est suprà *in iis quæ ponimus ad l. 3. & 4.* Quod verò ad finem dicitur, oportere etiam tunc bonæ fidei emptorem esse id de tempore contractus completi accipiendum est, cùm antè fortè res tradita esset, *ut in l. sive autem. 9. infrà eod.*

Ad l. de pretio. 8.

EX hac lege regulariter notatum est, ubi lex non distinguit, nec nobis distinguendum esse. Quod temperationem admittit, nisi alijs legibus distinctum esset. *Ad quod gl. allegat l. 2. §. convenire. de Jud. l. 3. de Off. Præs. l. ab hostibus. §. fin. Ex Quib. Caus. Major. fac. l. licet autem. de Arb. & l. quæsitum. de Testib. l. 1. §. generaliter. de Leg. Præst. cum similib.*

Ad l. sive autem. 9.

PRincipium hujus legis relatum est in ijs quæ ponimus suprà *ad l. 7. §. bonam. eod.*

§. Si duobus.) Et vulgatum & naturale est è duobus emptoribus in quærendo dominio, adeoque ad exercendam Publicianam præferri eum cui res tradita est. *ut hic. & l. quoties. C. de Rei Vind.* Illud quæsitum est, cùm venditor uni rem priùs vendidisset, eamque emptor permittente authore signasset, dein' venditor eam denuo alienasset in alium ac tradidisset ipso actu, uter præferendus sit: & ego de facto consultus hoc semestri, respondi, eum præferendum qui trabem permissu authoris priùs signasset. Eò quod res signatæ jure nostro pro traditis habeantur, *l. quod si neque. 14. in fine de Per. & Comm. Rei Vend.* Si à diversis non dominis res alienata sit, eum præferri oportet qui possidet. *ut hic.* Planè re priùs venditâ ecclesiæ, deinde alteri, ecclesia præfertur ex privilegio, ut Accursius annotat & Costalius probat, *gl. & Costal. hic.* per l. ult. C. de Sacros. Eccl. ubi tamen id ipsum minimè relatum est. Ceterùm benigné admittimus, si ecclesia pretium jam numerarit, etiam sine traditione dominium eius fieri, ut scilicet ei sit cautum. *arg. l. ut inter. 23. C. Sacros. Eccl.* quam tamen illi fortè ut ultimam allegant.

Ad

Ad l. si ego. 11.

§. Partus.) Ad hunc §. vide quæ nos *in l. 1. §. lana. de Vsucap.* suprà.

Ad l. cum sponsus. 12.

§. In vectigalibus.) Vide quæ ponimus suprà *de Rei Vind. in l. 1. §. quæ specialis.* ubi hæc quoque allegata est.

Ad l. quæcunque. 13.

QVod in §. 1. huius l. dicitur, precarij & pignoris possessionem justam esse, id intelligendum est, quia eæ detentiones sunt consensu domini permissæ. Propriâ enim juris ratione quæ possessio justa dicatur, alibi explicuimus. *vide quæ nos in l. 1. §. per servum. de Acq. Poss. & in l. 35. §. fin. de Pign. Act.*

§. Qui à pupillo. fin al.) Emptor qui rem à pupillo comparavit, probare tenetur, se tutore authore & jure non prohibente emisse. *ut hic.* Cui simile ex Iure Canonico relatum est, qui rem ab ecclesia comparavit, probare debere, se id egisse capituli consensu. Quod etiam ad ipsum prælatum pertinet, si de gestorum eius ratione quæratur. *arg. c. causam quæ. de Jud. fac. Abb. in c. ea noscitur. ad fin. de His Quæ Fi. A Præl.* Planè si de ijs vel alijs rebus, in unoquoque actu constet quæ ad substantiam rei pertinent, cetera præsumuntur solenniter intervenisse, *l. sciendum. 30. ubi not. DD. de Verb. Obl.* Eo igitur casu si quis contrarium contendat id evidenter probare tenetur, *c. si fortè de Elect. & El. Pot. in 6.* *Iuris Canon. similitudo.*

l. Papinianus. 14.

Relata est suprà *in l. 7. §. Prætor ait. eod. tit.*

l. Paulus. penult. & l. ult.

Pertinent ad ea quæ ponimus suprà *in d. l. 7. §. Prætor ait. h. t.*

SI AGER VECTIGALIS ID EST EMPHYTEVTICARIVS petatur.

TIT. III.

BEnevole lector paucissima quædam hîc tractamus pertinentia propriè ad textum. Innumeræ enim difficultates de Iure Emphyteutico ab alijs explicatæ sunt, & à nobis hoc loco commodâ satis occasione explicari possent: nisi id alienum foret ab instituta brevitate. Reservamus igitur earum tractationem tractatui singulari quæstionum feudalium & emphyteuticarum.

Ad l. 1.

QVod principio huius legis evinci videtur, agros vectigales seu emphyteuticarios propriè eos dici qui à civitatibus in perpetuum locati sunt, id haud ita accipiendum est, quin & à privatis idem fieri queat. Communi enim consuetudine ipsisque legibus cautum est, quemque hodie agrum vel prædium suum locare in perpetuum posse. *tot. tit. C. de Iure Emph.*

§. Qui in perpetuum.

1. *Emphyteuta actionem in rem habet.*
2. *Dominium directum & utile an & quatenus rectè dicatur. & num. 3.*
4. *An ei qui Publicianam habet, aliquod aßignari dominium queat.*
5. *Emphyteuta fundi vectigalis quod jus patronatus continet, collationem habet.*

1 QVi † agrum jure vectigali seu in perpetuum conduxit, licet dominus non sit, in rem tamen actionem instar domini habet. *ut*
2 *hic.* Quod autem † Accursius & Doctores plerique hîc dici posse existimant, apud emphyteutam etiam utile dominium esse. *gl. ultima & DD. plerique hic.* id quidem respectu effectus seu utilis actionis ita scriptum est, quòd emphyteutæ utilis in rem actio sit, *per hunc text. & l. 1. §. quod autem. de Superf.* Propriè tamen ac subtiliori juris respectu id vix ita foret. *vide quæ nos de tota hac re latè & plenè lib. 1. Subtil. c. 7. per tot.* Vnde vocabula ea de dominio directo

&c

& utili ficta esse à Doctoribus observandum est, juris verò authoribus ante non usurpata. Benigna † tamen ratione Moribus nostris 3.
ea recepta sunt, non tantùm in emphyteuticis, sed etiam feudalibus. Quemadmodum quotidie & dominum feudi & emphyteuseos dicimus dominum directum, & superiorem, vasallum verò & emphyteutam, dominum inferiorem. Est enim illis parata actio directa, *d.l. in rem actio. & tot tit. de Rei Vind.* his utilis. *per hunc tex. & tex. in c.1. §. rei autem. ubi Isern. Alvar. Ravennas, Cujac. de Invest. de re alien. fac.* Quod autem Bartolus ei † qui Publicianam habet etiam quasi dominium tribuit, id penitus supervacuum est. *Bart. in l. si mater. §. eandem. de Excep. Rei Iud.* Distinctio quidem inter dominium directum, quod dicunt, & utile ideo admissa est, quod vasallis, & emphyteutis moribus nostris multò majus jus in rem concessum est, quàm fuit olim. quia feuda pleraque & emphyteuses etiam ferè instar patrimonialium habentur. *Boërius Decis. 114. num. 12. post Ioann. Fabr in Auth. ingressi. C. de Sacros. Eccl. fac. Zas. par. 9. num. 21. in tract. Feudorum. & Sonsbec. par. 12. de Feud. num. 94.* Sed hoc ad Publicianam nequit referri. Cui † affine est quod ex Iure 5.
Canonico annotatur, creditorem qui ratione pignoris jus in rem habet, in fundo obligato ad beneficium vacans præsentare non posse, *arg. c. cum Bertoldus. de Re Iud.* cum in feudo emphyteutico vel ad longum tempus locato contrarium foret. *Innoc. & Panorm. in c. ex literis. per illum tex. de Iure Patron.*

Consuetudine inter dominium directum & utile distinctum est. 4.

Ad l. 2.

1. *Sententia hujus legis.*
2. *An & quomodo emphyteuta ob non solutum canonem cadat emphyteusi.*

ITA TAMEN SI VECTIGAL SOLVANT.) Sed textus hic † referendus 1.
est ad finem legis præcedentis, quo cavetur emphyteutæ etiam contra dominum in rem actionem dari. Nam si contra extraneos agendum sit, non obstabit exceptio quod non solverit pensionem. *fac. l. 1. in fine de lo. Publ. Fru. gl. hic.* Planè † dominus emphyteutam 2.
etiam ob non solutam pensionem fundo expellere potest. *l. 2. C. de Iure Emph.* Num verò cadat possessione ob non solutum canonem ipso jure, an potiùs sententia judicis quæsitum est. Et sententiam non requiri, ipsoque jure commissum fore, nonnullis visum est, *Baldo, Sal. Corrasio in d. l. 2. C.* movet eos severior sanctio textus ibidem. *in verb. omnino & omnimodo.* Alij è diverso, quia tex. in d. l. 2. id & in domini voluntatem confert, & interdum etiam per ipsum stare potest, quò minùs pensio solvatur, judicis decreto opus esse. Eoque inclinare videtur Menochius, *Rem. 1. Recup. Poss. n. 78. & 79.*

Idque exemplo responsi, quo sententia de remouendo emphyteuta refertur, utcunque evinci posset. *l. lex vectigali. de Pign.* Est tamen vero propius eũ cadere ipso jure, si hoc & dominus velit & emphyteuta re ipsa fuerit in mora jure definita, *Bart. in d. l. 2. nu. 2. communem dicit Iul. Clar. de Iure Emph. Quæst.* 9. Sed & sententia ac decreto judicis opus erit si emphyteuta sese opponat. *arg. l. exstat. quod Met. Caus. & tot. tit. C. Quan. unic. lic. Se Sine Iud. vind.* Neque verò pugnant, ipso jure emphyteutam cadere suo jure, & ad amovendum eum, decretum aut sententiam judicis requiri. Quid enim si emphyteuta quæstionem vel facti moveat vel juris, an sine cognitione causæ eum reijciendum dicemus? nemo certè id peritus juris admittet. Si verò cognitio requiritur, decreto quoque aut sententia opus esse negabit nemo. Vicina eidem quæstio est, An dominus emphyteutam post commissum expellere propriâ authoritate queat, aut fundum saltem ingredi ipso invito, quod eadem ratione definitur non admitti. Cùm nulli liceat sibi ipsi jus dicere, aut semetipsum vindicare: Nec mutat d. l. 2. in verb. expellere, quoniam id sanè intelligendum est, ut fiat imploratâ judiciali authoritate. Et hoc moribus servatur & juri convenit. *per d. tit. C. Quando lic. cuique se sine jud. vind.* tametsi enim nonnulli diversum senserunt, *gl. in d. l. 2. communem dicit Alex lib. 4. Consil.* 117. *num.* 11. plerique tamen omnes fatentur, hanc tutiorem esse, & in praxi servandam. *Iul. Clar. in d. tract. Q.* 11. *per tot. post Guid. Pap. decis.* 107. *num.* 1. Ego certè nunquam aliter memini observatum, & si in his locis Belgicæ sibi quisquam hac in re tantum arrogaret, puniretur ut invasor. Sed nos hanc quæstionem etiam latè tractabimus & accuratè in iis quæ de Iure feudali & emphyteutico suprà pollicemur. *ad rubr. h. t.* Si Deus vitam & otium dederit.

Ad l. idem 3.

QVanti temporis locationem esse oporteat quæ tribuat actionem in rem appositè tractari potest. Accursius vel decennium requirit, vel id arbitrio judicis relinquendum censet. *gl. hic. arg. l. 1. in fine. de Iure Delib.* sed hoc loco priorem sententiam eligit, alibi tamen posteriorem. *in l. 1. §. quod autem ait. verb. actio. de Superf.* Et quidem magis est, arbitrio judicis hîc plurimum tribui. In usu tamen propè ita servatur, ut si locatio extendatur ultra quinquennium concedatur actio in rem, aliàs non item.

LIBER

LIBER SEPTIMVS.

DE VSVFRVCTV.

TIT. I.

Ad l. 1.

1. *Vsusfructus est servitus personalis.*
2. *Vsusfructus vox homonyma. & num. 5.*
3. *Feudum usufructus dicitur, & quare.*
4. *Vsusfructus an rectè dicatur alius causalis, alius formalis.*
6. *Vsusfructus an & quatenus dominij pars.*
7. *Doctores excusati & defensi.*

VSUSFRUCTUS EST IUS ALIENIS REBUS UTENDI, FRUENDI, SALVA EARUM SUBSTANTIA.) Ius hîc † servitutem designat 1. personalem, *l. rectè dicimus. 25. de Verb. sign. fac. l. & per jusjurandum. §. illud. de Accept. l. si à reo. 70. §. à reo. de Fidejuss.* Est tamen † aliàs eadem vox homonuma & ad feudum applicata. *c. un. §. fin. in quib. caus. feud. amitt. c. un. in fine. de Feu. cog. c. un. princ. & §. si verò vasallus. quid sit invest.* qua ipsa tamen ratione eadem quodam- 2. modo tribui emphyteusi posset. *videri potest ab otiosis Hotomannus in Quaest. Illustrib. c. 24.* Sed quod † ea feudo toties tributa est, id eò 3. potissimùm fit, quod feuda primùm ferè ad vitam modo vasallorum durare solent: cùm tamen postea transire ceperint ad hæredes aut successores. Denique & interpretes † usumfructum alium sta- 4. tuunt causalem, alium formalem, ut hîc quidem sit servitus specifica, ille verò dominij pars, *gl. &* DD. *in princ. Inst. eod. Bart. in l. 1. col. 2. num. 4. de Condict. ex L.* Sed hoc alij improbant, *Duar. in l. si ita stipulatus. 126. de* Verb. Obl. *Connan. lib. 4. Comm. c. 3. Corras. 5. Miscell. c. 3.* ob id quod usufructus quatenus dominio cohæret, illâ definitione non contineatur, quippe quæ solam servitutem designet, seu jus utendi fruendi rebus alienis, *ut hic.* res autem sua serviat nemini. *l. 5. inf. Si Vsusfr. Pet.* Quamobrem † & alibi usufructus 5. negatur dominij pars esse, *l. rectè dicimus. 25. de* Verb. *Signif.* Ceterùm rursus è contrariò invenitur nomen usufructus pro parte dominij sæpe, *l. si ita. 126. §. 1. l. qui usumfructum. de* Verb. *Obl. l. 4. hic.*

l. Sempronius. 25. de Vsufr. Leg. & l.21. §. si fundum. de Excep. Rei Iud. Sed respondemus, quoties usufructus de servitute dicitur, toties eundem nec partem dominij esse, nec dici, eoque casu hîc textus & leges aliæ in eandem sententiam allegatæ procedunt. quoties verò pro possessionis aut dominij plena utilitate ponitur, toties eum dominij partem dici apposité, *d. l.4. hîc. & d. l. 126. §. 1. & reliqua similes.* Vnde fit ut quoties agitur de fundo alienando aut cedendo, unà etiam de usufructu agi intelligatur, nisi nominatim is sit exceptus, *l. si Titio. 10. de Vsufr. Leg. l. Mævius. 66. §. pen. l. cum filius. 76. §. dominus. de Leg. 2.* Minùs tamen propriè dicitur dominij pars, cum vix sit ut juris ipsius divisio intelligi queat. *l. 3. in fin. Pro Derel. junc. arg. l. 19. §. 2. Comm. Div.* Est igitur usufructus vox ho-
6. monuma, † quippe quæ diverso respectu & servitutem, & dominij partem, & utendi commoditatem pariter designat, non quidem velut generis eiusdem species (ut cum Logicis loquar) sed tantum ut æquivoca, puta ob similitudinem nominum & fruendi. Proinde Corrasius, Duarenus, Connanus, Doctores nostros immerentes
7. † notant, quandoquidem nemo interpretum ita stupidus fuit, ut usumfructum, quatenus is servitus est, dominij diceret partem, nec è diverso nemo qui possessionis utilitatem dominio conjunctam diceret servitutem. Quanquam enim vocis causalis & formalis nova fictio sit, non tamen est absurda, eaque & Cujacius (qui de juris disciplina meliùs meruit quam unquam quisquam) est usus, *trac. 5. ad Afr. in l. 36. huius tit.*

Ad l. 4.

An usufructus pars dominij sit, scripsi *ad l. 1.* suprà h. t.

Ad l. usufructus. 5. & l. 6.

1. *Vsusfructus est dividuus.*
2. *Quemadmodum id accipiatur.*

1. QVemadmodum † usufructus hoc loco pro parte indivisa vel divisa constitui possit palam est in ipso textu. Ex eo igitur usumfructum perhibent esse dividuum, *gl. &* DD. *hîc.* quod in ceteris servitutibus non ita est, *l. pro parte. inf. de Serv. & l. 1. §. si usufructus. Ad L. Falc. l. sed usufructus. 81. Ad L. Falc. fac. l. & si forte. §. si ades. infrà. Si serv. Vind.* Siquidem eæ res propriè individuæ sunt, quarum usus pro parte nullus est, *l. via. 17. de Serv.* Hoc tamen de usufructu disputari potest, eò quod divisionis effectus est ut ex re una fiant plures, quando igitur usufructus inter duos communis divideretur per regiones agri, & idcirco plures fierent usufructus, *l. communi. 7. §. cum de Vsufructu. Comm. Divid.* res veniret in eum casum

casum unde incipere non posset, cum rei vnius fierent usufructus plures, & consequenter foret hoc jus quoque indivisum. *arg. l. pro parte.* 11. *de Serv.* Quia enim unius rei plures usufructus constitui absurdum foret, *l. duos.* 14. *de Vsufr. Leg.* perinde quoque absurdum foret, unde hoc sequeretur. Quinimo & si usumfructum ponas pro percipiendi commoditate, constabit eum facti esse. Eius verò generis quæ sunt, individua sunt. *l. si is qui.* 80. §. 1. *Ad L. Falc.* Sed sciendum est, juris quidem divisionem separatam nullam esse, eoque nec esse divisionem usufructus ipsius, *arg. l. arbor.* 19. §. 2. *Comm. Div. vide quæ nos suprà in l. Pomponius.* 8. *de Rei Vind.* sed respectu rerum quas jure usufructus percipimus, quarumque usufructu fruimur, propter usum vitæ commodiorem, contrarium esse, *ut hic.* idque utilitatis causa, cuius respectu etiam utile judicium communi dividundo potest dari. *l. si cuius.* 14. §. *fructuarius. inf. eod.* Nec mutat quod usus earum quoque rerum est quæ dividi possunt, qui ipse tamen individuus est, *l. usus fructus.* 19. *de Vsu. & Hab.* quandoquidem in usu ea utilitatis ratio non subest, cum usus unus rei unius, uni modò constituatur personæ, idque in familiæ eius necessitatem, adeo ut alteri non solum nequeat in parte communicari, sed ne ipse quidem totus cedi, *Inst. de Vsu & Hab.* §. 1. *vide Hotom. in Il. Quæst. c.* 20. *per tot.*

Ad l. Vsufructu. 7.

1. *Quæ emolumenta usufructuarius habeat. & num.* 2.

3. *Vsufructuarius fundi Feudalis & emphyteuseos laudemia percipit.*

4. *An is qui usumfructum feudi aut emphyteuseos habet, confiscata prædia lucretur.*

Constituto usufructu † omnes rei fructus & obventiones ad fructuarium pertinent. Quinimo † ampliùs quod dominus occasione rei fructuariæ habere potuisset, si possedisset ipse, id usufructuarius percipiet, *ut hic in vers. unde etiam, & l. arbores.* 59. *inf. h. t.* unde † & ea quæ dominis in recognitionem vel feudi vel emphyteuseos, aut in laudemium pendi solent, usufructuarij cedent lucro. *Jul. Clar. in trac. de Iure Emph.* §. *emphyteusis. p.* 23. *num. fin.* Illud quæsitum est, An statutum agens de fructibus etiam ad pensiones pertineat, quod nos explicauimus suprà *in l. si navis,* 62. *de Rei vind. Guido Pap. c.* 47. *in decis. Gratianopol.* Idemque est in lucro quod ex jure repræsentandi haberi potest. *not. gl. & Canonistæ. in c. ex literis de Iure Patron.* Illud quæsitum † est an usufructuarius fundi seu castri feudalis ea quoque lucretur quæ ob commissum aut per confiscationem constante usufructu obtingunt.

(Right margin: 1. 2. 3. 4.)

guunt: & hoc Costalius *post Bald. quem allegat hic.* de mulctis & pœnis pecuniarijs extra controversiam ponit. *arg. l. si quis. C. de Vectigal.* ceterùm in alio fundo ex eiusmodi causa quæsito contrarium statuit, *Costal. hic allegans Guid. Pap. q. 477.* Quod ego non puto, neque verò id evincitur ex l. divortio. aliàs l. fructus 7. §. si vir in fundo. Sol. Matr. quia ibi id solum relatum est, marmor in fundo dotali inventum mariti lucro esse: id verò à proposito longè diversum est. Sed rectè ex hoc textu colligitur etiam immobilia occasione usufructus quæsita ipsius fructuarij fore, nec finito usufructu restitui, *ut hic in vers. unde etiam. ubi gl. in verb. nec quicquam. arg. l. verum. 63. §. si servo. Pro Soc.* Atque illud moribus obtinet in ijs qui comitatus, baronias, & dynastias in usufructu habent. Præterquam si soli reditus alicuius fundi in usumfructum constituti sint. Vt respondi de facto inter Ennonem Oost-Frisiæ principem, & eius D. matrem.

§. Quoniam.

1. *Quæ onera fructuarius sustineat. & num. 2.*
3. *Fructuarius reditus annuos solvit.*

1. QVemadmodum † usufructuarius commoda rei sentit, ita eidem & onus incumbit reparandæ usufructuariæ rei. Quod de refectione modica nec valde magna receptum est. Siquidem magna ad dominum pertinet. *l. inter. 10. de Dam. Inf.* His junge quæ ponimus infrà *in l. si absente. 48. eod. tit.* Quæ verò tanta sit ut ad dominum pertineat, æquo judicis arbitrio finiendum est, *gl. hic.* Sed & deci-
2. mas † vectigalia ac tributa fructuarius agnoscet. *ut hic & l. si pendentes. §. si quid inf. eod. convenit c. à nobis. ex de Decim.* Nisi tamen in constitutione ususfructus aliud esset cautum, *l. usufruct. 52. inf. h. t.*
3. Atque his consequens † est, fructuarium etiam reditus annuos (qui moribus hodiernis fundis passim ita impositi sunt ut onerent rem ipsam, penè instar servitutis, *vide quæ nos in l. ult. in fine. inf. de Cont. Emp.*) solvere cogi, *per hunc text. junc. arg. tit. C. Sine Censu & Reliq. Fund. Acq. Non Posse.*

Ad l. 9.

§. Finalis.) Allegatur in ijs quæ ponimus ad leges proximas infrà.

Ad l. ex silva. 10. l. 11. & l. arboribus. 12.

1. *Quas arbores jure usufructus amputare liceat.*
2. *Silva alia cædua alia non cædua.*
3. *Cædua silva quæ.*
4. *Non cædua silva quæ.*
5. *Silvam cæduam succidere fructuarius potest.*
6. *Non cædua silva quatenus frui fructuarius queat.*
7. *Conciliatur argumentum oppositum.*
8. *Arbores ejectæ tempestate cuius sint. & num. 14.*
9. *Demortuæ cuius sint. & num. 15.*
10. *Quid juris si non nominatim legatus usufructus sit, sed agri.*
11. *Quid si silva aliqua separata sit ab agro cuius usufructus est legatus.*
12. *Quid si silva in ipso fundo sit.*
13. *De arboribus quæ amænitatis causa habentur quid juris.*
15. *Consuetudo Autheris quatenus in fruendo observanda.*
16. *Consuetudo Gelriæ.*
17. *Doctorum responsa ad illam directa.*
18. *Una silva cædua & non cædua esse potest.*
19. *Consuetudo Galliæ. & num. 20.*
21. *An usu silvæ legato unà & usufructus legatus sit.*
22. *An silva ita in feudum dari queat ut fructus domini directi fiant.*
23. *Feudum usufructus dicitur.*
24. *Quid si fructuarius arbores amputet quas ei amputare non est permissum.*
25. *Emphyteuta & vasallus quas arbores amputent. & 26.*

MAteria † ampla, varia ac toti huic tractui permixta est, An & 1.
quas arbores cedere fructuarius possit. Quam ut solidè hoc
loco explicemus, operam dabimus, ut, quantum fieri potest, omnia
colligamus, quæ ex jure nostro & moribus non scriptis in hanc rem
potissimùm utilia haberi queunt. Principio † igitur distinguendum 2.
est inter silvam cæduam & non cæduam. *ut hic in l. ex silva. 10.* Silva
† cædua est quæ in hoc habetur ut cedatur, quæque succisa denuo 3.

ex stirpibus renascitur, *l. silva. 30. de Verb. Signif.* Eiusmodi sunt silvæ quercuum, salicti, arundineti, quæ singulis triennijs, quinquennijs, septennijs, decennijs, aut circiter amputari ac renasci solent. Id est, quæ non in hoc habentur ut ex glande, pastu, venatione quotidianus vel annuus saltem proventus oriatur, verùm ipsa tantum succisione. *Alc. & alij in d. l. silva. de Verb. Signif.* Non cædua † silva è diverso est quæ ex arbore frugifera constat, & in

4. hoc habetur, ut ex fructibus, verbi gratiâ, glande, castanea, nucibus, pastus pecudum vel consimili proventus utilitas quæratur. *d. l. silva. 30. §. fin. de Verb. Signif.* Proinde silvam cæduam succidere †

5. fructuarius potest toties, quoties rami, virgulta vel arbusta, mediocri vel saltem consuetæ quantitati sunt renata, eaque & vendere potest licet author eius id facere non solet. *l. item. 9. § fin. sup. eod.* Sed & interim pedamenta ac ramos ex arboribus sumet, *ut hic in l. 10.*

6. Ex non † cædua silva tantum succidere licet, quantum in vineam aliúmve hortum sit satis, modo fundus per hoc non fiat deterior. *arg. d. l. 10. hic.* grandes tamen arbores ex ea cædere non licet. *l. 11.*

7. *hic.* Nec † movet si fortè objiciatur, fructum ea ratione fieri inutilem: namque id non simpliciter ita est, cum & pastu glandium, fructu nucum, & castanearum, venatione item & aucupio pro re nata & qualitate nemorum frui possimus; rebusque ijs omnibus in quas

8. dominus silvam habere solet. Plane † si quæ arbores tempestate ejectæ sint aut evulsæ, amputare usufructuarius ex ijs tantum poterit, quantùm sufficerit usui villæ, modò nil succidat in materiam lignorum, *ut hic in l. arboribus. 12. & l. Proculus. 19. §. fin. inf. eod.* Illud † excipimus, si quæ arbores demortuæ sint: in earum enim lo-

9. cum rursus aliàs substituet & demortuas habebit ipse. *l. agri. 18. inf. eod.* Et hæc omnia ita sunt silva ipsa directo in usumfructum

10. constituta. Quod si † non silvæ nominatim, sed agri ususfructus constitutus sit, cui adjunctam silvam paterfamilias usufructuarij author possedit, distinguimus utrum silva in ipso fundo sit, an verò

11. ab eodem separata. Si seperata † sit, paterfamilias tamen ex ea in fundum palo ac pedamentis solet uti, ne ex cædua quidem silva amplius sumere licebit, quam in usum suum vel villæ. *d. l. item 9. §. fin.* namque ibi de silva cædua agi vel ex eo constat, quòd de salicto & arundineto tractatur, quæ singulis ferè annis, biennijs aut trien-

12. nijs renascuntur. Denique † si in ipso fundo silva cædua sit, rectè dicimus eam quoque pro more patrisfamilias consueto, amputari posse. Certum enim est, silvam quoque, ut olivam, fœnum & fruges in fundi fructu esse. *l. si absente. 48. §. 1. inf. eod.* modò sint cæduæ, hoc est, ut nec frugiferæ, nec habeantur causâ amœnitatis.

13. Quæ † enim ejusmodi sunt per fructuarium amputari non possunt,

sunt, *l. prox. §. fructuarius.* nisi demortuæ essent. demortuas verò, si alias substituat, fructuarius habet. *d. l. agri. 18. infr. eod.* Sed † vi ventorum ejectas proprietarius aufert. *l. Proculus. 19. inf. eod. in fi.* 14
Planè id observandum † est, ut in amputatione arborum saltem modus observetur patrisfamilias semper antè consuetus, *tex. in d. l. item 9. in fine.* itaque si paterfamilias fructum arborum ex ramis modò habere solet (quod in grandioribus salictis frequens est) fructuarius truncos semper integros relinquet; præterquam si qui sint demortui, quibus, ut dictum, ita fruetur si alios substituat ex plantis. Perinde in salictis & arundinetis tenuioribus, ea pro more ejusdem patrisfamilias à fundo amputare licebit, radicibus saltem salvis. Hæc est vera & ingenua harum legum explicatio, & tractatio totius juris quod fructuarius jure communi saltem in arboribus amputandis habere solet; quæ quidem quam plurimis alijs antè sunt tractata, sed nimis confusè & alienè ab omni ordine ac intellectu meliore *Bart. Alex. Castr. in d. l. divortio. §. si fundum. Sol. Matrim. Pico in l. Titia. 34. §. Titia. cum nuberet. num. 115. de Leg. 2.* Quorum quidem authoritati per hoc nihil detractum velim, sed præmonuisse tantùm juris studiosos, ne inanem operam impendant in opere eorum hoc quod plus obscuritatis quàm lucis sit allaturum. Denique 15
† & silvæ nonnullæ magnæ, non quidem regulariter cæduæ, in hoc habentur, ut singulis annis arbores saltem aliquot grandes & numero certæ succidantur, crescentibus interim ceteris. Quo casu moribus receptum est, fructuarium ex amputatione quoque frui eo quo frui solet paterfamilias ipse. Sic enim in Gelria & alibi usitatum est in silvis majoribus, ex quibus possessores (qui plerumque ejusdem silvæ plures pro indiviso sunt) certum stipitum numerum succidere, & pro quantitate juris cujusque in silvam, partiri solent. Id ipsum puta & fructuarij faciunt. Atque † ita accipiendum est, quod nonnulli Doctorum receptum perhibent: Arbores etiam non frugiferas, quæ vel post longum tempus renascuntur, in fructu esse; & ideo illas à fructuario posse cædi ac vendi. *Alex. l. 4. Consil. 118. num. 3. & 7. Curt. Sen. Consil. 70. num. 8. ad fin. Parys. lib. 1 Consil. 111. num. 32.* Eoque † respectu silva una eademque & cædua esse potest, & frugifera, atque usufructuarius astrictus erit consuetudini patrisfamilias suo authori consuetæ. Cum & alias fruendi ratio ad modum pertineat non ad utendi qualitatem *d. l. 9. §. fin. hic.* Idque ita & moribus obtinet. Eandem enim † consuetudinem lignandi & in Gallia receptam ex Imberto didici. Temperanda igitur Doctorum observatio secundum eam consuetudinem est, quippe ad quam respexisse videantur. Nam si silvam universam non cæduam succidere usufructuarius posset, corrum-

16 (margin, beside "† & silvæ")
Consuetudo gelrica. 17 18 19

peretur ea re prædium, quod tamen jure per fructuarium fieri non potest. *per vulg.* Itaque jus usufructuarij hactenus vel ex consuetune patrisfamilias dependet vel regionis. Illud jure † Galliæ singulatim receptum est, eos qui jus lignorum cedendorum in nemoribus habent, nihil quicquam amputare posse sine consensu ac designatione custodum qui ei rei in singulis regionibus sunt destinati. Quod si tamen usuarius hoc nomine præpositos interpellasset, nec audiretur, ipse dein' ex arbitrio boni viri cedere posset. Eique juri publicæ utilitatis causâ nullâ temporis memoria præscribi perhibent. *Imbert. in Ench. Jur. Gall. c. usus rei concessus an ad quantitatem sit referendus. pag. mihi.* 373. Denique † an usu silvæ legato unà & ususfructus legatus intelligatur disputatum est: quod ita admittimus, si aliàs usus silvæ fiat inutilis. Sed id huius propriè non est loci, eoque nos quæstionem hanc tractamus infrà, *in l. Divus. de Usu & Hab. ubi vide ad longum.* Illud † quæsitum est, An silva in feudum aut emphyteusin dari ita possit, ut fructus silvestres domino directo cedant. Dubium movet, quod feudum ipsum quandoque dicitur ususfructus. *c. un. §. fin. in quib. caus. feud. amitt. In Us. Feud. ubi & gl. c. un. in fine. de Feudi Cogn. c. un. princ. & §. si verò vasallus. Quid sit Invest. cum sim* Quodque ea ratione ususfructus atque usus silvæ vasallo fieret inutilis: unde id nec admittendum videbatur. *l. Divus. de Serv.* Obtinuit tamen conventiones ejusmodi valere, *per l. certo generi. de Serv. Rust.* Nam feudum aut emphyteusis vel in minimo emolumento, verbi gratiâ, in amputando pedamenta in vineam, vel certam quantitatem lignorum succidendo, vel facultate legendæ definitæ glandium quantitatis constare potest, quæ tamen fructuum pretium & magnitudinem minimâ etiam lædat ex parte. *gl. in d. l. certo generi. verb. actum. tex. in §. fin. Inst. de Serv. Præd.* Idque & argumento eius probatur, quod quævis res soli vel solo cohærens, in feudum haberi potest. *not. in d. c. un. vers. sciendum. de Feudi Cog. Rosental. c. 4. trac. feud. concl. 2. Moss. sub tit. de Reb. quæ in Feud. dari poss. num. 3.* Neque † verò ad rem facit quod feudum dicitur ususfructus quidam, cùm id pro materia subjecta accipiendum sit, non de fructibus fundi totius, sed eius rei quæ in feudum datur. Vt in proposito jus venandi in silva constitui feudo potest, licet fructus propriè constent in glande aut ligno, nam cùm jure suo dominus prohibere venatorem queat ne per fundum venandi causa eat, *d. l. Divus. de Serv. Rust.* Idem jus etiam in feudum constitui nil vetat. *Rosent. c. 4. concl. 2. Borcholt. c. 6. num. 17. de Feud.* Et hoc moribus obtinet. Gail. 2. Obs. 68. per tot. Quid ergo si † arbores amputet, quas jure ususfructus amputare non potest, an usufructu cadat, quæri potest. Sed id non videtur, cum proprietario cautione in

Margin notes: 20. *Consuetudo Galliæ diversa.* — 21. — 22. — 23. — 24.

eam

eam rem sit provisum, *tot. tit. Vsufr. Quem. Cau.* Propè tamen est ut si res in abusum seu non usum cadat, eum usufructu movendum. *arg. l. hoc amplius. 9. §. fin. de* Dam. *Inf. & l. eos. C. de Aquaeductu. lib.* 11. *Bal. & Castr. in Auth. qui rem.* C. *de Sacros.* Eccles. Rectè tamen dicimus id in facto consistere & aequo judicis arbitrio finiri, *Wesenb. in* Comm. *tit. Quemad. Vs. amitt. num. 8. in fine.* Nam si paucas arbores eradat aut amputet, durum foret ob hoc fructuarium magnae rei usufructu privare, sin verò semel monitus non desistat, magnumque damnum rei fructuariae adferat, propter abusum eum repellendum; idque argumento emphyteutae evincitur apposité. *per d. Auth. in rem. C. de Sacros. Eccl. junc. d. l. 9. §. fin. de* Dam. *Inf.* Denique ob + similitudinem rei quaeri potest de Emphyteuta & 15.
vasallo, quod jus ij habeant, in arboribus amputandis: & distinguendum est an amputatio ejusmodi fiat qua fundo beneficiario magnum accidat damnum, quo casu si id sine consensu domini fiat, potest expelli, *per tex. in d. Auth. qui rem.* C. *de* Sacros. *Eccl. & c. un. §. pen. de Pace Ten. in Vs.* Feud. diversum verò fore si fundus per amputationem non corrumpatur. Et id quidem ita secundùm jus nostrum & jus ipsum feudale priscum. Sed + moribus obtinuit, va- 16.
sallum & emphyteutam etiam totas silvas impunè & sine consensu dominorum amputare. Quod rationem habet cum feuda moribus nostris ferè instar patrimoniorum sint. *Rebuff. in tract.* Feudorum. *col. 4. vers. 5. Boërius in Decis. suis. locis diversis.*

Ad §. usufructuarius. eiusdem legis Arboribus. 12.

AN & quatènus fructuarius usumfructum vendere, pignori dare aut quoquo modo alienare queat, plenè tractamus infrà, *l. non utitur. 38. h. t. & in l. is qui. 11. §. usufructus. De Pign. & Hyp.* ubi & hic §. allegatur.

§. Iulianus.

1. *Vt fructuarius fructus faciat suos quid requiratur.*
2. *Percepti fructus qui dicantur.*
3. *Si quis tertius fructus abstulerit, quid juris.*

VT fructuarius + fructus faciat suos, & ad haeredem transmittat, 1.
eos vel ab ipso vel ab alio eius nomine perceptos fuisse oportuit, *ut hic.* Perceptos autem + intelligimus à solo separatos, etiamsi 2.
in horreum necdum sint conditi, *l. si fructuarius. 13. inf. Quib. Mod.*

Vs. Am. Et hoc latiùs infrà tractamus. Planè si quis tertius † suo nomine fructus abstulerit, fructuario quidem vel hæredi eius furti actio erit *ut hic.* sed condictio furtiva soli domino parata. *l. 1. de Con. Furt.* interim in pendenti erit, donec forte res vel ad fructuarium vel dominum redeat, quia & ipsum dominium in pendenti erit. *ut hic.* Totam verò materiam fructuum relinquendorum hæredibus fructuarij fusiùs infrà explicamus. *in d. l. defuncta. 58. eod. h. t.* Vbi & unà annotamus quid juris sit in vasallo sine filio defuncto. Itemque quid hac in re dispositione Iuris Saxonici contrarium sit.

Ius Saxon.

Ad l. si cuius. 13.

Vsufructuarium ad cautionem teneri expeditum est, *per hunc tex. & tot. tit. Vsufr. Quem. Cau.* An verò cautio sit è substantia ususfructus, quæstio plurimum agitata est. Et hanc nos tractamus infrà latè. *in l. 5. de Vsufr. Ear. Rer. Quæ Vsu Consum.*

§. Sed si inter.

1. Quæstione inter fructuarios orta quid judici faciendum.
2. Iure Can. quomodo partes cogi queant ad componendam pacem.
3. Sequestratio quomodo & quando à judice decernenda. num. 4. & 6.
5. Quid judici incumbat si neuter litigator velit esse actor.
7. Iudex ecclesiasticus an decernere sequestrationem possit.

1. SI inter duos fructuarios sit contentio, judex quoquo modo prospicere potest de lite componenda, vel dato quasi judicio communi dividundo, vel cautionibus mutuis interpositis de modo fru-
2. endi. *ut hic. fac. l. puto. in princ. infrà. Fam. Ercisc.* Sed & Iure † Canonico partes quæ diu litigiosæ fuerunt per censuram ecclesiasticam compelli queunt ad ineundam pacem. *c. placuit. c. si quis. & c. fin. Dist. 90.* Denique & hoc textu arguunt, judicem † motu suo utramque partem prohibere posse, ne prædium vel rem litigiosam occupent, idque toties obtinere quoties periculum subest armorum. *Bart. hic. Bal. ad l. fin. in 2. col. C. de Edicto Divi Adr. Toll.*
3. nam cùm non rarò eveniat ut inter contendentes de re una, alterius jus penitus controversum sit, eoque nec mox ad communi dividundo judicium procedant, cautionibus vel sequestratione res expedienda est. *arg. huius tex.* Quod ita † temperatum est, nisi una pars

Iuris Canonici decreta quibus litigantes constringi queunt ad ineundam pacem.

in

in continenti doceat de possessione, idque altera præstare non possit, *Bal. in l. ordinary. C. de Rei Vind. in 4. colum.* Planè † si neutere a de re satis doceat, aut se actorem constituere velit, judex summaria cognitione de possessione inquiret, eumque actorem constituet, quem maximè alienum ab illa deprehendet. Cùm ad officium eius pertineat lites diminuere. *l. quidam. 21. de Reb. Cred. Innocen. in c. in præsentia. de Prob.* Sed † quia officium suum judex non exercet, nisi ad hoc requisitus, regulariter etiam partes ad causæ disceptationem non vocabit, nec ad concordiam coget. Non aliter puta quàm si gravior subsit causa. *ut in præsenti, per Novell. 112. de Litig. & de decima. Bal. & Castr. in d. l. quidam. de Reb. Cred.* Quod verò † Costalius hoc loco annotat, judicibus ecclesiasticis, ut clericis & episcopis injungendæ sequestrationis ejusmodi authoritatem non esse, adeoque eos nec mittere in possessionem posse. *ex Guid. Pap. Quæst. 578. & Ioan. Andr. in c. licet episcopus. de Preb. in 6.* id sanè intelligendum est, puta juxta Consuetudines Galliæ, ubi clerici territorium non habent. Sed moribus Germaniæ plerique episcopi & abbates non pauci non modo territorium & imperium mixtum habent, verum etiam jus gladij.

5. 6. 7. *Consuetudo Gallica & germanica de iurisdictione clericorum.*

§. Fructuarius.

Usufructuarius causam proprietatis deteriorem facere non debet, meliorem facere potest. Sed utrumque hoc quatenus ita sit pluribus infrà explicamus. *in l. usufructuarius, 44. h. t.* quæ solet huic opponi. *vide quæ nos ib.*

Ad l. sed si. 15.

§. Etsi vestimentum.

Usufructuaria res quin locari queat extra controversiam est. *l. 12. §. usufructuarius. supra hic.* Quod igitur hîc diversum statuitur in vestibus (præterquam lugubribus aut scenicis) id in ijs singulare est propter damnum attritionis. Sed nec reales servitutes locari possunt. *l. locare. 44. infrà locati. ubi nos hac de re plenè.*

Ad §. finalem. & ad l. nisi. 16.

1. *Communis interpretatio huius text.*
2. *Quare improbanda.*
3. *Explicatio Pinelli melior.*
4. *Sententia proba.*
5. *Antonius Augustinus laudatus.*

1. QVod ad[1] finem huius legis relatum est, proprietatis dominum, ne quidem consentiente fructuario servitutem imponere posse, prædurum videtur. Et quidem verba textus plerumque ac-
2. cepta sunt, quasi id ita innuant, *gl. Fulgos.* DD. *hic.* Sententiam [2] tamen eam non recipimus. quid ni enim queat usufructuarius renunciare in hac re juri sibi concesso? *per vulg. l. pen.* C. *de Pac. ubi Curtius Jun. ingenuè fatetur eum intellectum legis huius mirabilem esse, nec eius se rationem assequi. ibidem. num. 7.* Ad hæc, si potest dominus per se fundo fructuario servitutem imponere, quæ usufructuario non officiat, quid ni volente eodem & consentiente, eam imponat quæ officiat, *arg. l. prox. infrà.* Denique & usufructuarius voluntate sua cedere universum usufructum potest, quamobrem igitur nequeat domino in minus præjudicium sui, consentire? Id verò nemo interpretum negaret, nisi hoc textu contrarium statui falsa opinione seducti essent. Qui verò ex recentioribus eam sententiam amplexi sunt, adeò nihil dixerunt, ut confutationem commenta
3. eorum non mereantur. Probabiliter [3] verò nonnulli scripsere in postremis legis huius verbis deesse negationem, itaque legendum. PROPRIETATIS DOMINUS NON CONSENTIENTE QVIDEM FRUCTUARIO SERVITUTEM IMPONERE NON POTEST. Id est, proprietatis dominus dissentiente quidem fructuario servitutem fundo imponere nequit. Eâ enim lectione accepta, nihil absurdi remanet; & textus legis sequentis optimè huic cohærebit, *Nisi per quam. &c.* Et id Ario Pinello visum est. *in l. 1. C. de Bon. Matern. par. 2. num. 74.* Sed
4. Connanus [4] hunc locum ita accepit, ut proprius eius sensus sit hic, Proprietarium etiam dissentiente fructuario servitutem imponere posse, & cohæreat l. sequens ita, ut *nisi* designet idem quod *sed duntaxat.* Definitio igitur ex Connani sententia harum legum hæc erit. Vt proprietarius etiam non consentiente fructuario imponere fundo suo servitutem queat, sed eam duntaxat quæ fructuario non obsit, *Connan. lib. 4. Comm. c. 3. num. 3.* Quæ sententia ut à verborum proprietate non aliena est, ita Græcæ phrasi propria omnino est. Nec mirum, cùm & juris authores aliàs sæpe ob peritiam utriusque

que linguæ eâ sint usi: quæ res tamen leguleis nostris (quippe qui utriusque eiusdem imperitissimi fuere) plerumque summas tenebras suffudit. Vt pluribus docere possem ni id remotum foret ab instituta brevitate. *vide Ant. Aug. lib. 2. c. 2. Emendat. per tot.* qui profectò vir summam † laudem cum libris Emendationum nactus est, tum ijs quos edidit de Legibus & Senatusconsultis. 5.

Ad l. Agri. 18.

QVæ arbores in fructu sint, & quas cuique fructuario liceat amputare vel minùs, plenissimè traditum nobis est suprà, *in l. 10. 11. 12. h. t.* ubi & hæc allegata est.

Ad l. Proculus. 19.

1. *Hic textus quomodo plerumque sit acceptus.*
2. *Doctorum Consuetudo prava.*
3. *Intentio Iurisconsulti in hoc textu quæ sit.*
4. *Ratio dubitandi huius legis.*
5. *Amovetur. & num. 6.*
7. *Notata Doctorum regula.*
8. *Materia huius textus consistit in facto. & quatenus.*
9. *Fulgosij & Cumani observationes non improbandæ.*
10. *An usufructu prædij legato ea lege ut prædium ipsum alienari queat, dominium legatum censeatur. & num. 11.*

PRoculus putat, insulam ita posse legari, ut ei servitus imponatur quæ alteri insulæ hæreditariæ debeatur, hoc modo: Si ille hæredi meo promiserit, per se non fore quò altiùs ea ædificia tollantur, tum ei eorum ædificiorum usumfructum do lego, Vel sic: ædium illarum, quoad altiùs quàm uti nunc sunt, ædificatæ non erunt, illi usumfructum do lego.) Hunc † textum ferè omnes Doc- 1.
tores ita acceperunt, ut ejusmodi legato non ususfructus, sed proprietas relicta intelligatur. Idque eo quòd principio eius relatum est, insulam eo modo legari posse. *gl. communiter probata à Bart. & aliis hic.* Quo certè sensu nihil falsiùs est. Et † jure mihi hîc scribere 2.
liceat, quod alibi Iosephus Ludovicus à Decio scriptum refert, *consil. 419.* Doctores nimirum imitari aves, ut quando una volat, omnes sequantur. Sed ad † rem explicandam observandum est, propositum jurisconsulti hîc non esse, ut doceat, quemadmodum testa- 3.

tor dominium alicui relinquat unius ex prædijs, adhibito onere servitutis: sed quemadmodum ususfructus unius prædij legari queat, ea lege, ut alteri prædio hæreditario serviat. Eius rei argumentum est, cùm titulus hic, quo singulatim de usufructu agitur, tum & inscriptio capitis, *ex lib. 5. Pomponij ad Sabinum. quo de usufructu legato actum est*. Denique indicant idem exempla subjecta manifestè.
4 Ratio verò † dubitandi est, quod natura servitutis hoc postulet, ut prædiorum sit quæ ad diversos pertineant dominos, cum res sua
5. serviat nemini. *l. 5. Si Usufr. Pet.* Nec ad rem facit † quod principio huius legis relatum est, insulam ita legari posse, unde probabiliter colligi queat, ibi agi de relinquenda proprietate, quod alias servitus subsistere non posset *per d. l. 5.* Respondemus enim, servitutem hic impropriè dici, pro jure scilicet servituti consimili. Et in exemplis igitur huius legis quod dicitur de servitute ne altiùs ædificetur, quæ prædialis est: id ita accipies ut duret tantum instar servitutis
6 donec durat usufructus. Quemadmodum † & aliàs, jus pascendi & aquæ haustus re ipsa servitutes prædiales sunt, *§. in rusticorum. Inst. de Serv. & l. 3. in princ. de Serv. Præd. Rust.* quæ ipsæ tamen & personis utiliter constitui possunt. *l. si qui binas. 32. inf. eod. l. 14. §. fin. de Alim. Leg.* Re ipsa tamen & illæ & hæ de quibus hîc agitur non tam propriè servitutes sunt, quàm legitimæ quædam facultates utilitatis causa instar servitutum receptæ. *l. Gaius. 12. de Ann. Leg. gl. in d. l. si quis binas. verb. exceptio.* Videantur quæ nos latè in-
7. frà *in l. ut pomum. 8. de Serv.* Quibus positis, † evenit, falsam omnino Doctorum regulam esse, qua statuunt legato usufructu cum clausula ne alienetur, vel rei fructuariæ servitus imponatur, proprietatem legatam censeri. *DD. hic ferè omnes.* Repugnat enim ea glossa ipsis interpretandi juris principijs, quæ hoc postulant, ut quod favori alicuius cautum est, id duriori interpretatione non retorqueatur
8. in eius damnum. *l. nulla. de Legib.* verum quidem est rem † omnem hanc in facto consistere, ut si manifestè pareat de ejusmodi voluntate testatoris, illam sequamur. *l. 3. de Reb. Dub.* Sed in dubio & si de alia dispositione, aut expressa testatoris voluntate diversa non constet, hanc sententiam sequimur velut benigniorem. Maximè cùm ea minimum exprimat, quod in dubio & aliàs sequi solemus.
9. *l. semper in obscuris. de Reg. Iur.* Fulgosius † quidem jam olim scripsit, se contrarium responsurum ea lege non visa, & Cumanus eam unam ex mirabilibus censuit: sed mirum id non fuit, cùm sine altiore indagine, erroneam Bartoli opinionem protinus ea in re sint secuti. Atque hanc sententiam Pinellus probavit, *in l. 1. par. 1. num. 41. C. de Bon. Matern. post Connan. lib. 4. Comm. c. 3. ad fin. Fachin.*
10. *lib. 5. Contron. c. 43. & 44.* Neque verò † mutat clausula de non alienando

lienãdo adposita, cùm ea conveniat ipsius ususfructus naturæ. Quin igitur potiùs dicamus abundantem cautelam non nocere. *per vulg.* Alia quæstio est, An usufructu † prædij legato ea lege ut prædium 13
ipsum alienari queat, dominium legatum censeatur. Et hac quoque in re à Doctoribus variatum est, *vide Menoch. lib. 4. Præsump. in 2. par. Præsump. 113. num. 4.* Quando verò clausula de alienando propriè ad dominium pertinet (quemadmodum illam de non alienando, ad constitutionem usufructus pertinere, de præmissa quæstione dixi) propè dici potest, testatorem & hîc sensisse de proprietate. Sed ego puto hanc rem in facto consistere, ut si testator simplicior fuerit, qui ususfructus voce per juris ignorantiam pro re ipsa usus sit, dominium relictum censeatur, *arg. l. qui usufructus. de Usu & Usufr. Leg.* sin verò homo sit in rebus versatior, magis usumfructum quidem relictum esse, sed dominium sub conditione si eam rem legatarius velit alienare. Ponamus fructuarium inopem & rem † cujus usufructus ei legatus est, à majoribus profectam, ut difficiliùs eam alienaturus sit, nisi extrema urgente necessitate, probabilis ratio est, quamobrem eam non facile sit alienaturus. Quando enim usufructus ita relinqui potest ut servitutem fundo imponi fructuarius patiatur, quid ni & usufructus ita legari queat, ut exigente necessitate rem ipsam vendere possit? *per hunc text.*

Ad §. Si arbores.

QVas arbores fructuarius habeat, quas item proprietarius, pluribus prosecuti sumus suprà *in l. 10. 11. & 12. eod. ubi & hic §. allegatus est.*

Ad l. si quis ita. 20.

1. Legatum ita factum, fructus annuos eius fundi do lego, quomodo intelligendum.

2. Ratio dubitandi.

3. Quid juris si heredi injunctum sit legatario reditus annuos alicuius fundi dare.

1. SI quis ita † leget, fructus annuos eius fundi do, lego: perinde est ac si usufructus fundi legatus esset. *ut hic.& l.cum ita.41. de V-*
2. *sufr.Leg.* Dubitandi † ratio erat, quod legatum annuum ab usufructu legato in nonnullis differt. *l.in singulis.8. cum sim. de Ann. Leg. l.fundi.38.& ibi DD.de Vsufr.Leg.* quia tamen non certa quantitas annua relicta est, nec pars etiam certa annui fructus, obtinuit hoc legatum esse instar legati usufructus. Et consequenter legatarius
3. ipse fundo fruetur. Planè † diversum ab hoc legato est, si reditus fundi aut ex ijs annua pars aliqua hæredi injungatur legatorio danda, tum enim hæres ipse rem colet, & legatum annuatim legatario solvet. *d.l.fundi.38.de Vsufr.Leg. l. defuncta.58. §. Sempronio. infrà eod. Dominus Bronchorst.Cent.1. Controv. Q.87. Donell.lib.10.Comm. c.5. Pinell. in l.1.C.de Bon.Mat.p.2. num.12.& 13.*

Ad l. sed etsi.25.

§. Si operas.) Vide quæ nos in l. defuncta.58. infrà eod. ubi hic §. explicatur.

Ad l. si operas, 26.

QVid percipiant hæredes fructuarij plenissimè tradimus infrà, *in l.defuncta. eod. ubi vide.*

Ad l. si pendentes. 27.

Princip. FRuctus pendentes pars fundi sunt donec fundo cohærent. *l. fructus. 44. de Rei Vind. ubi dixi.* Et rectè igitur apprehensione fundi transeunt ad fructuarium ut ille eos percipiat. *ut hic.* Sic enim & è diverso fructus pendentes, fructuario defuncto transeunt ad proprietarium. *vide quæ nos infrà in l.defuncta. eod.*

§. Si quid cloacarij.

ONera rei fructuariæ minutiora ad usumfructuarium spectant, qualia sunt quæ vel cloacarum vel viæ vel aquæductus nomine debentur. *ut hic. vide quæ nos suprà in l. 7. §. quoniam. eod. b.t.* Iunge etiam his quæ nos infrà, *in l. si absente. 48. eod. tit.*

Ad l. omnium. 28. & ad l. quoties. 34. §. fin.

An omnium bonorum usufructu legato, fructuarius æs alienum exolvat, tractamus nos infrà *in l.ult. de Vsu & Vsufr. Leg.*

Ad

Ad l. si Titio. 33.

QVæ de usufructu accrescendo tractantur, ea nos servamus libro octavo subtilitatum nostrarum, quo totam materiam juris accrescendi explicabimus latè, si Deus vitam & otium dederit. Alienum enim ab instituta brevitate foret hoc opus ijs onerare. Relata tamen & explicata hæc l. est infrà, *tit. 1. l. 1. num.* 8.

Ad l. si usus fructus. 36.

1. *Legato usufructu area cui postea ædificium impositum est, quid juris. & 3.*

2. *In obligatione proprietatis diversum.*

4. *Quibus remedijs caveatur, legatario usufructu impositione ædificij extincto. & 5. ac 9.*

6. *Quid juris sit usufructu insula legato, & ea mutata.*

7. *Quid juris sit legato scypho & postea mutato in massam. & num. 8.*

TEstator areæ † usumfructum legavit, posteaque ei ædificium 1.
imposuit, idque viuo eo denuo perijt. Africanus hoc loco perhibet, areæ usumfructum deberi: quia puta eadem sit area. Manente verò ædificio, quia area mutata est, etiamsi ei accedat superficies, legatum tamen non debetur, neque enim jam area est sed domus. Sed hoc in proprietate non ita foret, cùm ædificatum in ea cedat solo. Proinde & aliud dicendum † in obligatione proprietatis. nam 2.
ex stipulatione quidem ædificio imposito areæ æstimatio debetur. *l. qui res. §. aream, de Solut.* non utrumque, quia stipulationes ferè strictiùs accipiuntur. Sed ex causa legati juxta Sabinianorum sententiam debetur utrumque, nisi tamen probet hæres mutatam testatoris voluntatem. *l. si area. de Leg. 2. l. servum filij. §. si area. de Leg. 1.* Dissensisse videntur Proculiani, *arg. tex. in l. si chorus. §. pen. de Leg. 3.* Sed ut † ad rem, quid si post mortem testatoris ædificium sit im- 3.
positum? & perinde rem mutari atque usumfructum extingui constat, sique ruerit vel comburatur ædificium, ususfructus restituitur ipso jure, si modò id fiat intra tempus quo perit non utendo, *l. si in area. 61. infrà eod.* Ceterùm hæres nihilominus † tenetur ex testa- 4.
mento si posuit ædificium ante traditionem ususfructus, vel de dolo si post traditionem. *l. 5. §. fin. l. 6. & l. 7. Quib. Mod. V s. e A m. l. si eo loco. Si Serv. Vind.* Paratum etiam est fructuario interdictum, Quod † vi aut clam, si vi aut clam ædificium posuerit hæres. Sed eo casu

6. cessaret actio de dolo, *per l. 1. 2. & 3. de Dolo*. Econtrà verò † si insulæ ususfructus legatus sit, quæ dein' area facta, postea novâ insulâ restituta est: usus fructus non debetur. *ut hic*. quia non ut ibi eadem area erat, ita hîc insula eadem, sed prorsus alia ac diversa. Eadem enim area numero erat, insula non eadem. *l. servitutes. §. sublatum. de Seru. Vrb.* nam quod restituitur nunquam idem numero manet, *l. repeti. princ. Quib. Mod. Vs. Amitt, junc. l. stipulatio. §. sed si quis. de Verb. Obl.* At si partes commutatæ essent, eadem insula manet. *l. quid tamen. §. pen. Quib. Mod. Vs. Amitt. l. proponebatur. de Iudic.*
7. *l. 22. de Leg. 2.* Similis quoque ratio schyphorum est, nam si schyphorum usus fructus legatus sit, deinde massa facta & iterum scyphy. Licet enim pristina qualitas scyphorum restituta sit, non tamen illi sunt, quorum usus fructus legatus erat. *tex. hic.* & usus fructus igitur non debetur. Quid tamen † si massæ usus fructus legatus sit, & inde vas fiat, usumfructum eius interire constat. *d. l. quid*
8. *tamen. §. si massa.* tametsi enim materia maneat eadem, forma tamen & qualitas perit. Alia quæstio est, si quod ex massa factum est vas, rursus in massam redigatur, an novissimæ massæ usus fructus debeatur? Azo deberi quia eadem massa sit. Cujacius contrà quia massa sit nova, nec hoc posse areæ comparari quæ semper manserit. Mihi placet Azonis sententia & massam areæ comparari rectè. Forma enim areæ mutata est, & hic forma massæ, eademque massa
9. fuit, licet ob accedentem formam facta sit scyphus. Planè † si quid facto hæredis vel alterius etiam acciderit, ob dolum & culpam actiones fore non est ambigendum. *l. 5. 6. 7. infrà. Quib. Mod. Vs. Amitt.*

§. stipulatus.

Ex hoc textu notandum plenam proprietatem dici cui adest usus fructus. Is nimirum qui non servitus sed sæpius dominij pars dicitur. *l. 4. suprà. h. t. vide quæ nos latè in l. 1. suprà eod.*

Ad l. non utitur. 38.

1. *Quomodo accipiendum sit quod dicimus usumfructum alienari posse.*
2. *Conciliatur §. penult. Inst. eod. & l. 66. de Iure Dot.*

Quod

QVod hîc relatum est, fructuarium† tam per emptorem usufructus, quam conductorem aut gestorem uti posse, & usumfructum conservare, dubium movit, an usufructus etiam in tertium alienari queat: idque ex hoc textu permissum patet. *convenit l. cui 67. infrà eod.* Nec mutat † §. pen. Inst. eod. nam quod ibi dicitur cessione usufructus in alium, quàm proprietatis dominum facta nihil agi: id ita accipiendum est, quòd cessione facta in personam alterius, nihilominus usufructus consistat in persona cedentis: quodque cessionarius nihil aliud acquirat, quàm commoditatem fruendi. *ut hîc & l. necessario. 8. §. fin. de Peric. & Comm. Rei Vend.* Atque inde † jam planus est sensus l. usufructus. 66. de Iure Dot. nam quod ibi relatum est usumfructum alienatum ad dominum proprietatis reversurum, id intelligitur finito usufructu in persona cedentis. Nam postquam id accidit, cessionarius nihil ampliùs habet juris. 1. 2. 3.

Ad l. si alij. 42.

AN usus sine fructu esse queat, explicamus infrà *in l. per servum. 14. de Vsu & Hab.* ubi vide.

Ad l. usufructuarius. 44.

1. *Quid fructuarius ædificare in re fructuaria queat, & quomodo. num. 3.*
2. *Conciliatur l. 73. infrà eod.*

QVod † hic dicitur fructuarium novum tectorium parietibus imponere non posse, etiamsi domini conditionem faceret meliorem, ijs convenit l. usufructuarius. 61. infrà eod. Nec † mutat l. si cujus. 13. §. fructuarius. suprà: & l. si areæ. 73. infrà eod. ubi definitur, fructuarium conditionem domini facere posse meliorem, & casam in area ædificare: nam quod conditionem domini facere potest meliorem, id de cultu accipimus, cum jure suo nihil quicquam ædificare queat, *ut hîc.* sed rem solummodo curare ut decet bonum patremfamilias. *l. sed cum. 65 inf. eod.* Et perinde † quod ædificare eum casam posse dicitur, *in d. l. 73.* id de minutiori ædificio ex benigna æquitate, accipimus, quo fructus recordantur, non verò tali: quo forma rei quoquam mutetur modo. 1. 2. 3.

Ad

Ad l. si absente. 48.

1. *Heres absentis fructuarij nomine ædificans an & quam actionem habeat.*

2. *Fructuarius ob onus grave impensarum, usumfructum deserere potest.*

3. *An vicinus putei vel fontis negare contributionem in refectionem eius queat renunciando usui aquæ.*

4. *Onera quorum dies cessit, cui incumbant.*

1. Princip.) SI hæres † fructuario absente rem reficiat (id puta quod fructuario incumbit) licet hæres ob incertum eventum sibi quodammodo ipsi prospiciat, nihilominus negotiorum gestorum actionem habet, cùm re ipsa gesserit negotium fructuarij, eumque sibi obligare voluerit. Planè † si fructuarius ob onus
2. impensarum deserere usumfructum volet, potest, nec reficere cogendus est. *ut hic. & l. cum fructuarius. 64. inf. eod.* Vnde quæsitum est, cùm in Gallia & Belgica in municipijs plerumque putei aqua-
3. rum habeantur † usui vicinorum communi, quique à vicinis communi sumptu refici solent & conservari: an inquam quispiam ex vicinis negare contributionem possit renunciando usui aquæ. Admissum tamen est, vicinos quoscunque in refectionem tribuere cogendos. *arg. l. ad portus. C. de Op. Pub.* Nec movet hic textus, quia in eo diversum est, eò quod rem usufructuariam deserere privati juris sit, & usufructui renunciare nihil sit aliud quàm beneficio suo renunciare. Quod & aliàs permissum est regulariter. *per vulg.* E contrariò verò reficere puteos, aquæductus, portus & res consimiles ad ornatum & utilitatem civitatium pertinentes, quodammodo publicum est. *arg. d. l. portus.* ut ob eam rem à privatis ad publica parum commodè argumentemur. Denique ut maximè quis renunciet usui putei, quia tamen vicinus est, uti etiam clanculum jure renunciato potest. *Imbert. in Ench. Iur. Gall. c. vicinus an contribuat. allegans Ias. in l. 2. num. 26. C. de Iure Emph. item Speculatorem & alios.* Et hoc quotidie observari videmus, ita ut reluctantes officio magistratus ad hoc cogi possint. Quod rationem habet, cùm pro his non tam personæ quàm prædia teneantur. *l. imperatores.*
4. *de Publ. & Vect.* Planè ad † onera quod attinet quorum jam cessit dies, magis est ea personalia reputari. Idque in Gallia servari Costalius annotat. *in l. cum fructuarius. 64. infrà eod.* Eoque & pro ijs teneri hæredem qui deserit usumfructum. Perinde puta ac si ipsius facto vel suorum res deterior esset, persona eius obligata foret. *l. sed cum 65. infrà eod.*

Consuetudo Galliæ

§. 1.)

§. 1.

AN & quatenus silva in fructu sit, & quas arbores fructuarius amputare queat vel minùs, tractamus suprà *ad l.10.11.12.ubi hic §. etiam allegatus est.*

Ad l. usufructu. 52.

AN & quæ onera ac tributa fructuarius ferat, pluribus explicamus suprà, *in l.7.§. quoniam. eod.* ubi vide.

Ad l. si cui. 53.

DE amittendo usufructu per mutationem areæ & insulæ egimus suprà *in l. 36. h.t. & infrà l. repeti.6. §.rei. Quib. Mod. Vsusfr. Amitt.*

Ad l. An usufructus. 55.

VSusfructus ecclesiæ aut civitati relictus quamdiu duret explicui infrà, *in l.usufructus.21. Quib. Mod.* ubi plenè docui, an & quatenus collegium aut universitas usumfructum perdat.

Ad l. defuncta. 58.

1. *Fructus quos fructuarius percepit transmittuntur ad heredes.*
2. *Aliud hic est quàm in fructibus dotis, & quomodo.*
3. *Fructus qui percepti dicantur.*
4. *Bonæ fidei possessor idem hac in re cum fructuario jus habet.*
5. *Quid juris sit de fructibus qui casu in terram cadunt.*
6. *Iure Saxonico quid in hac re diversum.*
7. *Vasallo defuncto de fructibus quid juris.*
8. *Quid juris sit si operæ servi locati sint.*
9. *Quare diversa dividendi fructus ratio sit inter proprietarium & fructuarium, quàm inter conjuges matrimonio soluto.*
10. *Clericus quid juris habeat in percipiendis fructibus beneficij. & num. 11.*

1. Regulare est fructus † perceptos ab usufructuario transmitti ad hæredem. *ut hic.l.12.§.fructuarius.suprà h.t.ubi dixi obiter. & l. si fructuarius.13. Quib. Mod.Vs.Amitt.* Igitur & si mense Decem-
2. bri fructuario defuncto jam tum fructus per colonum sint percepti: non obstante eo, quòd pensio demum, Kalendis Martijs inferenda est, eandem dicimus integram hæredi fructuarij solvendam esse. *ut hic.* Diversum verò est in fructibus dotis, ut tractatur infrà *in L. divortio. Sol. Matrim.* ubi vide nostra. Sed perceptos tantum hæres habet, reliquos non habet. nam & si decedente fructuario maturi essent, non cederent hæredi.*l.12.§.si fur. suprà eod. §.is verò. Inst. de Rer. Div.* Denique licet alias fructus percipere designet eos in horreum condere, *ut in l.bona fidei.48. de Acq. Rer. Dom.* in pro-
3. posito tamen non requirimus † eos in horreum conditos, sed satis est eos separatos esse solo. *d.l.13. Quib. Mod. Vs. Amitt.* Quod ipsum tamen & cum moderamine acceptum est, ut separati saltem sint fructuarij nomine. nam si à fure decerpti sint, fructuario hæredive eius furti actio parata est. *d.l.12.§. Iulianus. suprà. ubi dixi.*
4. Fallit verò † Accursius, qui in fructibus percipiendis *d.l.13. Quib. Mod. Vs. Am.* contrarium quippiam prioribus statui de possessore bonæ fidei autumat. nam particula autem ibi non adversativa, sed ordinis & subjunctiva est, quod interdum apud juris authores fit phrasi Græcâ. Itaque ibi re ipsa idem de bonæ fidei possessore statuitur, nimirum ut separatione fructuum à solo facta percepti quoque fructus intelligantur; in bonæ fidei possessore perin-
5. de ut fructuario. Quid ergo ii qui casu † in terram deciderint? fructuarij non sunt, quia nec intelliguntur percepti. *tex. in d.l.si fructuarius.* Sed hoc bona ratione Baldus temperat, nisi isti ipsi jam à fructuario sint motiloco & congregati, aut aliàs in horreum reconditi.
6. *Bal. in d.l.si fructuarius.* Planè † iure Saxonico in hac re paulò aliter cautum est (quod & moribus Transisulaniæ sequimur) ut quæcunque sata à fructuario sunt, ab hæredibus quoque eius metantur. *Schnei. in §.is verò. Inst. de Rer. Div. num.3.* Denique tametsi idem † author ibidem annotat, *num. 5.* decedente vasallo sine filio post mēsem Augustum & ante Martium (post gl. hic.) fructus feudi non ad filias & hæredes, sed ad agnatos & dominum feudi pertinere; ad hæredes verò pertinere si post Kalendas Martij decedat, *per tex. in c. his consequenter. hic. fin. Lex Corradi. in Vs. Feud.* tamen id eo textu non definitur absolutè. Ideoque Wesenbekius ibi annotat, eiusmodi divisionem absurdam fore, & tenendam rationem l.divortio. Sol.Matrim. *secundum Alex. in d.l. divortio. Wesenb. in not. ad d. loc. Schneid.* Sed magis est eam rem temperandam ad rationem ususfructus; ut videlicet percepti & solo separati vasalli sint, solo verò

Ius Saxon. in hac re diversum.

7\. *Consuetudo feudorum an hic probanda.*

cohærentes

cohærentes domino cedant. Maximè cùm sine summa difficultate calculus ille qui in fructibus dotis receptus est, nequeat in hac re admitti, cùm ob successionum longam seriem plerumque omnino in obscuro sit quo anni tempore res primum feudo sit constituta. Quinimo & ipsum feudum dicitur usufructus. *c.un. §.fin. in quib. caus. feud. amitt. c. un. in fine. de feud. cog.* & fructus pendentes ipsi quoque pars fundi sunt & consequenter, redeunt ad dominum. *l.si pendentes.sup.h.t.* Planè si servi + fructuarij locatæ operæ sint,& durante tempore locationis fructuarius decedat, pro rata temporis dividenda pensio erit. *l.sed etsi.25.§.si operas. junc. l. si operas.26. suprà eod. Alberic. de Ros. in arg. d.l.26.§.si operas.* Idemque in similibus judicandum,& rationem habet, ne hæres fructuarij careat pensione tota quæ jam pro parte deberi incepit; aut proprietarius careat parte reliquâ quæ fructuario ob diminutionem capitis tota deberi non potuit. Si quis + verò inde colligere velit eandem dividendorum fructuum rationem inter fructuarium & dominum proprietatis tenendam quæ est inter conjuges, longe aberrabit, quoniam maritus ex juris ratione dominus est, *l.doce.C.de Rei. Vind.cum sim.* usufructuarij verò jus ut plurimum consistit in facto fruendi. *l. 1. infrà. Quando Di. Vs. Leg. Ced. eleganter Henricus Suerin. in lib. de Vsufr. Accres. pag.19.* An verò clericus + in percipiendis fructibus ejusdem cum fructuario sit juris, quæri potest, & hoc quidem glossæ probatum est, *gl. in c.præsenti. de Off.Ord. in 6.* bona tamen ratione Panormitanus autumat; ne perceptos quidem à clerico ad hæredes transmitti. *Abb.in c.ult.de Pecul.Cler. fac. gl.in l.1. C.de Annon.Ciu.lib.10.* quòd nec de ijs disponere possit. *c.ad hæc. de Testam.* Hæc ita si non moribus diversum obtineat. Sic enim in Gallia quæsita à clericis nomine privato, & fructus adeo ex beneficijs percepti transmittuntur ad hæredes. *Costal. in d.l. divortio.* qui & eam consuetudinem probam perhibet, *per c. cum tibi. & quæ ibi Pan. de Verb.Sign.* & Ostiensem allegat qui eam quoque extra Galliam valere testatur, *Ostiens.in clem.gratia.de Rescrip.* Ac tametsi Panormitanus id ita temperet ut in immobilibus à clerico relictis non procedat: contrarium tamen vel maximè de ijs obtinuit, ut ego saltem in his locis Belgicæ observavi. Denique nec in eo Costalio assenserim + quod fructus benefic. divisionem admittant instar fructuum rei dotalis matrimonio soluto: magis enim est beneficia percipi instar usufructus. quia res ecclesiasticæ proprie ad ecclesiam pertinent, & à clericis detinentur beneficiario, quasi usufructus jure. Dotalia verò ampliùs etiam civili ratione in dominio mariti sunt, *per tex.in d.l. doce. C.de Rei Vind.*

8. 9. 10. 11.

§. Sempronio.

ALlegatur suprà in ijs quæ ponimus *ad l. si quis. 20. eod. t.* Vbi plenè posuimus quando legatum annuum aut ususfructus censeatur.

Ad l. usufructuarius. 61.

PRo voce rivum ponit Cujacius tectorium, ut conveniat cum l. 44. suprà eod. *Cujac. 1. Obs. 36.* Sed hoc supervacuum est, quia & ex retentione lectionis solitæ, nihil absurdi redundat. Rivus enim hîc pro canali ponitur, qui egerendæ aquæ pluviæ manantis à tecto, parietibus imponi solet. Opponi verò huic textui solet. *l. si in area, 71.* infrà eod. Sed vide quæ ponimus ad earum conciliationem, suprà, *in d. l. 44. eod.*

Ad l. usufructuarius. 62.

VSufructuarium venari in saltibus possessionis posse, cuius usufructum habet, constat, modò animalia inclusa aliáve substituta eadem bonitate restituat usufructu finito, *tex. hîc*, id ita quando fructus fundi in venatione constat. *l. venationis. & ibi DD. inf. de Vsur.* Ampliùs hodie moribus Germaniæ & Galliæ earum rerum etiam constituuntur servitutes reales. Qua de re qui plura requirit, videat quæ ponimus infrà, *in l. ut pomum. de Serv. & l. Divus. de Serv. Rust.*

Consuetudo Germania & Gallia diversa.

Ad l. cum fructuarius. 64.

QVatenus fructarius propter onera rei ipsam rem deserere possit, tractavimus suprà *in l. si absente. 48. eod. ubi vide.*

Ad l. cui usufructus. 67.

VSusfructus an, & quatenus alienari queat, tractatum est suprà *in l. 38. eod.* ubi & conciliamus l. 66. de Iure Dot. & §. pen. Inst. h. t.

Ad l. vetus. 68. l. 69. & 70.

§. Final. SIngulorum capitum usufructu legato unumquodque eorum domino perit, nec fructuarius alia substituere cogetur. *l. quid ergo. 70. §. sed quod dicitur, infrà eod.* Ceterum gregis, equitij,

equitij aut armenti usufructu legato, in locum demortuorum alia substituere cogetur. *ut hic & 9. sed si gregis. Inst. de Rer. Div.* Vnde & probabiliter colligas, fœtu non existente, aliunde eum substituere non cogendum, ne videlicet quod beneficio domini cautum est, damno alterius cedat. Idque rectè Minsinger & Wesenbecius probarunt *in d. §. sed si gregis.* Substituta verò statim domini fiunt, quemadmodum eius fuerunt priora. *ut hic in fine. l. 70. & in l. 44. eod.*

Ad l. si in area. 71.

AREa mutata per impositionem ædificij quatenus ususfructus retineatur vel amittatur, dixi latè suprà, *in l. 36. h. t.*

Ad l. si areæ. 73.

VIde quæ posuimus suprà in l. usufructuarius. 44. eod. ubi hæc relata est, & explicatum quid fructuarius ædificare in prædio sibi serviente queat.

DE VSVFRVCTV ACCRESCENDO.

TIT. II.

IVs accrescendi dicitur, cùm ex duobus aut pluribus concurrentibus, deficientis portio alteri accrescit. Est enim ab accrescendo dictum, jurisque potestatem designat, quâ sine facto aut voluntate nostra incrementum juris quasi latens, interdum personæ interdum rei ratione nobis adjicitur. *l. si quis. 35. & l. qui ex duabus. §. fin. de Acq. Her.*

Decretum verò mihi est in præsenti quàm pauca de eo jure peragere, quòd constitui, volente Deo Subtilitatibus nostris *lib.* 8. pleraque tam de usufructu quàm hæreditate & legatis accrescendis, & si quid aliud in jure nostro ad eam rem pertineat, altiori studio tractare.

Ad l. 1.

1. *Ius accrescendi quid requirat.*
2. *Conjunctos quot modis dicamus.*

3. Quemadmodum accipiendum sit quod hic refertur, usufructu partis rei separatim relicto, jus accrescendi non esse.

4. Suerinus notatus.

5. De Re conjunctis quid juris sit.

6. Re & verbis simul conjuncti qui dicantur.

7. Re conjuncti num praeferantur conjunctis verbis.

8. Species singularis qua re & verbis disjuncti jure accrescendi gaudent.

9. An Ius accrescendi etiam in contractibus sit.

10. An emptor haereditatis gaudeat jure accrescendi.

QVOTIES USUSFRUCTUS *legatus est, ita inter fructuarios est jus*
1. *accrescendi, si conjunctim sit ususfructus relictus.)* Principio † igitur ut jus accrescendi locum habeat, duos pleresve inter se conjunctos esse oportet. Conjunctos † ferè dicimus triplici modo, Aut, puta Re tantùm, aut Verbis tantùm, aut Re & Verbis pariter. *l. triplici.* 142. *de* Verb. *Signif.* Verbis conjuncti dicuntur qui continua oratione in eiusdem rei partibus copulantur, ut si ita dicam: Seio fundum Mævianum do lego, & Sempronio eundem æquis portionibus, vel ita: Seio & Sempronio usumfructum æquis partibus do lego. Hi nimirum re disjuncti intelliguntur, quia æquales partes sunt relictæ, eæque intellectu separatæ. Et inter eos etiam jus accrescendi est. *l. re conjuncti.* 89. *de Leg.* 3. *l. triplici de* Verb. *Signif.* Quod enim
3. hîc relatum est, jus accrescendi † cessare si unicuique separatim partis ususfructus relictus sit, de legatis separatim positis acceptum est, nimirum quemadmodum re conjuncti, id est, ij quibus eadem res sine designatione partium separatim relicta est, concursu partes faciunt & jure accrescendi gaudent: ita non gaudere jure accrescendi eos quibus singulis separatim pro parte res aliqua una legata est. *gl. hic in verb partis rei. quam hic alij communiter sequuntur.* Scio
4. equidem † à Suerino in dubium vocatum ac disputatum esse, in ijs qui saltem verbis conjuncti sunt, accrescendi jus non esse. Sed nos eum plenè confutamus infrà, *in l. pen. eod. tit.* Illud constat, tametsi videantur conjuncti verbis, legato ita facto, *Titio* Centum *& Mævio fundum do lego,* conjunctos non esse, nec concursum ad jus accrescendi intelligi, *tex. in l. hujusmodi.* 84. *§. quibus. de* Leg. 1. Sed aliud est, re una eademque oratione legata duobus partibus æquis.
5. Tantundem dicimus † de re conjunctis, ut si legatum ita sit, Titio fundum Seianum lego, Sempronio eundem fundum Seianum lego, ut enim verbis videantur disjuncti, re tamen ipsa faciunt partes concursu, & jus accrescendi obtinet. *d. l. re conjuncti. & d. l. triplici. in fine.*

fine. Quæ tamen in specie perhibent, non tam locum habere jus accrescendi, quàm non decrescendi. *DD. ibidem*. Re & † verbis simul 6.
conjuncti sunt, quibus eadem res sine aliqua partium designatione relinquitur, hoc modo, Mævio & Sempronio usumfructum fundi Tusculani do lego. Et id quidem in proprijssimam huius juris rationem cadit. Quoniam enim duplex hoc vinculum est, qui ea conjunctione gaudet, ceteris præfertur, *d. l. re conjuncti. 89. de Leg. 3.*
§. idem est. infra eod. Num verò re conjuncti præferantur† conjunctis verbis, an contrà hi illis quæri potest: & interpretes hac in re 7.
variant; *propter obscuritatē textus in d. l. re. conjuncti. DD. ibidem cum recentiores, tum prisci ab Accursio allegati.* Ego ita statuo, eos concurrere nec alteros alteris præferri. *Quod infrà docemus in l. pen. h. t.* Sed
† evenire potest ut si qui re etiam ac verbis sint disiuncti, nihilominus jus accrescendi fit. Verbi gratiâ, si uni proprietas & alteri usus fructus legatus sit, & is cui ususfructus legatus est, vivo testatore decedat ususfructus domino proprietatis accrevisse censetur. *l. si Titio. 33. supra. tit. 1. fac l. fundus. 4. Si Vs. Pet.* Sed id ferè singulare est, cùm ususfructus in nonnullis quasi dominij pars sit. *ut hic & l. 4. suprà eod. vide quæ nos suprà in l. 1. de usufr.* QVOTIES *ususfructus legatus est.*) Quia hic nominatim de usufructu legato agitur, quæsitum est, An non jus † accrescendi etiam in contractibus admissum 8.
sit? quod non videtur. cùm plerisque locis omnibus quibus de jure accrescendi agitur, id tantùm memoretur de ultimis voluntatibus & legatis. *ut hic. & tot. h. t. fac. arg. l. si mihi. 110. de Verb. Obl.* Nec mutat l. fundus. 64. de Contr. Emp. & l. 5. Comm. Præd. ubi relatum est, quando quis sibi & Titio rem aliquam emit, Titij personam supervacuam esse, & contractum tantùm intelligi subsistere in persona ementis: namque id ipsum potiùs arguit, jus accrescendi in contractibus non esse, quia fundus nulla ex parte Titij fuit, sed re ipsa 9.
soli ementi ab initio comparatus. Similiter de emptore† hæreditatis quæritur, magisque est nec in eum quidem jus accrescendi transire. quia venditor ab initio nihil alienasse censetur, præter id quod habuit tempore contractus. *l. 2. §. 1. de Hær. vel Act. Vend.* Nec mutat quod dicimus portionē portioni accrescere velut alluvione, *l. si Titio. 33. §. 1. de usufr.* quia non per omnia jus accrescendi simile est alluvioni, sed in modo tantum tacitè & latenter accedendi. Minusque ad rem facit *l. totam. 8. de Acq. Hær.* ubi ei qui hæreditatem jam ex fideicommisso restituit, dicitur non accrescere, quia is restitutione hæreditatis successionis jure quasi penitus est exutus, cùm è contrario qui hæreditatem vendidit, eam etiamnum possidere censeatur. *l. 4. §. fin. Si Quis Om. Caus. Test. eleganter Cujac. lib. 12. Obs. 12.* 10.

§. Denique.

Hic §. relatus & explicatus est infrà *in §. interdum, in hac. ead. l.*

§. Idem est.

Conjuncti re & verbis præferuntur conjunctis alterutro modo tantùm, *ut hic.* quia duplex vinculum arctiùs ligat quàm unum, *d. l. re conjuncti. inf. de Leg. 3.* Num verò conjuncti verbis præferantur ijs qui re conjuncti tantùm sunt, an contra, id infrà explicamus fusiùs *in l. pen. h. t.*

§. Interdum.

1. *Re conjuncti quomodo gaudeant iure accrescendi.*

2. *Decedente uno ex legatariis ante mortem testatoris quid juris.*

3. *Ius accrescendi fortius in legato usufructu quàm proprietate est. & num. 5.*

4. *Iuris veteris & novi diversitas in legandi forma & effectu.*

6. *Quomodo accipiendum sit quod dicitur, in §. 1. suprà in hac l. usufructu servo communi relicto personam solius servi considerari.*

7. *Quid iuris sit usufructu relicto, deliberante ex legatariis altero, quid iuris inquam in lucro fructuum interea perceptorum.*

1. Usufructu † fundi sine designatione partium separatim duobus legato, legatarij concursu partes faciunt, & juri accrescendi sit
2. locus. Hi enim conjuncti re sunt. *ut hic.* Quamobrem † & ante mortem testatoris, deficiente altero, superstiti debebitur totum, eo quod non concurrat is qui si vixisset, partem habuisset. *§. pro secun-*
3. *do tit. C. de Cad. Toll.* Denique † jure veteri, si duos separatim uti frui sinere damnatus hæres esset, si testatorem hoc voluisse appareret, uterque solidum habuisset. *l. duos separatim. de Usufr. Leg.* Sed hodie legatis omnibus eadem forma data est. *l. un. §. ubi autem. C. de Cad. Toll.* Et novo igitur jure ea quoque in specie hæres solidum modò semel præstare tenetur, & consequenter legatarij habebunt jus accrescendi, nisi contrarium verbis declaraverit testator. *d. §. ubi*
4. *autem.* Est tamen † fortius hoc jus in usufructu quàm in proprietate. nam & usufructu duobus constituto posteaque amisso, nihilominus idem accrescit conjuncto; quod in proprietate duobus legata non ita foret. *ut hic.* nam si pars semel repudiata sit, si postea denuo quæratur ab altero eorum, accrescendi jus cessat, potiusque habetur

habetur, pro derelicta, ut concedatur occupanti. *gl. hic.* Præterquam in specie singulari *Novellæ.* 1. *c.* 1. Planè quod dicimus † jus accrescendi fortiùs in legato usufructu quàm proprietate esse, id & alibi apparet. nam & re unâ communi servo legata jus accrescendi inter socios non est, quia perinde habetur ac si duobus servis legatum esset *l. si fundum.* 81. §. 1. *de Leg.* 1. *l. Proculo.* 20. *de Leg.* 2. At in legato usufructu inspicitur persona communis servi, per quam domini quasi conjuncti sunt, & proinde jus accrescendi habent. §. *denique suprà in hac eadem l.* Legato enim servo relicto, quia in facto fruendi ususfructus consistit. *l.* 1. *Quando Di. Vs. Leg. Ced.* servo frui desinente, extinguitur ususfructus, *l. ult. C. de Vsufr.* Quod † igitur Vlpianus ait, *in l.* 1. §. 1. *h. t.* personam ipsius servi non dominorum inspiciendam, id haud ita intelligi oportet, ac si servus per sese ususfructus sit capax, sed quia ususfructus cohæret personæ servi quamdiu vivit. *arg. l. inter antiquam. & l. ult. C. de Vsufr.* Denique & quoties uni dominorum servis pro eius parte acquirere nequit, alteri acquirit. *l.* 1. §. *communis servus. de Stip. Seru.* Personam proinde servi inspiciendam ait, ut intelligatur una tantùm servi personâ nominatâ, conjunctionem tamen quandam inter dominos esse. 5. 6.

Cum *primùm* † *itaque non inveniet.)* Legatarius cui necdum alter concurrit, solus interim utetur in totum. Si igitur uni interea jus utendi fruendi est, & fructus consequenter ad ipsum pertinebunt. *arg. l. idem.* 6. §. *fin. infrà eod. Suerin. in lib. de usufr. Accresc. pag. mihi.* 17. Et verò quando fructuarius fructus percipiendo suos facit, *vide in l. defuncta. suprà. tit.* 1. rectè quoque dicimus, agnito demum à deliberante legato, restitui illos non oportere, *Suerin. d. lo. pag.* 18. 7.

Ad §. finâl. legis. 1. & ad l. 2.

DVobus hæredibus institutis legatâ alteri fundi alicuius proprietate, constitutus quidem ususfructus censetur, sed cessat jus accrescendi, quia hæredes nec re nec verbis, multò verò minùs utrisque sunt conjuncti. *tex. hic.* Concursus enim, ut in re dividua, tantùm pro partibus intelligitur, cum neutri solidæ rei constitutus ususfructus sit, conjunctio verò verborum (quæ conjunctos verbis constituit, *l. re conjuncti. de Leg.* 3.) in proposito nulla apparet. Ideoque vel amissa pars ususfructus ad proprietarium redibit. *ut hic in l.* 2. *& princip. l.* 3. *seu prox. infrà.* Diversum dicimus si ususfructus disertis verbis pluribus relictus sit, quia tum procedit jus accrescendi. *l. si mulieri.* 8. *infrà eod, rectè gl. hic.*

Ad l. idem Neratius. 3.

PRincipium huius legis pertinet ad ea quæ posuimus in l. præcedenti, ubi & hæc relata est.

§. Non solum.

1. *Si uni fundus alteri ususfructus relictus sit quid juris.*
2. *Iudicijs diversorijs diversum & quare.*
3. *Si uni proprietas & alijs duobus ususfructus legetur quid in jure accrescendi sit juris. & n. 4.*
5. *Improbata Suerini sententia.*
6. *Alia sententia eiusdem laudata.*

1. ETiamsi alteri † ususfructus alteri fundus legatus sit, inter legatarios tamen in usufructu jus accrescendi est. *ut hic.* Quod ita accipe si fundus legatus sit ususfructu non detracto. nam si legaretur detracto usufructu, concursu non facerent in usufructu partes. In proposito igitur, cum ususfructus in jure accrescendi ferè pro parte dominij censeatur, concurrent in usufructu. *ut hic. & l. si aly. 19. de Vsufr. Leg. fac. l. si Titio. 33. de Vsufr.* Et junge his quæ ponimus suprà *in l. 1. h. t.* quia fundus relinqui non intelligitur nisi & unà relinquatur ususfructus. *fac. l. qui usumfructum. 58. de Verb. Obl.* Idemque est in legato quantitatis, quippe quod simpliciter relictum, & unà relictum intelligitur jure ususfructus. *l. si tibi. 6. de Vsufr. Ear. Rer.* Planè si in judicio † familiæ ercilcundæ aut
2. communi dividundo uni fundus & alteri ususfructus adjudicetur, quoniam id separandæ communionis gratiâ fieri intelligitur, rectè dicimus usumfructum non communicari. *tex. in l. & puto. 16 §. 1. Fam. Ercis.* quanquam & verum sit, negotia ea cadere in actus inter vivos, in quibus jus accrescendi cessare demonstravimus suprà *ad l. 1. princip.* Porrò & si duobus † legatus ususfructus sit & uni deducto
3. usufructu proprietas, deficiente usufructu in persona unius dicimus eum accrescere alteri. Ampliùs, etiamsi † ususfructus pro parte
4. unius in proprietarium alienatus sit ut finitus consolidatione videatur, nihilominus jus accrescendi erit. Ideo si is qui eum cessit capite minuatur, portio quæ apud proprietarium quasi consolidata est, nihilominus ad collegatarium redibit qui etiamnum superstes est, & vice versâ, hoc capite minuto, defuncti portio accrescet ei apud quem est consolidatus. *per hunc text. & l. mulieri. 8. infrà eod.*
5. Quod † ipsum licet in dubium trahit Suerin *in d. lib. de Vsufr. Accresc.*

*cresc pag.mihi.*21.disertè tamen hoc loco definitum est. Parumque ad rem facit, quod ipse in argumentum trahit, consolidatione usumfructum etiam pro parte perimi. *per l.5.suprà de Vsufr.* id enim pertinet ad commoditatem seu jus utendi quod substantia sui non tam in juris ratione quàm facto percipiendi fructus consistit. *l.1.infrà Quando Di.Vs.Leg.Ced.* cùm jus accrescendi ex mera juris dispositione profectum hoc ipso non statim tollatur. *ut hic.* In eo rectiùs † Suerino assenseris, si uterque proprietario usumfructum vendiderit, distinguendum esse, an separatim an simul vendiderint, si separatim, socio non consentienti in alienationem perpetuam, cessione alterius jus accrescendi non esse ablatum *per hunc tex.* Sin verò conjunctim, referre quid actum sit, puta ut si eo animo alienarint, quò se perpetuò secluderent ususfructus jure, quia in neutrius persona ampliùs consistat jus ususfructus, & mera consolidatio intervenerit, consequenter jus accrescendi sit sublatum; contrarium autem fore, si cesserint salvo jure accrescendi. *Suerin ibid.* 6.

Ad l. si tibi. 4.

1. *Argumentum huius l.*
2. *Quomodo accipiendum.*
3. *Conciliantur opposita.*
4. *Alia quæstio ex argumento huius legis dependens.*
5. *Conciliantur opposita.*

SI tibi † proprietas fundi legetur, mihi autem & Mævio & tibi ejusdem fundi ususfructus: singuli è tribus trientem habemus; qua ratione unà è tribus miscetur proprietati *ut hic.* Intelligendum † verò est, proprietatem fuisse relictam deducto usufructu. Nam si simplicius tibi proprietas relinquatur, & deinde tribus eiusdem rei ususfructus, re quidem conjuncti erimus, sed ita ut legatario proprietatis prius debeatur pars ususfructus dimidia, deinceps simul concurrant singuli in reliquæ dimidiæ trientes. *per l. prox. §. non solum. & quæ nos ib. suprà. gl. hic. arg. l. si servus. 4. de Stip. Serv. Suerin d. lo. pag.* 22. Nec † mutat l dominus servum. 21. §. 1. de Pecul. Leg. ubi servo testamento manumisso & eidem peculio legato, qui servus cum domino communem vicarium habebat, deinde nominatim ipsum vicariũ qui cõmunis erat, & ipsi & libertæ suæ legaverat: relatum est manumisso quartam & libertæ quartã deberi. Subintelligitur enim dimidia statim unà ipso peculio legato data manumisso iam antè. Illud quæri potest, † an non in proposita quæstione portio ususfructus relicta proprietario si is deficiat, accrescat ceteris.

The right-margin numbers: 1 (at "SI tibi"), 2 (at "verò est"), 3 (at "Nec mutat"), 4 (at "Illud quæri").

Dubium movet quod in persona huius usufructus subsistere non intelligatur, cum res sua nemini serviat. *l. 5. Si Vs. Pet.* Magisque dicimus, quia jus accrescendi ususfructus non tam rei intuitu tale est, quàm intuitu personæ. *l. si Titio, 33. de Vsufr.* partem quoque ususfructus eam quæ legatario proprietatis assignata est, & in qua cum ceteris concurrit, collegatarijs accrescere. Quod & ita foret etiamsi non legatarij sed hæredes essent nominati. *l. si mulieri. inf. eod.* Nec † mutat quod ususfructus in persona eius non videatur
5. subsistisse propter defectum propriæ servitutum qualitatis, quæ necessariò postulat ut ea incumbat rei alienæ, *d. l. 5.* siquidem id in jure accrescendi perpetuum non est. quippe in quo plerumque ususfructus consideratur uti dominij pars. *arg. l. si aliq. 19. de Vsufr. Leg. junc. l. 4. suprà tit. 1.*

Ad l. idem est, 6.

§. 1.) IN quæstione hoc textu proposita eius accrescendi non est, quia nulla conjunctio est.

§. Si mihi.

1. Si uni ususfructus purè & alteri sub conditione relinquatur quid de jure accrescendi.

2. Quid in legata re corporea aut hæredit.

3. In SC. Trebell. quid simile sit in ususfructu accrescendi. & num. 4.

1. SI mihi † ususfructus fundi purè & tibi sub conditione relictus sit, rectè dicimus, totius fundi usumfructum interim ad me pertinere, & si capite minutus fuero, totum amittere. Sed si extiterit conditio totum usumfructum ad te pertinere, si ego fortè capite minuar. Ceterùm si in meo statu maneam, communicandum usumfructum. *tex. hic. fac. l. fundus. 4. Si Vs. Pet.* Et id quidem omne
2. parum aut nihil difficultatis habet. Planè † & in proposito casu de relicto sub conditione, contrarium dicimus in legato rei corporeæ, vel relicta hæreditate, quippe in quibus non nisi impleta conditione conjunctus aut cohæres ex parte alterius nondum concurrentis quicquam sibi usurpare potest. *l. hac scriptura. §. fin. de Condit. & Dem.* Idque eò quòd ususfructus ut plurimum in facto percipien-
3. di consistit. *l. 1. Quan. Di. Vs. Leg. Ced.* Ceterùm † ex SC. Trebelliano, idem in fideicommissis sub conditione relictis obtinuit quod

in

in tractatu de usufructu accerescendo relatum est hoc loco. *l. 1. §. sed & quoties. Ad SC. Trebell.* Quanquam † illud constat, in restitutionem ex SC. etiam fructus venire interim perceptos, aut saltem eos quartam minuere, *l. in fideicommissaria. ubi gl. & DD. l. mulier. 22. §. si hares. eodem illo tit.* Quod in communicando usufructu non dicimus, eò quod usufructuarius eos percipiendo faciat suos. *vide qua nos in l. defuncta. 38. suprà tit. 1.* 4.

Ad l. si quis Titio, 7.

SI QVIS *Titio & Haredibus suis usumfructum legaverit, dimidiam Titius, dimidiam haredes eius habebunt.* Quod hic dicitur hæredibus legari: vel à cohæredibus vel à lagatarijs legatum intelligo. Cum hæredi à se ipso legari non possit. *l. planè. §. si duobus. de Leg. 1. gl. post Ioan. hic.*

QUOD SI ITA *scriptum sit, Titio & Mavio cum haredibus: tres partes fient.* Obstare videri queat l. ult. C. de Impub. & al. Subst. sed ibi species est qua quis unà cum filijs instituitur suis, ij verò cum patre habentur pro eadem persona. In ceteris enim contrarium est. *tex. ibidem.* Planè si duo conjungantur & unus seorsim nominetur hoc modo, *Titius hares esto, Seius & Mavius haredes sunto*: duo semisses fient ut Titius quidem unum reliqui duo habeant alterum. *l. liber homo. 59. §. Titius. de Har. Inst.*

Ad l. si mulier. 8.

1. *Si cui mulieri cum liberis relictus ususfructus sit, quid de jure accrescendi dicendum.*
2. *Vsufr. pro parte dominij.*
3. *Ratio huius l. & num. 4.*

SI cui † mulieri cum liberis suis ususfructus legetur, amissis liberis matri jus accrescendi est, & ipsa usumfructum habet, sed & matre mortua liberi jure ususfructus gaudent. *ut hic.* Vox igitur *cum*, conjunctionem designat, *Bart. hic. not. in l. triplici. de Verb. Sign.* Idemque est si quis solos liberos solos hæredes instituerit, & matrem cum ijs usumfructum habituram, licet eos non ut legatarios nominarit. Vt enim absurdum appareat liberos hæreditatis sibi relictæ usumfructum habere, tamen id fecisse censetur ut ostenderet, magis velle se matrem ita frui ut liberos secum habeat fruentes: *ut hic.* Etenim ferè dicimus usumfructum † in tractatu de jure ac- 1. 2.

crescendi quasi partem dominij esse, & legato usufructu uni, fundo alteri, legatarios in usufructu saltem facere partes. *l. 3. §. non solum. suprà. & l. prox. infrà h. t. & l. si alij. 19. de Vsufr. Leg.* Igitur † & in
3. proposito dicimus liberis solis hæredibus institutis, & re & verbis relictorum bonorum usumfructum communicari. Cessat enim hic regula quà perhibent, nemini à se ipso posse legari, *l. planè. §. si duobus. de Leg.* 1. eo quod propter jus accrescendi effectus quidam eiusmodi legato producatur, qui per capitis diminutionem operetur ut res ab initio alteri videatur fuisse legata. Cui accedit quod in accrescendo † usufructu, incrementum non tam rei quàm personæ accedit, *l. interdum. infrà eod.* quod in accrescenda proprietate tamen non ita foret. *l. si Titio. 33. in fin. de Vsufr.* Haud opus igitur est hoc loco arctiùs dispicere utrum in persona liberorum consideretur ususfructus causalis an formalis. *quod hic à vetustis disputatum ex gl. apparet. in verb. non ut legatarios. hoc loco.* Vtrumque enim relictus censeatur causalis, satis tamen est in materia proposita cum juri accrescendi subjacere. Atque illud est, quod sine dubitatione docuimus *in l. si tibi. 4. nu. 4. h. t.* Cùm rectè Pomponius asseruerit (ut eum hoc loco Vlpianus citat) idem fore, si liberi & extranei mixti fuissent.

l. Interdum.

Relata est suprà in l. prox.

Ad l. interdum. 10.

1. *Argumentum & paraphrasis huius legis.*
2. *In accrescenda proprietate diversum à casu proposito in accresc. Vsufr.*
3. *In alimentis legatis diversum quare.*

1. IVs accrescendi † regulariter ad eum pertinet qui portionem sibi relictam habet etiamnum. Evenire tamen potest ut is qui amisit partem suam, nihilominus eo jure gaudeat, *ut hic.* Verbi gratiâ, Si usufr. duobus legatus sit, & alter lite contestatâ (per inquam judicis sententiam) eum amiserit, & obtinuerit is qui se liti contra petitionem usufructus obtulerat. Deinde & collegatarius usumfructum legitimè amiserit, puta vel non utendo vel capitis diminutione; partem dimidiam duntaxat quam amisit (qui litem non erat contestatus, puta, cùm fructuarij uterentur fruerentur pro indiviso) qui litem contestatus erat adversus eum qui se liti obtulerat, à posse fior

possessore consequitur. Rectè verò Azo, idem esse etiamsi litem obtinuisset possessor ipse. *Azo hic allegatus à gl.* Intelligendum enim est hoc responsum quidem ad edictum Vlpiano applicatum fuisse, sed tamen ita uti de facto ad speciem sibi, de eo qui se liti obtulerat, propositam principio fuerit datum. Et verò mirum non est eum duntaxat partem alterius postulare posse, cum suam in lite amiserit. Sententia enim jus facit etiamsi iniqua sit. *l. pen. de Iust. & Iure.* Neque tamen plus per sententiam perdere potuit, quàm quod judicio controversum fuit. Id verò est jus usus fructus plurimum in facto fruendi consistens. *l. 1. inf. Quan. Di. Vsufr. Leg. Ced.* cùm incrementum ab altero accedens personæ cohæreat ex ipsa dispositione juris civilis, *ut hic in fine.* Quod † in accrescendo legato proprietatis vix ita foret. *l. si Titio. 33. §. 1. sup. tit. 1.* Igitur in usufructu saltem pars collegitarij ipsi accedit non domino. *ut hic.* Quod in alimentis legatis non † ita foret, *l. dominus fructuario. 57. suprà tit. 1.* cùm quia partes ab ipso testatore ab initio sine conjunctione divisæ fuerint, tum quia id, si factum non sit, officio judicis expediendum est, ut & partes separentur, quo casu perinde habetur ac si ab ipso patrefamilias divisæ essent, & ideo cautiones interponendæ sunt, quibus securi proprietarij fiant, prout quisque decesserit, partem eius ad proprietatis dominum reversuram. *tex. elegãs in l. 3. de Alim. & Cib. Leg.* Et hæc est ingenua huius textus explicatio, qui quidem parum difficultatis habet, si in ingenuo verborum sensu maneamus, licet rudi interpretum non paucorũ manu miserè sit distortus.

2.

3.

Ad l. cum singulis penult. & l. ult.

1. *Argumentum huius l.*
2. *An conjuncti ad accrescendum sint quibus distributis partibus usufructus fundi legatur.*
3. *Ratio dubitandi in l. si ita. 66. de Hær. Inst.*
4. *Quid juris si duobus separatim unius fundi ususfr. pro partibus relictus sit & alteri uni ususfr. fundi totius.*
5. *Conjuncti verbis utrum præferantur coniunctis re tantum, an verò contra.*
9. *Explicatur l. re coniuncti. de Leg. 3.*

CVm à duobus † hæredibus diversis legatus eiusdem rei ususfructus est, jus accrescendi non est, multoque minùs id ipsum erit, si æquis portionibus eiusdem rei ususfructus à diversis legatus sit. *tex. hic.* Vnde † quæsitum est, An conjuncti ad accrescendum cẽseãtur, quibus distributis partibus ususfr. fundi legatus est, veluti, 1. 2.

Seio

Seio & Mævio usumfructum fundi Tusculani æquis patibus do lego? Suerinus id non putavit. *Henr. à Suerin. in tract. de Vsufr. Accresc. pag. mihi 6. per hunc text.* Contrarium tamen magis est & pene inter omnes obtinuit, *gl. & alij hic.* Ac nisi id esset, quæstio inepta foret Iulij Pauli juris authoris profectò gravissimi, qua tractat, Num re conjuncti præferantur conjunctis verbis, an verò vice versa, *in l. re conjuncti. 89. in fine. de* Leg. 3. Quid enim ineptius quàm hoc, si verbis conjunctos non dicamus conjunctos. Perinde judi-
3. candum † de argumento l. si ita quis. 66. de Hær. Inst. namque & ibi haud alia ratio dubitandi fuit, quam quod testator duos hæredes verbis conjunxisse videretur: responsum tamen ibidem est, ob celeritatem quidem orationis consequenter nominatos, non tamen
4. videri conjunctos. Rectè verò † idem Suerin in subsequenti quæstione, si Seio & Mævio ususfructus fundi Corneliani æquis partibus legetur, Titio verò separatim totius rei ususfructus, Mævio capite minuto, patris deficientis tertiam Seio & reliquam Titio accrescere. Repugnat enim pene sibi ipsi in sententia jam tractata. quippe cùm Seius Mævio tantum verbis fuerit conjunctus, ex ratione ac definitione quæstionis præmissæ, pars deficientis accresceret Mævio soli, puta utrique re saltem conjuncto. Atque hoc probatur in l. Mævio. 41. de Leg. 2. Vt enim Seius Mævio conjunctus re sit, Mævio tamen non nisi verbis coniunctus erit, &, ex sententia Suerini iam confutata, omnino non coniunctus. Quando tamen in hac re eum admittit coniunctum, rectius fecerit si eum admiserit etiam in priore. Denique resultat ex eadem definitione & ratio dedicendæ quæstionis alterius, quam nondum deprehendi à quo-
5. quam satis explicatam. Num † puta coniuncti re tantum præferantur tantùm coniunctis verbis, an verò vice versa. Et hæc quidem à iuris authoribus proposita est, sed ita obscurè tractata ut quid ex eorum sententia statui oporteat, omnino in obscuro sit: *tex. &* DD.
6. *in d. l. re coniuncti. de* Leg. 3. Ego existimo † in *l. re coniuncti*, neutrum definiri, puta nec re conjunctos præferri conjunctis verbis tantùm, nec hos illis, sed simpliciùs conjunctum re & verbis præferri utrisque, subjunctam verò clausulam definitionis (hanc, *& magis est ut & ipse præferatur.*) tantùm expedire id quod initio dictum erat, nimirum præferri illum qui utrimque conjunctus est conjuncto alterutro modo tantùm. Siquidem de re conjuncto palam statuit juris author, eum non præferri; de eo verò qui verbis conjunctis est, quæstionem movet, sed insistendo responso primo, intelligendus est subsequentes ita definivisse, ut neutrum præferri tacitè significaret. Quod & vetus interpres Ioannes probat, *gl. allegans Ioann. ibidem.* & magis est. Nam cùm in legato proprietatis re conjuncti ad

accres-

cendum concurrant conjunctis verbis. *d. l. Mavio. 41. de Leg. 2.* in usufructu accrescendo (ubi incrementum potiùs personæ quàm rei accedere intelligitur, idque arctiùs etiam, atque in legato proprietatis *l. si Titio. §. fin. suprà tit. 1.*) idem multo maximè erit.

QVIBVS MODIS VSVSFRVCTVS VEL VSVS AMITTATVR.

Tit. IV.

l. 2.

§. 1.) Allegatur infrà *ad l. 3. §. morte. eod.*

Ad l. 3.

1. *In annos singulos usufructus rectè legatur, & quid in eo legato sit juris.*
2. *An legato usufr. quamdiu fructuarius vivit, si capitis diminutione amittatur, videatur repetitus.*
3. *Capitis diminutiones quæ demum usumfructum periмant.*
4. *Bannum capitis diminutioni cui simile sit.*
5. *Ingressus monasterij an usumfructum perimant. & n. 6.*

Princip.) IN Annuos singulos usufructus rectè legatur, & simili modo amissus † per capitis diminutionem, legari potest. 1.
Verbi gratiâ, Quotiescunque capite minutus erit, ei lego. *ut hic.* 2.
Vnde quæsitum est, An legato † usufructu quamdiu legatarius vivat, si capitis diminutione amittatur, videatur denuo legatus ac repetitus? quod magis est. Idemque obtinet si legatus sit ad certum tempus, verbi gratiâ, ad decennium. *ut hic.* Planè † capitis diminutionem quâ usufructus amittatur, maximam & mediam intelligimus. *§. finitur. Inst. eod.* Olim quidem & minimâ capitis diminutione amittebatur. *Paul. 3. Sent. c. 6.* sed hoc mutatum est, *l. pen. C. eod.* 3. 4.
Denique † quod de capitis diminutione dicimus per eum usumfructum amitti, id ex interpretatione & ad bannum refertur, quia hæc deportationi utcumque comparatur. *Cin. & Castr. in d. l. pen. Gail. 2. Obs. 86. num. 2.* Illud quæsitum est, An ut morte ita & ingressu *Bannum ex medius comparatur deportationi*

5. † monasterij usussfructus amittatur. Et quidem Accursio visum est, usumfructum penes monasterium mansurum. *gl. in Auth. ingressi per illum text. C. de Sacros. Eccles. sequuntur Cen. & Alberic ib.* Ac tametsi multi sentiant, usumfructum hoc casu quasi per mortem quandam spiritalem protinus accedere proprietati, *Salic. in d. Auth. ingressi. num. 10. ad fin. quò & inclinat Ias. ibidem. num. 48.* Bartolus tamen & alij partem dimidiam penes monasterium fore, alteram pertinere ad filium, perinde puta ac si pater eum emanciparet. *per l. cum oportet. §. cum autem.* C. de Bon. *Quæ Lib. Bart. & Angel. in Auth. idem est.* C. *de Bon. Quæ* Lib. Prima tamen sententia admissa communior est. *Arius Pinell. allegans complures in l. 1 par. 1. num. 48. & 49.* C. *de Bon. Matern.* Ratio est quòd hìc modus amittendi ususfructus nusquam relatus sit. *nec in d. l. pen.* C. *eod. nec alibi.* Ad hæc pater pariter ingressu monasterij & vitam naturalem retinet & libertatem, monasterio autem, quatenus rerum capax est, eæ ipsæ deferuntur. *d. Auth. ingressi.* C. *de Sacros. Eccles.* Nec mutat
6. quod monachi † quodam respectu habentur pro mortuis, *not. Canonistæ in c. cum ad monasterium, ex. de statu Monach.* quemadmodum & servi, *l. antepen. de Reg. Iur.* unde & quasi capitis diminutione usumfructum perdere videri queant: quia id omne ita est ut quod bonorum vel juris habent id non sibi sed monasterio quærant, *c. monachi. ex. de statu Monach. Nouell. 5. c. 5.*

§. Morte.

MOrte fructuarij vel maximè finitur ususfructus, *ut hic. & l. 2. §. 1. suprà eod.* Quod ita temperandum est, nisi actum sit ut unà ad hæredes transiret. tunc enim demum amittitur morte hæredis. *l. antiquitas. 14.* C. *eod.* Hæredis autem vox, licet aliàs hæredem hæredis designat, in proposito tamen solum notat hæredem primum. *d. l. 14.* Sed sciendum est, usumfructum per servum aut filium domino vel patri quæsitum, morte alterutrorum non extingui, scilicet non domini aut servi, nec patris aut filij, sed utriusque demum pariter, nimirum postquam pater & filius aut dominus & servus pariter decesserunt, aut capite minuti sunt, *l. ult.* C. *eod.*

Ad l. repeti. 5.

§. Rei mutatione. & §. fin. item ad
l. 6. & 7.

Vide quæ ponimus suprà *in l. qui usumfructum. 36. de Usufr.*

Ad

Ad l. si usufructuarius, 13.

QVando usufructuarius fructus suos faciat & ad hæredes transmittat, pluribus prosecuti sumus suprà *in l. defunct. 58. de Vsufr.*

Ad l. interdum. 15.

§. PRoprietatis) allegatur *in l. 6. §. fin. Si Seru. Vind.* infrà, ubi plenè docemus, an & quatenus servitutis causa per dominum proprietatis deterior fieri queat vel minùs.

Ad l. si usufructus. 21.

1. *Vsusfructus civitati relictus quomodo pereat.*
2. *Idem juris in ecclesia & universitate quod in civitate.*
3. *Civitatem qua usumfructum perdat, ob delictum destructam esse oportet.*
4. *Quid juris si destructa sit impetu hostium.*
5. *An destructa ita ut jura universitatis perdat, restituta jus pristinum recipiat.*
6. *Quanto tempore usufr. civitati relictus pereat.*
7. *An legatum relictum reipublicæ perpetuo duret.*

VSusfructus † civitati relictus, eiusdem interitu intelligitur finiri, verbi gratiâ, eversione aratro facta (puta ob delictum) inundatione, item perpetuâ, desertione omnium incolarum, *tex. & DD. hic*, quæ utraque nonnullis Zelandiæ oppidis ac pagis accidit ævo 1.
patrum. Placet † quod de civitate dicimus, idem & ad ecclesiam & 2.
universitatem relatum est. Inquam verò ob delictum, † id est ita ut 3.
jus municipij aut universitati pereat. nam † si impetu hostium aut 4.
latronum oppidum vel desertum sit vel eversum ita ut incolæ ibi aut alibi denuo communicato consilio civitatem constituant, jus omne pristinum retinent. cùm civitas non in muris sed jure ac membris consistere censeatur, *arg. l. Neratius. 85. de Verb. Sign. Andr. Gail. 2. Obs. c. 61.* At si destructa † ita sit ut jura universitatis 5.
perdat, destructo corpore destructa quoque jura censentur. *Bart. in l. ult. n. 24. de Coll. Ill. Bal. in Marg. voce civ.* Vnde etiã restituta ac denuo ædificata jus pristinũ non recipit, *Bal d. lo. & in l. si ut proponis. 2. n. 1. C. de Nup. per ill. tex.* Sed † quia eiusmodi casus rariores sunt, ne

ob hoc proprietas inutilis fiat perpetuo absente usufructu receptum est, ut nisi interveniat eiusmodi casus priùs, ususfructus daret centum annos, *l. an ususfructus. 67. suprà. de Vsufr. l. 8. infrà. de Vsufr. Leg.* Denique † de legato reipublicæ aut ecclesiæ annuo, dicen-
7. dum est, id durare perpetuò. *l. annuam. 6. l. annua. 20. de Ann.* Leg. Bartolus quidem diversum sensit, eò quod regulariter legatum annuum instar ususfructus finitur morte, *l. in singulos. 8. de Ann.* Leg. *Bart. in l. si ususfructus. de Vsufr.* Leg. *Costal. in l. si ususfructus. 56. suprà Vsufr. & DD. communiter teste Soar. in Thes. Sent. Lit. A. num. 181.* Sed hoc quod diximus jure probatum est, quia quotiescunque agitur de tempore annui legati quod civitati relictum est, toties additur, deberi perpetuo, *d. l. 6. d. l. annua. 20. in fine. l. cum quidam. & l. pen. de Ann.* Leg. *l. legatum. 16. de Vsu & Vsufr.* Leg. Quoties verò agitur de duratione ususfructus, toties additur eundem durare centum annos. *d. l. 67. suprà. de* Vsufr. *l. 8. infrà. de* Vsufr. Leg. Ratio autem diversitatis perspicua est; quia annua legata alimentis vel necessitati, eoque & ad vitam solummodo legata censentur, nam si de alia testatoris mente constet, volvuntur ad hæredes. *not in l. 20. & l. Firmio. §. fin. Quando Di.* Leg. *Ced.* Ceterùm de annuo civitati relicto dici non potest, id in alimenta relictum esse, ideoque necessariò legatum eiusmodi perpetuum est. *ut in dd. ll.* E contrariò verò ususfructu legato, manifesta testatoris voluntas est, quod voluerit dominium perpetuò apud hæredem non futurum, eoque id juris authoritate temperatum est ad centum annos. *Covarr. 3. Resol. nu. 10.*

Ad l. placet. 25.

1. *Quanto tempore ususfructus amittatur.*
2. *An fructuarius cadat usufructu abusu fructuariæ rei.*

1. Vsusfructus † amittitur non utendo per modum & tempus. *tex. hic. & §. pen. Inst. de* Vsufr. hodie decennio inter præsentes, vi-
2. cennio inter absentes. *l. ult. C. de Serv.* Sed quæsitum † est an etiam amittatur, si usufructuarius malè in re sit versatus? & magis est, propter quemvis abusum usumfructum non amitti. Idque ex eo constat quòd cautio de utendo ex arbitrio boni viri sæpius committi potest. *l. 1. §. 4.* Vsufr. *Quem. Cav.* Vnde probabiliùs est, illum ad damnum resarciendum teneri, vel ex stipulatu vi cautionis, vel ex lege Aquilia. Alij tamen usumfructum hoc modo perdi volunt, quia fructuarius abutendo non utatur per modum & tempus. *Castr. in Auth. qui rem. num. 3. C. de Sacros. Eccl. Bal. ibidem.* Sed distinguendum est inter damnum grande & exiguum, ut quidam

ob-

ob grande damnum rejici possit, ob exiguum non ita facilè. Idque plenius suprà docuimus *in l.12.sub fin. de Vsufr.* ubi pluribus tractavimus, an & quatenus fructuarius cedendo arbores jure suo cadat. Ille puta tractatus penitus in hunc ipsum cadit,

Ad l. si ususfructus. 28.

1. Vsusfructus alternis annis relictus haud perditur non utendo.

2. Idem est in Annuis Reditibus.

3. Triginta annis quidem pensionibus praeteritis praescribi, non tamen futuris.

4. In stipulatione annui hactenus idem quod legato.

5. In usuris quare diversum, idémque fructibus. & num. 6.

ILlud constat, † usufructu alternis annis legato, & plura legata esse, & idcirco usumfructum non utendo non amitti. *ut hic.* Huic 1. simile est quod de annuis reditibus † proditum est, singulorum annorum praescriptionem demum initium sumere à principio cuiusque anni, & triginta annis idcirco quidem singulorum annorum obventionibus praescribi, non tamen ipsi exigendae pecuniae juri. 2. *tex. in l. cum notissimi. §. fin. C. de Praes. 30. ann.* Id nimirum † est quod Doctores perhibent, 30. annis quidem pensionibus praeteritis praescribi, non tamen futuris. Propè enim est ut singulis annis dies pro homine interpellet, & idcirco nunquam continuo actu debitor libertatem praedij quasi possideat. *arg. l. magnam. C. de Cont. & Com. Stip. Dominus Bronchorst Cent. 4. Controv. c. 5.* Neque verò ad rem 3. facit, quòd stipulatio annui dicitur † una esse, *l. si Stichum. 16. §. 1. de V. Obl.* verum enim nihilominus est, eam esse incertam; *ut in eadem l. dicitur.* unde ob exactionem annui reditus aliquoties intermissam; certa eius praescriptio esse non potest. Quod igitur ad opinionem eorum attinet qui hactenus inter annua legata & ex verborum obligatione distinguunt, ea confutatur plenè *per d. l. cum notissimi. C. de 30. Ann. Praes.* Atque id igitur indistinctè Vsus Camerae 4. probat. *Mins. Cent. 3. Obs. 13.* Denique in † usuris diversum est, quia earum exactio impenditur 30. annorum spatio sorte sublata. 5. *l. eos. C. de Vsur.* Ratio differentiae est, quod quoties usurarum dies cedit, per eam non statim debitor interpellatur nomine sortis, cum sortis & usurarum obligationes inter se conjunctae sint ut accessorium & principale, ideoque sublato uno tollatur etiam alterum. Odio verò usurarum fit ne dies in earum exactione pro homine in-

 terpellet.

terpollet. Præterquam quod usurarum dies non sortis nomine, sed tantùm earum ipsarum interpellare censeatur, ut sublata obligatione sortis, causæ quoque seu accessorij obligatio jure sublata intelligatur. Quod † & in fructuum causa post rem principalem præscriptam magis dicimus. *Costal. hic. per d.l.eos.* Odium verò eiusmodi in annuo reditu nullum est, & adeo ipsius debiti nomine interpellatio fit singulis annis.

Ad l. Pomponius. 29.

QVemadmodum per alium possessionem retineamus, vide obiter infrà *in l. non solum. 33. §, qui pignori. de Vsucap.* ubi & hæc relata est.

DE VSVFRVCTV EARVM RERVM QVAE VSV CONSVMVNTVR.

TIT V.

Ad l. 1.

CVm usufructus definiatur jus utendi fruendi salvâ earum substantia, quarum rerum substantia usu protinus interit, propriè ad usumfructum referri non potest. Ejusmodi verò vel maximè sunt res quantitatis, quarumque usus nullus est nisi in abusu. Senatusconsulto tamen effectum est ut etiam earum usufructus legari queat, *ut hic.* Hoc igitur & de vestibus dicemus quæ ipsæ quoque usu consumuntur, ita tamen ut usufructuario tradantur æstimatæ, & is usufructu interempto pretium reddat. *§, constituitur Instit. de usufr.* Quod si non æstimatæ tradantur, & finito usufructu sine dolo malo fuerint attritæ, tales etiam restitui queunt. *l. si usufructus. 9. §. Vs. Quem. Can.*

Ad l. ergo cautio. 4. & l. 5.

1. *An cautio sit è substantia usufructus.*
2. *In vero usufructu cautio non est e substantia.*
3. *Consuetudo Galliæ in hac re.*
4. *In quasi usufructu quantitatis quid juris. & num. 5. ac 6.*

7. *Con-*

7. *Conciliatur l.24. de Vsufr. Leg.*

8. *Conciliatur l. si cuius 13. de Vsufr.*

9. *Quid si cautio exigatur re fructuariâ jam apud legatarium existente, an fructus restituere teneatur.*

10. *Quid juris sit de fructibus in posterum percipiendis, & num. 11.*

12. *Cautio juratoria quando in hac re habeat locum, quando minùs. & num. 13. & 14.*

15. *Donator omnium bonorum quam cautionem praestet.*

16. *Pater fructuarius bonorum filij cautionem nullam praestat.*

17. *Nec fiscus etiam usumfructum habens.*

18. *Cautio usufructuaria an remitti possit.*

QVæsitum est, An † cautio sit è substantia ususfructus: id est, an adeo necessariò requiratur, ut sine hac ususfructus non subsistat. Et plerisque † placuit, in vero usufructu eam ita non requiri, quin is subsistere sine cautione possit. Nam & usufructu fisco relicto, cautio omnino cessat. *l. 1. §. si ad fiscum. ut Leg. Nom. Cav.* ut & in usufructu quem pater habet in bonis liberorum. *l. ult. §. hoc procul dubio. C. de Bon. Quæ* Lib. *Bart. in l. 1. num. 12. Bal. ibidem. num.* 10. C. *de Vsufr. Gail. 2. Obs. 46. num. 3.* Quemadmodum † moribus Galliæ & plurium locorum hodie, si quandoque usufructuarius cavere nequeat, res commendatur sequestro, qui fructus de ea annuatim fructuario præstet. *Imbert. in Ench. Jur. Gall. c. ult.* Diversum † tamen multi statuunt in quasi usufructu quantitatis. DD. *iam allegati.* Vnde † & alij concludunt, sine prævia cautione fructuarium in his rebus fructus, id est, emolumentum rerum earum non facere suum. *Angel. in princ. Inst. de Vsufr. num. 3. Socin. Nep. lib. 2. Consil. 72. num. 3.* quo tamen nihil est ineptius. Certum enim est, etiam ante cautionem præstitam, earum rerum quæ usu consumuntur usumfructum & esse & dici, quia relatum est *in l. 5. §. 1. hic.* & ususfructum sine cautione constare & finiri. Si verò est ususfructus & fuit cui conservando cautio præstita nunquam est, quamobrem tandem cautionem ex eius substantia esse dicamus. Præterea *in ead. l. 5.* dicitur, finito usufructu quantitatem condicendam esse, sed de fructibus aut usuris reddendis dicitur nihil. Fructus proinde sine discrimine ad fructuarium pertinent, quia tam verus quã quasi ususfructus hodie cautionis respectu ferè pari censentur jure, *ut hic, & l. 1. C. eod.* & hoc † in praxi servatur, ut in quã cautione omissâ nihilominus fructuarius emolumẽtũ rei usufructuariæ sibi habeat.

Corna-

Corna.lib.3.Consil.173.num.8.fac.Minsing.Cent.1.Obs.6. Bart.in l.uxori.de Vsufr. Leg. Abb.in c.ult. de Pign. Immola ib.num.18. Nec
7. † mutat l. uxori. *24.* infrà de Vsufr. Leg. quia ibi ipse hæres adhuc intelligitur pecuniam habuisse, eoque ante cautionem acceptam meritò fructus suos facit. *arg.l.mulier. §.si hæres. ad Sc. Trebell.* nos verò versamur in quæstione quâ hæres jam ante pecuniam fructuario sine cautione permisit. Minùs verò † ad rem facit l. si cuius.
8. 13. suprà. de Vsufr. quia ibi tantùm definitum, dominum proprietatis ad cedendum usumfructum conventum, exigere cautionem posse, quod ipsum & nos admittimus, quia volenti domino in usufructu rerum quantitatis semper caveri oportet. Ex eo ipso verò evenit, volentem dominum eam facilè remittere posse. Illud quæsitum est: Si cautio exigatur, re jam apud legatarium existente, eamque ille non præstet, † an fructus restituere teneatur? quâ in re ita
9. statui oportet, quantum attinet ad fructus perceptos, eos non repeti. quia ususfructus etiam sine cautione constiit. *per hunc text.* & dominus sibi imputabit, quod cùm cautionem habere potuerit, *d.l. si cuius. suprà. de Vsufr.* eam tamen non accepit. *arg. l.2.§.1. Quod Leg.* Quamobrem & fructus perceptos sine dubio faciet suos, maximè si accesserit bona fides. *Gail.2.Obs.46.num.7.& seqq* vel domini consensus. *Bart.in l.hac edictali. §.his illud. C. de Secund. Nupt.* Eiusque rei argumentum non leve est: Quod, si hæres ipse in mora fuerit, eo nomine fructuario usuras & fructus restituere tenetur, nec eorum nomine cautio præstatur. *d. l. 24. verb. aut quod propter moram usuras quoque reddi placuit, super his non cavebitur. infrà. de Vsufr.Leg.Castr.lib.1.Consil.297.num.4. ad fin.* Et hoc ita in praxi
10. servatur, *Corne.d.lib.3. Consil.173. num.* 8. Denique † quantum ad fructus in posterum percipiendos attinet, certum est rei ipsius nomine hæredi vindicationem esse, contra quam si ususfructus nomine excipiatur, replicandum est de dolo ob nondum præstitam cautionem. *l. etsi ususfructus.4. infrà. Vsufruct. Quem. Cau.* Ceterum & cautio ipsa condici poterit. *ut hic.in §.1.& d.l.7.* Quemadmodum & interdum ad exhibendum aut in factum actio est. *l. Julianus. 9. §. Marcellus scribit. infra Ad Exhib. l.patris. 10. de Præscrip. Verb.* Igitur si cautionem non præstet, benignius est, fructus à tempore eo nomine contestatæ, ad dominum pertinere. *not.DD. in d.l.si cujus.13. supra.de Vsufr.arg.d. l.uxori. 24 infra.de Vsufr. Leg.* Hoc ita
11. † si fructuarius tergiversetur malâ fide, sive cum cavere potuit non tamen voluit. DD. *supra allegati.* nam si fidejussores habere non
12. queat, † ita statuendum, ut juratoriam cautionem præstet, & de præterito ei nihil detrahatur. *Auth. generaliter. C. de Epis. & Cler. Novell.112.c.2.* Atque hoc, se præstanda cautione juratoria, tametsi nonnulli

nonnulli simpliciùs accipiant, *Bal. in d. Auth. & generaliter. num. 4.* tamen ita admissum est, si fructuarius † sit homo bonæ fidei ac frugis. Nam si † vitæ suspectæ sit, officio judicis expediendum est, ut res vel committatur sequestro, ut ab eo legatarius fructus recipiat, *arg. l. 5 §. Imperator. Ut In Poss. Leg. Seru. Caus.* (quod in Gallia servari suprà ex Imberto annotamus, *num. 3. in hac ead. l.*) vel credatur domino rei, si is homo frugi & bonæ fidei sit, ut certum quid annuum pro quantitate proventuum ex arbitratu boni viri pendat, *Gail. 2. Obs. 42.* Utrum verò eorum fieri debeat, in arbitrio judicis erit. Illud notandum † est, donatorem omnium bonorum qui usumfructum sibi reservat, simpliciter cum hypotheca ad cautionem admittendum, qualiacunque etiam ea sint, quia cum hoc mitiùs agendum est, *l. Divus. 28. ubi Dec. de Reg. Iur. arg. l. filio. ut Leg. Nom. Cau. Fac. Minsf. 5. Obs. 36.* Sed † pater fructuarius bonorum filij ne ullam quidem hypothecam præstat, *d. l. cum oportet. §. non autem 2. l. ult. § sin autem. in fine C. de Bon. Quæ Lib.* Quod & † in fisco cui res aliqua usufructui relicta est, dicendum erit. *d. l. 1. §. si ad fiscum. ut Leg. Nom. Cau. ut monui suprà.* Denique an † cautio remitti queat quæsitum est. Qua de re ita statuimus, etiam per testatorem cautionem remitti rectè, *l. 2. C. ut in Poss. Leg.* præterquam in rebus fungibilibus, quarum cautio remitti omnino non potest, *l. 1. C. h. t. junc. l. scire. pen. C. ut in Poss. Leg.* Hoc tamen aliter vulgo acceptum est, nimirum ut testator cautionem remittere omnino non possit, *gl. & DD. hic. Gail. 2. Obs. 145. per tot.* Idque ita quia testator remittendo cautionem, auferret beneficium hæredi ipso jure concessum. Proinde hæredem quidem cautionem remittere posse, quòd ipse beneficio suo facilè renunciare queat, *per tex. in l. si quis in conscribendo. C. de Pact. gl. in d. l. 1.* non tamen testatorem, perinde ut & usufructuarius cui ususfructus inter vivos constitutus est ab authore molestia cautionis liberari potest. *arg. d. l. si quis in conscribendo. Gail. cum pluribus alleg. d. lo. per tot.* Id tamen juris authoritate repudiatum est, *per tex. in d. l. 2. C. ut in Poss. Leg.* Sed quæ nos hac de re simpliciùs ex legum sanctione definivimus, juri conveniunt, nec recedendum igitur ab ijs est, nisi qua consuetudine aut statuto contrarium admissum sit.

Ccc Ad

Ad l. ultimam.

1. *Pecunia ita legata ut legatarius usum eius haberet, eaque post mortem ad hæredem rediret, an usus fructus legatus censeatur.*

2. *Quatenus hoc ita sit.*

1. PEcuniâ † ita legatâ, ut post mortem legatarij ad Mævium rediret, etiamsi usus facta mentio sit, tamen non ususfructus, sed proprietas legata censetur, idque sub onere fideicommissi, *ut hic. & in l species. de Auro & Arg. Leg.* Id ita nisi constet † testatorem im-
2. peritiâ lapsum sensisse de usufructu, *l. qui fructus. 25. de Usu & Us. Leg.* Diversissima verò usufructuarij & fideicommissarij ratio est, quòd ille restitutionem nullam faciat, sed jam ab initio possideat domino, hic verò ipse interim dominus sit, & post mortem demum suam bona restituat ei, cui ea restitui testator mandavit. Nam si is cui fideicommissarius post mortem restituere debet, vel nolit acceptare fideicommissum, vel nequeat, vel conditio deficiat: manet id ipsum apud gravatum & hæredes eius. *l. un. §. sin autem. C. de Cad. Toll. Fach. lib. 5. Contron. c. 46.*

SI VSVSFRVCTVS PETATVR VEL AD ALIVM PERTINERE negetur.

TIT. VI.

ETiam usfusfructus quædam petitio & vindicatio est. *ut hic & in §. eaque & Inst. de Act.* Nam & eiusdem proprietatem quandam dicimus, *ut in l. ex diverso. 35. in prin. de Rei Vind.* Unde & alibi dominium proprietatis. *l. 5. in fine princ. inf. h. t.* respectu puta juris quod servitutis nomine venit.

Ad l. 1.

1. *Fructuarius quâ actione jus suum conservet.*

2. *Conciliatur l. 1. §. Item Iuliano de Remiss.*

SI fundo fructuario † servitus debeatur, eaque fructuarius prohibeatur uti, non eam servitutem, sed usumfructum petet, *ut hic. & l. 1. §. fin. junc. l. 2. infrà. de Novi Op. Nunc.* Nec mutat † l. 1. §. item Iulian. de Remiss. quia ea non ita accipienda est, ut sine medio fructuarius servitutem sibi vindicet, sed ut id procuratorio nomine agat. *Corras. in l. qui de Serv.* Idque apposite ex eo evincitur, quod Iulianus adversative, *in d. l. 1. de Novi Op. Nunc.* dicere videtur, sicut adversus vicinum agi potest, jus ei non esse altiùs tollere, ita contra dominum agi non posse, sed adversus eum ususfructus petitionem esse, si eius facto ususfructus deterior fiat. Nomine igitur suo jus petendi usumfructum habet, idque effectu ipso servitutis vindicationem continet, procuratorio verò nomine etiam vindicare servitutes reales potest. 1. 2.

l. 2.

Allegata est suprà *in iis quæ ponimus ad l. 36. de Vsufr.*

l. fundus. 4.

Allegata est suprà in l. 6. §. si mihi. de Vs. Accresc.

Ad l. uti frui. 5.

1. *Vtri actio confessoria ad vindicandum usumfructum parata sit domino an fructuario.*

2. *Possessio in his judiciis quatenus relevet ab onere probandi.*

COnfessoria actio † fructuario parata est, non etiam domino proprietatis. *ut hic.* nam quando ususfructus interdum dominij pars dicitur, non servitutem (de qua vindicanda confessoria experimur) sed utilitatem possessionis significat *vide nostra in l. 1. de Vsufr suprà.* Nec ad rem facit quod dominus negatoriá experiri potest, quia hoc agendo de jure libertatis contendit. *ut hic.* 1.

Ex vers. QUOD SI FORTE, notandum est, si is negatoriâ agat † qui dominus proprietatis non est, vincere possessorem usufructus etiamsi nullum jus habeat; idque ex eo jure efficitur, quo superiores sunt possessores, etiamsi nihil præstiterint ipsi, *ut hic. & l. qui accusare. C. de Eden. l. res alienas. C. de Rei Vind. & §. commodum Inst. de Interdic.* Si verò actor se dominum probet contrarium dicimus, nisi 2.

 fructua-

fructuarius plenè doceat de jure suo cum unaquæque res præsumatur libera nisi contrarium probetur. *l. altius.* C. *de Serv. & l. nec creditores. §. ut autem.* C. *de Pign. Act.* Quod si fructuarius usumfructum non possideat parum ad rem facit, an adversarius se dominum probet vel minùs, quia utrumvis sit, probare jus suum tenetur. *Atque hac de re qui plura requirit, videat Subtil. Nostras. lib. 2. cap. 2.*

DE OPERIS SERVORUM.

TIT. VII.

Ad l. 3. l. fructus. 4. & ad l. 5.

FRuctus hominis in operis consistit & vice versâ operæ consistunt in fructu. *l. 4 hic.* Operis tamen legatis non plenus ususfructus, sed usus tantùm legatus censetur. *l. 5 hic.* Est enim inter usumfructum hominis & operas, differentia non levis, *l. 1. §. si ususfructus. 9. infrà Ad L. Falc. Connan lib. 4 Comm. c. 5. num. 10.* Donellus aliter, *per l. 3. hic.* Sed ibi hoc tantum relatum est, in servi operis usumfructum constare: sed id fit per synechdochen qua partem rei pro toto ponimus. Inde tamen non sequitur contra jus expressum, *in d. l. 5. hic.* operis legatis mox integrum servi usumfructum legatum. Non magis quàm si quis juris author dicat usumfructum prædij constare in usu eiusdem; indeque alijs usum & usumfructum miscere velit. Ut enim id absurdum foret, perinde quoque foret absurdum unde hoc sequeretur.

DE USU ET HABITATIONE.

TIT. VIII.

Ad l. 6. & ad l. 10.

Vide quæ ponimus infrà *in l. fundi. 15. eod.*

Ad l. per servum. 14.

§. 1.)

1. *An quid intersit inter fructum & usumfructum legatum.*
2. *Conciliatur l. si alij 42. in princip. de usufructu. & n. 3.*

1. VSusfructus, an fructus fundi legetur nihil interest, nam fructus sine usu esse non potest, usus verò sine fructu, hoc est usufructu esse potest. Itaque inutile est legatum si fructus deducto usu legetur.

legetur, *ut hic*. Nec † mutat l. si alij. 42. in princ. de usufr. & l. 5. §. pen. Vsufr. Quem. Cau. ubi relatum est, alij fructum alij rursum usum sine fructu legari posse. regulariter enim fructus adempto usu non legatur. *tex. hic in vers. denique*. Excipimus † si alij fructus alij usus in eodem prædio legetur nominatim. eo enim casu proprietas ad hæredem, fructus apud fructuarium, usus apud usuarium erit. Idq; hic Vlpianus ex Pomponio *in §. fin.* singulatim explicat ne illum putes à ceteris dissensisse. *Cujac. rectè notans Budæum lib. 8. Obs. 9. & lib. 13. Obs. 12.* Iste ipse tamen fructus sine usu, hoc est actu utendo esse non potest. 3

Ad l. fundi. 15.

1. *Vsus legatus quomodo intelligendus, & quid usuario per eum concessum intelligatur. & num. 2. & 3.*

4. *Cum incola alicuius oppidi in nemore vicino jus lignandi haberent an numero incolarum aucto hoc jus etiam duret. & n. 5.*

6. *Explicatur l. damni. § is qui unas. de Dam. Inf.*

7. *Quid juris si familia ejusmodi ius in rem constitutũ sit.*

8. *Quid si personæ tenuiori qui ius suum cessit potentiori.*

VSu fundi † legato, usuario quantum ex obventionibus eius in usum cuiusque anni satis sit, accipere licet, etiamsi fructus mediocris prædij per hoc consumatur, *tex. hic*. Ad modum enim hoc referendum est, non ad utendi qualitatem (ut de fruendo usufructu responsum est, *in l. item. § fin. suprà de Vsufr.*) id est ad quantitatem necessitatis domesticæ non etiam ad formam participandi fructus, aut ijsdem utendi. Vnde & annotatum † est, licet paterfamilias ex silva aliqua unum modò plaustrum lignorum usurpare solet, qui postea alteri usum ex ea constituit vel legat, idque secundùm formã sibi usitatam; etiamsi usuarius quadruplò ampliori opus habeat, nihilominus eum tantùm posse auferre. *per d. l. item. §. Boër. Decis. 51. n. 8. sequitur Imbert. in Ench. Iur. Gall. c. usus. rei utrum ad modum an ad quantitatem sit referendus. pag mihi. 369.* Planè ordinem percipiendi fructus patrisfamilias consuetum, rectè & in proposito † considerandũ putant, ita scilicet ne arbores aut ligna amputentur intempestivè. Verbi gr. si patrisfamilias usitatum sit, singulis biennijs demum, triennijs aut quadriennijs ligna succidere eundem ordinem & usuarius observabit. *Boër. & Imbert. d. lo.* Illud † quæsitum est, cũ incolæ alicuius oppidi jus haberent secandi ligna in nemore vicino, idque jure servitutis in rem (quod quidem moribus huius seculi in Germ. & Gallia non est rarũ) & numerus oppidanorũ intra hominũ memoriã triplo aut ãpliùs major fiat, an nihilominus omnes eo jure

1.

2.

3.

4.

possint uti, quod Zasio visum est, *in lib. Sign. Respons. c. 15. lib. 2. seq. Imb. d. lo.* & magis dicimus. *arg. huius text.* Denique † tametsi Iason in specie non dissimili diversum sensit, nimirum, ut, si alicui prædium concedatur cum usu eiusdem in nemore vicino, idque pro ipso usuario & familia eius: non etiam eo jure fruturos liberos pluribus familijs divisos. *Ias. in l. ult. C. de Verb. Obl.* contrarium tamen verius est, *arg. l. Divus. §. 1. de usu & Hab. per tex. in d. l. ult. de verb.*
6. *Obl. junc. arg. l. non solum. 6. supra. h. t.* Nec † mutat l. damni. §. is qui unas. de Dam. inf. quia ibi agitur de tota altera domo adjunctá priori cui soli jus quæsitum erat, ne nimirum id ei quoque statim pro-
7. sit. Planè † si familia cui jus tale quæsitum est, usque adeo augeatur, ut prædium cuius respectu servitus constituta est, eos alere nequeat, & eam ob causam nonnulli familijs suis seorsim habitent, sine controversia erit illis servitutem ob hoc paratam non fore, quippe quæ rei intuitu potissimùm constituta censetur. *per tex. in l. ergo. 5. de Serv. Rust. & arg. l. si habitatio. 10 sup. h. t. d. l. damni. §. si is qui unas. de Dam. Inf.* Sed extra ejusmodi casum admissa est Zasij sententia, *per d. l. C.* constituens sibi imputabit quod legem contractus non dixerit apertiùs, *l. veteribus. de Pact. Imbert. d. lo. post Zas. in loco citat. allegans etiam Petr. Rat. in Consuet. Picton. c. 171. in gl. pour leur*
8. *dict. laborage.* Illud omittendum non est, † si quis forte homo tenuioris fortunæ usum eiusmodi alteri concessserit, non esse permissum successori potentiori usu eo ampliori modo frui, quàm licuit ac consuetum fuit authori; eò quod motibus, ut dixi, jus illud non tam personæ quàm prædijs constitutum censetur. Idque expressa Constitutione Galliæ provisum est, *à Francisco. 1. in Sanctionibus de Nem. ratione. c. 78. Imbert. d. lo. prope fin. incip. sed & Sanctionibus.*

Ad l. usus. 19.

1. *Servitutes prædiales.*
2. *Usus individuus.*

1. SErvitutes † prædiales individuæ sunt, unde infrà *ad l. pro parte. 11. de Serv.* & perinde etiam usus est individuus. Sed ususfructus est omnino dividuus. Idque pluribus juris nostri locis relatum est. *l. excepta, 14. l. si placet. 25. suprà. Quib. Mod. Us. Amitt. l. 1. §. si ususfructus. 9. Ad L. Falc.* quia nimirum & fructus dividi possunt, & fundus ipse usum pro parte admittit. Disputari tamen hoc ipsum ex subtiliori juris ratione consuevit. vide quæ nos abundè *in l. ususfructus. 5. suprà. de Usufr.* Planè quod † usum dicimus individuum
2. esse,

esse, id quidem certo ex hoc textu constat; opponi tamen solet. l. *Si ut certo*. §. fin. infrà. Commod: quam conciliamus ibidem. Quid verò si inter usuarios duos ejusdem rei non conveniat? judicem id temperare oportet, ut unus quidem usum alter pecuniam pro jure suo recipiat. *l. item. 10. §. 1. infra. Comm. Div.*

Ad l. Vsus Aquæ. 21.

VSus aquæ alicui constitutus, personalis est nec ad hæredes transit. *ut hic. & l. Lucius. 37. de Seru. Rust.* Servitus aquæductus ab hac diversa est, quæ plerumque prædialis est. Quemadmodum & hauriendi jus non hominis sed prædij est. *l. si mihi. 20. §. fin. eod. tit. de Seru. Rust.* Sed hoc ita nisi nominatim personæ esset constituta. *l. pecoris. 4. de Seru. Rust.* Moribus tamen nostris etiam servitutes pleræque cum designatione personæ constitutæ prædiales censentur, nisi nominatim actum esset ut tantùm durarent ad vitam eius cujus prædio illæ constitutæ censentur. *vide quæ nos in l. ut pomum. de Seru.* *Consuet. ubi diversa.*

Ad l. Divus.

1. *Vsu silvæ legato an usufructus legatus censeatur.*
2. *Accursij sententia de hoc textu.*
3. *Pinelli sententia probata.*
4. *Vsuarij emolumentum in hac re considerandum.*

Hæc lex relata est suprà in ijs quæ ponimus *ad l. ex silva. 10. de Vsufr* suprà.

ILlud † hic videndum, quamobrem usu silvæ legato, ipse quoque fructus legatus censeatur, *tex hic.* Accursius † id de silva remota accepit, quia nimirum & ad quamque familiam usus silvæ quotidianus esse potest, eaque ratio hoc textu expressa in silva remota habeat locum, *gl. hic. sequitur Alberic. Fulgos. Cost. plerique hic. Angel. & Fab. in princ. Inst. de Vsu & Hab.* Ego verò † cum Pinello simpliciter ita statuerem de quacunque silva cuius usus est legatus, *Pinell in l. 1. par. 2. num. 58.* nisi eodem hoc textu allegatum esset Principis rescriptum. Ceterùm quia Constitutiones novæ difficiliùs extenduntur, *l. 1. supra. de Const. Prin.* in hac quoque ita distinguendum magis dicimus, (idque ex proposita specie vel maximè palam est, quæ rescripto Principis ex subjecta ratione difinita est.) Distinguendum inquam ut quoties ratio huius textus locum habet, id est, quoties utilitas silvæ nulla aut perexigua haberi potest, 1. 2. 3.

toties

toties legato silvæ usu, unà & usumfructum intelligi legatum, ideoque hoc in silvis non cæduis quæ exiguum fructum ferunt, indifferenter locum habere: quoties verò silvæ vel cæduæ sunt vel magnâ fructuum copiâ plerumque abundantes, quia ex fructibus ac lignis multum emolumenti ad rem familiarem provenire potest, toties usum legatum solum esse. Quamobrem & Doctorum opinio admitti ita potest, si usus silvæ frugiferæ aut cæduæ legetur, ut ob loci distantiam omnino difficile sit quicquam ex ea legatarium auferre. Quia enim legato usus parum probabile est, testatorem legatario illudere voluisse, magis dicimus ipsum usumfructum legatum censeri. Usuarij † verò emolumentum plurimum in
4. hac re considerari vel illud argumento est, quod & usu fundi legato, ex eo usuarius annuatim tantùm accipere potest, quo & mediocris prædij fructus consumatur, *l. fundi. 15. supra eod.* Quemadmodum & usu domus legato: non partis, sed totius domus usus legatus censetur, quod evenire possit ut legatarius quandoque habeat opus. *ut in §. 1. hac. ead. l.*

USUFRUCTUARIUS QUEMADMODUM CAVEAT.

Tit. IX.

Ad l. 1.

HÆc stipulatio.) An & quatenus cautio ad usumfructum necessariò requiratur vel minùs pluribus prosecuti sumus suprà *in l. 5. de Usufr. Ear. Rer. Quæ Usu Consum.*

l. 5.

§. Penult.) Relatus est suprà in l. 14. §. 1. de Usu & Hab.

l. etsi. 7.

Relata est in ijs quæ ponimus suprà *in l. 4. & 5. de Us. Ear. Rer.*

l. 9. §. penult.

Relata est suprà *in l. 1. de Us. Ear. Rer.*

LIBER

LIBER OCTAVVS

DE SERVITVTIBVS.

Tit. I.

Ad l. 1.

1. Servitutes aliæ personales aliæ reales.
2. Servitutes reales quare ad tempus constitui non possint.
3. Doctorum in hac re doctrina supervacua.

SErvitutes † aliæ sunt Personales, aliæ Reales. Illæ sunt quæ personis debentur, cumque ijs unà pereunt, ut usus, habitatio ususfructus, & consimiles quæ non in usum ac contemplationem prædiorum constitutæ sunt. *ut hic. & Inst. eod.* Quam obrem - nec ad tempus constitui possunt, & ita constitutæ ipso jure non finiuntur, sed tantùm ope exceptionis. *l. 4. infrà eod. ubi vide nostra.* Ceterùm † quod interpretes hoc loco addunt, & servitutem personarum eam quæ à personis alijs, alijs quoque debetur, *ex tit. de Statu Hom. & l. Titio centum. § Titio. de Manum. Test. gl. Castr. Flor.* id re attentiùs inspectâ penitus ab universo tractatu hoc divisum, adeoque supervacuum omnino est. Cùm nulla inter has & illas, præter solum nomen, similitudo sit. 1. 2. 3.

Ad l. 3.

1. In solo & superficie consistere quid hoc loco sit.
2. An vasallus & emphyteuta servitutem fundo beneficiario imponant.

SErvitutes aliæ † in solo, aliæ in superficie consistunt, *ut hic.* In solo consistere dico viam, actum iter, aquæductum, aquæ haustum & similes quarum usus in ipso solo est, in superficie consistunt, quæ ædificijs (ea enim quodam respectu superficies dicuntur, *l. 1. §. 1. de Superfic.*) cohærent, ut tigni immittendi, luminum, altiùs ædificandi & aliæ eiusmodi. Et igitur propè est ut urbanæ servitutes in superficie, rusticæ in solo hærere dicantur. Hoc verò vix perpetuum est, nam & stillicidium incidere solo potest, quod tamen ferè in servitu- 1.

tem urbanam cadit. Sed quod hîc de superficiebus monitum est,
2. occasionem quærendi dedit, An † vasallus & emphyteuta, ad quorum numerum superficiatius propemodum accedit, jure suo prædio beneficiario, emphyteutico aut superficiario imponere servitutem queat? quod quidem directo jure fieri non potest, cùm enim inter omnes constet eosdem alienandi potestatem sine consensu domini non habere, nec servitutem imponere posse dicemus, *l. ult. C. de Reb. Al. Non. Alien.* Utilitatis tamen causa receptum est, ut saltem quantum ad jus ipsorum attinet, hac in re libertati præjudicent. Quod si verò quo casu res ipsæ ad dominum redeant, expeditum est, servitutes quoque ejusmodi tolli. *c. 1. §. quid ergo. de Invest. de Re Alien. Facta. in Us. Feud.* Et hoc inter omnes constat.

Ad l: 4.

1. *Servitutes ipso jure nec ex tempore nec ad tempus constitui possunt.*
2. *In usufructu aliud est.*
3. *Conciliantur diversa ll. & 4.*
5. *Explicatio huius textus latior.*

1. IPso jure † servitutes neque ex tempore, neque ad tempus, neque sub conditione, neque ad certam conditionem constitui possunt. *tex. hic.* At † hoc in usufructu nō ita, quia is prædio non cohæret, *l. 4.*
2. *& l. 5. de Usufr.* Sed hæ sunt continuæ, individuæ, ac perpetuæ prædiorum qualitates, *l. foramen. 28. infrà. de Seru. Urb. l. via. 13. §. si fundus. 2. de Seru. Rust.* in quarum constitutione præsentaneâ jure civili non est admissum ut conditio vel dies admittatur. Promissio † tamen atque obligatio servitutis constituendæ, diem & conditionem admittunt, *l. haredes. 25. §. contra. 10. Fam. Ercisc.* quia enim ea ex
3. persona promittentis causam habet, quamobrē conditionem non recipiat aut diem nihil impedit. Atque ita hi textus pulcrè conveniunt. *Connan. lib. 4. Com. c. 8. Donell. 11 Comm. c. 10. Pacius. Cent. 3.*
4. *Q. 52.* Nec † obstat igitur quod servitutum usus modum quoque & distincta utendi tempora admittere dicitur. *l. prox. §. fin. infra.* quia hoc ad modum utendi pertinet, qui ex lege contractus aut ordinatione testatoris formam capit, cum eo non obstante jus servitutis nihilominus prædio cohæreat continuo nexu, facultatem nimirum & causam absolutam in hac re non verò usum continuum consideramus. *d. l. foramen.* Illud proinde observandum, † quod si quid de
5. modo die vel conditione servitutis constitutioni adjiciatur, contra

placita

placita servitutem vindicare quidem permissum esse, idque ipso jure, sed ad amovendum actionis effectum, contra placita servitutem vindicanti pacti exceptionem obstare, *tex. hic.* Verbi gratiâ, cùm ad certum tempus servitus constituta esset, ipso quidem jure, tempore quoque eo finito, vindicari potest, obstat tamen exceptio pacti. *gl. magna hic in princ. ad verb. contra placitum. quam probant Bart. Ang. Castr. Flor. hic.*

Ad l. 6.

De servitute pro parte fundi constituendâ vel amittenda egimus infrà *in l. 11. h. t. & l. via. 17. eod.*

l. 7.

IVs cloacæ mittendæ servitus est, *ut hic.* quatenus verò id ita sit, pluribus prosequimur infrà *in l. foramen. de Seru. Vrb.*

Ad l. ut pomum. 8.

1. *Pomum decerpere in servitutem constitui nequit.*
2. *Idem juris est de aquando, lignando, & quatenus id omne ita sit vel minùs.*
3. *Quomodo earum rerum propria servitus constitui queat.*
4. *Consuetudine quid hac in re juris. & num. 5.*

VT † pomum decerpere liceat, & ut spatiari ac cœnare in alieno possimus; servitus imponi non potest. Atque id de reali servitute certissimum est. *per hunc text.* Propè tamen † dicimus, personæ ejusmodi servitutem constitui rectè *arg. l. si binas. 32. suprà. de Vsufr. Cin. & Petr. in rub. C. de Vsufr. Corras. Duar. Costal. hic.* Sed hoc alijs vix probatum est, & jus qualecunque id obligationis demum vi consistere putant. *gl. Bart. Flor. hic. idem Bart. in l. Mela. de Alim. Leg. Bald. in l. pecoris. inf. de Seru. Præd. Rust. Cujac. lib. 24. Obs. 22.* quod magis est, *per hunc tex. & l. Gaius. 12. de Ann. Leg. & d. l. Mela. §. fin.* in quo textu posteriore, hujusmodi obligatio servituti aquæhaustus (quæ huiusmodi constitutioni quodam modo similis videri queat) directo opponitur. Non mutat l. pecoris. inf. De Seru. Rustic. quia pecoris appulsus & aquæhaustus propriè servitutes reales sunt, *l. ergo. 5. de Serv. Rustic.* & quoties cum persona finiuntur, dicuntur personales. *text. ibid. & l. Lucius. verb. quasi usuarij. de Seru. Rustic.* Quod accidit toties quoties jure usus alicuius personæ aquam haurire permissum est, qui tum quoque

usus nomine venit, *ut in d. l. Lucius. & in d. l. usus aquæ. de Usu. & Hab.*
3. Plane si pomum ex pomario decerpere † non tam voluptati, quàm necessitati & commodo culinæ concedatur, dubitandum non est, quin id ipsum in servitutem usus personalem cadat. *l. plenum. §. 1.*
4. *& d. l. usus de Usu & Hab. Castr. hic.* Quinimò † ampliùs hodie quoque ex moribus, earum rerum servitutes reales effectæ sunt, ita ut pago, vico vel prædio uni ab altero jus pascendi, ligna secandi, piscandi, glandis legendæ, pomi ad certam quantitatem decerpendi debeatur instar servitutum perpetuarum. Atque id consuetudine Germaniæ obtinere Zasius author est, & moribus Galliæ Ioannes Faber, *Zas. lib. 1. Sing. Iur. Intell. c. 11. Fab. in §. eaque Inst. de Act. n. 5.* Idemque ad jus venandi ijsdem moribus relatum est. *Zas. d. lo. Dominus Gail. lib. 2. Obs. 66.* Nec mutat quod venatio jure quoque naturali per missa est, *per l. 1. & 3. de Acq. Rer. Dom.* quia id potius sententiam hanc confirmat, eo quod servitutes pleræque admissæ sunt
5. contra libertatem naturalem. Sed † & eadem consuetudine introductum est ut Principes regionum pro more cuiusque loci sibi facultatem reservarint, ut vel ipsi soli vel saltem pauci ex optimatibus venari cum ipsis queant. Nec tamen id omnino extra juris rationem est. nam & jure civili cuique privato permissum fuit alterum prohibere ne venandi causa fundum nostrum ingrediatur. *tex. in d. l. 3. de Acq. Rer. Dom.* nec absurdè igitur à Principibus introductum fuit, ne rustici per venationes ab agricultura divertantur, venationes ijs interdici. *arg. c. un. § si quis rusticus. de Pace Ten. in Us. Feud.* Et harum igitur rerum causa etiam servitutes constitui possunt in fundo alterius; maximè si fructus eius in venatione consistat. *l. venationis. de Usur.* Consequenter verò earum quoque rerum nomine Confessoria & Negatoria actio erit.

Ad l. si cui simpliciùs. 9.

1. *Servitus si simpliciùs per fundum concedatur quid juris sit.*
2. *Servituti concessæ quomodo certa fundi pars assignari solet.*
3. *Cuius dirigendæ servitutis electio sit. & num. 4.*

1. SErvitute † simpliciùs per fundum concessa, totus fundus servire censetur, ita tamen ut usurpetur cum minima eiusdem læsione. *tex. hic. & l. si mihi. 21. de Seru. Rust.* Quamobrem receptum est, ut
2. servituti † concessæ certa fundi pars assignetur, quod ubi factum est,

est, reliquæ partes benignâ ratione liberæ censentur. *l. certo generi. 13. de Seru. Rust.* & ista pars quodammodo servire sola. *l. sed quæ loca eod. illo tit. de Seru. Rust.* Illud † quæsitum est, cuius dirigendæ per fundum servitutis electio sit? & quodammodo ex hoc textu colligatur, id beneficium eius esse cui servitus debetur. *hic in fine verb. qualibet ducere licuisset.* Certum tamen est electionem eius esse qui servitutem debet, modò captio vitetur alterius. *l. si via. 26. de Seru. Rust. & arg. huius tex. in princ.* Nec † mutat quod hic in fine dicitur, ab initio qualibet ire licere: quia id toties verum est, quoties debitor vel per negligentiam certam partem non assignat, vel creditori electio permissa est. Quanquam is locus etiam postea ad postulationem debitoris, prævia justâ cognitione, restringi queat. *d. l. certo. §. 1. de Seru. Rust.* 3. 4.

Ad l. pro parte. 11.

PRo parte dominij servitus nec acquiri nec adimi potest. *tex. hic.* Partem hoc loco intellige indivisam, ita ut unus ex dominis prædij communis, vel solidi dominus pro parte indivisa, parti ejusmodi nec acquirere servitutem nec adimere possit. *l. si quis duas. 6 §. si quis partem. infrà. Comm. Præd. gl. Bart. & Ang. Flor. hic.* Ad certam enim definitamque fundi partem, quin servitus tam constitui aut retineri, quàm remitti aut adimi possit, non ambigitur. *l. ad certam. 6. l. 8. §. 1, suprà eod. fac. l. certo. infrà: de Seru: Rust. l. 6. §. si quis partem. Comm. Præd.* Sed ipsius servitutis pars ne quidem in obligationem deduci potest. *l. via. 17. infrà eod. ubi vide.* junge quæ nos suprà *de Vsufr. in l. 5.* Subtilior enim hæc materia est, & explicare eam hoc loco totam, alienum foret ab instituta brevitate, quamobrem singulis quibusque locis, prout occasio erit, singulas eas res explicamus.

Ad l. servitutes. 14.

1. *Servitutes an jure veteri soleant usucapi, & quatenus num. 2.*
3. *An ad præscriptionem titulus requiratur.*
4. *Quantum temporis ad præscriptionem servitutis requiratur.*
5. *Explicatur l. hoc jure. §. ductus aquæ infrà De Aq. Pl. Arc.*

6. *Iure Codicis quid in hac re mutatum.*
7. *An ad usucapionem servitutis requiratur titulus.*
8. *Explicatur l. 10. Si Seru. Vind.*
9. *An scientia domini requiratur.*
10. *Moribus Galliæ quid in hac re sit receptum.*
11. *Quæ præscriptio procedat si servitus ita constituatur, ne aliter quàm æstate vel alternis mensibus aut annis usurpetur.*
12. *Iure Canon quid in hac re cautum.*
13. *Consuetudinis authoritas in his rebus quanta.*

1. SErvitutes † jure veteri non solent usucapi, *ut hic.* Quod ita accipe, ut per se quidem usu non quærantur: ceterùm usucapione prædij cui servitus cohæret, quin eædem & unà usucapi soleant, nemo ambigit. *l. si aliena.* §. 1. *inf. de Vsucap. gl. Bart. hic.* Sed quod
2. in proposito de usucapione servitutum † dicimus, id de usucapione proprià accipe. nam servitutes vetustâ quasi possessione præscribi etiam olim potuisse, certum est. *l. si quis diuturno.* 10. *inf.*
3. *si Seru. Vind. l.* 1. §. *pen. de Aq. Pluu. Arc.* Ceterùm † ad istam præscriptionem titulus non requirebatur: modò doceatur præscribentem non usum vi, clam aut precario. *d. l.* 10. *Si Seru. Vind.* nec ex ea confessoria actio directa erat, sed utilis solummodo. *textus ibidem.* tuitione nimirum prætoris. *Duar. Charondas. hic. Hotomannus. lib.* 3. *Obs.* 25. *Cujac. in l.* 4. §. *pen. de Vsucap.* Sed dubita-
4. tum est † quantum temporis ad illam satis sit? vulgoque obtinuit, quia relatum est, tempus longum requiri, *d. l.* 10. *inf. si Seru. Vind.* ideo decem vel viginti annos sufficere. *l. pen. C. de Seru. & Aq.* Quia nimirum longum tempus in præscriptionis tractatu, decem vel viginti annorum intelligitur. *l. si quis diuturno. & tot. tit. C. de longi temp. præscriptione. DD. hic. Cujac. post*
5. *alios. in l.* 4. §. *fin. de Vsucapione.* Nec † mutat quod alibi relatum est, tempus immemoriale istiusmodi quasi possessionis vim habere privilegij aut constituti. ut Doctores plerique annotant, *idque unanimi pene consensu ad tex. in l. hoc jure,* §. *ductus aquæ. inf. de Aq. Quot. & Æst.* quia id ita accipies, ut per tantam possessionem servitus directo intelligatur constituta, minuendarum scilicet litium causâ. *l.* 2.
6. *inf. de Aq. Pluu. Ar.* eoque & ex præscriptione tali solida quasi vindicatio fit. *Costal. hic.* Neque † hoc igitur præscriptionem temporis brevioris excludit. Majori enim annorum numero contineri quoque minorem ita certum est, ut nulla omnino egeat explicatione. Denique † & Iure Codicis quasi usucapio servitutum ferè ut re-

rum

rum immobiliũ est. *l. 2. C. de Ser. & Aq.* Sed hac in re duo capita disputari solent. Primum est an ad usucapionem hanc requiratur titu- 7.
lus, secundum, an requiratur scientia domini. Titulum equidem dixerim requiri. Est enim servitutum usucapio immobilium usucapioni æquiparata. *d. l. 2. l. pen. C. eod.* Quia igitur in immobilium usucapionibus titulus requiritur, idem & consequenter in servitutum usucapione requiretur. Huic argumento accedit textus satis perspicuus. *l. ult. §. fin. verb. & bono initio possessionem tenentis. C. de long. temp. præsc. Duarenus lib. 1. disp. c. 34.* Non obstat † d. l. 10. si Seru. 8.
Vind. quia ea procedit in præscriptione nuda. ad eam enim titulo non est opus. *Duaren. Costal Charon. hic.* Opinio igitur illorum qui statuunt ad servitutum præscriptionem titulum non requiri, *gl. in l. 2. C. eod. Bronchorst. Cent. 1. Enantiop. c. 58.* vera est in præscriptione decennali fundata in *d. l. 10. Si Seru. Vind.* non autem in usucapione propriâ. *per d. l. ult. §. fin. C. de longi temp. præscript.* Cuius effectus hic est, quod præscriptio solummodo pariat, aut exceptionem aut confessoriam utilem (modo doceat se non vi clam aut precario requisito tempore usum. *d. l. 10. Si Seru. Vind.*) quasi usucapio verò ex constitutionum jure etiam confessoriam directam. Denique & jure novissimo quo præscriptionis & usucapionis differentia sublata est, *per l. un. C. de Vsucap. transfor.* rectiùs dicimus parum interesse num titulus adsit vel minùs. Ideoque ex præscriptione decennali quoque indistinctè actionem concedimus. Quantum ad secundum attinet, An nimirum † scientia domini prædij servientis requiratur, perinde variatum est; eam requiri Accursius & eum secuti putarunt, *in d. l. 2. per illum text. C. eod.* Magis tamen 9.
est eam ad usucapionem non prorsus necessariam fore. *per text. in d. l. ult §. fin. verb. nulla scientiâ vel ignorantiâ exigendâ. C. de longi tempor. præscript.* Atque ita vetus glossator Hugo sensit. Non obstat d. l. 2. C. de Seru. & Aq. ubi de scientia domini proponitur: quia id ita speciatim ad casum de scientia propositum rescriptum est, ut clandestini actus excludantur. *Rectè Cujac. in l. 4. §. fin. de Vsucapion.* Planè quod ex Doctoribus nonnulli jure Digestorum distinctum putant inter servitutes continuas & discontinuas: illas quidem præscribi, has non item, nisi fortè tanto tempore cujus initij memoria non extat. *gl. & DD. hic. & in l. foramen. de Seru. Vrb.* id nusquam relatum est, & plerisque jam improbatum. *Costal. in d. l. foramen. inf. de Seru. Vrb. Duaren. Charond. hic. Wesenb. in comm. huius tit. num 5. Cujac. in d. l. 4. §. fin. Pac. Cent. 3. q. 54. Bronchorst Cent. 1. q. 57.* Quanquam enim in utrisque tempus immemoriale præscriptionem tribuat. *l. 3. §. ductus aq. de Aq. Quot. & Æst.* tamen id præscriptionem temporis brevioris non tollit.

Nec

Nec refert quod in hoc textu dicitur, vel ob hoc servitutes non ... non usucapi, quia earum continuus usus non sit. id enim in ... Iureconsulto allegatur, ut designet propriam usucapionem in ser-vitutibus non habere locum: namque id ipsum eodem textu con-tinuo & ad alias servitutes relatum est. *tex. hic.* ut & alibi indistin-ctè responsum est, servitutes propter defectum propriæ possessionis non usucapi. *l. si aliena. ff. de Vsucap.* idque per legem Scriboniam, quâ simpliciter infracta servitutum usucapio est. *l. 4. §. fin de Vsu-cap.* Id verò præscriptionem, uti dictum est, non excludit, quippe quæ utilem tantùm actionem vel exceptionem, non etiam domi-nium servitutis tribuit, & eodem jure admissa est indistinctè. *d. l. 10. Si Serv. Vind.* Illud † prætereundum non est quod Consuetudi-num Galliæ authores annotant, Moribus eius regni ad præscriptio-nem servitutis probari oportere, usurpationem vel medio titulo fa-ctã, vel saltem servitutis jure declarato præsente domino & audiente illam fuisse inceptam. *Imbert. in Ench. Iur. Gall. c. Servit. quæ sint con-tinua, & quæ discontinua. pag. 331. allegans Boër. in Comm. Consuet. Biturig. tit. de præscrip. §. 5 & Ioan. Fab. in l. 1. C. de Ser. & Aq.* Bonâ profectò ratione, patientia enim domini hic pro traditione est. *l. ult. infrà eod.*

21. Quod si servitus † ita constituatur, ne aliter quàm æstate vel alternis mensibus aut annis usurpetur (quo casu iure Canonico servitutes demum discontinuæ dicuntur. *Felin & Abb. in c. de quarta. de Præscrip.* tempus præscriptionis duplicatur. *arg. l. si sic. Quem. Serv. Amitt. l. ult. C. h t. Costal. hic.* Quod & Iure Ca-nonico statutum perhibent, *per text. in d. c. de quarta de Præscrip.* licet postea constitutum sit, nullam præscriptionem contra eccle-siam locum habere præter annorum 40. *tex. & Canonistæ. in c. illud autem. d. tit. de Præscrip. Auth. quas actiones. C. de Sacros. Eccl.* Ta-

22. men † in hac re magna consuetudinis authoritas: quæ qualis in sin-gulis locis sit juris studioso constare potest facilè. Namque judica-tis Cameræ imperij Germanici itemque Delphinatus consilio, re-ceptum est, servitutes quæ usum habent discontinuum, non præ-scribi præterquam tempore immemoriali *Minʃ. Cent. 4 Obs. 5. allegans Guid. Pap. decis. 573.* Consuetudine verò Saxoniæ utra-rumque æqualis 30. Ann. præscriptio est, *Schneid. ad tit. de Inst. de Serv. Præd. §. fin. num. 19. Wesenb. ib. in not.* Planè tametsi in posses-sorio obtinere queat, qui annum & diem servitute aliqua usus est, in petitorio tamen negatoriâ succumbet, si actor possessionem & dominium fundi suum esse probet, Idque diversis judicatis Parla-mentorum Galliæ probatum Imbertus annotat *d. lo. pag. 332.* Quod si tamen possessorio actum sit & usurpator servitutis ita obtinue-rit, jus possidentis evertet possessor fundi, idque per novam instan-tiam

tiam petitorio judicio instituendam. Evertet autem hoc, si probet fundum sibi ita traditum, ut nullo servitutis onere gravatus esset. Hoc enim si fiat, possessor servitutis probare cogetur, quasi possessionem sibi jure constitutam justeque paratam esse. *vide tamen Subtil. nostra i. lib. 2. c. 2. per tot.*

Ad l. quoties. 15.

AN & quatenus servitutem constituendam tendere ad utilitatem vicini prædij oporteat, pluribus infrà prosequimur. *in l. penult. h. t.*

§. Servitutum.

HIc §. relatus est infrà *in ijs quæ ponimus ad l. penult. h. t.* Servitutum autem non eam naturam esse ut alius quid faciat, quod hic dicitur: id in dubium vocari queat, *ex l. 2. §. apud Atteium. de Aq. Plu. Arc.* Sed rectè dicimus facere eum qui servitutem propriam debet, interdum quid in consequentiam teneri. Verbi gratiâ, cùm quis aquæ immittendæ jus habet, is qui servitutem debet, reficere fossam tenetur, *ut in d. l. 2. §. apud Atteium.* Quod & ad refectionem parietis vel columnæ quæ onus meum sustinet, referendum est. *l. eum debere. infrà. tit. 1. & infrà. Si Seru. Vind. l. sicuti. §. 1. & §. distant.*

Ad l. viæ. 17.

1. *Servitus pro parte in obligationem deduci nequit, quippe individua. & num. 3. 4. 5. 8.*
2. *Individui obligationibus quid commune.*
6. *Explicatur l. 12. Quem Seru. Am.*
7. *Explicatur l. 11. sup. h. t.*
9. *Iura quomodo dividantur.*

SErvitutum † realium pars in obligationem non deducitur, quia usus earum individuus est. Quamobrem si stipulator servitutis decesserit, singuli hæredum solidam viam petent. Quod si promissor decesserit pluribus hæredibus relictis, à singulis hæredibus solida tantum non etiam partis petitio est. *tex. hic.* Idque & † in reliquis individui obligationibus receptum est, tametsi dissentiant cohæredes; adeò ut nec satisdatione pro ijs etiam ante litem contestatam sit opus. *l. 4. suprà. Si Ex Nox. Cau. Ag.* Ceterùm quemadmodum aliàs obligationibus individui satisfiat pluribus alibi explicamus. 1.
2.

3. *lib.6. Subtil.c.3. & 4.* Sed ut ad propositum † de indivisa servitutum natura redeamus, suprà monuimus, servitutes, sive dominium rei cui illæ inhærent, sive ipsas respicias, individuas haberi, *suprà in l.*
4. *pro parte.* 11. *h.t.* id ut paulò explicatius sit, Videamus † an socius rei communi servitutem imponere queat? & certum est non posse, ne servitus pro parte dominij constituatur contra earundem naturam. *l. 5. infrà. Comm. Prædior. l. 2. supra h.t.* Planè in prædij cuiusque di-
5. visione, † parti uni alterius commodo servitus constituitur rectè, quoniam tum perinde habetur ac si à domino duorum prædiorum, in alienatione alterutrius alteri servitus esset reservata. *l. si quis duas. 6. §. 1. Comm. Præd.* pars enim divisa & ipsa pro prædio habetur. *l.*
6. *rectè dicimus. 25. §. 1. de Verb. Signif.* Nec † mutat igitur l. si partem, 19. Quem Seru. Am. quoniam & ea de parte divisa accipienda est.
7. Quid ergo est quod dicitur si quis † fundo suo servitutem stipulatus eundem postea alienet, corrumpi stipulationem, quòd res in eum casum devenerit, unde incipere non posset. *l. pro parte. 11. de Seru.* & rectè dicimus id tum ita esse cum servitus quidem stipulatione comprehensa est, necdum tamen re ipsâ constituta. Quando enim ab initio pars servitutis in stipulationem deduci non potest. *ut hic.* stipulationem servitutis semel rectè factam corrumpi etiam
8. oportet si eò deveniat. *ut in d. l. 11.* Pro parte † igitur constitui aut in stipulationem deduci servitus non potest, semel tamen constituta retineri pro parte potest. *l. pen. §. fin. de Verb. Obl.* ut & pro parte cedi. *l. si partem, 25. de Seru. Rust.* non quidem pro parte servitutis ipsius, sed pro parte prædij cui illa debetur, quodque ipsum divisum commoditatem saltem utendi ad se trahit. Atque eius respectu ipsa
9. quoque jura dividi † dicuntur. *l. arbor. 19. §. fin. Com. Div. & l. Lucio. 4. de Aq. Quot. & Æst.* quæ tamen re arctiùs examinata non tam substantia sui quàm solo usu esse divisa existimandum est. *arg. l. 1. §. duo de Aq. Quot. & Æst.* Vt rectè dicamus hic metonumiam esse effectus pro causa. Et hæc quidem omnia ita sunt in servitute reali, siquidem usumfructum dividi posse obtinet, *l. 5. de Vsufr. ubi vide nostra latè. & Donell. 11. Comm. c. 9.*

Ad L. ei fundo. penult.

1. *Quatenus servitus aliqua constitui possit quæ non sit utilis prædio dominanti.*
2. *Conciliantur l. 15. suprà h. t. & l. 5. de Seru. Rust.*
3. *Aedificio futuro servitus imponi potest.*

4. De

4. *De amœnitate idem quod de utilitate in hac re dici oportet.*

QVod hoc loco [1] relatum est, servitutem etiam talem constitui 1.
posse quæ dominanti prædio non sit utilis, non omnino extra
disputationem est. obstare [2] nimirum videtur l. quoties 15. suprà 2.
eod. & l. 5. infrà de Seru. Rust. quibus quodammodo evinci videatur, servitutem quæ prædio vicino re ipsa utilis non sit, constitui non posse. Sed hi textus ita conciliandi sunt ut valeat servitus quæ saltem potentia utilis sit, id est quæ ex eventu in futurum etiam fortasse commodum aliquod præstare queat, etiam si actu ipso utilis nō foret *ut hic. & l. ult. si ser. Vind.* si verò vicini nullo modo intersit, ut ne quidem ullâ ratione utilis sit, constitui ea non possit. *d. l. 15. sup. eod. & d. l. 5. de Ser. Rust.* Quæ solutio rationem habet, eoque & alijs jam antè probata est, *gl. Bar. Duar. & pluribus.* nihil enim vetat utile etiam id dici, quod quandoque commodo esse potest, *arg. l. & ideo. 5. Si Seru. Vind.* Eodemq; enim modo responsum est, ædificio quoque 3.
futuro servitutem vel acquiri vel imponi posse. *l. si servitus, 23. §. fin. de Seru. Urb.* Denique [4] quod de utilitate dicimus idem & de a- 4.
mœnitate sentiendum est, puta ut eius quoque gratiâ servitus rectè imponi queat, quæ tamen ipsum prædium afficiat, & quodammodo meliùs faciat. *arg. l. hoc jure. princ. de Aq. Quot. & Æst.* Namque & amœnitatem interdum utilitatis nomine venire vel ex eo constat, quòd statuæ quoque ususfructus relinqui potest. *l. statua. 41. de Usufr.* Quod si prædium per hoc meliùs non fiat, rectiùs contrarium diximus, *l. quoties. 15. §. 1. & arg. l. ut pomum. suprà eod.*

Ad l. ultimam.

INter omnes constat in corporalibus usum juris pro possessione esse. *ut hic.* An verò interdicta possessionis tuendæ etiam pro servitutibus dentur, alibi docui, *in l. sicut. 8. §. Aristo. infrà. Si Seru. Vind. & lib. 7. Subt. c. 51*

DE SERVITVTIBVS PRAEDIORVM VRBANORVM.

TIT. II.

Ad l. 1.

QVod hoc loco movetur de vicinitate prædiorum, inter quæ servitus hæret, id infrà latiùs exposui, *in l. 5. §. 1. de Serv. Rust.*

Ad l. 2.

1. *Ius altius tollendi an servitus sit.*
2. *Plerorumque sententia de hac re.*
3. *Corrasij sententia præ alijs in proposito laudata.*
4. *In æmulationem alterius nemini ædificare licet.*
5. *Germaniæ Consuetudo laudanda.*

1. SAtis † controversum est, quemadmodum accipi oporteat quod
hic dicitur jus altiùs tollendi & officiendi luminibus vicini servi-
tutes prædiorum esse. Obstat enim graviter quod alibi relatum est,
jure naturæ cuique vel ad cælum ædificare permissum. *l. cum eo. 9.*
& l. ult. infrà. h. t. l. altius. 8. C. de Serv. & difficiliùs proinde rei eius
posse constitui servitutem. Quod quidem plerique adverterunt, eo-
2. que difficultatem hanc diversimodè solvere sunt conati. Plurimi †
tamen ita statuerunt, jus altiùs tollendi re ipsa servitutem esse, eò
quod interdum ex altiori ædificatione commodum aliquod ad nos
queat derivari. *Accurs. Bart. Angel. Castr. Florent. alij. aut hic aut in*
l. 8. C. eodem. Quorum tamen nonnulli eam difficultatem aliter sol-
verunt. *uti & Connan. lib. 4. Comm. c. 7. num ult. & Cujac. in l. egi. 25.*
de Excep. Rei Iudicat. l. 9. ad Afr. Sed omnes eæ solutiones omitten-
3. dæ sunt. Veriùs † enim est quod Corrasius autumat, quia jure no-
viore introductum fuit, ne cuiquam liceret ædificium suum tollere
supra altitudinem communem aut consuetam, *l. luminibus. infrà. de*
de Serv. Vrb. l. 1. C. de Ædif. Priv. idque vicinorum gratiâ statutum
videretur: ut è contrariò altius ædificare permitteretur, rectè con-
stitui posse jure servitutis. *Corras. in l. 1. de Serv. & lib. 3. Miscell.*
c. 24. Bronchorst Cent. 1. Controv. c. 99. Qui verò aliter senserunt no-
4. dum in scirpo quæsivisse censeri queant. Namque † & aliàs prohi-
bitum est in æmulationem alterius cum læsione ejusdem ædificare.

l. cum

l. cum eo. 9. infrà. h. t. l. ult. in fine. C. eod. Vnde 4 in multis Germaniæ locis moribus receptum est, ne cuiquam ultra definitum modum aut altitudinem ædificare liceat. *Gail. 2. Obs. 69.* 5. *Consuetudo Germaniæ.*

Ad l. luminum. 4.

1. *Argumentum hujus legis.*
2. *Quid intersit inter servitutem ne altiùs ædificetur & ne luminibus officiatur.*
3. *Prospectus differt à servitute ne luminibus officiatur.*
4. *Quemadmodum alij de his rebus senserint & quid in praxi tenendum.*

REctè †Bartolus hac lege differentiam poni inter servitutem luminum & ne luminibus officiatur. *Bart. hic in Summar.* Siquidem servitus luminum efficit, ut vicinus lumina nostra vel fenestras excipiat. *ut hic.* cælumque adeò hauriendæ lucis gratiâ nobis liceat videre. *l. lumen. 15. infrà eod.* Denique † & subtili ratione interest inter servitutem ne altiùs ædificetur, & ne luminibus officiatur. Verum quidem est, eum qui servitutem habet ne altiùs ædificetur, id in primis habere, ne altiùs ædificando ei lumen auferatur. *ut hic.* non tamen per omnia & una continet quod alteram continere perspicuum est. nam & arborem plantando vel ædificium pro parte demoliendo, per reflectionem quis luminibus alterius officere posset: quod tamen servituti ne altiùs tollatur, non officere constat. *l. ædificia. 12. l. si arborem. 17. §. hanc enim infrà eod.* Perinde † & servitus prospectus subtili ratione differt à servitute ne luminibus officiatur, quia servitus prospectus & amœnitatem continet, cùm in hac sufficiat necessario lumine frui. *l. inter servitutes. 14. infrà eod.* Scio † equidem hæc ab alijs paulò aliter accepta esse. *Donell. lib. 11. Com. c. 5.* sed (licet pleræque servitutes illæ majori ex parte contineant alteras) magis tamen est eas in paucis saltem differre. *ut hic & infra in d. l. 12.* Illud appositè dicitur, quia conceptiones formularum de servitutibus constituendis in facto consistunt, ideo in his rebus judicem plurimum ex arbitrio posse. 1. 2. 3. 4.

Ad l. Hæc autem. 6. & ad l. 7.

DE amittendis servitutibus per non usum vide quæ nos in *l. 4. §. fin. infrà. de Usucap.*

Ad l. cum eo. 9.

Hæc lex explicata est suprà *ad l.2.h.t.*

Ad l. qui luminibus. 11.

Vide quæ ponimus suprà *in d.l.2.h.t.* ubi & hæc relata est.

Ad l. ædificia. 13.

Vide quæ nos ponimus suprà *in l. 4. eod.*

Ad l. inter servitutes. 15. l. 16. & 17.

Vide quæ ponimus suprà *in l. 4. h.t.*

Ad l. qui ædificium. 22. & l. si servitus. 23.

1. *Argumentum legis.*
2. *Conciliatur l. 33. infra eod.*
3. *Servitute luminum indefinitè constitutà utrum fenestra tantùm qua nunc sunt maneant an minùs.*
4. *Servitute luminum constituta an & quatenus obstruere is qui servitutem debet luminibus alterius possit.*
5. *Conciliantur diversa argumenta huic textui opposita.*

1. SErvitutes † luminum, & ne luminibus officiatur, vel ita constituuntur, ut aut de fenestris quæ nunc sunt agatur, aut de luminibus indefinitè *tex. hic. & in l. 22.* Priori casu de futuris luminibus
2. nihil caveri intelligitur. *ut hic.* Nec † mutat l. eum. 33. *infra eod.* ubi de columna constituta oneri ferundo contrarium relatum est, quia columna ad onus ferendum parata & in futurum reparanda, in
3. hoc saltem tractatu una & eadem intelligitur. Planè si ide servitute luminum indefinitè actum sit, humaniùs dicimus, verbo generali
4. omne lumen designari. *ut hic. in l. 22.* Quamobrem † & quod aliàs quæsitum est, Num servitute luminum constitutà, id effectum sit, ut fenestræ omnes uti nunc sunt, ita maneant, An verò qui servitutem eam debet obstruere fenestris omnibus possit unà interim lumini relictà. *a Bart. in l. 1. Castr. in l. 4. supra eod.* magis est his quoque textibus finiendum; nimirum eum qui luminum servitutem debet, non aliter omnibus fenestris, exceptà tantùm unà, obstruere posse, quàm si id nominatim sit actum. Sed opposita † sunt textui huic

huic diversa. Primùm est quod obligatio certæ rei contracta auctâ re non tamen ipsa protinus aucta censeatur. *l. Rutilia. de Contr. Emp. l. si tibi mandavero. §. is cuius. infra Mand. l. certa.* C. *de Iure Fis. lib. 11.* unde sequi videbatur, nec servitute luminum constitutâ de pluribus fenestris actum esse quàm nunc sunt: Sed respondemus obligationem dici ita non augeri, si extrinsecus rei debitæ quid accedat, cùm in proposito auctio fenestrarum ex ipso servitutis jure procedat; quamobrem nec dici potest servituti quid accessisse. *arg. l. vicinus. §. lacus. de Aq. Pluv. Arc.* Denique quod alias opponi solet de servitute aquæductus non communicanda prædio alteri quod dominus prædij eius cui servitus constituta est, in posterum acquisivit, *per l non modus.* C. *de Seru.* id alienum à proposito est, cùm hic agatur de luminibus pluribus exstruendis in prædio eodem, non etiam in prædio novo. *Corras. ad l. 1. supra. de Seru. num. 31. 32. & 33.*

Ad l. foramen. 28.

1. *Foraminis servitus an & quatenus constitui possit vel minùs.*

2. *Ex lacu an & quatenus servitus aquaductus constitui queat.*

3. *Conciliatur oppositum.*

4. *Tuitione prætoris servitutem eiusmodi per se impropriam posse conservari.*

Foramen † vel fistula prolvendi pavimenti causa, instar fluminis 1
aut rivi servitus esse nequit, adeoque nec longo tempore quæri potest, quia nimirum istiusmodi servitutum causa, si non actu, potentia saltem perpetua est, eoque nec † ex lacu aut stagno aquæduc- 2
tus in servitutem constitui potest, quia nec eius quidem perpetua est causa, præterquam si ducatur ex lacu quæ continet aquam vivã. *fac. l. 1. §. caput. & §. permittitur. de Aq. Quot. & Æst. l. 19. supra. h. t.* Ceterùm ut stillicidij, cuius causa potentiæ saltem naturali perpetua est, servitus rectè constituitur: ita & foraminis constituetur si non solius ablutionis gratiâ sit, sed una & perpetua stillicidij accedat causa. *tex. hic.* Nam quæ aqua saltem potentiâ non est perennis, ea nec duci potest. *l. 1. §. loquitur. infra. de Aq. Quot. & Æst.* Nec refert † quod plures servitutes sunt quæ usum non habent continuũ, 3
ut accidit in servitute itineris aut viæ, quia in his rebus considerantur, voluntas & potestas vel hominis vel naturæ, quorum prius servitutem itineris viæ & similia conservat, non tamen hanc; nec posterius etiam, quia servitus hæc introducta foret ad modum rivi.

Quando

Quando enim in foramine de quo hîc agimus sine stillicidio saltem aut aquæductu (*ut in l. si fistula. suprà. eod.*) aquæ causa perpetua à natura non est, nec propriam servitutem instar rivi aut aquæductus hoc modo constitui dicemus. Propè tamen est † ut tuitione prætoris jus qualecunque hoc conservandum utilitatis gratiâ dicamus.
4 *per tex. & DD. in l. 2. C. Comm. Præd. Cujac. 3. Obs. 28.*

Ad l. cum debere. 33.

Vide quæ ponimus suprà *in l. 22. & l. 23. eod.*

l. ultima.

Allegata est suprà *h. t. in l. 2.*

DE SERVITUTIBUS PRÆDIORUM RUSTICORUM.

Tit. III.

Ad l. 1.

1. *Servitutes rusticæ quæ.*
2. *Iter quod jus contineat.*
3. *Iasonis sententia improbata.*
4. *Quando admittenda.*
5. *Actus quid sit.*
6. *Definitio actus contra plerosque defensa.*
7. *Via quid sit.*
8. *In servitute via quidnam ampliùs sit quàm in servitute itineris & actus.*

1 Servitutes † rusticorum prædiorum sunt hæ, iter, actus, via, aquæductus. Iter est jus eundi ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi. *tex. hic.* vel vehiculum. *in princ. inst. eod.* Atque hæc descriptio dubio caret. Planè † qui iter habet non pedes modò, sed &
2 eques ibit, *l. inter. infrà eod.* nec solus modò inceder, sed & ibit cum alio. *gl. hic. & in princip. Inst. eod.* Iason contrà, *in Addit. ad Porcum. Inst. ibid.* quem & Corrasius sequi videtur. *Corras. hic. num. 88.* Sed Accursij

Accursij sententia ut rationi convenit, ita moribus recepta est. Atque eius ex jure ipso fortissimum argumentum est, quod iter habens lecticâ quoque vehi potest. *l. qui sella. infrà eod.* ea enim necessariò gestatur à pluribus. Nec ad rem facit † l. si ita. 126. § Chrisogo- 1.
nus. *de Verb. Obl.* quam Iason in sui defensionem allegat, quia ea procedit in obligationibus, ea enim cum uno initæ non facilè ad tertium producuntur. Aliud enim est in servitutibus, quarum jus instar dominij in rem ipsam est. Denique & sententiam † eius ita 4.
admittemus, si usu duorum aut plurium fraus constitutæ servituti fiat, quod eâ ratione fortè prædio etiam alteri quàm cui iter debetur, inservire dominus servitutis velit. Nam quia id vetitum est jure diserto, *per l. ex meo. 24. infrà eod.* rectius dicimus plures itinere ita demum uti, si id ipsum tendat ad utilitatem solius prædij eius cui servitus constituta fuit. ACTUS EST † *jus agendi vel jumentum vel* 5.
vehiculum. Itaque qui iter habet, actum non habet, qui actum habet & iter habet sine jumento.) tex. hic. & princip. Inst. eod. Qui igitur actum legavit, viam adimendo nihil agit, *l. 1. de Adim. Leg.* Ceterùm qui in postulatione itineris succubuit, actum nihilominus petere potest, *l. si mater. §. si quis iter. de Excep. Rei Iud.* Denique tametsi hæc descriptio † actus disputata sit quasi minùs proba: rectius tamen di- 6.
cimus eam defendi posse. *gl. DD. hic.* nec ullum adeo mendum subesse. *Cujac. lib. 22. Obs. 35.* cum quia uterque is textus utroque ferè modo in præallegatis locis ponitur, tum quia nulla probabilis ratio est quæ nos ad aliam lectionem cogat. Seducti proinde sunt qui aliter sensere. *Fab. 1 Conject. c. ult. Connan. 4. Comm. c. 2. Donell. lib. 11. Comm. c 6. Hotom. 2. Obs.* 21. qui jus vehiculum agendi actu non contineri putant, ideoque novam lectionem huic textui quærendam: sed quia ratione nullâ solidâ moti sunt, vera ac Florentina retinenda est, *rectè Cujac. d. lo. per tot.* Nam & alibi viam ipsam itineris actusque nomine contineri constat, ut in Edicto de Itinere Actuque. *l. 1. §. 2. & §. 11 cuius. isto tit.* VIA EST JUS † AGENDI *& ambulan-* 7.
di, nam & iter & actum in se via continet.) Et hæc quoque descriptio proba est. Addendum tamen ei est, quod viam habens, & trabem trahere, & hastam gerere rectam potest; modò fructus non lædat. Quorum † tamen neutrum nec iter nec actum habenti permissum 8.
est, *d. l. qui sella. infrà eod.* Sed quid ita? ratio est, quod iter & actus plerumque viâ sunt angustiores, eoque majus periculum subest lædendi fructus. Habet enim viæ latitudo in porrectum pedes octo, in anfractum sedecim, *l. via. 8. infrà. eod.* quod si tam angustum spatium assignatum sit quo vehiculum agi nequeat, viæ nomen amittet. *l. via. 23. inf. eod.* cum interim itineris vel actus latitudo ex partium conventione dependeat, vel arbitri pronunciatione. *l. certo 13.*

 §. lati-

§.*latitudo*. 2. *infra eod.* & proinde finiatur ex arbitrio boni viri, vel quantum homini aut jumento eunti sit satis.

Ad l. 2.

Vide quæ latè ponimus infrà *in l.* 4. *Quib. Mod. Pign. vel Hyp. Solu.*

Ad l. 3.

VIdeantur quæ pluribus prosecuti sumus suprà, *in l. ut pomum.* 8. *de Seru.*

Ad l. pecoris. 4. & ad l. 5.

1. *Ius pecoris pascendi an & quatenus servitus sit.*
2. *Servitus quatenus prædio alteri utilis sit remissivè.*

1. QVod hoc † loco relatum est, jus pecoris pascendi, ad aquam appellendi, cretæ eximendæ rectè censeri servitutes personarum, si earum intuitu sint constitutæ, *ut hic & in l. Mela. infra. de Alim. Leg.* id impropriè accipiendum, *l. Lucius. pen. in fine. verb. quasi usuarij. infra eod. vide quæ nos latè supra in l. ut pomum. de Seru.* Nam si propriam earum rerum qualitatem respicias, verum est eas servitutes non esse nisi constitutas prædij respectu, *ut hic. in l. 5.*

2. QUAM QUATENUS † *ad eum ipsum fundum sit opus.*) Servitutem constitui non posse, nisi quæ prædio vicino sit utilis, pluribus explicui suprà, *in l. penult. de Seru.*

Ad l. qui sella.

Principium huius legis relatum est suprà *in l.* 1. *h. t.*

§. 1.

VT rusticæ servitutes sint, prædia necessariò inter se oportet esse vicina, *l. 5. supra eod.* itaque prædium intermedium in his servitutem impedire potest. *ut hic.* Sed in urbanis id haud ita strictum est, quippe in quibus & ei prædio servitus imponi potest quod ab alio per interjectionem alterius est separatum. *l. si quis duas. 6. infra. Comm. Præd.* Ita scilicet, ut si prædio intermedio postea servitus imponatur, ab initio quoque remotiori prædio rectè constituta censeatur. *l. in tradendis. 7. §. 1. infra. Comm. Præd.* Idem igitur ad rustica ob rationis similitudinem datâ occasione benignè transfertur. *d. l. 7. §. 1. verb. vel etiam. si iter. supra.*

Ad

Ad l. certo generi 13.

PRincipium huius legis referri potest ad ea quæ ponimus suprà, *de Seru. in l. 3.*

§. Si totus.

QVatenus fundus vel totus serviat vel pars eius, & utrius electio sit ad eligendum spatium seu loci corpus servitutis usurpandæ pluribus suprà docuimus *in l. si cui simplicius. 9. de Seru.*

Ad l. Divus. 16.

1. An fundum alterius venandi causâ ingredi liceat.

2. Ingrediens fundum alterius domino invito tenetur injuriarum.

3. Quatenus fera quam capio in fundum alterius, mea fiat. & num. 4. Moribus Germaniæ, Hollandiæ, Transisulaniæ & n. 6.

5. An dominus silva quæ servitutem venandi debet, eam ita amputare queat ut alteri venatio inutilis sit.

7. Quatuor casus quibus cuique invito domino fundum ingredi licet.

8. Quid remedij in ijs casibus sit si id dominus impediat.

ALienum † fundum venandi causâ invito domino nemini ingredi permissum est, uti nec ob aliam causam quamcunque. 1.
ut hic. & l. 3. §. 1. de Acq. Rer. Dom. Quod si † contrarium fiat, dominus fundi prohibens actionem injuriarum habet, *l. injuriarum. 13. §. fin. de Injur.* Sed haud † eò minùs is qui in prædio meo feram capit, eam prorsus suam facit, *§. feræ. Inst. de Rer. Div.* Quod tamen temperationem admisit, nisi fructus fundi in venatione consistat, *arg. l. venationis. de Vsur.* idque in silvis nonnullis à viris principibus conclusis, præcipuè in Germania superiori usitatum videmus. Sed idem & in collibus maritimis † Hollandiæ frequentari videmus, ubi venationes saltuum publicè locantur. Vnde & consequenter admissum est, servitutes in ijs constitui posse. *dixi supra in l. ut pomum. 8. de Seru. vide Gail. 2. Obs. 6.* Vnde quæsitum est, An dominus † silvæ quæ servitutem venandi debet, universam illam ita amputare queat ut venatio alteri omnino inutilis fiat: Dubiū movet quod dicimus quemque rei suæ moderatorē & arbitrum esse. *l. in re mandata. C. Mand.* Temperandū tamē hoc ita est, ut amputare quidē quā plurimas arbores possit, sed non in universū omnes, quia eâ

Margin: 2. 3. 4. *Consuetudo Germaniæ & Hollādiæ* 5.

ratione servitutis jus penitus inutile foret, quod tamen per dominum prædij qui servitutem debet, fieri non potest. *l. & si fortè. 6. §. fin. Si Seru. Vind. l. certo generi. § si totus. h. t. l. sed si quid. 15. de Vsufr. Gail. d. lib. 2. c. 67.* Planè † quod de silvis venationis causâ conclusis
6. dicimus, capione in ijs ferarum easdem non fieri nostras, idem & ad venationes avium palustrium in hisce locis maritimis referendum, ubi venationis ratio eiusmodi recepta est ut certo campo pluribus fossis diviso, multisque intus salictis vestito, avibus cicuratis feræ alliciantur & ita capiantur ab aucupibus qui in casula quadam conjuncta seorsim latitant. Ex his igitur nec alteri aves auferre licebit. *arg d. l. venationem. infrà. de Vsur. gl. Costal. hic. qui posterior &*
7. *Aug. allegat in d. §. feræ.* Denique & illud † constat quandoque vel invito domino ingressum fundi permissum mihi esse. Puta si id requiram vel legendi fructus causa qui forte in prædium vicinum deciderunt, *l. 1 de Glan. Leg.* vel thesaurum ex alieno fundo sim effossurus, *l thesaurus, infra. Ad Exhib.* vel alias mea intersit qua rere quippiam ibidem, *l. 3. infra. de Fugit.* Quemadmodum & reficiendi prædij mei gratia vicinum ingredi permissum est, *l. refectionis.*
8. *11. infra. Comm. Præd.* Quod si his † casibus impediar, officium mihi judicis invocandum est, qui statim decernet ut ingrediendi copia fiat. *d. l. thesaurus. & d. l. 3. de Fug.*

l. Sed quæ loca. 23.

Allegata est suprà *in ijs quæ ponimus ad l. 9. de Seru. in genere.*

l. Si partem. 25.

PErtinet ad ea quæ de constituenda servitute pro parte vel retinenda, pluribus suprà posuimus. *in l. via. 17. de Seru.*

l. si via. 26.

Allegatur in l. si cui simpliciùs. 9. suprà de Seru.

l. si communi. 27.

DE servitute communi fundo paranda vel retinenda inferiùs agimus. *in l. unus, 34.*

Ad l. unus. 34.

1. *Si duorum prædiorum domini quorum alterum alteri servit,*

vit, ea prædia inter se communicent, quid dicendum de servitute sit.

2. Conciliatur l si communi. 27. suprà eod.

3. Quid juris de servitute sit, si fundus nobis comparatus proprio meo & proprio tuo serviat seorsim.

SI duorum [1] prædiorum domini quorum alterum alteri servit, eadem prædia inter se communicent: usque adeò servitus retinetur, ut ne quidem alter alteri eam remittere possit. Placet enim servitutes pro parte posse retineri, *l. via. 17. supra. de Seru.* Nec ad rem facit quod unusquisque sociorum solus sit cui servitus debetur, quia huius generis servitutes non personarum sed rerum sunt. *ut hic.* Non obstat [2] L si communi. 27. suprà, eod. quia ibi fundo qui jam ante communis fuit; communi nomine fundus alter qui servitutem debet proponitur comparatus; cum hîc è diverso ab initio uterque fundus cuius dominia mixta sunt fuerit duorum. Quemadmodum & manet servitus, [3] si fundus à nobis comparatus proprio meo & proprio tuo serviat separatim, *tex. in d. l. 27. in fine.* Denique & hæc l. allegata est infrà *in l. 5. tit. 1. sub fin.*

Ad l. Lucius. 37.

Vide quæ fusè ponimus in l. ut pomum. 8. de Seru.

COMMVNIA PRAEDIORVM.

Tit. IV.

Ad l. 1.

AD Princip. vide quæ ponimus *in l. 4. §. Stabula. Quib. Mod. Pign. Tac. Contr.* ubi plenè docui quæ prædia rustica & quæ urbana dicantur.

§. 1.

1. Servitus realis sine prædio non constat.

2. Obligatio tamen servitutis diversum admittit.

3. In itinere ad sepulchrum etiam admissum est sine prædio servitutem constitui, & quare, num. 4.

5. Locus religiosus servitutem debere non potest.
6. Conciliatur l.1. de Aq. Quot. & Aest.

1. SErvitus † realis sine prædio constitui non potest, *ut hic. & §. ideo.*
2. *Inst. de Seru. Rust.* Sed quin obligatio † servitutis constituendæ etiam ante contrahi possit quàm prædium vicinum nostrum fuerit, eaque ratione quoque prædio futuro constitui quodammodo servitus queat, dubitandum non est. *l. labeo suprà. tit. 1. & l. haredis. §.*
3. *an ea. Fam. Ercis.* Denique & in † itinere ad sepulchrum constituto admissum est, ut nobis servitus debeatur, licet prædium propriè non sit nostrum, *l. servitutes. 14. §. 1. suprà. de Seru. & l. 1. infrà. Si Ser. Vind.* cum ne quidem in alicuius sit bonis, *l. 6. §. sacra. suprà. de Rer.*
4. *Divis. l. 4. C. de Religios.* Ceterùm hoc & favore † religionis admissum est, & respectu juris quod in locum religiosum de inferendo
5. mortuo habemus. Servitutem † enim ipse locus religiosus debere non potest. *l. caveri. 4. infrà eod.* Planè illud huic textui obstare vi-
6. deatur, quod aquæductus rusticorum † prædiorum servitus habetur. *l. 1. de Seru. Rust. Præd.* quæ tamen interdum & sine prædio constare potest, *tex. in l. 1. §. præterea labeo. 12. de Aq. Quot. & Æst.* sed ego respondi ideò pertinere quod servitus aquæductus & aquæhaustus interdum personis constituantur; qua ratione eæ non tam reales servitutes sunt quàm impropriè personales. *vide quæ nos in l. ut pomum. 8. de Seru. & in l. 4. & 5. suprà de Seru. Rust.*

Ad l. 2.

1. De aqua per rotam tollendâ an constitui servitus possit.
2. Ratio dubitandi.
3. Tuitione Prætoris defensio eiusmodi juris admissa est quæ aliàs admissa non foret.

1. DE aqua † per rotam tollenda dubitatum est an revera servitus censeri queat, quemadmodum & si quis servitutem imposuerit castello. *ut hic.* quoniam puta utriusque eius causa perpetua non
2. intelligitur. *l. foramen. de Seru. Præd. Vrb.* Castellaris † enim aqua organis & opere hominum collecta est, aqua verò quæ per rotam tollitur, perinde opere manu facto movetur. Cui accedit quod prædia plerumque vix tanto aquæ indigent, quanta per rotam infundi queat; neque enim constituitur servitus ultrà quàm ad prædij dominantis utilitatem sit opus. *l. ergo. in fine. de Seru. Rust.* Et rectè
3. † proinde dicimus ad eiusmodi jura conservanda tuitione prætoris opus

opus esse, cùm ipso jure non subsistant. *tex. hic. Cujac. 3. Obs. 18. vide quoque nostra in l. foramen. suprà de Seru. Rust.* Paulatim enim obtinuit ut servitutes tam ex eiusmodi aquis quàm ex fonte aut capite duci possint, eoque prætor tam eiusmodi servitutes quam proprias defendit. *l. servitus. 9. de Seru. Rust.*

Ad l. 4.

Vide obiter quæ ponimus ad l. 1. suprà eod.

Ad l. proprium. 5.

1. *Quemadmodum quis proprium solum vendendo stipulari prædio suo quod retinet, servitutem queat.*
2. *Quid juris si quis sibi & Titio fundum emat.*
3. *In rebus quantitatis diversum.*
4. *In venditione soli communis quid hactenus juris sit.*
5. *Conciliatur argumentum oppositum.*

PRoprium solum † vendendo stipulari quisque prædio vicino alteri suo servitutem potest. Idque ipsum & ritè fieri intelligitur, si in venditione prædij communis, ut id prædio meo & alterius vicino serviat, conveniat; vicino tamen prædio, vel aliàs nobis cum altero communi, quæri servitus ita non potest, & adjectio ea supervacua est, cum quæratur mihi servitus tota pro indiviso soli, *ut hic. Adde quæ nos suprà in l. via. 17. de Seru.* Perinde est † si fundum mihi & Titio emam, quia Titij persona pro non adiecta est, & mihi fundus quæritur soli, *l. fundus. 64. de Contr. Emp. dixi suprà in l. 1. princ. de Vsufr. Accresc.* Quod tamen † in rebus quantitatis propter numeri separationem non ita dicimus. Proinde si in his quispiam decem sibi & Titio stipulatus sit, stipulatio tantùm subsistit in quinque, *l. si mihi & Titio. 110. de Verb. Obl.* Denique in venditione soli communis † manifestum est me efficere non posse ut id mihi & socio serviat, quia per unum socium communi prædio servitus acquiri non potest. *ut hic in fine l.* quod eâ ratione servitus pro parte constitueretur, contra naturam eius manifestã. *vide nostra in l. via. 17. suprà. de Seru.* Nec mutat † quod dicimus servitutem pro parte retineri posse, *l. unus. 34. supra tit. 1. l. ad partem. 6. de Seru.* quia id ita est, si servitus jam antè fuerit constituta.

(margin: 1. 2. 3. 4. 5.)

Ad l. si quis. 6.

§. Si quis partem.

VIde quæ nos suprà, *in l. via. 17. de Seru.* ubi plenè docuimus quatenus servitus pro parte constitui queat vel minùs.

l. 7. §. 1.

Relata est suprà *in l. 7. §. 1. de Seru. Rust.*

l. Refectionis.

Allegata est suprà *in l. Divus, de Seru. Rust.*

SI SERVITVS VINDICETVR.

Tit. V.

Ad l. 1.

Vide quæ posuimus *in l. 1. §. 1. tit. prox.* suprà.

Ad l. 2.

1. *De Confessoria & Negatoria actione quid moribus obtineat.*

2. *Directa confessoria actio cui detur.*

3. *Vtilis quibus detur.*

4. *In actione negatoria quid satis sit.*

1. QVod hîc † de confessoria & negatoria actione servitutum dicitur, id moribus etiam ad vindicationem ceterarum rerum incorporalium relatum est, verbi gratiâ, ad vindicationem vel negationem decimarum, redituum annuorum, jurisdictionis, vectigalis, juris præsentandi, & si quæ similia sunt. *arg. l. hoc ampliùs. 9. §. 2. in fine, de Dam. Inf. DD. in §. æque. Inst. de Act. Bal. in rub. de Vsufr. Canonistæ in c. tua. & c. prohibemus, ex. de Decim.*

§. Hæc autem.

2. Directa † confessoria actio tantùm ei datur, qui dominus eius prædij est

dij est quod servitutem habet. *tex. hic.* Vtilis † verò & alijs datur, ut bonæ fidei possessori, *arg. l. si ab eo. 18. infrà. de Pign.* creditori pignoratitio, *l. ei qui. 16. suprà. de Seru.* usufructuario, *l. 1. §. fin. de Superf.* Denique & ijs omnibus quibus ex moribus confessoriam actionem esse in principio huius legis notamus, magis dicimus tantùm utilem dari. At in actione negatoria † satis est actorem possidere. *Fab. in d. §. æquè. Inst. de Act.* quàm primùm enim de eo constat, reo probatio servitutis incumbit. *tex. & DD. in d. §. æquè. Costal. hic, vide tamen Subtil. nostras. lib. 2. c. 2.* 1.

Ad l. loci corpus. 4.

1. *Loci corpus ad dominum prædij servientis pertinet.*
2. *Et consequenter fructus eiusdem erunt.*
3. *Dominium servitutis.*
4. *Actus sine itinere quomodo esse dicatur.*

CORpus † loci per quem servitus debetur non eius est qui servitutem habet, sed cuius ipsum prædium est, *ut hic.* Vnde constat 1.
† etiamsi via vel actus certo spatio à prædio commoditatis gratiâ separatus sit, fructus nihilominus corporis eius, vel arborum vel graminis, ad dominum prædij servientis pertinere. Habet tamen is cui 2.
servitus † constituta est, dominium servitutis peculiare. *arg. l. 5. Si Vsufr. Pet.* Quod & Baldus annotat. *Bald. hic.* Qui ITER *sine actu, vel actum sine itinere habet.)* Non absurdè † juris author ita scribit, 3.
quia servitutes hæ omnino separatæ sunt, *ut in l. 1. supra. de Seru.* 4.
Rust. Parumque ad rem facit quod actus regulariter viam continet, *ut in d. l. 1.* id enim ita est nisi aliud actum sit. nam si nobis actus sine itinere sit constitutus, eundi facultatem non aliter habemus quàm actus ipsius causa. Vnde est quod sententiâ de itinere latâ actui tamen non præjudicatur. *l. si mater. §. si quis iter. de Except. Rei Iud. vide quæ ponimus latè suprà ad l. 1. de Seru. Rust.*

Ad l. & si fortè. 6.

Allegatur suprà *ad l. 5. de Vsufr.*

§. Final.

1. *Dominus prædij quod servitutem debet quatenus reficere prædium possit.*
2. *Quia si ipsum per impositionem ædificij mutetur.*

Ggg Dominus

1. DOminus † prædij quod servitutem debet opere quidem suo meliorem conditionem prædij facere potest, non autem deteriorem, *ut hic l. 12. §. fructuarius. & l. 15. § proprietatis. de V fr. fac. l. certo generis. §. si totus. de Seru. Rust.* Reficere tamen sine impedimento potest etiamsi servituti per hoc non prosit, modò ei nec officiat. *ut hic.*
2. *vide quæ nos in l. Divus. sub fin. de Seru. Rust.* Quid ergo si forma † prædij servientis ædificio immutata sit, ut consequenter & servitutis usus sit impeditus, an reficere pristinam cogatur? quæsitum est: & distinctum an absente domino prædij dominantis id factum sit, quo casu opus per hanc actionem & similia remedia everti potest, *ut tot. h. t. & arg. l. Sabinus. §. sed etsi. Comm. Diu.* an verò ædificatum sit domino præsente, quo casu ædificans id quod interest refundet. *arg. l. 4. a beo aut. cum l. seq. & ibi gl. de Aq. & Aq. Pl. Arc.* nisi tamen consensisset, *per d. l. Sabinus. §. sed etsi.*

Ad l. sicut 8.

§. Aristo.

1. *An interdicta unde vi & uti possidetis pro retinenda quieta quasi possessione servitutis realis dentur. & num. 2.*
3. *Explicatur hic textus.*
4. *Conciliatur l. 4. §. si viam. de Vsucap.*
5. *Inter fructuarium & usuarium an eadem interdicta sint.*

1. DOminus † prædij inferioris fumum in partem superiorem immittere nequit, nisi eius rei gratiâ constituta servitus sit, perinde de domino partis superioris dicimus, non posse eum aquam sine jure servitutis qualiscunq; eius mittere in partem alterius inferioré. Quod si contra fiat hæ actiones sunt. quàquam & rectè dicimus, si quis eâ ratione prohibeatur qualiter velit suo uti, locum habere interdictum uti possidetis. *tex. hic.* An id de retinenda possessione
2. † prædij quieta tantum accipiendum sit, quæsitum est, & quidem Accursius hic variat, ut & plerique eum secuti. Ego didici etiam ipsarum servitutum nomine utilia uti possidetis, & unde vi interdicta esse. Quod & Accursius probavit *in l. 4. §. si viam. de V sucap.* Et verò quia id de usufructuario extra controversiam est, *l. si plures. §. 1 cum l. seq. de Vi & Vi Arm.* per consequens & apposité idem dicitur de servitutibus in rem, *per hunc text. & l. ult. in fine. Quem. Seru.*
3. *Am.* Nam † quod hoc loco dicitur, eum qui prohibetur qualiter velit suo uti, interdictum uti possidetis habere, si tantum de prædijs accipiatur, violentum erit, cùm & servitutes nostras dici extra omnem

nem controversiam fit, *l.3.de Obl.& Ac.* Nec mutat † l.4.§.si viam. 4.
de Vsucap. ubi relatum est, possessione viæ nos non deijci, id enim ad propriam possessionem pertinet, ut videlicet doceat ibidem juris author servitutis possessore remoto, non intelligi fundum, nec servitutem etiam vi possessam, & consequenter ut significet, etiam vi dejectum amittere non utendo possessionem posse. Sed hoc ad exercitium interdictorum referri non potest, quippe quo defenditur viæ quasi possessio ut plurimum in facto consistens. Certè illud † 5.
constat, inter usuarium etiam & fructuarium illa interdicta esse. *l. ult. infrà*. Vti Poss. quamobrem verò in servitutibus realibus contrarium non fit, pleniùs alibi docemus. *lib.7.Subtil.c.5. ubi vide.*

l. 10.

DE servitutum præscriptione pluribus egimus suprà *in l. servitutes. 14. de Seru.*

Ad l. testatrix. 20.

1. *Qui è duobus prædijs unum legavit, an & quatenus ei vel ab eo servitutem legasse censeatur & num.* 2.

3. *Hæres quàm altè contra prædium legatum ædificare possit.*

4. *In contractibus quid juris.*

QVi prædium † legat, cui aliud vicinum habet, cum ipse per 1.
prædium ire consueverit quod jam legatum est, tacitè hæredibus ad aliud servitutem consensisse censetur. *ut hic fac. l. servum. §.fin. de Leg.* 1. Perinde † enim & è diverso legatario via præstanda 2.
est. *l. Gaurus. de Ser. Vrb. l.1. §.1. Si Vsuf. Pet. l. ult. de Seru. Vrb.* idque à legatario etiam altero, si fortè prædium per quod ire defunctus solet alteri quoque legatum sit. *l. damnas. §.1. l. si fundum sub conditione. §. qui fundum. de Leg.* 1. non ut à legatario servitus petatur, sed ab hærede qui eius rei gratiâ cum altero transiget. *d. l. servum. 44. §. fin. de Leg.* 1. Planè quin hæres altiùs ædificare possit modò lumen mo- 3.
dicum legatario relinquat, extra controversiam est. *per d. l. Gaurus. & l. is qui binas. de Vsufr.* quia sufficit legatario id præstari sine quo uti non posset. *l. ult. Si Vs. Pet.* De † contractibus quid dicemus? & 4.
prope est ut si emptor unius prædij aliter empto uti nequeat, quàm per id quod venditor retinuit, idem quoque in ijs dicamus, *per l. qui pendentem. 25. de Contr. Emp.* ubi vide quæ nos latiùs.

QVEMADMODVM SERVITVTES AMITTANTVR.

TIT. VI.

Ad l. nam satis.6.& l.7.

QVatenus servitutes amittantur non utendo pluribus infrà docemus, *in l.4. §.fin. de Vsucap.*

Ad l. si locus. 14.

1. *Servitus quomodo restituatur prædio semel perdito restituto in statum priorem.*
2. *Quid juris si via publica fluminis impetu sublata sit.*
3. *Quia eo casu via de vicinis prædiis desumitur, an vicini pretium recipiant.*

1. EX hoc textu † notandum est, servitutem interitu prædij quod eam debet, ita non perimi, quin quotiescunque illud in antiquũ redierit statum, denuo sit renovanda, *ut hic & l. si servitutes. 20.§.2. supra. de Seru. Vrb. Donell. lib. 11. Comm. c. ult. in fine, vide quæ nos in l. 36. de Vsufr.* Quod si intra tempus factum sit quod ad amittendum sufficiat, restituitur servitus ipso jure, *ut hic. & l. cum usufruc. Quib. Mod. Vsufr. Am.* si tempus transierit, officio Prætoris. *l. & Atilicinus, de Seru. Rust. & hic 2. Responso.* idque ex clausula si qua mihi
2. justa. Quod verò † hic dicitur, cum via publica vel fluminis impetu vel ruina amissa est, vicinum proximum viam præstare, id extra controversiam est. Quemadmodum & si ex publica causa via publi-
3. ca sit sublata. Sed quæsitum † est an ex ærario publico ad arbitrium boni viri reddenda æstimatio sit, quod magis est, *ut C de Seru. qui pro Pram. Lib. Acc. l. 2.* Ac tametsi Accursius annotat contrarium ob-
Consuetudo Belgica. servari; in his tamen Vnitæ Belgicæ locis etiam sub tanta belli sævitiá plerumque æstimatio retribui solet.

l si partem. 19.

Allegata in ijs est quæ latè ponimus suprà *in l. via. 17. de Seru.*

l. ultima.

RElata est infrà *in l. 4.§. fin. de Vsucap. & supra in l. 14. de Seru. & in l. 8. §. Aristo. Si Seru. Vind.*

LIBER

LIBER NONVS.

SI QVADRVPES PAVPERIEM FECISSE DICATVR.

TIT. I.

Ad l. 1.

1. *Quid contineatur hoc edicto.*
2. *Pauperies quæ dicatur.*
3. *Quid juris sit si accedat impulsus alterius.*
4. *Quid si qua noceat inclinatione naturali.*
5. *An domino permissum sit pecus alienum in suo prædio deprehensum includere.*

SI animal † meum pauperiem fecisse dicatur sine culpa mea, 1.
locus huic edicto est. Quo hoc continetur, ut aut noxiam præstem, hoc est damni æstimationem, aut ipsum animal dedam. Licet verò hæc actio origine ex L. Duod. Tabularum procedat, tamen postea & edictis prætorum comprehensa videtur. *ut ex hac l. constat in §. ait Prætor.* Pauperiem autem damnum † dicimus non 2.
injuriâ datum, quia enim quadrupes sensu caret, nec injuriam etiã committit. *ut in §. ait Prætor.* Id tamen quod de pauperie dicimus, ita accipimus si bestia nocuerit commota feritate, *ut hic in §. & generaliter.* Nam † si id impulsu alterius accidat, ex L. Aquiliâ vel in factum actio est. Quid ergo si quæ bestia alicui naturali inclinatione, 3.
† verbi gratiâ pastu, nocuerit? & hoc casu ex L. XII. etiam de pastu 4.
actio fuit, *l. qui servandarum. 14. §. fin. de Præscrip. verb. Cujac. ad Paul. lib. 1. Sent. c. 15.* quæ tamen ex moribus postea in actionem ex L. Aquilia videtur transijsse, *l. ult. C. ad L. Aq.* Sed ita, si fera quoquo modo per tertium sit impulsa. *Bald. in d. l. ult.* C. Quamobrem si non impellente altero bestia pastu noceat, contra dominum in factum actio parata erit, quod eam non custodierit, deficientibus quippe reliquis. *arg. d. l. 14. §. fin. de Præs. Verb.* Includere † tamen do- 5.
mino prædij alienum pecus non licet. *l. Quintus. 39. §. Pomponius.* *Consuetudines de pastu pecorum*
infra. ad L. Aq. Hoc tamen alij vix ita simpliciter admittunt, vide quæ nos *in d. l. 39. §. Pomponius.* Quemadmodum & moribus di-

ratione servitutis jus penitus inutile foret, quod tamen per dominum prædij qui servitutem debet, fieri non potest. *l. & si fortè. 6. §. fin. Si Seru. Vind. l. certo generi. § si totus. h. t. l. sed si quid. 15. de Vsufr.*
6. *Gail. d. lib. 2. c. 67.* Planè † quod de silvis venationis causâ conclusis dicimus, capione in ijs ferarum easdem non fieri nostras, idem & ad venationes avium palustrium in hisce locis maritimis referendum, ubi venationis ratio eiusmodi recepta est ut certo campo pluribus fossis diviso, multisque intus salictis vestito, avibus cicuratis feræ alliciantur & ita capiantur ab aucupibus qui in casula quadam conjuncta seorsim latitant. Ex his igitur nec alteri aves auferre licebit. *arg d. l. venationem. infrà. de Vsur. gl. Costal. hic. qui posterior &*
7. *Aug. allegat in d. §. feræ.* Denique & illud † constat quandoque vel invito domino ingressum fundi permissum mihi esse. Puta si id requiram vel legendi fructus causa qui forte in prædium vicinum deciderunt, *l. 1 de Glan. Leg.* vel thesaurum ex alieno fundo sim effossurus, *l thesaurus, infra. Ad Exhib.* vel alias mea intersit qua rete quippiam ibidem, *l. 3. infra. de Fugit.* Quemadmodum & reficiendi prædij mei gratia vicinum ingredi permissum est, *l. refectionis. 11. infra. Comm. Præd.*
8. Quod si his † casibus impediar, officium mihi judicis invocandum est, qui statim decernet ut ingrediendi copia fiat. *d. l. thesaurus. & d. l. 3. de Fug.*

l. Sed quæ loca. 23.

Allegata est suprà *in ijs quæ ponimus ad l. 9. de Seru. in genere.*

l. Si partem. 25.

PErtinet ad ea quæ de constituenda servitute pro parte vel retinenda, pluribus suprà posuimus. *in l. via. 17. de Seru.*

l. si via. 26.

Allegatur in l. si cui simpliciùs. 9. suprà de Seru.

l. si communi. 27.

DE servitute communi fundo paranda vel retinenda inferiùs agimus. *in l. unus. 34.*

Ad l. unus. 34.

1. *Si duorum prædiorum domini quorum alterum alteri servit,*

vit, ea prædia inter se communicent, quid dicendum de servitute sit.

2. *Conciliatur l. si communi. 27. suprà eod.*

3. *Quid juris de servitute sit, si fundus nobis comparatus proprio meo & proprio tuo serviat seorsim.*

SI duorum † prædiorum domini quorum alterum alteri servit, eadem prædia inter se communicent: usque adeò servitus retinetur, ut ne quidem alter alteri eam remittere possit. Placet enim servitutes pro parte posse retineri, *l. via. 17. supra. de Seru.* Nec ad rem facit quod unusquisque sociorum solus sit cui servitus debetur, quia huius generis servitutes non personarum sed rerum sunt. *ut hic.* Non obstat † l. si communi. 27. suprà, eod. quia ibi fundo qui jam ante communis fuit, communi nomine fundus alter qui servitutem debet proponitur comparatus; cum hîc è diverso ab initio uterque fundus cuius dominia mixta sunt fuerit duorum. Quemadmodum & manet servitus, † si fundus à nobis comparatus proprio meo & proprio tuo serviat separatim, *tex. in d. l. 27. in fine.* Denique & hæc l. allegata est infrà *in l. 5. tit. 1. sub fin.*

Ad l. Lucius. 37.

Vide quæ fusè ponimus in l. ut pomum. 8. de Seru.

COMMVNIA PRAEDIORVM,

Tit. IV.

Ad l. 1.

AD Princip. vide quæ ponimus *in l. 4. §. stabula. Quib. Mod. Pign. Tac. Contr.* ubi plenè docui quæ prædia rustica & quæ urbana dicantur.

§. 1.

1. *Servitus realis sine prædio non constat.*

2. *Obligatio tamen servitutis diversum admittit.*

3. *In itinere ad sepulchrum etiam admissum est sine prædio servitutem constitui, & quare, num. 4.*

5. Locus religiosus servitutem debere non potest.
6. Conciliatur l.1. de Aq. Quot. & Aest.

1. SErvitus † realis sine prædio constitui non potest, *ut hic. & §. ideo. Inst. de Seru. Rust.* Sed quin obligatio † servitutis constituendæ e-
2. tiam ante contrahi possit quàm prædium vicinum nostrum fuerit, eaque ratione quoque prædio futuro constitui quodammodo servitus queat, dubitandum non est. *l. labeo suprà. tit. 1. & l. haeredis. §.*
3. *an ea, Fam. Ercisc.* Denique & in † itinere ad sepulchrum constituto admissum est, ut nobis servitus debeatur, licet prædium propriè non sit nostrum, *l. servitutes. 14. §. 1. supra. de Seru. & l. 1. infra. Si Ser. Vind.* cum ne quidem in alicuius sit bonis, *l. 6. §. sacra. suprà. de Rer.*
4. *Divis. l. 4. C. de Religios.* Ceterùm hoc & favore † religionis admissum est, & respectu juris quod in locum religiosum de inferendo
5. mortuo habemus. Servitutem † enim ipse locus religiosus debere non potest. *l. caveri. 4. infrà eod.* Planè illud huic textui obstare vi-
6. deatur, quod aquæductus rusticorum † prædiorum servitus habetur. *l. 1. de Seru. Rust. Præd.* quæ tamen interdum & sine prædio constare potest, *tex. in l. 1. §. præterea labeo. 12. de Aq. Quot. & Æst.* sed ego respondi ideò pertinere quod servitus aquæductus & aquæhaustus interdum personis constituantur; qua ratione eæ non tam reales servitutes sunt quàm impropriè personales. *vide quæ nos in l. ut pomum. 8. de Seru. & in l. 4. & 5. suprà de Seru. Rust.*

Ad l. 2.

1. De aqua per rotam tollenda an constitui servitus possit.
2. Ratio dubitandi.
3. Tuitione Prætoris defensio eiusmodi juris admissa est quæ aliàs admissa non foret.

1. DE aqua † per rotam tollenda dubitatum est an revera servitus censeri queat, quemadmodum & si quis servitutem imposuerit castello. *ut hic.* quoniam puta utriusque eius causa perpetua non
2. intelligitur, *l. foramen, de Seru. Præd. Urb.* Castellaris † enim aqua organis & opere hominum collecta est, aqua verò quæ per rotam tollitur, perinde opere manu facto movetur. Cui accedit quod prædia plerumque vix tanto aquæ indigent, quanta per rotam infundi queat; neque enim constituitur servitus ultrà quàm ad prædij dominantis utilitatem sit opus. *l. ergo. in fine. de Seru. Rust.* Et rectè
3. † proinde dicimus ad eiusmodi jura conservanda tuitione prætoris opus

opus esse, cùm ipso jure non subsistant. *tex. hic. Cujac. 3. Obs. 28. vide quoque nostra in l. foramen. suprà de Seru. Rust.* Paulatim enim obtinuit ut servitutes tam ex eiusmodi aquis quàm ex fonte aut capite duci possint, eoque prætor tam eiusmodi servitutes quam proprias defendit. *l. servitus. 9. de Seru. Rust.*

Ad l. 4.

Vide obiter quæ ponimus ad l. 1. suprà eod.

Ad l. proprium. 5.

1. *Quemadmodum quis proprium solum vendendo stipulari prædio suo quod retinet, servitutem queat.*
2. *Quid juris si quis sibi & Titio fundum emat.*
3. *In rebus quantitatis diversum.*
4. *In venditione soli communis quid hactenus juris sit.*
5. *Conciliatur argumentum oppositum.*

PRoprium solum † vendendo stipulari quisque prædio vicino alteri suo servitutem potest. Idque ipsum & ritè fieri intelligitur, si in venditione prædij communis, ut id prædio meo & alterius vicino serviat, conveniat; vicino tamen prædio, vel aliàs nobis cum altero communi, quæri servitus ita non potest, & adjectio ea supervacua est, cum quæratur mihi servitus tota pro indiviso soli. *ut hic. Adde quæ nos suprà in l. via. 17. de Seru.* Perinde est † si fundum mihi & Titio emam, quia Titij persona pro non adiecta est, & mihi fundus quæritur soli. *l. fundus. 64. de Contr. Emp. dixi suprà in l. 1. princ. de Vsufr. Accresc.* Quod tamen † in rebus quantitatis propter numeri separationem non ita dicimus. Proinde si in his quispiam decem sibi & Titio stipulatus sit, stipulatio tantùm subsistit in quinque, *l. si mihi & Titio. 110. de Verb. Obl.* Denique in venditione soli communis † manifestum est me efficere non posse ut id mihi & socio serviat, quia per unum socium communi prædio servitus acquiri non potest. *ut hic in fine l.* quod eâ ratione servitus pro parte constitueretur, contra naturam eius manifestã. *vide nostra in l. via. 17. suprà. de Seru.* Nec mutat † quod dicimus servitutem pro parte retineri posse, *l. unus. 34. supra tit. 1. l. ad partem. 6. de Seru.* quia id ita est, si servitus jam antè fuerit constituta.

Margin: 1. (beside line 1 of paragraph), 2. (beside "Perinde est"), 3. (beside "Quod tamen"), 4. (beside "manifestum"), 5. (beside "retineri")

Ad l. si quis. 6.

§. Si quis partem.

Vide quæ nos suprà, *in l. via. 17. de Seru.* ubi plenè docuimus quatenus servitus pro parte constitui queat vel minùs.

l. 7. §. 1.

Relata est suprà *in l. 7. §. 1. de Seru. Rust.*

l. Refectionis.

Allegata est suprà *in l. Divus. de Seru. Rust.*

SI SERVITUS VINDICETUR.

Tit. V.

Ad l. 1.

Vide quæ posuimus *in l. 1. §. 1. tit. prox.* suprà.

Ad l. 2.

1. *De Confessoria & Negatoria actione quid moribus obtineat.*
2. *Directa confessoria actio cui detur.*
3. *Vtilis quibus detur.*
4. *In actione negatoria quid satis sit.*

1. Quod hîc † de confessoria & negatoria actione servitutum dicitur, id moribus etiam ad vindicationem ceterarum rerum incorporalium relatum est, verbi gratiâ, ad vindicationem vel negationem decimarum, redituum annuorum, jurisdictionis, vectigalis, juris præsentandi, & si quæ similia sunt. *arg. l. hoc ampliùs. 9. §. 2. in fine. de Dam. Inf. DD. in § aque. Inst. de Act. Bal. in rub. de Vsufr. Canonistæ in c. tua. & c. probibemus. ex. de Decim.*

§. Hæc autem.

2. Directa † confessoria actio tantùm ei datur, qui dominus eius prædij est

dij est quod servitutem habet. *tex. hic.* Vtilis † verò & alijs datur, ut bonæ fidei possessori, *arg. l. si ab eo. 18. infrà. de Pign.* creditori pignoratitio, *l. ei qui. 16. supra. de Seru.* usufructuario, *l. 1. §. fin. de Superf.* Denique & ijs omnibus quibus ex moribus confessoriam actionem esse in principio huius legis notamus, magis dicimus tantùm utilem dari. At in actione negatoria † satis est actorem possidere. *Fab. in d. §. æquè. Inst. de Act.* quàm primùm enim de eo constat, reo probatio servitutis incumbit. *tex. & DD. in d. §. æquè. Costal. hic, vide tamen Subtil. nostras. lib. 2. c. 2.* 1.

Ad l. loci corpus. 4.

1. *Loci corpus ad dominum prædij servientis pertinet.*
2. *Et consequenter fructus eiusdem erunt.*
3. *Dominium servitutis.*
4. *Actus sine itinere quomodo esse dicatur.*

CORpus † loci per quem servitus debetur non eius est qui servitutem habet, sed cuius ipsum prædium est, *ut hic.* Vnde constat † etiamsi via vel actus certo spatio à prædio commoditatis gratiâ separatus sit, fructus nihilominus corporis eius, vel arborum vel graminis, ad dominum prædij servientis pertinere. Habet tamen is cui servitus † constituta est, dominium servitutis peculiare. *arg. l. 3. Si Vsufr. Pet.* Quod & Baldus annotat. *Bald. hic.* QUI ITER *sine actu, vel actum sine itinere habet.)* Non absurdè † iuris author ita scribit, quia servitutes hæ omnino separatæ sunt, *ut in l. 1. supra. de Seru. Rust.* Parumque ad rem facit quod actus regulariter viam continet, *ut in d. l. 1.* id enim ita est nisi aliud actum sit. nam si nobis actus sine itinere sit constitutus, eundi facultatem non aliter habemus quàm actus ipsius causa. Vnde est quod sententiâ de itinere latâ actui tamen non præjudicatur. *l. si mater. §. si quis iter. de Except. Rei Iud. vide quæ ponimus latè supra ad l. 1. de Seru. Rust.*

1. 2. 3. 4.

Ad l. & si fortè. 6.

Allegatur suprà *ad l. 5. de Vsufr.*

§. Final.

1. *Dominus prædij quod servitutem debet quatenus reficere prædium possit.*
2. *Quid si ipsum per impositionem ædificij mutetur.*

1. DOminus † prædij quod servitutem debet opere quidem suo meliorem conditionem prædij facere potest, non autem deteriorem, *ut hic l. 12. §. fructuarius. & l. 15. § proprietatis. de Vsfr. fac. l. certo generis. §. si totus. de Seru. Rust.* Reficere tamen sine impedimento potest etiamsi servituti per hoc non prosit, modò ei nec officiat. *ut hic.*
2. *vide quæ nos in l. Divus. sub fin. de Seru. Rust.* Quid ergo si forma † prædij servientis ædificio immutata sit, ut consequenter & servitutis usus sit impeditus, an reficere pristinam cogatur? quæsitum est: & distinctum an absente domino prædij dominantis id factum sit, quo casu opus per hanc actionem & similia remedia everti potest, *ut tot. h. t. & arg. l. Sabinus. §. sed etsi. Comm. Diu.* an verò ædificatum sit domino præsente, quo casu ædificans id quod interest refundet. *arg. l. 4. abeo ait. cum l. seq. & ibi gl. de Aq. & Aq. Pl. Arc.* nisi tamen consensisset, *per d. l. Sabinus. § sed etsi.*

Ad l. sicut 8.

§. Aristo.

1. *An interdicta unde vi & uti possidetis pro retinenda quieta quasi possessione servitutis realis dentur. & num. 2.*
3. *Explicatur hic textus.*
4. *Conciliatur l. 4. § si viam. de Vsucap.*
5. *Inter fructuarium & usuarium an eadem interdicta sint.*

1. DOminus † prædij inferioris fumum in partem superiorem immittere nequit, nisi eius rei gratià constituta servitus sit, perinde de domino partis superioris dicimus, non posse eum aquam sine jure servitutis qualiscunq; eius mittere in partem alterius inferiorē. Quod si contra fiat hæ actiones sunt. quãquam & rectè dicimus, si quis eâ ratione prohibeatur qualiter velit suo uti, locum habere interdictum uti possidetis. *tex. hic.* An id de retinenda possessione
2. † prædij quieta tantum accipiendum sit, quæsitum est, & quidem Accursius hic variat, ut & plerique eum secuti. Ego didici etiam ipsarum servitutum nomine utilia uti possidetis, & unde vi interdicta esse. Quod & Accursius probavit *in l. 4. §. si viam. de Vsucap.* Et verò quia id de usufructuario extra controversiam est, *l. si plures. §. 1 cum l. seq. de Vi & Vi Arm.* per consequens & appositè idem dicitur de servitutibus in rem, *per hunc text. & l. ult. in fine. Quem. Seru.*
3. *Am.* Nam † quod hoc loco dicitur, eum qui prohibetur qualiter velit suo uti, interdictum uti possidetis habere, si tantum de prædijs accipiatur, violentum erit, cùm & servitutes nostras dici extra omnem

nem controversiam sit, *l.3.de Obl.& Ac.* Nec mutat † l.4.§.si viam. de Vsucap. ubi relatum est, possessione viæ nos non dejici, id enim ad propriam possessionem pertinet, ut videlicet doceat ibidem juris author servitutis possessore remoto, non intelligi fundum, nec servitutem etiam vi possessam, & consequenter ut significet, etiam vi dejectum amittere non utendo possessionem posse. Sed hoc ad exercitium interdictorum referri non potest, quippe quo defenditur viæ quasi possessio ut plurimum in facto consistens. Certè illud † constat, inter usuarium etiam & fructuarium illa interdicta esse. *l. ult. infrà*, Vti Poss. quamobrem verò in servitutibus realibus contrarium non sit, pleniùs alibi docemus. *lib.7.Subtil.c.5. ubi vide.* 4. 5.

l. 10.

DE servitutum præscriptione pluribus egimus suprà *in l. servitutes. 14. de Seru.*

Ad l. testatrix. 20.

1. *Qui è duobus prædijs unum legavit, an & quatenus ei vel ab eo servitutem legasse censeatur & num. 2.*
3. *Hæres quàm aliè contra prædium legatum ædificare possit.*
4. *In contractibus quid juris.*

QVi prædium † legat, cui aliud vicinum habet, cum ipse per prædium ire consueverit quod jam legatum est, tacitè hæredibus ad aliud servitutem consensisse censetur. *ut hic fac. l. servum. §. fin. de Leg* 1. Perinde † enim & è diverso legatario via præstanda est. *l. Guarus. de Ser. Vrb. l. 1. §. 1. Si Vsuf. Pet. l. ult. de* Seru. *Vrb.* idque à legatario etiam altero, si fortè prædium per quod ire defunctus solet alteri quoque legatum sit. *l. damnas. §. 1. l. si fundum sub conditione. §. qui fundum. de Leg.* 1. non ut à legatario servitus petatur, sed ab hærede qui eius rei gratiâ cum altero transiget. *d. l. servum. 44. §. fin. de Leg.* 1. Planè quin hæres altiùs ædificare possit modò lumen modicum legatario relinquat, extra controversiam est. *per d. l. Gaurus. & l. is qui binas. de Vsufr.* quia sufficit legatario id præstari sine quo uti non posset. *l. ult. Si Vs. Pet.* De † contractibus quid dicemus? & prope est ut si emptor unius prædij aliter empto uti nequeat, quàm per id quod venditor retinuit, idem quoque in ijs dicamus, *per l. qui pendentem. 25. de Contr. Emp.* ubi vide quæ nos latiùs. 1. 2. 3. 4.

LIBER NONVS.

SI QVADRVPES PAVPERIEM FECISSE DICATVR.

Tit. I.

Ad l. 1.

1. *Quid contineatur hoc edicto.*
2. *Pauperies quæ dicatur.*
3. *Quid juris sit si accedat impulsus alterius.*
4. *Quid si qua noceat inclinatione naturali.*
5. *An domino permissum sit pecus alienum in suo prædio deprehensum includere.*

SI animal † meum pauperiem fecisse dicatur sine culpa mea, 1.
locus huic edicto est. Quo hoc continetur, ut aut noxiam præstem, hoc est damni æstimationem, aut ipsum animal dedam. Licet verò hæc actio origine ex L. Duod. Tabularum procedat, tamen postea & edictis prætorum comprehensa videtur. *ut ex hac l. constat in §. ait Prætor.* Pauperiem autem damnum † dicimus non 2.
injuriâ datum, quia enim quadrupes sensu caret, nec injuriam etiā committit. *ut in §. ait Prætor.* Id tamen quod de pauperie dicimus, ita accipimus si bestia nocuerit commota feritate, *ut hic in §. & generaliter.* Nam † si id impulsu alterius accidat, ex L. Aquiliâ vel in fac- 3.
tum actio est. Quid ergo si quæ bestia alicui naturali inclinatione, † verbi gratiâ pastu, nocuerit? & hoc casu ex L. xii. etiam de pastu 4.
actio fuit, *l. qui servandarum. 14. §. fin. de Præscrip. verb. Cujac. ad Paul. lib. 1. Sent. c. 15.* quæ tamen ex moribus postea in actionem ex L. Aquilia videtur transijsse, *l. ult. C. ad L. Aq.* Sed ita, si fera quoquo modo per tertium sit impulsa. *Bald. in d. l. ult.* C. Quamobrem si non impellente altero bestia pastu noceat, contra dominum in factum actio parata erit, quod eam non custodierit, deficientibus quippe reliquis. *arg. d. l. 14. §. fin. de Præs. Verb.* Includere † tamen do- 5.
mino prædij alienum pecus non licet. *l. Quintus. 39. §. Pomponius.* *Consuetudines de pastu pecorum*
infra. ad L. Aq. Hoc tamen alij vix ita simpliciter admittunt, vide quæ nos *in d. l. 39. §. Pomponius.* Quemadmodum & moribus di-

versatum regionum eâ in re quoque mutatum est, ut de Consuetudine Saxoniæ, annotamus ibidem. *ubi vide.*

§. Cum arietes.

1. *Argumentum textus & quatenus procedat.*
2. *Bartoli doctrina de duobus inter quos violata pax est.*

1. SI bestiæ † inter se commiserint, eius dominus tenetur quæ alteram priùs aggressa est. *ut hic.* Quod si id non appareat, damnum fatale præsumitur, & obligatus censetur neuter. *arg. l. scientiam. §. cum stramenta, infrà ad* L. *Aq.* (Allegatus etiam hic §. est in ijs quæ
2. ponimus suprà de Iust. & Iure. *in l. ut vim.*) Vnde hîc Bartolus † annotat, si duo inter se pacem inierint, idque sub certa pœna, eum teneri qui priùs eam violarit, alterum non item. Quod si id in obscuro sit, neuter in pœnam incidisse censetur, *arg. l. scientiam. §. cum stramenta, Ad* L. *Aq.* cùm & aliàs regulariter mutua delicta inter se compensentur. *l. viro. & l. cum mulier. Sol. Matrim. sequitur Costal. hic post Abbat. in c. 1. de Trenga & Pa.*

§. Plane.

1. *Quid juris si bestia perierit lite non contestatâ.*
2. *Consuetudine huius seculi quid obtineat de jure huius edicti.*

1. SI lite nondum contestatâ bestia perierit, cessat hæc actio. *ut hic.* Quod rationem habet eò quod cessat etiam tum postulatio alternata in noxalibus actionibus consueta, nimirum aut noxam dedere aut damnum datum resarcire. Alterutrum verò petendo plus peteretur causâ. Quid ergo si culpa domini noxa pereat? & hoc casu in factum actio erit, nisi quod accedente dolo cum ea & doli actio
2. concurrat, *l. 7. §. non solum. ubi vide nostra. de Dolo.* Denique † nec illud prætereundum est, Moribus huius seculi noxæ deditionem vix usurpatam esse. Quemadmodum Ordinatione imperij provisum est, ut pauperies facta æstimetur, eamque noxæ dominus ex arbitrio boni viri seu judicis rependat *Ord. Imp. c. 130.* Diversum tamen Iure Saxonico admissum est, nam eodem dominus qui recipit noxam perinde tenetur simpliciter, qui verò eam non recipit, sed pro derelicto habet, non tenetur. *Wesenb. in Comm. huius tit. num. 6.*

Consuetudo huius seculi de iure huius edicti.

Ad l. ex hac lege. 3.

1. *Si bestia libero capiti damnum intulerit quid juris.*
2. *Quid moribus obtineat.*

Si

SI bestia † libero capiti damnum intulerit, perinde hæc actio competit; non quidem quò vel liberum corpus vel damnum ei factum directò æstimetur: sed ut impensarum ratio habeatur, itemque operarum amissarum, quæ & hæredibus parata est. *per hunc tex. fac. Abb. in c. 1. de Injur.* Idemque † & Consuetudine Galliæ admissum est. *Costal. hic.* Qui non ineptè id & ad hominem refert qui sine culpa sua quempiam occidit aut vulneravit. (nam si culpa intervenerit, ex L. Aquilia actio foret; quæ & pœnam prosequitur, *infrà tit. prox.*) Idque ita moribus quoque regionum Belgicæ obtinet, ad quod is qui vulnus inflixerat, officio judicis compellitur.

1.

2.

AD LEGEM AQVILIAM.

TIT. II.

Ad l. 2.

1. *Quis dolus vel quæ culpa demum in hoc edictum veniat.*
2. *Quæ ratio diversitatis sit inter primum caput & posterius.*
3. *Cautela in actione ex hoc edicto instituenda.*

ACtione † Legis Aquiliæ tam culpa quàm dolus vindicatur. Culpam verò etiam levissimam intelligimus, *l. 44. infrà. & nos in l. si servus servum. §. fornicarius. infrà eod.* Illud quæsitum est, quamobrem † priori capite huius legis æstimatio fiat, quanti animal toto anno eodem plurimi fuerit, *ut hic.* tertio verò quanti demum diebus triginta proximis, *l. si servus. 27. §. tertio. 5. infrà eod.* & receptum est ex Azonis sententia, causam fore hanc, quòd gravius in illo damnum versatur quàm in hoc, *gl. hic. Azo in Summ. C. eod.* Hanc autem differentiam advocatos plerumque præterire Sichardus queritur *in rub. C. eod. num. 13. & seq.* Pro cautela verò in † huius actionis postulatione traditum est, ut in libello tempus damni dati exprimatur. *Sichar post Aret. in d. rubr. num. 15.* retro enim ab illo tempore annus & 30. dies computandi sunt. Ceterùm si id omissum sit, libellum tamen non ob hoc statim vitiari dicemus, *arg. l. 1. & 2. C. de Form. & Imp. Subl. Bart. in §. ex maleficijs. Inst. de Act.*

1.

2.

3.

5. Et

§. Et infra.

1. *Ex hac lege quæ partes judicis sint in confitentem delictum.*

2. *Quæ in negantem. & num. 3.*

4. *Idem juris est si ipsa facti qualitas negetur.*

5. *An judex reum inficiantem in duplum damnare queat si id postulatum non sit.*

6. *Ius Saxoniæ.*

1. IN confitentem † delictum nullæ judicis partes sunt quàm damni æstimandi ex dispositione huius legis. *l. proinde. §. fin. infra eod.*
2. In † negantem verò dupli actio est. *tex. hic. & l. contra negantem. C. eod.* Idque in hac † actione generale est, & ad tertium quoque ca-
3. put pertinet. *l. Inde Neratius. 23. §. hac actio. 10. infrà. eod.* Denique & Sichardus † idem esse putat, si ipsa facti qualitas huic actioni
4. causam tribuens, negetur; eaque dein' probetur. *Sichar. in l. 4. C.*
5. *eod*, quod magis est. Quid ergo † si actor duplum non postulet, an judex ratione officij condemnare nihilominus in id debeat reum, quæsitum est. Dubium movet, quod incrementum pœnæ ex ipsa actionis natura procedit, *ut hic.* Propè tamen est, quia sententiam libello conformem esse oportet, *l. ult. C. de Fideicomm. Lib. l.* 18. *Com. Diu.* in dubio quod minimum uti benignius tenendum, *arg. l. in ambigua. de LL.* Idque ex eo constat quod actio in duplum demum post infitiationem parata videtur. *ut hic.* Vnde probabiliùs dicimus actorem tacitè quoque juris beneficio huic renunciare posse, nec aliter reum condemnandum in duplum, quàm si id postuletur. *per*
6. *d. l. ult. C. fac. Bal. Salic. Sichar. in d. l. 4. C. eod.* Denique † Iure Saxoniæ constitutum est, non ut quanti plurimi res anno præterito fuit, condemnatio ob damnum injuriæ fiat, sed in æstimationem rei cujusque veram, de qua si non constet propalam, nec etiam res talis sit ut publicè eius æstimatio constituta sit, eadem juramento eius qui damnum passus est, finietur. *arg. l. si quando. C. Vnde Vi. Schneid. ad §. cap. 3. num. 9. Inst. ad L. Aq.*

Ad l. 4.

FVr nocturnus aut diurnus, an & quatenus occidi queat impunè vel minùs, infrà explicamus suo loco. *in l. furem. 9. Ad L. Corn. de Sicar.* Quatenus verò invasor alius, docemus infrà in l. proxima. num. 6.

Ad

Ad l. sed etsi. 5.

1. *Ferro petitus qui se aliter defendere nequit an hac actione teneatur.*

2. *De moderamine inculpatæ tutelæ, & quæ ad illud requirantur. & num 3.*

4. *An etiam requiratur paritas armorum.*

5. *An defendendarum rerum gratiâ defensio etiam cum modo facienda.*

6. *An invasor bonorum occidi possit impunè.*

7. *An qui se fugâ consulere potuit excusationem inculpatæ tutelæ habeat.*

8. *Bartolus malè vindictam admittit.*

9. *Quomodo judici providendum sit contra vim.*

10. *Quæ probatio ad docendam moderationem inculpatæ tutelæ requiratur.*

FErro † petitus qui se aliter tueri nequit, alterumque læsit, hac a- 1
ctione non tenetur; si se aliter tueri potuit, culpæ reus est. *tex. hic.*
vim enim vi repellere licet, *l. scientiam. 45. §. qui cum aliter. infrà eod.*
& quod quisque ob corporis sui tutelam facit, jure quoque naturæ
facere censetur, *l. ut vim. de Iust. & Iure. vide tex. in l. 1. & 2. C. Quan.*
Lic. Se Sine Iud. Vin. Modum † tamen in ea re considerandum ma- 2
gis dicimus, eumque moderamen inculpatæ tutelæ dicunt. *tex. in*
l. 1. C. Vnde Vi. DD. in d. l. ut vim. Id verò tam in cedẽdo simpliciùs,
quàm in occidendo requirimus, nam ne quidem vindictæ causâ
repercutere simpliciter licet, *d. l. 45. §. pen. infrà.* Moderamen † verò 3
illud ut ab homicidij pœna excuset, tria requirit. Quorum primum
est ut repercussio facta sit in continenti. *l. 3. §. cum igitur. de Vi & Vi*
Arm. Alterum, ut non sit alius modus adversarium constringendi;
idque potissimùm ita est in cede commissa defendendo. nam si quis
adversarium apprehendere potens, occidere malit, id injuriâ faciet.
per hunc text. Vnde & tertium resultat; ipsam nimirum læsionem
non tam in vindictam aut ultionem quàm defensionem factam *l.*
scientia. 45. §. pen. infrà eod. tex. & gl. in l. 1. C. Vnde Vi. An † verò pa- 4
ritas armorum in defendendo requiratur, Accursius quærit, *in d. l. 1.*
sed ex juris ratione non definit, ego Saliceti sententiam probem,
& paritatem eam non requiri. nam quia defensio hæc juris natura-
lis est, & non nisi in casu summæ necessitatis admissa, benigne dici-

mus quocunque eam teli genere permitti. *fac.tex.in d.l.3.* C. *ad L. Corn. de Sicar. sal. in d.l.* 1. Sed hoc ita temperandum est, ne pugnum contrahentem mox gladio aut hastâ liceat ferire. *fac. Castr. Iaf. Zas. in d.l.*1. C. *Unde Vi.* nisi fortè aggressor multò fortior sit. *Bart. in a.l* 1. Proinde hæc res ferè prudentiæ judicis permittendà est. Quod Cino & Baldo quoque visum est. *Cin. & Bal. in d. l.* 1. *dum conditionem personarum & circumstantiarum in his rebus considerari perhibent.* Illud constat, † causa etiam tutandi res nostras defensionem cum moderamine adhibendam. *l. si ex plagis. §. tabernarius. inf. eod. tex in d. l.*1. C. *Unde Vi.* adeo etiã ut vi dejectus alterum in continenti denuo vi dejicere possit. *l.3.§.eum.* Unde Vi. in continenti inquam, quia tum res pro defensione habetur, ideoque hoc casu solus de violentia puniendus aggressor primus erit, & quod ad alterum attinet, dolo cum dolum intelligimus compensari; quod tamen non ita erit si possessor dejectus ex intervallo alterum depulerit. *rectè Bart. in d.l.*1 *sub fin.* C. *Unde Vi. Cujac.* 5. *Obs.*18. Illud † quæritur, An non defendendæ substantiæ suæ causa liceat invasorem occidere; quod Accursio visum est. *gl. in d.l. ut vim. verb. nam iure de Iust. & Iure. Bart. ibid. num.*6. *Ias num.*23. *& alij communiter.* Idque ex eo textu evincunt, *& d.l.*1. C. *Unde Vi. l.3.§. eum igitur. De Vi & Vi Arm. junc. tex. in l.*1. C. *Quan. Lic. Se Sine Iud. Vind.* Sed hoc Canonistæ nonnulli improbant, *Joan. de Anan in c.*2. *de Homicid. quem seq. Garz. Hisp. in d.l. ut vim. de Iust. & Iure.* & ut jure civili id admissum sit, Canonibus tamen vetitum perhibent, *per c.* 2. *de Homicid. c. si perfodiens. eod tit. Felin. in c.*2. *num* 4. *vers. sed in quãtum. de Homicid.* Ego didici Ius Canonicum re ipsa in proposito à jure nostro non differre. Nam nec Iure Civili aliter pro defensione rerum occidere licebit, quàm si defensio cum periculo defensoris fiat. *l. Furem. Ad L. Corn. de Sic.* unde & in ea, tutela moderata requiritur. *d.l.*1. C. *Unde Vi.* nec Iure Canonico etiam aliter, *tex. in d. c.*2. *de Homicid. verb. te tuaque.* Non mutat ex jure nostro l. si ex plagis. §. 1. infrà eod. quia ibi agitur de lucerna quæ est res vilis, ut merito ob eam cedere non permittatur, neque etiam ex Iure Canonico c. suscepimus. de *Homicid.* quoniam de eo idem judicium est. Tractemus an is qui † sibi fuga consulere potuit, necessariò fugere teneatur, & rectè dicimus propter periculum lapsus vel celerioris insecutionis fugam non esse necessariam, *Bart. in l.*1. *num.*8. C. *Unde Vi. Wesenb. Cons.*19. *num.*17. *Vasq.*1. *Ill. Controu. c.*18. quod quidem benignius est. Non mutat textus in d. §. 1. Inst. ad L. Aq. quia ibi effugere effectum evasionis designat, non etiam fugiendi actum, ut puta si evadere potens id non fecit, res vindictam sapiat, si verò id cum periculo mixtum fuerit, contrarium servetur, *Wesenb. in d.* §. 2. Minùs vero ad rem facit quod dicimus, culpam committere qui

dum potest prohibere non prohibet, *l. culpa. 50. de Reg. Iur.* quia propter præsens periculum prohibere defensorem non potuisse putandum est. Illud Bartolo non consenserim † quod homini potentiori etiam complures menses tribuit ad parandum arma, quibus invasorem denuo possessione abigat. *Bart. in l. 3. §. eum infra. Vnde Vi.* namque id ut nusquam relatum est, ita nec in praxi sequimur, & plerisque adeo improbatum est, cùm in propriam vindictam cadat. *tex. &* DD. *in d. l. 3. §. eum.* Cuiac. *5. Obs. 18. Bart. sibi ipsi contrarius. in d. l. 1.* C. Iudex itaque † summario potius judicio rem finiet, & finitam confestim exsequetur, etiamsi aggressor appellaret. *l. un. C. Si de Mom. Poss.* Quod si tamen prospicere periculo armorum difficilius queat, aliud consilium capiet pro re nata. *vide quæ nos latè suprà in l si cuius. 13. §. si inter duos fructuarios. de Vsufr.* Denique si quis non ex moderatione inculpatæ tutelæ quæ in necessariam defensionem cadat, interea tamen deliquerit ex justo dolore, ordinaria quidem pœna mitigatur, reus tamen non protinus absolvitur. *tex. in l. si adulterium. §. imperator. Ad L. Iul. de Adult.* Illud † quæritur an oporteat probari cedem commissam in necessariam defensionem, quod Baldo visum est, *in l. 1. C. de confess. col. 13. vers. item tu assessor, & Felin. in c. significasti. col. 5. de Homicid. Gail. de Pa Publ. lib. 1. num. 3. & 4.* an verò sufficiat doceri eam factam esse in defensionem sine additione necessitatis, quòd Iason autumat, *in l. ut vim. n. 3. Decius ibid. num. 17. de Iust. & Iure.* eò quod defensio juris naturalis sit, *tex. in d. l. ut vim cum sim.* Sed rectè dicimus dissidium hoc nullius momenti esse, cum defensio in proposito non intelligatur, nisi quæ ex necessitate contingat, quod defensio hic demum ea accipiatur quæ in moderatam tutelam cadat, suprà latiùs descriptam. *eleganter ut multa Fachin. lib. 1. Controv. c. 30.*

8.

9.

10.

§. 1.

Legis Aquiliæ actio quandoque cum actione injuriarum concurrit: tendunt tamen utraque in diversos fines, ita nimirum ut altera damnum, altera cõtumeliam persequatur. *ut hic.* Sic & servo dolo malo occiso ex L. Cor. de sicariis dominus agere potest, *l. inde. 23. §. si dolo. inf. eod. & l. 1. §. 1. infra. Ad* L. *Corn. de Sicar. & §. & liberum. Inst. eod* Ceterum quatenus alteræ alteras consumant infra tractabimus, *in l. is qui. 18. de Obl. & Act. & in l. 2. infra. de Priv. Del.*

Ad l. qua actione. 7. §. proinde.

Notum est propriâ ratione eum cuius impulsu damnum datum est, hac actione non teneri. *ut hic.* Datur tamen contra eundem actio in factum actioni Legis Aquiliæ subsidiaria. *ut hic & §. fin. Inst. eod.* Quod igitur ei actionem Aquiliæ negamus, de directa accipiendum est, namque utili eum quoque teneri qui impulit, hodie expeditum est, *l. si ex plagis. 52. §. in clivo. 2. h. t.* quæ cum prætoriam

factum concurrit, adeoque ferè eadem est, *l. item. Mela. 11. §. 1. infrà eod.* Certè jam pridem nomine Legis Aquiliæ actionis venit. *l. liber homo. 37. in princ. l. si ex plagis. 52. §. in clivo. infrà eod.* idque eò quòd eadem forte & edicto quod de Actione ex Lege Aquilia proponi consuevit, contenta fuit. *vide Subtil. nostras. l. 2. c. 6.* An verò ea quoque in factum pœnalis sit & ex inficiatione crescat, quæri potest, & ego puto referre utrum utili Legis Aquiliæ nomine procedatur, quo casu idem jus quod in directa admittimus, an verò simplici in factum quo casu ei benigniùs nihil tribuimus præter id quod interest, nam & aliàs in dubio quod minimum sequimur. *per vulg.*

Ad l. item Mela. 11.

§. 1.

Relatus in ijs est quæ posuimus ad l. 7. §. proinde. suprà eod.

§. Sed si plures. & §. Celsus.

1. Si plures servum percusserint utrum omnes teneantur & quatenus. & num. 2. 3. 4.

5. An si cum uno actum sit liberentur ceteri.

6. Quibus casibus id fallat. & num. 7. 8. 9.

10. Quid juris sit si unus deliquerit in plures.

11. Quid juris si in servum aut bona plurium delictum sit.

12. Explicatur §. Celsus. in hac l.

13. Conciliatur l. ita vulneratus. infrà eod.

14. Quid si quis non mortifere sit vulneratus, & postea nihilominus moriatur.

1 SI plures servum † percusserint utrum omnes quasi occiderint, teneantur quæsitum est, & quidem si constet cuius ictu perierit, eum solum de cede teneri dicemus, sin minùs, tenentur omnes. *ut*
2 *hic & in l. ita vulneratus. 51. infrà eod.* Idem † ferè est in actione arborum furtim cæsarum, *l. si plures. infra illo tit.* itemque in actione quòd metus causâ, *l. si cum exceptione. §. fin. supra. Quod Met. Caus.*
3 Planè † si duo inter se concurrerint, & mutuo damno affecerint, unusque perierit, si non constet à quo primus impetus inceperit, vel non constet etiam de culpa alterutrius, ne superstes quidem tenetur.

netur. *l. scientiam 45. §. cum stramenta. Ad L. Aq.* Ceterùm † quod 4.
dicimus omnes teneri, si plurium aggressu homo peremptus sit, ita intelligo, ut si constet cuius vulnere perierit, etiamsi reliqui eum letali ictu jam antè vulneraverint, tamen is qui eum occidit teneatur solus de cede, reliqui verò de vulnere solo, *ut in §. Celsus. 1. infrà in hac ead. l.*

Vers. Etsi † cum uno agatur, ceteri non liberantur. 5.
nam ex L. Aq. quod alius praestitit, alium non liberat, cum sit pœna.) Bona ratio inquit Accursius, rectè. In pœnis enim solutio unius alterum non liberat, *per hunc text. & l. adeo suprà de Iurisdict. fac. l. ult. supra. Ne Quis Eum Qui In Ius Voc. Vi Exim.* Hoc † ita nisi pœna 6.
æstimetur ex sola persona rei conventi. nam si actor id quod sua interest prosequatur, nihil refert quod ex parte reorum id ipsum pœnale sit, cum solutio eius ab uno facta liberet reliquos, *exemplum est in l. 1. §. fin. ubi gl. & DD. supra. De Eo Per Quem Fac. Er. l. 1. C. de Condic. Furt.* Secundò † id non obtinet quando pœna non ex de- 7.
licto proprio, sed tantùm ex quasi delicto procedit. *l. 3. De His Qui Dejec. Vel Effud. l. licet. in fine. sup. Nau. Caup. Stab.* Tertiò † id non 8.
obtinet in publicanis qui plures numero vectigal illicitum exegerunt: namque horum singuli tantùm ad partem dupli tenentur, nisi fortè ab aliquibus nequeat præstari. *l. multi. infra. de Publ. & Vect.* Quartò † nec in familia quæ furtum commisit, vel alias damnum 9.
fecit, quia ea quoque in his tota unius loco est, *l. illud. 32. infra eod. l. 10. supra de Jurisdict.* Denique in actionibus ex contractu & alijs rei persecutorijs, certum est unius solutione reliquos reos liberari. *l. si plures, 17. de Dolo. Costal. hic.* Quid † ergo si unus deliquerit in 10.
plures? & recte dicimus è diverso quoque singulos actionem habere. *arg. huius text. vide etiam tex. in l. cum qui. §. si nupta. infra. de Injur.* Si tamen † in rem vel in servum plurium delictum sit, plures u- 11.
nius sunt loco, ita nimirum ut singuli prosequantur suas portiones. *L. item. 15. §. fin. cum l. seq. de Injur. Bart. in l. 3. §. si ad plures. de Sepul. Viol.*

§. Celsus scribit.) Si quem † alius mortifero vulnere percusserit, 12.
alius postea exanimaverit, posterior solus de cede tenetur, licet prior quoque de vulnere teneatur. Nec mutat † l. ita vulneratus. 13.
infrà eod. quia ea procedit cum certum est cesum ex priori quoque vulnere fuisse moriturum, hæc verò si ab incertiori eventu mors sequi posset. Quando verò alterutrum obtineat, cognitioni medicorum relinquendum est. *c. significasti. de Homicid. Clem. Gail. 2. Obs. 111.* Planè † si quidem servus vulneratus sit, non tamen mor- 14.
tiferè, negligentia autem perierit postea, tametsi de vulnerato teneatur, non tamen tenebitur de *occiso l. qui occidit. 30. §. fin. infra eod.*

§. Item cum eo.

Opponitur l.& eleganter.§.si quadrupes, suprà de Dolo. solvi ibidem.

Ad l. liber homo. 13.

1. *Homo liber læsi corporis causâ utilem demum hanc actionem habet.*

2. *In lege Cornelia diversum.*

3. *Corpus ne an damnum æstimetur. & num.5.*

4. *Filij subrepti nomine quæ actiones sint.*

1. ELegantet † Vlpianus refert, hominem liberum læsi corporis causâ non directam, sed utilem demum legis Aquiliæ actionem
2. habere.*ut hic.*Hoc †tamen in Lege Cornelia non ita est,quippe quæ vel maximè hominis liberi gratià lata est. *l.1.§.1.Ad L.Con.de Sic.*
3. Denique utili actione hac † non corporis sed damni æstimatio fiet. Perinde nimirum ut pater filij vulnerati nomine in idem agit, *l. 6. & l.7.suprà eod.* Ego enim existimo,nec filij ingenui nomine directam hanc actionem esse, eò quòd lex disertam servi servæve men-
4. tionem facit,*l.2.suprà eod.* Qua † pura ratione nec filij subrepti nomine furti condictio competit,*l.38.§.1.de Furt.* quippe quæ & ipsa demum ijs tribuitur qui veri domini sunt. *l.1.de Condict. Furt.* Tametsi patri saltem furti actio sit,*l eum qui 14.§.si filius. de Furt.* non etiam matri *d.l.38.in princ.* Nam & pater filium ex jure Quiritium
5. vindicare potest.*l.1.§.pen. de Rei Vind.* Illud † quæsitum scio, An furti actione operæ tantùm,an& quanti ipse homo sit,æstimandum sit? & verum est operas simpliciter æstimari, cùm quia liberi corporis æstimatio non est. *ut hic.* tum quia in dubio quod minimum sequimur. *jur.vulg.* idque etiam Cujacius probavit,*lib.21.Obs.20.*

Ad l, sed etsi. 18.

DE concursu actionum vide quæ ponimus latè infrà *in l.si is qui, de Ob.& Act.*

Ad l. inde Neratius. 23.

§. Final.

1. *Qui fassus hominem à se occisum auditur, si paratus sit probare eum superstitem esse.*

2 *Expli-*

2. *Explicatio huius textus. & num. 3. & 4.*
5. *Quid juris sit, si fassus quidem reus delictum sit, de delicto tamen aliunde non constet.*

SI quis † hominem à se occisum confiteatur falsò, & postea para- 1.
tus sit ostendere hominem vivum esse, cessat Aquilia. *ut hic.* Cum
confessio hæc per rerum naturam non subsistat, eoque rata non sit.
l. si is. in fine. de Interrog. Act. Denique † hæc verba à glossa & om- 2.
nibus hoc loco plerumque obscuriùs accepta sunt: *Hoc enim solùm
remittere actori confessoriam actionem, ne necesse habeat docere eum oc-
cidisse.* Remittere enim hic designat idem quod permittere, ut sen-
sus sit, actionem confessoriam (id est, actionem L. Aquiliæ ex con-
fessione ortam) permittere id tantùm actori, ut à probatione delicti
relevetur. Et quidem sinistra acceptio eorum multum obscuritatis
attulit, quæ hac ratione commodè sublata est. Nam & † vice versa 3.
juris authoribus permittere pro remittere acceptum est, *ut in l. 3.
de Pub. Jud.* Rursus postrema huius textus verba obscuriùs intelle-
cta sunt: *Ceterùm occisum esse hominem à quocunque oportet,* id verò
perinde est ac si dicas, ut Legis Aq. actio sit, occisum hominem re ip-
sâ à quocunque esse oportet. Itaque relevat † confessio ea actorem 4.
quidem ab onere probandi, sed reus intentionem contrariam nihi-
lominus probare potest. Quid tamen † si reus contrarium non do- 5.
ceat, nec constet tamen aliàs de veritate delicti, an confessus puni-
endus sit? quæsitum est: & quidem Alexandro videtur, nihilominus
eum condemnandum. *Alex. lib. 7. Cons. 19. Ruin. lib. 4. Consil. 80.*
movet eos quòd sine distinctione cautum est, confitentem delictum
condemnandum esse, *l. qui sententiam. C. de Pœn. & l. servos. C. Ad
L. Iul. de Vi. l. si quis in hoc genus. C. de Episc. & Cler. & l. inter pœnas.
de Interd. & Releg.* Denique & ex eo, quod hîc refertur, non esse
damnandum eum qui falsus delictum postea paratus sit docere, ho-
minem etiamnum superesse: argui queat, si id non probet eum non
audiendum. Contrarium tamen plerisque visum est, *Mins. Cent. 3.
Obs. 81. Boër. 172. par. 1. ubi vide. communem dicit Clarus in §. fin.
Quæst. 55. vers. Potest etiam.* Atque id sæpius in jure nostro disertè
relatum est, *l. 1. §. Divus. de Quæst. l. 1. §. item illud. Ad Sillan. & hîc
in verb. Ceterùm occisum hominem à quocunque oportet. & l. 4. verb. Si
tamen occisus sit homo. de Confess.* Nec mutant quæ ab alijs in contra-
rium allegata sunt, quia ea juris capita ex ceteris interpretationem
admittunt, puta ut confessum ita condemnatio sequatur, si & aliun-
dè constet de delicto. Quod & subjunctio huius textus palam ar-
guit. *in verb. postremis.*

Ad

Ad l. si servus. 27.

§. si fornicarius. & §. proculus.

1. *Inquilini quatenus teneantur ob culpam levissimam incendij causâ commissam remissive.*

2. *An actio legis Aq. detur ob culpam levissimam in omittendo.*

1. QVatenus † inquilini ob incendium teneantur nomine culpæ levissimæ, vel quæ præsumptio contra eos sit tanquam incendij authores vel minùs, pluribus explicamus infrà *in l. si vendita*. 11. *de Per. & Com. Rei Vend.* ubi vide.

2. Quæsitum † verò occasione huius textus est, An etiam actio ex L. Aquilia detur ob culpam levissimam in omittendo commissam; cùm puta tertius fortè culpâ suâ damni author esset, & qui convenitur, rem vix satis accuratè custodijsset. Dubium movet, quod lex Aquilia regulariter factum hominis requirit, quod in omissionis culpam vix cadit. §. *tertio capite. Inst. eod. infra eod.* receptum tamen est, etiam ob eam utilem hanc actionem esse, *ut hic. & l. quemadmodum*. 29. §. *si navis inf. eod junc. l. in lege*. 44. *infra eod.* Ac tametsi Afflictus id ipsum disputarit. *Decis*. 57. *num*. 8. *post Alex. in l. domos hæreditarias. de Leg*. 1. *& plures alios ibidem allegatos* rectè tamen dicimus, sententiam eorum omnium de actione directa accipiendam, non etiam de utili quæ interdum cum actione in factum subsidiariâ in idem recidit. *de qua nos in l*. 7. §. *proinde. supra eod.*

Ad l. quemadmodum. 29.

§. SI navis.) Si navis tua in meam impacta eidem damnum intulerit, videndum est num hoc præcaveri potuerit an minùs. Vt priori quidem casu ex L. A. agi queat in eum cuius culpa effectum est ut damnum non præcaveretur, posteriori verò cùm id præcaveri non posset, seu aliàs sine culpa nautarum fune casu fortuito rupto aut soluto in aliam impacta esset, nulla actio sit, *ut hic.*

Ad l. qui occidit. 30.

PRincipium huius legis argumento est, quod justo dolore incitatus ordinariâ pœna homicidij non teneatur quod alibi latiùs explicamus, *in l*. 1. §. *fin. Ad L. Corn. de Sicar.*

§. Final.

§. Final.

QVatenus quis de occiso aut vulnerato teneatur, pluribus suprà explicamus. *ad l. item Mela.* 11. *§. Celsus scribit eod.*

Ad l. liber homo. 37.

1. *Qui jussus à superiore alteri damnum intulit, an teneatur hac actione & num.* 2.

3. *Conciliatur l. non videntur. § qui jussu. de Reg. Iur.*

4. *Qui exsequitur mandatum judicis iniquum, an in foro conscientiæ tutus sit.*

5. *An teneatur homicidij qui vulnerari mandavit, ita ne tamen occideretur.*

HOc textu evincitur eum qui alterius imperio subest, si jussu illius alium læserit, non eum sed mandantem magistratum teneri, *ut hic.* Quod in † delictis atrocioribus non ita est, cum ne servus quidem in atrocioribus domino obtemperet impunè. *l. servus.* 20. *de Obl. & Act. junc. l. ad ea. de Reg. Iur. tex. in c. quod quis. de Reg. Iur. in* 6 Itaque in his utrumque teneri magis dicimus. Nec mutat † quod alibi relatum est, eum qui quid jussu judicis agit, videri carere dolo. *l. non videntur. §. qui jussu. de Reg. Iur.* id enim toties ita est quoties judex quid tanquam judex seu officij ratione jubet, tum enim decretum quoque eius iniquum pro jure habetur. *ut in l. pen. de Iust. & Iure.* non etiam si quid decernat præter officij modum; quia tum ei impunè non paretur, adeoque interdum resisti potest. *l. omnes. C. de Decur.* Vnde † apud Capycium tractatum est, an is qui exsequitur mandatum judicis iniquum, in foro conscientiæ tutus sit? & rectè dicimus, id ex animo exsequentis metiendum, ut si iniquum se operari sciat & contra jus manifestum, oneretur peccato, sin minùs, non item. *Anton. Capic decis.* 131. *per tot. in nov. Neap.* Sed quæri † potest, an is mandator teneatur homicidij, qui hominem vulnerari mandavit, cum tamen disertè vetuisset ne occideretur; & eum homicidij pœna non teneri multis visum est. *Anton. Rossellus, Francis. de Cap. & alij allegati à Bartol. Veronensi, in Consil. Crim.* 35. 36. & 37. *seq. Dec. Cons.* 482. Movet eos quod l. Cornelia præsupponit animum occidendi. *l. Divus. eod. isto tit.* Quando enim mandans occidi, tantum in culpa est, probabiliùs videtur, eum ex ea lege quæ dolum requirit, non teneri. *l. in L. Cornelia. D. eod.* Sed contrarium ipse Veronensis statuit. *consil.* 34 *sequitur Menoch. de Arb. Iud.*

casu. 352. *num.* 2. Eiusque sententiæ argumentum est, quod dicimus, nihil interesse utrum quis occidat, an mortis præbeat causam. *l. nihil interest. d. t. ad L. Corn.* Accedit quòd is qui amatorium poculum porrexit, unde mors dein' secuta est, summo supplicio afficitur, *l. si quis aliquid. §. qui abortionis. de Pœn.* Ego existimo jus ex facto pendere, ut si mandatum vulneris tale sit, ut ostendat voluntatem etiam in homicidium devenire, posterior sententia obtineat, alias verò sententia prior. Idque & Covarruviæ visum est. *Covarr. in clem si furiosus de Homicid. in 2. par. §. 1. num. 3.* Nec obstat quod de poculo amatorio dictum est: namque id ob pravitatem exempli relatum est, nec tamen in eo pœna Legis Corneliæ locum habebit. *Cujac. 5. Sent. Pauli. tit. 23. §. qui abortionis.*

Ad l. Quintus. 39. §. Pomponius.

1. *Alienum pecus in agro nostro deprehensum an & quatenus includere liceat, vel minùs. & num. 2. & 3.*
4. *Consuetudo Saxoniæ & Transisulaniæ in hac re.*
5. *De rebus inanimatis in fundo nostro inventis quid juris.*

1. Alienum † pecus in agro meo deprehensum nec agere mihi licet aliter quàm meum, nec includere licet ullo modo. *tex. hic.* sunt enim hoc nomine actiones propriæ proditæ, *vide omnino suprà*
2. *in l. 1. Si Quadrup. Paup. Fec. Dic. ubi tractavi latiùs.* Planè † quin id ipsum custodire liceat donec de domino constet, negabit nemo. rectiùs enim id quoque piè fieri posse dicimus. *Bal in l. 1. de Ser. Fug.*
3. Sed ita ut interim tractetur velut proprium, *per hunc text.* Pro † impensis igitur ac damnis, jure civili saltem non retinebitur. Contra-
4. rium † tamen Jure Saxoniæ obtinuit, *Lantr. lib. 2. c. 47. & 48.* Quod hactenus & in Transisulania sequimur. Proinde pecus in nostris pratis deprehensum, ad evitandos sumptus confestim dominus redimere potest, refuso scilicet sumptu jam facto; pro damno dato transactione factâ ex arbitrio boni viri vel præstita hoc nomine
5. cautione. *Wesenb. suprà in tit. prox. num. 6.* Denique † res inanimatæ vi fluminis vel quo alio casu in prædium meum delatæ, civili quoque jure retineri queùt; donec puta de damno tam præterito quàm futuro caveatur. *l. hoc amplius. 9. §. 2. de Dam. Inf. l. ratis, 8. de In- cen. l. 5. §. 4. Ad Exhib.*

Ad

Ad l. qui tabulas. 42.

SI quis tabulas testamenti, apud se depositas, ita corruperit ut legi non possint, ex L. Aquilia, depositi, vel ad exhibendum tenetur. Nec mutat l. qui tabulas. 35. suprà de Dolo, ubi eo casu de dolo actio datur, quia ea procedit in diversa specie, ut docui ibidem.

Ad l. in lege. 44.

IN lege Aquilia venit etiam culpa levissima, *ut hic.* quod an perinde de culpa in omittendo dicendum sit supra tractamus. *in l. si servus. §. si fornicarius. eod.*

Ad l. scientiam. 45.

§. CVm stramenta.) Hic §. refertur in ijs quæ ponimus *ad l. item Mela. §. si plures supra eod.*

§. Qui cum aliter,) Quæ ad defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ pertinent, pluribus prosecuti sumus suprà, *in l. 5. eod.*

Ad l. si quis fumo. 49.

§. 1.)

1. Sine culpa Legis Aquiliæ actio cessat.

2. Aedificium dirutum sistendi incendij causa, an communi vicinorum sumptu reparandum & num. 3. & 4.

5. An inhabitantis culpa incendium ortum præsumatur, remissivè.

VT † Legis Aquiliæ actio etiam ob culpam levissimam datur, ita 1.
si culpa nulla subsit, cessat eadem penitus, ut si quis alienas ædes sistendi incendij causa demoliatur. *per hunc tex. & l. quo naufragium. 3. §. quod ait Prætor. 7. in fine. de Incen. Ruina Naufr.* Planè si ton viciniæ periculum ab incendio † imminuerit, benigniùs dici- 2.
mus ædificium dirutum communibus sumptibus vicinorum reparandum, *arg. l. 1. & 2. ad L. Rhod. de Iac. ubi gl & Bal. Andr. Gail. lib. 2. Obs. 22. num. 4.* Sed Bartolus autumat, † ædificium incendio pro- 3.
ximum damno solius domini disijci, *per tex in l. si alius 7. §. est & alia. ubi Bart. Quod Vi Aut Clam.* quod quidem stricto jure receptum est, *per hunc tex. & d. l. si alius. §. est & alia.* prior tamen sententia benignè admitti potest. *per d. l. 1. & 2.* Nec † obstat hic *text. & d. §.* 4.
est & alia. quia eæ id tantùm definiunt, non teneri Lege Aquilia eum qui justo periculi metu ædificium alterius disiecerit.

Denique nec de damno † incendij teneri habitantem in ædibus ubi id ortum est, dicimus; nisi quæ fortè culpa eius argui queat, *l pen. de Incen.* Quatenus verò culpa ipsius incendium accidisse præsumatur vel minùs, pluribus explicamus infrà, *in l. si vendita. 11. de Per. & Comm. Rei Vend.*

Ad l. ita vulneratus. 51.

VTrum si cæsus ex primo aut secundo vulnere mortuus sit, alteruter vel uterque ob vulneratum aut occisum teneatur, latiùs suprà explicamus, *in l. item Mela. §. Celsus scribit eod.* ubi hæc quoque explicata est.

DE HIS QVI DEIECERINT VEL EFFVDERINT.

Tit. III.

Ad l. 5.

5. SI id quod positum.] Vidè de hoc textu quæ nos in lib. 6. Subtil. c. 16. in edit. 2.

DE NOXALIBVS ACTIONIBVS.

Tit. IV.

l. Bona fide. 11.

PErtinet ad ea quæ ponimus infrà *in l. & generaliter. 28. eod. tit. & in l. 3. de Publ. in Rem Act. & l. 7. ibidem.*

Ad l. & generaliter. 28.

1. *Species huius legis singularis.*
2. *An ex specie huius legis possidens fructus suos faciat si habeat conscientiam rei alienæ. & num. 3.*
4. *Ius Canon. an hic diversum.*

Satis

SAtis singulare † est, quod hîc refertur, etiam contra dominum vindicantem servum suum; à possessore cui is ex noxali judicio addictus est, repelli per exceptionem doli mali; adeoque etiam contra dominum vindicantem Publicianam ex eiusmodi causa efficacem esse. *ut hic & l. bonâ fide. suprà. eod.* Eoque & usucapturum quamvis sciens possideat alienum: *ut hic.* namque in adjucationibus ex communi dividundo aut familiæ erciscundæ judicio, cùm in hæreditate nonnullæ res alienæ deprehensæ essent, non idem foret. Regulariter enim Publicianæ rei vindicatio præfertur. *vide suprà de Public. In Rem. l. penult.* Denique tametsi aliàs qui in mala fide constituitur † fructus suos non faciat; etiamsi ab initio bona possideat fide. *l. qui bona. 23. §. 1. l. bonæ fidei. 28. §. 1. de Acq. Rer. Dom.* tamen in proposito contrarium dicendum est propter justitiam possessionis; idque ex eadem ratione quod domini jus hoc casu juri possessoris postponatur. *ut hic.* Unde † tractari potest, An fundo feudali per justum facti errorem tanquam allodiali distracto, & in ipsa distractione dominus feudi protestatus esset, cum teneri à se beneficiario jure; eoque non obstante ordinarius vendi fundum permiserit; an inquam retractata distractione; fructus etiam restituendi sint? & responsum est, non restituendos. Ratio est quod in proposita quæstione possessio justa censetur, etiamsi ab initio mala fides adfuerit. *ut hic. junc. l. justè. de Acq. Poss.* Et hoc ego in praxi obtinui advocatus Rhede contra Mansfelt. Planè quod Costalius hoc loco annotat; nec jure † Canonico ex adjudicatione in specie huius legis usucapionem esse; cum eo jure malæ fidei possessor omnino non præscribat, *per c. ult. de Præscrip. c. possessor. de Reg. Iur. in 6.* id mihi veresimile non fit; cum causa possessoris hæc etiam contra ipsum dominum efficax foret; eo quod noxa caput sequatur. *l. ult. infrà. eod.* nec domini jus ei præferatur. *per hunc text.*

1. 2. 3. 4. *Ius Canonicum hic diversum.*

Ad l. qui pro servo. 42.

VIde quæ pluribus ponimus infrà *in l. Stichum. 95. de Solut.* ubi hæc quoque nobis relata est.

LIBER DECIMUS.

FINIUM REGUNDORUM.

TIT. I.

Ad Rubr.

1. *Iudicia duplicia sequentium titulorum, & quare.*
2. *Quid juris, si contendentes simul provocent.*
3. *Iudicia hæc quare dicantur mixta.*
4. *Donellus notatus.*
5. *Iudicia hac quare sint parata.*

1. FInium † regundorum, familiæ erciscundæ, communi dividundo judicia duplicia dicuntur, *l.2.§.1. Comm. Div. & alibi sæpius.* eò quod quisque litigantium in ijs pro re nata tam actor quàm reus est. Iudicio tamen constituto is solus pro actore est, qui primus ad judicium provocavit, *d.l.2.§.1. Comm. Div. l. in tribus. 13. suprà de*
2. *Iudic. cum sim.* Quid ergo † si contendentes simul provocent? magisque erit, actorem fore hunc cui id forte contigerit. *l. sed & cum.*
3. *14. de Iudic. l.3. C. Comm. Div.* Eadem † & mixta dicuntur, quia tam vindicationem quàm personales præstationes recipere videntur. *§. quædam actiones. 20. Inst. de Act.* Denique tametsi Donellus † in
4. contrarium disputat, nullas actiones re ipsâ mixtas esse contendens, *Donell. in d.§ quædam.* tamen hoc de apicibus juris, id est rebus nihili, disputare est, & rectè respondemus cum Iuliano, multa jure civili contra rationem disputandi recepta esse. *l. ita vulneratus, 51. §.*
5. *fin. Ad L. Aq* Sunt † autem hæc judicia rerum dividendarum causa potissimùm parata. *l.1.§.1. in h.t. l.1. Comm. Div.* præstationum verò realium causâ tantùm consequenter; quarum respectu quoque ex quasi contracta orta dicuntur. *§. 3. & 4. Inst. de Obl. Quæ Quasi Ex Cont.*

Ad l. 1.

1. *Iudiciũ fin. reg. an & quatenus pro rei vindicatione sit. n. 3.*
2. *Provocantis intentio quando fundata.*
4. *Quid juris sit si uterque se contendat possessorem.*
5 *Principes & magistratus hodie utilem hanc actionem in defensionem finium intendunt.*

6. Cuius

6. *Cuius jurisdictio sit, homine in confinio duorum occiso.*
7. *Quanto tempore huic actioni praescribatur.*
8. *An Iure Canon. in Praescrip. Parochiarum quippiam sit diversum.*
9. *Quid juris sit de praescribendis finibus regnorum.*
10. *An judicium finium reg. bonae fidei sit.*

QVod hic dicitur, finium † regundorum judicium etiam pro rei vindicatione esse, id ita accipe, non ut quaestio proprietatis principaliter, sed per accidens modò in hoc judicium veniat. Fundata enim † provocantis intentio est, si ipse fundum de cuius finibus agitur possideat, & fines turbentur. Res verò in eo ita per consequens vindicatur, si fortè adversarius jam aliquid de finibus nostris possideat. Sed & † alio casu quaestio proprietatis in hoc judicium venire potest. Nam si ad judicium, finium regundorum causâ provocem, uti dixi, parata quidẽ haec actio est, si possideam; ceterũ si non possideã, obstabit mihi ea exceptio, nisi de dominio & jure meo probem. *l. fundi. de Excep. fac. l. 1. §. 1. inf. tit. 1.* Quod si uterque † se finium possessorem contendat, priùs de possessione & modo quo termini hactenus distincti fuere, cognoscendũ est, ut constet quantum quisque possideat, dein' de proprietate, quantũ q; debeat possidere. *l. 3. C. eod.* Illud praetereundũ † non est, quod Principes, ac regionum, universitatumque magistratus, moribus hodie limites finium jurisdictionis & imperij sui utili hac actione dirimere solent. *Plat. in d. §. quaedam. num. 23.* Sed quaesitum † est, homine in confinio duorum agrorum caeso, utrius jurisdictio sit: & obtinuit cognitionem ad eum pertinere, in cuius territorio repertum est caput, quippe quod hominis membrum dignissimum est. *arg. l. cum in diversis. de Relig. & Sump. Fund.* Quod si non constet hoc quoque, jurisdictio potiùs utriusque est. *Schneid. post Plat. in d. §. quadã actiones.* nisi ad alterũ priùs fuerit provocatum, *arg. horum judiciorum, quae duplicia sunt. l. judicio. 10. infrà eod. iunc. l. in tribus. de Iudic.* Denique quod † actio haec maximè in personam est, causam praebuit, ne ei quoque minori spatio quàm triginta annorum praescribatur. *l. ult. C. de fin. Reg. l. 1. §. 1. C. de Annali Excep.* Nec ad rem † facit l. 2. §. sed si fundus. Pro Emp. quia subintelligendum est ibi non de finibus agri, sed de parte fundi agi quae jure universi fundi simul possidetur. Quod si quae pars separatim adjecta sit, separata quoque eius & nova usucapio aut praescriptio est. *l. 7. §. 1. eod. tit. Pro Emp.* Quinque tamen pedum praescriptio inter agros confines L. XII. Tabularum introducta sublata est; ita nimirum ut agere quidem de finibus liceat, sed

Margin: 1. 2. 3. 4. 5. *Consuetudo territoriorum discernendi iudicio Finium Reg.* 6. 7. 8.

sed interim semper relinquendi sint quinque pedes inter agros aratorios, & si de ijs non conste, novi constituantur. *Rectè Alciat. ad d. l. quinque pedum. Dominus Bronch. popularis meus. Cent. 2. Controu. c. 9.*

Ius Canon. in hoc diversum. Sed jure Canonico fines parochiarum & diœcesium, quorum haberi certitudo potest, præscribũtur nunquam, *c super eo. de Paroch.* Quod rationem habet, cum parochiarum omniumquasi dominium unius ecclesiæ censeatur, ut quasi possessio omnium episcoporum ac pas-

9. torum, re ritè examinata, in ijs tantùm precaria sit. Tantundem † dicendum de finibus regnorum ac principatuum Costalius autumat, *Costal. hic, ex Panorm. in d. c. super eos. per l. agros. C. de Fun. Limitr. lib. 11.* quod mihi verosimile non sit, nisi eorum præscriptio sit interrupta sufficienti interpellatione vel usurpatione. Ratio enim in his diversa est, eò quod principatus plerique & potissimùm minores, vel possidentur jure patrimoniali, vel saltem feudorum, quæ ipsa quoque consuetudine huius seculi ferè possidentur patrimoniorum jure. *Boër. Decis. 114. num. 12. post Fabr. in Auth. ingressi.* C. *de Sacros. Eccl. idem Boër.* Cons. *42. num. 3. Rebuff. in declar. Feud. pag. mihi. 474. col. 2. fac. Zas. c. 9. de Feud. num. 22.* Magis igitur est actionem hanc in ijs perinde ut in ceteris, perimi præscriptione triginta

10. annorum. Sed quæsitum † est, An judicium finium regundorum bonæ fidei sit, quod nonnulli putarunt, *quos allegat gl. in §. actionum. verb. dividundo. Inst. de Action. &* Corrasius *seq.* movet eos judicij huius cum judicio communi dividundo similitudo, *ut in l. 3. & 4. h. t.* Sed hoc plerique improbant, idque ex generali doctrinâ interpretum, *ad §. actionum. Inst. de Action. verb. bonæ fidei sunt hæ.* DD. *ibi.* Et quidem mihi quoque id magis videtur. Neque verò ad rem facit similitudo rei cum judicio communi dividundo, quia similitudo ea tanta non est, quin differentia interim major adhuc actionum naturam discernat; cum communi dividundo judicium causa rei indivisæ detur, ad quod & per consequens major requiritur judicis potestas; finium verò regundorum judicium prædiorum jam antè divisorum est, & per consequens judicis potestas in eo quoque minor.

Ad l. sed & loci. 4.

§. Si dicantur.

1. Finibus eversis si criminaliter agatur idem judex qui de crimine cognoscit, etiam de terminis statuet, 2 & 3. quare id ita. num. 5.

3. Ratio dubitandi in hac l.

4. *Quan-*

4. *Quandoque judex causæ civilis de crimine cognoscit.*

6. *Quis ordo in ea re sit servandus.*

7. *Num judex de causa incidenti nominatim pronunciare cogatur, & quando ita sit, quando è contra.*

8. *Alia species quâ iudex criminalis de causa civili cognoscere potest.*

SI dicantur † termini dejecti vel exarati, judex qui de crimine termini moti cognoscit, unà & de finibus cognoscere potest. *ut hic.* 1.
Notum quippe est † de finibus sublatis aut extinctis etiam criminali judicio agi de termino moto posse, ut pœna pro qualitate delinquentis ac facti ipsius ex arbitrio judicis infligatur. *l. 2. de Term. Moto.* Igitur judex qui de crimine cognoscit, cognoscet etiam de finibus. Quod † quidem singulare est, cùm de crimine propriè constare non possit, nisi de finibus ipsis cognitione sumptâ. Aliàs enim regulare est, eum qui de criminibus cognoscit, non etiam cognoscere de re pecuniaria. *l. solemus. §. latrunculator. de Judic.* Sed & è diverso † interdum evenire potest, ut de crimine cognoscat judex causæ civilis *arg. l quoties. C. de Iudic.* Idque omne † ita est cùm causæ hæ per accidens & pro re nata incidunt in alteras. namque aliàs diversæ omnino eæ jurisdictiones sunt. Denique † in his ordo servandus est, ut priùs quidem de crimine pòst de causa pecuniaria pronunciatio fiat, *l. 3. & 4. C. de Ord. Cog.* Illud tractari † potest, Num judex de causa incidenti nominatim pronunciare cogatur? quâ in re ab interpretibus variatum est, Placentinus nimirum pronunciandum censet, *allegatus à gl. in l. 1. C. de Ord. Cogn.* Idque argumento eius probabile fit quod dicimus, de qua re judex cognovit, de ea quoque pronunciandum esse, *l. de qua re. de Iud.* & id quoque aliquot juris nostri exemplis evincitur. *ut in l. intra utile. de Minor. l. 3. de Pravar.* Bulgarus contrà, *per tex. in d. l. 1. C. de Ord. Cogn. & l. 2. ibidèm.* Sed videndum est utrum quæstio incidens etiam causam ante processum habuerit, ut si quæratur an quis sit liber, an filius ut hæreditatem consequatur, an verò cum ipso judicij initio aut durante eodem demum inceperit, verbi gratiâ, num judex sit competens, procurator idoneus, libellus subsistat. Vt priori quidem casu pronunciatio necessaria non sit, posteriori contra. Quod magis est, & in praxi receptum. *sequuntur Bart. Castr. Sichard. in d. l. 1. Can. in c. 1. de Ord. Cog.* Id verò † toties ita est quoties agitur de exceptione ad impediendum aut sistendum judicij processum. Pronunciatio tamen tacita sufficiet, ut si dicamus, Partes non obstante exceptione procedent, *arg. c. parte. ex parte. 67. de Appell.* Planè quin de ceteris

Kkk etiam

etiam interloqui judex possit si velit, nulla dubitatio est, *ut in d. l. intra. de Minorib.* Denique si & judex causarum civilium absens † sit,
3. nec copia eius haberi queat, benignè admissum est, latrunculatorem etiam de pecuniarijs rebus cognoscere posse. *Cost. in l. solemus. 61. §. latrunculator. de Iudic post. Ang. quem allegat, in l. vacantia. de Bon. Vac.* Idque observatum memini in his Transisulaniæ regionibus, durante scilicet maximo belli periculo. An vero & quatenus judex ecclesiasticus de causa civili, vel contrà, judex secularis de ecclesiastica cognoscat, alibi tradimus. *in l. 2. de Iudic.*

§. Si commune.

QVi cum alio communem fundum habet, & alterum fundum vicinum solus, ne utilem quidem hanc habet actionem, *ut hic.* Cum nulla ratione inter socios hoc judicium subsistat. Proinde si eo gaudere velim, vel proprium vel partem fundi communis meam *alienare debeo. ut hic in vers. idem Pomponius.* Ego existimo & communi dividundo judicio locum esse, ut divisione facta perveniatur etiam ad dirimendos fines. Et hoc extra controversiam est, *arg. tot. tit. Comm. Div.* Denique diversum in servitutibus obtinet, ut inter socios quorum unus fundum separatum habet fundo communi adjunctum, earundem vindicatio fit. *l. sed si inter. de Seru.* Vrb. *l. si cum meus. §. 1. Si Seru. Vind. Cujac. 22. Obs. 38.*

Ad L. in finalibus. 11.

1. In distinctione finium quæ probationes admittantur. & num. 3.

2. In hoc judicio etiam admittuntur testes de auditu.

4. Instrumenta & judices alterius rei gratiâ confecti in his fidem habent.

1. IN distinctione † finium vetera monumenta, census authoritas ante litem inchoatam confueti, sequenda est, nisi quid voluntate possessorum, vel aliàs legitimè probetur immutatum. *ut hic.* & *l. 2. C. eod. fac. l. sive possidetis. C. de Prob.* Quibus adde probationem testium aut librorum antiquorum. Namque † in quæstione finali
2. etiam admittuntur testes de auditu & libri antiqui. Testes nimirum, si deponant sæpissimè se ita intellexisse & à majoribus audivisse, fines districtus alicuius ad eum usque terminum fuisse usurpatos, nec aliter audivisse, quàm quod termini ita semper fuerint observati.

servati. *arg. l. 1. infra & l. si arbiter. 28. de Prob.* Regulare † nimirum 3.
in huiusmodi causis est, ut exactior illa probandi ratio in iis (si haberi nequeat) non requiratur. *c. cum causam. & ibi Canonistae. ex. de Prob.* Unde † & obtinuit, in demonstrandis finibus obscuris admitti 4.
quoque instrumenta alterius rei causâ jam olim confecta, & per indices praestandorum servitiorum, vel quascunque annotationes vetustas quae modò non sint fidei suspectae. *gl. in c. cum olim. de Censib. Panorm. in c. super eo de Paroch.*

Ad l. eos. 12.

1. *Ingenua mens huius legis.*

2. *Malè ab aliis accepta.*

CUm † dominus duorum praediorũ unum venderet, non eos terminos pactis venditionis statuit qui olim fuissẽt, sed ex arbitrio 1.
suo novos (id enim in potestate eius esse inter omnes constat. *l. locus. 60. de Verb. Sign.*) emptor, si eos egredi velit & ad antiquos qui latiores erant, dilabi: non audietur. Non † quidem ut venditor ea in 2.
re testis sit, quod Accursio & Baldo visum est. *gl. hic. in verb. dominus fuit. Bal in Summ. huius l.* sed ut observetur quod instrumento venditionis vel testibus probari potest, eum tum statuisse. Idque & Costalio post Zasium visum est. Nam cum venditoris intersit, fines latiores esse, eò quòd de evictione teneatur, rectiùs dicimus testimonium eius non admitti. *l. omnibus. C. de Testib. Costal. hic. post Zas. in Sing. Intell. de intell. huius legis.* Idque & aliàs respondi de facto consultus, & obtinui advocatus causae inter Rechteren & patruum meum Petrum Busium.

Ad l. ult.

QUod hîc distinctis capitibus de finibus diversorum praediorum refertur, id moribus hodie sublatum est, & in singulis pene regionibus, prout locorum vel altitudo, vel humilitas palustris, montana, fluviatilis est, statutis singularibus provisum.

FAMILIAE ERCISCUNDAE.

TIT. II.

Ad l. 1.

1. *Cohaeredibus familiae erciscundae judicium est.*

2. *Martini argumentum confutatur. n. 4.*

3. *Iudicio familiae dividendae non praescribitur. & n. 6.*

7. *Conciliatur l. 1. §. ad haec. C. de Ann. Except.*

1. COhæredibus † dividere volentibus familiæ erciscundæ judiciũ
2. est. *tex. hic. & tot. h. t. C. & ff.* Vnde glossator Martinus † collegit, (jurisconsultus ille profectò & subtilis & gravis, ut rectè Oldendorpius de eo testatur, *classe.* 1. *Act.* 8.) ex proposito demum hæredis unius vel utriusque hanc actionẽ nasci. *gl. hic.* eoque nec ante initiũ
3. sumere præscriptionem. Planè tametsi † verum sit, præscriptionem dividendæ rei communis nullo tempore perfici: id tamen parum
4. appositè hoc argumento evinci puto. Illud † enim constat, ipsa hæreditatis communis aditione successioni conjunctâ, ad operationem actionis huius quasi contrahi. *Inst. de Obl. Ex Quasi Contr.* Quod igitur hic dicitur dividere volentibus hoc judicium esse, ad exercendi eiusdem actum pertinet. Sic enim mutui actio repetere mutuam pecuniam volenti parata est, nec tamen ob hoc quispiam dicturus sit, certi condictionẽ à proposito demum creditoris initium accipe-
5. re. Verùm † interea est quod Martinus autumat, præscribi familiæ erciscundæ aut communi dividundo judicio nullo tempore posse, eius verò rei argumentum certissimum est, quod nulla contra possidentem conceditur præscriptio. *l. malè agitur.* C. *de Præscrip.* 30.
6. *Ann.* Accedit † quod pacto seu conventione partium divisio tolli nequit. *l. in hoc judicio. §. si conveniat. infra.* *Comm. Div.* Vnde consequens est in præscriptione idem fore. *arg. l. nam satis. §. sed si is quem. Quem. Seru. Amitt. Bart. in l. 1. §. nemo.* C. *de Annali Ex.* Nec † mutat
7. d. l. 1. §. ad hæc. C. de Ann. Excep. quia ea intelligitur si quis hæreditatem communem non possederit. *Costal. hic.* Atque hæc sententia ut ingenua & vera est, ita moribus quoque huius seculi probata.

§. 1.

FAmiliæ erciscundæ judicium ipso quoque jure competit ei qui quidem hæres est, sed hæreditatem non possidet, obstat tamen ei exceptio quod non possideat. *per hunc text. & l. fundi. de Except.* Itaque hæredi instantiâ ea perempta ad Hæreditatis petitionem deveniendum est. *per tex. &* DD. *hic. vide quæ nos infrà in l. 36. & 37. h. t.* Existimo tamen hæreditatis petitionem cum judicio familiæ erciscundæ ab initio quoque eodem libello proponi posse. Nam & si simul propositæ non sint, & alter possessorum excipiat contra provocantem, *quod hæres non sit*: judex eo quoque casu de eo simul cognoscit. *ut hic.* ordine interim servato ut priùs cognoscat de jure successionis quàm divisionis. Num verò de quæstionibus incidentibus sit pronunciandũ nominatim, suprà posuimus. *L. 4. Fin. Reg.* An verò & quatenus possessorium & petitorium cumulari queant, item quatenus rei vindicatio cum judicio familiæ erciscundæ, pluribus prosequimur

sequimur alibi. *in l. si de vi. de Jud.* & *latè in l. nec ullam. 13. §. 1. & 2. num. 4. & 5. de Her. Pet.*

Ad l. 2.

1. *An adrogatus quartam omnium bonorum habeat an v. solam quartam suæ portionis.*
2. *Rationes huius sententiæ confirmandæ.*
3. *Conciliatur oppositum.*

SI QUARTA AD ALIQUEM EX CONSTITUTIONE DIVI PII ADROGATUM DEFERATUR.) Dubitatum † est, An adrogatus habeat quartam omnium bonorum, an verò suæ solum portionis. *à gl. in l. si adrogator. 22. verb. quartam partem. de Adop. Crisp. in §. 3. Inst. de Adop. Vaud. 1. Var. Q. 29.* Sed nihil veriùs est quàm eum habere solam partem quartam suæ portionis. Idque ex † eo constat, quod quarta ea loco legitimæ reliquis liberis debitæ surrogata censetur. *l. Papinianus. 8. §. si quis impubes adrogatus. 15. de Inoff. Test.* Quibus adde quod † adoptio imitatur naturam. *l. adoptio. suprà. de Adop. & Emanc.* Absurdum verò foret, fictionem quicquam ampliùs operari quam veritatem. Eiusque rei in proposito quoque argumentum certissimum est, quod alibi refertur, minùs juris habere adoptivum quam habet is qui à natura legitimus est. *§. minus. Inst. de Success. Ab Intest.* Quâ de re si cui etiamnum minimus hæreat scrupulus, is ad principia interpretandi juris recurrat, & expendat, in dubio quod minimum considerandum esse. *l. semper in obscuris. de Reg. Iur.* Nec refert quod † aliquoties relatum est simpliciùs de relinquenda quarta. *ut in d. §. 3. de Adopt. item d. l. 22. ibid.* nam quia adoptio fieri cum causæ cognitione consuevit, & rariùs concedi eis qui liberos habent. *l. nec ei. 17. §. præterea videndum. de Adopt.* accidit ferè ut adoptatus quartam bonorum capiat: sed si plures liberi existant, æquum est id tantum accipi de quarta legitimæ portionis.

(margin: 1. 2. 3.)

Ad l. 3.

1. *Divisio officio judicis quomodo & quando facienda sit. & num. 2. & 4.*
2. *Diversa ratio ex moribus & Canonistis tradita.*

1. EX hoc textu † & alijs huius tituli plerisque constat, hæreditates plerumque officio judicis dividi. Sed hoc conventionem divisionis extrajudicialem non excludit, *l. 1. C. eod. arg. l. divisionis. suprà*
2. *de Pact.* In qua ex observatione † juris civilis ita agi oportet, ut divisio quàm maximè æqualibus portionibus fiat, dein' res tota dirimatur sorte. *l. 3. Comm. de Leg. l. 2. C. Quan. & Quib. Quar. Pars.*
3. *lib. 10.* Solet tamen † multis in locis ex moribus natu major hæreditatem dividere, & ita electionem tribuere minori, idque ex Canonistarum sententia. *ad speciem. c. 1. de Paroch.* Quod & in Germania superiori receptum perhibent, *Gail. 2. Obs. 126. num. 14. Minsing. Cent. 4. Obs. 37.* & in Saxonia provinciali lege statutum, *Lantr. lib. 3. art. 39 videri quoque Tiraquellus potest, de Iure Primogen. q. 60. per tot.* itemque in terris ecclesiæ servandum Fachinæus autu-
4. mat, *lib. 6. Contron. c. 37.* Ceterùm † si is modus alterutri partium displiceat, ad jus civile recurrendum est. nimirum ut adhibito judice, alióve arbitro uno aut pluribus, divisio fiat portionibus quantitate & qualitate æquis, ac dein' res expediatur sorte. *Gail. & Minsf dd. locis.* Qui in re si nimia sit difficultas, prægmagna judicis authoritas est. nimirum ut adjudicatione ex majori parte rei uni facta, is ipse denuo alteri condemnetur in hoc quod in ea amplius est. *tex. hic. & Inst. de Off. Jud.*

Ius Canon. diversum. Consuetudo Germaniæ.

Ad l. Pomponius. 8.

EX hoc textu apparet, si rationes uni ex hæredibus prælegatæ sint, quod ijs continetur, legatum unà non esse. Id verò de solo actorum legato accipi oportet, eamque huius legis mentem esse vel ex eo constat, quod hîc etiam proponitur de legato actore. *gl. hic.* namque aliàs rationibus legatis quantitatem quoque contentam legatam intelligi certum est, *l. servum si. §. eum qui. de Leg. 1. & arg. l. Labeo. suprà de Pact.*

Ad l. & puto. 16.

§. 1. PErtinet ad ea quæ tractantur de usufructu accrescendo. *vide nostra. in l. 3. §. non solum. de Vsufr. Accresc. ubi hic §. relatus est.*

Ad l. his consequenter. 18.

§. Finalis.) Refertur infrà *in l. hæredes. 25. §. non tantùm h. t.* ubi plenè tradimus, An negotiorum gestorum actio cum familiæ ercilcundæ concurrat, an minùs.

Ad

Ad l. si filia. 20.

DE collatione doris & rerum ceterarum pleniſſimè tractamus infrà, *tit. de Coll. Dot. l. 1. & de Coll. Bon. l. 1.* ubi hæc quoque relatæ ſunt.

§. Si pater inter filios.

1. *Actus diviſionis imperfectus inter liberos ſubſiſtit.*
2. *Quid ad eum requiratur jure novo.*
3. *An etiam teſtes ad eum actum requirantur.*
4. *An valeat diſpoſitio patris inter liberos nuncupativa.*
5. *Quid ſi diſpoſitio partibus inæqualis ſit.*
6. *An quæ de liberis dicimus etiam ad naturales pertineant. & num. 7.*
8. *Quid ſit de legitimatis per principem.*
9. *An privilegium l. ultima. C. eod. etiam ad pias cauſas pertineat.*
10. *Quid ergo ſi pater ſcripturam quidem conceperit, ſed teſtes juſſerit acceerſiri, qui tamen non venerunt.*
11. *Num liberi venientes ex diſpoſitione imperfecta veniant ex teſtamento an ab inteſtato.*
12. *An diſpoſitio huiuſmodi revocari queat ſi juramentum acceſſerit.*
13. *An feuda eiuſmodi diviſione contineantur. & num. 14. 15. 16. & an feuda dignitatum. num. 17. & 18.*
19. *An hæredes ſibi de evictione ex eiuſmodi diſpoſitione teneantur.*

SI PATER IN FILIOS.) Actus † diviſionis à patre inter liberos celebratus, etiamſi minùs ſolennis ſit, ſeruandus eſt, nec eo caſu alia facienda diviſio eſt. *per hunc tex. l. uemque. 39. §. 1. infrà eod. l. filij. 16. & l. 21 & l. ult. C. eod. l. hac conſultiſſima. §. ex imperfecto, C. de Teſtam.* Id † tamen jure novo explicatum eſt, ut ita demum diviſio hæc valeat, ſi pater liberive omnes ſubſcripſerint. *Novell. 18. cap. 7.* & ſalva interim unicuique, exemplo Falcidiæ, legitima ſit, *d. l. ſi cogitatione, 21. C. eod. Gail. 2. Obſ. 126.* Vnde † quæſitum eſt an etiam teſtes ad diſpoſitionem patris inter liberos imperfectam requirantur? & hoc Cujacio viſum eſt. *Cujac. conſult. 1.* Movet eum quod teſtamentum imperfectum dicitur id quod licet teſtibus ſubſcriptum ſit, nondum tamen eſt ſubſignatum. *l. 6. Ad L. Corn. de Falſ.* 1. 2. 3.

Contra-

Contrarium tamen plerisque visum est, & meritò, quantum enim ad divisionem attinet, constat eam faciendam cum subscriptione & patris & liberorum. *l. ult.* C. *Fam. Ercisc.* Ad reliquas verò dispositiones, satis est tempus & uncias filijs assignatas, & deinde speciatim à patre chartam esse subscriptam. *Auth quod sine & ibi Bal.* C. *de Testam.* Et verò si tum demum testium præsentia requiritur cum uxori quid aut extraneis relinquitur, ut jure Novellarum cautum est, idque dispositioni de hac re quoque continuo textu subjunctum est, *Novell.* 107. *de Testam Imperf. c.* 1. rectiùs dicimus extra eum casum testes in quæstione hac non esse necessarios; modo subscripserit ipse pater vel filij eius. *d. l. ult.* C. *h. t. & Novell.* 18. *c.* 1. Et hoc igitur inter reliquos plerosque obtinuit. *Clar. post alios in §. testamentum. q.* 14. *Gail. d. lo.* Nec ad rem facit l. 9. Ad L. Corn. de Fal. quia ea ad tractatum de crimine falsi pertinet; in proposito enim satis est scripturam à patre subscriptam esse, & testium præsentia requiritur ita demum, si uxori quid & alijs sit relictum. *ut in d. Nov.*
4. 107. *c.* 1. Quid ergo si dispositio † paterna non scripto concepta sed nuncupativa sit? & Martinus sensit ad eam privilegium hoc non pertinere, quod Fulgosio quoque & Saliceto visum est. Quorum sententiam firmare videtur, quod dicimus, constitutiones novas strictè accipiendas esse. Magis tamen est hoc ita demum admittendum, si testator scribere queat, quia de ea specie Novella *de Test. imperf.* 107. *agit disertè.* Sin verò scribere non possit, rectiùs dicimus eam quoque dispositionem subsistere instar testamenti nuncupativi, modò plenè probetur. *per hunc text. & l. ult. C. eod. Corneus*
5. *lib.* 3. *Consil.* 218. *Clar. d. lo. num.* 11. Si tamen † dispositio partibus inæqualis sit, an tantundem dicamus? & magis est, quia in proposito idem operatur dispositio imperfecta, quòd aliàs perfecta, *ut hic & l. ult. C. eod. Nov.* 18. *Novell.* 107. subsistere illam non obstante inæqualitate, modò legitimæ præjudicium non fiat. *l. parentibus. C. de Inoff. Testam.* quemadmodum & aliàs parens uni ex liberis quid prælegare potest. *l. cum pater.* 77. *§. evictis. de Leg.* 2. Et absurda proinde sententia eorum est, qui contrarium putarunt. *Rom cons.* 179. *incip. amplissime Doctor. num.* 13. *Dec. cons.* 349. *num.* 9. Nec ad rem faciunt quæ illi allegant de servanda inter liberos æqualitate. *l. inter filios.* C. *h. t. & Auth. in successione, de Suis & Legit.* quia ea ita demum obtinent si à parente non sit aliter provisum. *Gail.* 2. *Obs.* 112. *n.* 24. Alia quæstio est, an quæ de liberis tractamus etiã ad naturales
6. † pertineant? quo Castrensis inclinavit *in d. l. hac consultissima. C. de Testamen.* movet eum quod parentes etiam liberis naturalibus quoquo modo relinquere possunt. *l. ult. C. de Confirm. Tut.* Contrarium tamen plerisque visum est, *Angel. & alij allegati à Decio Consil.* 610.

sil. 610. num. 2. Clar. d. §. testamentum. q. 12. Et hoc Senatus Pedemontanus probavit, & magis est. *Anton. Tessau.* Decis. 94. Idque ex eo constat quod quoties absoluta mentio liberorum fit, toties intelligimus legitimos, *l. filium. de His Qui Sui Vel Alien. Iur. sunt.* Accedit ratio diversitatis, quod legitimi vel vivis parentibus quodammodo paternarum rerum domini videãtur. *l. in suis. de Lib. & Posth.* vel quod eis etiam ab intestato parentum successio defertur, & quidẽ ita ut privari ea nisi certis de causis non possint. *tot. tit. ff. & C. de Inoff. Test. & de Ex. Lib.* Quamobrem & benignè dicendum est, non existentibus liberis legitimis,† quia naturalibus tũ sexta pars bonorum debetur, eo quoque casu dispositionem imperfectam valere; modò eã non detrahatur pars sexta. *Novell. 89. c. 12. §. 4.* De legitimatis Principis rescripto quid † dicemus? & propè est de ijs idem quod de legitime natis statuendum; quia illis omnia commoda quibus his collata sunt. *Novell. Quib. Mod. Natur. Eff. Sui. c. sit igitur licentia.* Non mutat quod aliàs rescriptum est, beneficia Principum strictè intelligenda esse. *ut in l. ult. C. Qui Ven. Æt. Imp.* quia id toties ita est quoties ex beneficio eiusmodi jus tertij laederetur. *ut & in l. 2. §. merito. Ne Quid In lo. Publ.* alias enim beneficia principis vel benignissimè interpretanda sunt. *l. 3. de Const. Princ. ubi dixi &* in proposito igitur vel maximè, cum legitimati cum ceteris eodem censeantur jure. *per d. Novell.* & hoc igitur rectè moribus obtinuit. An autem in eo quod † ad pias causas relictum est idem dicamus quod de testamento inter liberos, alia quaestio est; sed hoc nusquam relatum est & plerisque idcirco improbatum. *Aret. Consil. 64. Socin. Iun. Consil. 189. num. 76. lib. 2.* Diversum tamen Alexander sensit. *lib. 7. consil. 3. vide & Menoch. lib. 3. consil. 224.* movet eum quòd tantùm favendum existimat pijs causis quantum liberis ipsis: sed neque hoc usquam relatum est. Rectè proinde dicimus ex imperfecta dispositione quidem pijs causis favendum, si ea coram testibus duobus aut tribus sit declarata. *per c. relatum. de Testam.* non tamen ex quacunque charta à patrefamilias fortè concepta, quod id singulatim de liberis quibus & ab intestato successio competit, constitutum sit, & ceteris negatum. *ut in d. Nov. 107. c. 1.* Quid † ergo, si pater dispositionem quidem suam ritè & ex ordine Novellae confecerit, verùm notarium accersiri jusserit, qui eam redigeret in mundũ, & ita decessit priusquam describeretur, num perinde dispositio subsistat? Oldradus non putat, eò quod exemplum pro testamento non censeatur quamdiu id ipsum perfectum non est. *l. fideicommissa. vers. quoties. de Leg. 1. l. ex ea scriptura. de Testam. fac. l. contractus. C. de Fide Instr.* Contrarium tamen obtinuit, *Alex. in d. l. hac consultissima, §. ex imperfecto. C. de Testam. Joann. Cephalus. Cons. 99.*

Margin numbers: 7 (beside "existentibus liberis legitimis"), 8 (beside "De legitimatis"), 9 (beside "An autem"), 10 (beside "Quid ergo").

Cum certum sit dispositionem ita à patre conceptam non pro exemplari sed principali esse; quod omnia juris requisita ei adsint *ex d. Nov. 107. & d. l. ult. C. h. t. verb. quocunque modo scriptura, quibuscunque verbis vel indicijs inveniantur.* Nec ad rem faciunt quæ Oldradus habet, quia ea omnia palam agunt de testamentis communibus, non etiam de ijs quæ jure privilegij subsistunt sine ulteriori
11. solennitate. Ceterùm † num liberi ex dispositione imperfecta venientes, ab intestato an potiùs ex testamento succedere censeantur apposité quærimus, & propriâ quidem juris civilis consideratione habitâ, veniunt ab intestato. *ut in l. ult. C. Fam. Ercisc. verb. ab intestato ad successionem liberi vocantur.* ut Accursius respondit, *gl. in d. l. hac consultissima. §. ex imperfecto. C. de Testam.* tametsi respectu dispositionis qualiscunque eius, etiam quasi ex testamento succedere dici queant, *Castr. Alex. Ias. in d. § ex imperfecto.* Denique cum ex-
12. peditum † sit, divisionem ejusmodi cadere in speciem ultimæ voluntatis, *ut hic.* eoque illam posse à parente revocari, an idem dici oporteat si pater dispositionem ejusmodi juramento firmavit, quæritur. Dubium movet quod contractus juramento firmati servari oportet. *argum. Auth. sacramenta. C. Si adversus Vendit. & c. quamvis de Pact. in 6.* eoque & quàm plurimis placuit, revocari ejusmodi divisionem non posse. *Seraphin. de Privil. Iuram. Priv. 112. ubi magis communem dicit.* alijs tamen contrarium visum est, *Old. Consil. 231. Fachin. lib. 6. Controv. c. 69.* At hæc res ita explicabitur, ut secundum conscientiam quidem pater eam mutare non possit, quin perjurium committat; idque ex sententia Seraphini, jure tamen fori mutare illam possit liberè; idque ex sententia Fachinæi, cum ambulatoria
13. sit extrema hominis voluntas. *l. 4. de Adim. Leg.* Illud † quæsitum est, an dispositione ejusmodi imperfectâ etiam dividi queat substantia feudalis, quod non videtur, *c. 1. de Success. Feud.* ratio est, quia consuetudo Feudalis omnes liberos pariter ad successionem vocat. *tex. in §. quia vidimus. Qui Feud. Dare Poss. in Us. Feud. Gail. 2. Obs.*
14. *116. num. 7. & 9* Sed hoc perpetuum non est. Primò † enim id non procedit in feudo hæreditario, quia hæredes præcipuè in rebus hæreditarijs factum defuncti præstare tenentur. *l. cum à matre. 14. C. de Rei Vind. Curt. par. 4. Feud num. 131. Covarr. lib. 2. Var. Resol. c.*
15. *18. num. 2. & 4.* Secundò † si alij liberi consentiant, cum quisque beneficio sibi parato renunciare queat. *l. si quis in conscribendo. C. de Pact. Bal. in c. 1. de Proh. Feu. Al. Per. Frid. Curt. d. lo.* Tertio diversum dicimus in feudo novo *iuxta. DD. in c. 1. de Al. Feu. Pat. D. Vult. c. 9. num. 75. Gail. 2. Obs. 154.* nam id quoque solius domini
a. consensu potest alienari. *ut per Afflict. num. 18. in d. c. 1. de Al. Feudi*
16. *Pat. Mins. 4. Obs. 85.* Idemque † moribus Transisulaniæ referendum

dum est ad feudum emptitium, quia id quoque instar pecuniæ quo illud comparatum est, rectè dividitur, & consequenter perinde etiam ex dispositione patris, *per hunc text.* Denique † & aliàs divisio 17.
feudi quam justi successores ineunt, conservanda est. *c. un. §. præterea ducatus. & ibi feudist. de Proh. Feudi Al. per Frid.* Sed hoc non ita est in feudis dignitatum. *tex. in d. §. præterea ducatus.* Etsi in † his 18.
quoque moribus huius seculi in Germania, *Gail. 2. Obs. 153. num. 2.* & Italia permissa divisio est. *Jas. in d. stipulationes non dividuntur. num. 31. de Verb. Obl. Cur. d. par. 4. Feud. num. 122. in limitatione secunda.* Quæ tametsi Paulus Castrensis subtilioribus argumentis in dubium vocat, *Castr. cons. 163.* satis tamen est ex bona ratione consuetudinem feudorum talem esse. Namque omnia argumenta ab eodem usurpata, ex levibus parumque probabilibus rationibus juris civilis desumpta non infringunt consuetudinem tempore posteriorem. *l. de quibus. §. fin. de Legib. vide Cur. par. 4. tr. Feud. num. 131. & 132.* Illud quæsitum est, an cohæredes † sibi in divisione eiusmodi paternâ de evictione teneantur, quod Accursio displicuit, *gl. in d. l. cogitatione. verb. voluntatem. C. eod. Zas. ibidem. num. 15. Gail. d. lo. num. 1.* Moventur eo, quod major pars alteri assignata, jure prælegati præcipua habetur. *per not. in l. si pater. 33. infrà eod.* eorum verò nomine quæ talia sunt, si evincantur, actio non est, *l. cum pater. 77 §. evictis. de Leg. 2.* Magis proinde est, id quidem in prælegato, seu eo quod amplius legatum est, recipiendum, non tamen si quid ultra evictum sit in concurrenti quantitate. *per text. in d. l. quæ pater. §. evictis.* Quatenus verò aliàs hæres cohæredi de evictione teneatur, pluribus infrà explicamus. *in l. quidam. 12. de Evict.* 19.

§. Familiæ Erciscundæ.

1. *Judicium familiæ dividendæ semel tantum institui potest.*
2. *Quare*
3. *Conciliatur l. 30. h. t.*

Familiæ † erciscundæ judicium semel tantum institui & hæreditas etiam semel tantum dividi potest. Quamobrem † si quid indivisum remanserit, agendum est judicio communi dividundo. *ut hic.* 1. 2.
Eiusque rei ratio perspicua est: quod hoc judicium universale sit, & idcirco universum jus successionis comprehendat, quamobrem si quid supersit non divisum, in posterum quidem pro indiviso utriusque est, sed si res ad provocationem deveniat, judicio opus est communi dividundo singulari. Nec † mutat l. fundus. 30. infrà eod. ubi videri queat divisione etiam jam antè factâ 3.

quarundam rerum nomine denuo idem dari; quia ibi subintelligendum est, divisionem quarundam tantùm rerum ab arbitro hæreditatis dividendæ factam, & certas res relictas esse in aliam diem. Quod quotidianum est, namque ibi de eodem judicio agi ex eo palam est, quod ibidem de eodem arbitro hoc est judice ad eandem causam dato agitur.

Ad l. hæredes. 25.

§. Non tamen.

1. *An familiæ erciscundæ judicium concurrat cum judicio neg. gestorum*
2. *Conciliatur l. 3. C. de Neg. Gest.*
3. *Conciliatur l. 52. §. 1. infrà eod.*

Verb. ET ideo negotiorum gestorum actio ei non competit.) Tra-
1. ctemus † an judicium familiæ erciscundæ aut communi dividundo concurrat cum judicio negotiorum gestorum; quod quidem nō videtur. Nam si quis negotium gessit mihi secum commune, si suum is negotium separatum à meo gerere potuerit, negotiorum gestorum habet actionem. *arg. huius tex. & l. si commune. 40. de Neg. Gest. & clarius in l. si quis. 6. §. sive autem.* Comm. Dn. Et regulariter ita judicatur concurrere cum eo communi dividundo & familiæ erciscundæ judicium non posse. *l. 18. §. fin. suprà eod.* Planè
2. † in specie. l. 3. C. de Neg. Gest. contrarium obtinet; non quidē quod concursus iste ex eadem causa sit, sed quia ibi & pecunia soluta est, quod causam divisam ex l. XII. Tab. habet, quo nomina sunt divisa ipso jure, & pignus commune liberatum, quod pro parte perfici
3. non potuit. *ut in ead. hac l. §. idem observatur.* Minùs etiam † obstat l. Mævius. 52. §. 1. infrà eod. ubi in specie quæ pro parte expediri posset, familiæ erciscundæ judicium datur: quia id speciale est, quod servus pecunias ante mortem domini exegisset, ideoque negotiorum gestorum cum eo agi non posset. *gl. ibid. Cujac. tract. 8. ad Afr. in d. l. eius qui. & Subtil. nostrus. lib. 1. c. 18.*

Ad l. in hoc judicio. 27.

IN judicio familiæ erciscundæ condemnatio & absolutio in omnium personas facienda est. Quod si id in aliquibus omittatur, nec in ceteris quod judex fecit valebit. *per hunc text.* Nec mutat quod in hoc quoque tractatu scriptum est, sententiam ex parte valere

lere & ex parte non valere posse. quia id ita est cùm de diversis rebus judicio actum est, cùm in proposita hoc loco lege speciale sit propter præstationes personales. *vide eleganter Cujac. lib. 23. Obs. 1.*

l. 30.

Allegata est suprà *in l. 20. §. familia. h. t.*

Ad l. Pomponius. 35.

Vide quæ pluribus ponimus de collatione dotis *in l. 1. de Col. Bon. & Coll. Dot.*

Ad l. cum putarem. 36. & l. 37.

1. *Divisio cum eo qui re ipsa non est hæres, an subsistat. & num.* 2. *&* 3.
4. *Sententiam interdum rescindi posse.*
5. *Conciliatur l. ult. infrà eod.*
6. *An divisio extra judicium facta rescindi possit.*
7. *An ita demum restitutio contra divisionem fiat, si læsio acciderit ultra dimidium.*
8. *Aliud remedium adversus divisionem dolo factam.*

SI quis alterum † cohæredem putet qui non sit, itaque ad judicium provocet, & divisio judiciali authoritate secuta sit, eadem non infringitur, *tex. hic.* Possidenti quidem exceptio est, nego tibi actionem hanc, quia hæres non es. *l. 1. §. fin. suprà eod.* eâque volente ita & excipiente parte submovetur actor, ut hæreditatem priùs petere cogatur, eaque finiatur priusquam ad hanc actionem veniatur. l. fundi. de Excep. *vide quæ nos latè in l. 13. §. Emptor. de Her. Pet.* Verùm non possidenti hæreditatis petitione, ut dixi, agendum est. At † si ijs omissis quis ad divisionem admittatur, condictio indebiti cessat. *ut hic.* Quid ergo, An hæredis error qui sententiæ causam dedit, eundem bonis privabit? dura res sit. namque id aut per errorem facti fit, quem constat nocere nemini, aut per errorem juris, & perinde certum, eum non nocere, quippe quem & ipsum certum est non obesse in damnis omittendæ rei suæ. *l. error. 8. de Jur. & Fac. Ign.* Verùm hoc ita propter authoritatem rei judicatæ. *l. elegunter. §. 1. de Condict. Indeb.* Proinde † nihil certiùs est, quàm confessionem hanc per errorem factam, si needum judicatum sit, experiunti hac 1. 2. 3.

 actione,

actione, non obesse. *l. prox. infrà. l. non fatetur. de Confess.* quâ ratione hîc textus cum capite praecedenti pulcrè conciliatur, eaque & prima & vera glossae solutio est, *gl. in l. prox. infrà.* Ceterùm nec post sententiam ulterius, quam donec ea needum est rescissa, confessio ista praejudicat, superest enim remedium appellationis, eo verò omisso, vel si tribunal majus divisionem fecerit quàm à quo appellari queat, ipsius praetoris officio rescissio divisionis erroneae impetranda est. *l. si post divisionem.* 4. *l.* 5. C. *de Jur.* Fac. *Ign. l.* 3. C. *comm.* Vtr. *Ind.* idque per salutarem clausulam de Rest. Majorum, effici putan-
4. dum est. *l.* 3. C. *Ex Quib.* Caus. *Major.* Neque est hoc adeò † singulare, quia & aliàs sententia ex falsis instrumentis lata rescindi
5. potest. *l. Divus. de Re Iud. Schurf. cent.* 1. *consil.* 26. *in fine.* Nec † mutat l. ult. infrà eod. quia ea procedit quando non est justa rescissionis causa. Denique & si neuter dividentium re ipsâ haeres sit, uterque autem, quasi sit, diviserit, quia uterque in pari causa est, hinc inde repetitionem constat cessare. *per hunc text.*

6. PLANE SI SINE IUDICE.) Divisione sine † judice facta, quod actum est per errorem non subsistit ipso jure, eoque hoc nomine indebiti condictio est, *tex. hic.* Id igitur certum argumentum est, divisionem authoritate judiciali factam rescindi medio restitutionis posse, quia enim illa authoritate judiciali facta est, subsistit magis ipso jure, & idcirco condictio cessat, *ut in princip. huius legis dixi. Quibus convenit l. si post divisionem.* C. *de Iur. & Fac. Ign. itemque l.*
7. *majoribus.* C. *Comm. Vtr. Ind.* Illud † quaesitum est, an restitutio adversus divisionem non aliter danda sit quàm si intervenerit deceptio ultra dimidium, quod quidem plerisque visum est, *gl. Bart. Bal. Salic. in d. l. majoribus.* C. *eod.* Movet eos quod dicimus, divisionem obtinere vicem emptionis. *l.* 1. C. *Comm. Vtr. Iud. fac. l. Lucius.* 39. *infrà eod. Pinel. ad l.* 2. *par.* 2. *num.* 1. C. *de Resc. Vend.* Contrarium Molinaeus asserit, eò quod hoc de rescindenda divisione nusquam sit relatum, itemque eò quod alibi simpliciùs refertur, divisionem inaequalem rescindi oportere. *d l. majoribus.* C. *eod. fac. l. si soror.* C. *de collat.* Quorum sententias ita conciliamus, ut si error intervenerit justaque facti ignorantia, rescissio obtineat etiam sine dimidij laesione. *l. si post divisionem.* C. *de Iur. & Fac. Ign.* eoque casu Molinaei sententia accipienda est, sin minus, contrarium dicamus, idque ex sententia communi. Atque ea conciliatio ut plana est, ita maximae aequitati convenit, potissimùm si intervenerit alterius dolus. *l. cum*
8. *falsa.* 5. *C. d. tit. de Jur. & Fac. Ign.* Quinimo † amplius eo casu pacti exceptio replicationi doli elidi potest. *l. tres fratres. suprà. de Pact. l.* 8, C. *de Collat.*

l. Lucius.

l. Lucius. 39.

RElata in ijs est quæ ponimus ad leges præcedentes ubi plenè tradimus an & quatenus divisio ob læsionem rescindatur.

Ad l. ex parte. 39.

§. 1.) DE divisione à parentibus inter liberos factâ tractamus suprà *in l. 20. §. si pater, eod.*

l. Quædam mulier. 41.

Allegatur suprà in ijs quæ ponimus ad l. 27. eod. ubi vide nostra.

Ad l. quæ pater. 50.

1. *Studiorum causâ erogata an conferantur.*
2. *Quid de filio posito in sacris sit dicendum.*
3. *Quid dicendum sit de libris studiorum causa emptis. & num. 4.*
5. *Conciliatur l. 1. §. 1. pro Donato. & num. 6.*
7. *An conferantur quæ pater quærendæ dignitatis gratiâ contulit.*
8. *Sumptus Doctoratus aut Licentiæ an conferantur.*
9. *Quatuor fallentiæ huius legis.*
10. *An defuncto jam patre, fratres ex communi substantia fratrem in studijs alere cogantur.*
11. *Conciliatur l. si filia. suprà h. t.*

QVæ pater † filio emancipato studiorum causâ suppeditavit, 1.
quia id pietatis intuitu fecit, *l. alimenta, 11. & l. si paterno. C. de Neg. Gest* non conferuntur, *per hunc text.* Quod si ita est † in eman- 2.
cipato, faciliùs admittemus in posito in sacris. namque erga eum vel maxima pietatis præsumptio est. Et quando proinde hæc jure præcipuo donata censentur, meritò non conferuntur, nisi de contraria patris appareat voluntate. *l. filiæ. 18. & arg. l. ult. C. eod.* Sed
hoc † & ad libros studiorum causâ comparatos, extensum est. 3.
argumento legis si filiusfamilias, C. eodem. Quæ licet aliàs longiùs disputantur, tamen favore pietatis benigniùs dicendum est,

est, non conferri. *per hunc text. & junc. l. filia.* C. *eod.* ubi ea quæ liberorum nomine comparantur ab iis quæ in ipsos expensæ sunt, non
4. distinguuntur. Hoc ita † nisi pretium eorum pro modo facultatum sit enorme, quod ipsum & in toto hoc sumptuum tractatu potissimum considerandum erit, *Alex ab Immola. in l. si donatione. num.* 15. *& num.* 22. C. *de coll. Bald. in d. l. filia. num.* 11. C. *eod.* Nec ad rem fa-
5. cit quod † dicimus, inter patrem & filium donationem non esse. *l.* 1. §. 1. *pro donato.* quia id in alimentorum ratione & reliquis causis pijs non attenditur. *per hunc text. & d. l. si paterno. C. de Neg. Gest.*
6. Quibus † accedit quod jure novissimo donationes inter patrem & filium parentis morte confirmantur, *l. donationes.* 25. C. *de Don. in-*
7. *ter Vir. & Vx.* An verò † ea quæ pater adipiscendæ dignitatis causâ contulit vel promisit, conferantur, alia quæstio est. Papinianus ait non conferri, propter onera quæ dignitati cohærent. *d. l.* 1. §. *nec Castrense. de Coll.* Nec obstat huic sententiæ l. pen. C. de Coll. quia ea militiæ meminit, quàm à propria dignitate separamus. *Cujac. lib.* 3. *Obs.* 30. *Costal. post alios hic.* Quibus consequens est, nec sumptus
8. Doctoratus † vel Licentiæ quærendæ causa factos conferri *DD. hic.*
9. Sed hæc † I. non procedit, I. Si constet patrem credendi animo expendisse. *per hunc text.* 2. Si constet sumptus ex peculio adventitio factos, tunc enim eos ab hæreditate præcipi non foret æquum. *l. ult. sup. de Petit. Hær. arg. l. Nesennius. de Neg. Gest.* cum hi potiùs censeantur erogati animo repetendi. *Alc.* 1. *Præs.* 7. 3. Si filius respectu eiusmodi expensarum, hæreditati paternæ renunciarit. Etsi enim pactum hoc jure non sortitur effectum, *l. pactum. quod dotali. & l. licet. C. de Pact.* Interpretes tamen tantum eo effici putant, ut expensæ portioni imputentur. Constat enim ex hoc patrem ea donandi animo non contulisse. Atque hoc Baldus scripsit & alij probant. *Bal. Salic. Cast. in l. pactum. per illum text. C. de col.* iv. An verò sumptus inutiles, quive eventui studiorum minùs felici servierũt, conferantur, quæsitum est, Plerisque placuit conferri. *Jas. Albert. Bal. in auth. quod locum. arg. eiusdem text. C. de coll.* Quod ita verum est, si sumptus quàm pro modo patrimonij sint majores, nam si justam alimentorum rationem ac vires patrimonij non gravent, contrarium erit. In dubio enim tota hæc res ex quantitate expensarum & facultatibus eius cuius causa agitur, venit expendenda. *Accurs.*
10. *& Sichar. in l. alimenta.* 11. *C. de Neg. Gest.* Rursum quæsitum est, † an defuncto jam patre, fratres ex communi substantia cohæredem fratrem in studijs alere teneantur: & rectè responsum est, non teneri. neque enim de hac re ulla dubitandi species est, *Bart. in d. l.* 1.
11. *§. nec Castrense. de collat. Bal. in d. l. filia.* C. *h. t.* Non obstat † l. si filia. *§. idem scribit.* 6. *suprà. h. t. & l.* 1. *§. sed an.* 16. *de coll.* quia ibi debitum

vivo

vivo adhuc patre fuit contractum. Reliqua collationum jura infrà pleniùs tractabimus, suo nimirum loco. *tot. tit. inf. de Coll. Bon.*

Ad l. Mævius. 52.

Opponitur l. eius qui 41. §. 1. inf. de Reb. Cred. ubi solvi.

Ad l. ult.

De rescindenda divisione vide omnino quæ ponimus suprà *in l. 36. & 37. h. t.*

COMMVNI DIVIDVNDO.

TIT. III.

Ad l. si quis putans. 6.
§. sive autem. 2.

HVic textui opponi solet l. liberto. *31. §.* fin. de Neg. Gest. Vide quæ nos ibidem.

Ad l. communi dividundo. 7.

1. *Emphyteutica prædia an & quatenus dividantur. & 2.*
3. *An cessante altero ex hæredibus qui canonem solvunt singuli pro parte, cessante uno res tota in commissum cadat.*
4. *Quid si unus nummus solutioni canonis desit.*
5. *Ab altero etiam integrum canonem solvi posse & quatenus. & num. 6.*

ETiam † prædia vectigalia seu emphyteutica divisionem recipiunt, *ut in l. item prædia. 10. Fam. Ercisc.* Sed hoc temperationem † admisit, ut si divisio aliàs quoque commodè fieri possit, eius generis prædia regionibus non facilè separentur. Ne scilicet præstatio vectigalis facile confundatur. *ut hic.* Vnde quæsitum est, An † si ab emphyteutis duobus qui unius simul hæredes fuere, canon pro parte inferatur, cessante altero, res tota in commissum cadat? Quod magis est, cùm in solutionibus pœnarum perpetuum sit, quod eis non satisfiat partium præstatione. *l. hæredes, 25. §. idem juris. & §. seq. suprà Fam.*

Mmm

Fam. Ercis. Sic enim nec pignus solutione partis ab uno factæ, liberatur & pro parte debiti etiam totũ vendi posset. *l. si necessarias. 8. §. si unus. de Pign. Act.* Plane si res vectigalis talis sit quæ ab initio plurium fuit, vel quæ consensu domini divisionem admisit, ut singuli possideant tanquam possessores rei communis, sine dubio & Canonem communem solvere pro parte poterunt, nec commissum locum habebit. *arg. tex. in l. fraudati. infra de Publ. & Vect.* Quod in proposito diversum est, quia res vectigalis tota pro singulis etiam portionibus emphyteuseos individuo jure supposita est, quòd dominus cum uno tantùm qui ab initio totum habuit, ea lege censeatur contraxisse. *Bart. in d. l. fraudati. §. 1. Ias. in l. 2. C. de Iure Emph.*
4. Planè quod † Iason perhibet, ut si unus quoque nummus solutioni canonis desit, nihilominus fundus in commissum cadat, *Ias. in d. l. 2.* id rectiùs dicimus ex facto metiendum, ut si emphyteuta id ex contumacia faciat, jure suo cadat, sin minùs, è contrariò non cadit.
5. Denique quin † ab eo quoque qui partem rei emphyteuticæ habet canon totus inferri queat, nulla dubitatio est. Cum & alius pro alio solvere invito possit, *per vulg.* & à quocunque etiam rei possessore solvi queat. *l. forma §. si cum ego de Censib. fac. in l. solennibus. C. de Rei Vind.*
6 Sed si ab † alio aliquot annis solutio canonis offeratur, dominusque sua interesse existimet ab emphyteuta potiùs ipso eum inferri; ne quod periculum ei intervertendæ possessionis immineat, rectiùs dicimus ipsum emphyteutam ad præstationem pensionis cogendum. Cum emphyteuta non tam sibi quàm domino ex propria juris ratione possidere censeatur. *l. malè agitur. C. de 30. Ann. Præscrip.*

Ad l. in hoc judicium. 14. §. si conveníat.

PActo ac præscriptione divisionis remedium tolli non posse pluribus suprà docuimus. *in l. 1. Fam. Ercis.*

Ad l. ut fundus. 18.

SEntentiam conformem libello fore, suprà docuimus. *in l. 1. de Eden. & l. si quis intentione. de Iudic.*

Ad

Ad l.arbor.19.

HÆc l. allegata est in ijs quæ ponimus suprà *de Rei Vind. in l. Pomponius*. 8.ubi docuimus an & quatenus res solo conjuncta, vel mobilis etiam, dividua an individua censeatur.

§. Si per eundem locum.) Allegatur suprà *in l.5. de Vsufr.* ubi latiusculè explicamus jura an & quatenus divisionem admittant vel minùs.

Ad l.Sabinus.28.

VIde quæ ponimus suprà *in l. 6.§. pen.de Rer.Div.* quæ solet opponi.

AD EXHIBENDUM.

Tit. IV.

Ad l. 3.

1. *Actio ad exhibendum personalis est.*
2. *Vnde oriatur. & num.3.*
4. *Hæc actio in rem scripta est.*

§. Est autem personalis.) Actio ad exhibendum † personalis est. 1
per hunc text. quia nimirum oritur ex facto suppressionis rei quæ exhiberi † postulatur; & quidem ut Accursius autumat, quasi 2
ex contractu.*gl.hic.* quanquam & quodam respectu ex quasi delicto videatur nasci; si nimirum culpam vel dolum tergiversationis consideres, incidit enim hæc in speciem contrectationi furtivæ rei commodatæ consimilem. Nec refert † quod hæc actio & antè competit quàm reus tergiversatus sit: rarissimè enim ad judicem itur 3
priusquam mora præcedat. *l.3.de Vsur.* Eandem interpretes in rem scriptam † dixére, quia contra quemcunque detinentem parata est. 4
ut hic in §§.seqq. adeoque contra quemcunque qui restituendæ rei facultatem habet.*l.5.§.sed etsi ratis.4. inf.eod.*

§.Sciendum.

1. Iudicium ad exhibendum dicitur summarium, & quare.

2. Summario judicio proceditur in causis minoris momenti.

3. Et alimentorum.

4. Idem est in Edicto Carboniano 5. & quando mulier ventris nomine mitti postulat in possessionem bonorum. 6. aut actor ob contumaciam rei in bonorum poss. mittendus est.

7. Perinde dicimus quando periculum est in mora.

8. Item in exsecutione judicati. 9. danda dilatione. 14. item in notorijs.

11. Causis jurisjurandi, confessionis & similibus.

12. Idem est si id Princeps jusserit ex moventi causa.

13. Perinde dicimus de causa mercedis. 14. electionis & collationis ecclesiasticæ.

15. Item de causis miserabilium personarum.

16. Quando in judiciis controversum est utrum interrogationes admittendæ.

17 Generalis observatio de causis summariis cognitioni judicis relinquendis.

IN judicio ad exhibendum summatim cognoscitur an actoris in-
1. terlit. *per hunc text.* Ideoque id etiam nuncupant judicium † summarium & extraordinarium, eò quod sine consueti judicij solemnitate exerceatur, Sufficit enim in ijs probatio semiplena & termi-
2. ni judicio arbitratij. *gl. Cost. D D. hic.* Tractemus † in quibus causis aliàs summatim procedatur. *1.* Sine solennitate consueta proceditur in causis minoris momenti. *auth. nisi brevioris. & in ea Legista. C. de Sent. Ex Brevic. Recit.* Vnde Curia Parisiensis judicem mulctavit qui in rebus minimis ordinaria procedendi forma usus erat.
3. *Costal. in l 4. de In Int. Rest. 2.* In causis † alimentorum liberis dandorum. in ijs enim solummodo quæritur an liberi sint. *l. si quis à li-*
4. *beris. §. si vel parens. de Lib. Agnoscen. 3.* Cum filius ex edicto † Carboniano mitti in possessionem postulat. *l. 3. §. causæ. de Carbon. Edic.*
5. *4.* Cum † mulier ventris nomine mitti in possessionem supplicat. *l. 3. §. si ea de ventre in poss. mitt. 5.* Cum ob id quod † reus emanet
6. ac latet actor in possessionem ex decreto magistratus mittendus est.
7. *l. 2. in fine. C. Vbi In Rem Agi Opor. 6.* Quando † periculum est in mora. *Ias. in l. naturaliter. de Acq. Poss.* verbi gratiâ, si in causa possessionis periculum sit ne partes veniant ad arma, namque aliàs in possessorijs hodie requiritur ordinarius processus, *Gail. 1. Obs. 7.* præterquam in possessorijs minoris præjudicij. *l. momentanea. C.*

Vnde

Vnde Vi. 7. In causa † judicari per officium judicis exsequendi, in qua simpliciter quæritur, an sit judicatum. *l à Divo Pio. 3. si super. de Re Iud.* 8. In impetratione † dilationis. *vide in l. properandum. C. de Iudic.* 9. In ijs quæ † penitus notoria sunt. *not. in l. ea quidem. C. de Accusat.* 10. Si agatur contra † confitentem, vel juramento delato causa sopita sit. *l. post rem judicatam. 56. de Re Iud.* idemque intelligendum est de instrumentis Guarentigionalis. *vide nostra. in d. l post rem.* 11. Quando Princeps † ex movente causa summarium processum injunxit. *Maran. p. 4. distinc. 9. num. 3.* 12. In causa † mercedis præcipuè professorum, medicorum, literatorum. *vide l. 1. & seqq. inf. de Extraord. Cog.* Quod & ad mercedem operariorum relatum est. *Althus. lib. 2. iurisprud. Rom. cap. ult. allegans Deut. 24. cap. & Levit. 30.* 13. In electione † & collatione beneficiorum ecclesiasticorum. *Mar. d. lo. num. 42.* 14. In causis † miserabilium personarum, uti viduarum, pupillorum, pauperum. *fac. l. illicitas. §. nec tenuis. de Off. Præs. Novell. 15. cap. sit tibi quoque.* 15. Quando in judicio † controversum est an interrogationes admittendæ sint. *l. si sine. 9. §. illud quæsitum. de interr. in iure facien.* Denique quando aliàs summaria † tantùm cognitio necessaria sit, magnâ ex parte magistratuum arbitrio subjacet. *l sæpe audivi. 8. de Offic. Præs.* Modò illud observemus, in causis gravioribus, verbi gratiâ, beneficiorum, decimarum, usurarum, fructuum, quæ & ipsæ de plano tractari solent; *c. dispendiosam de Iudic. in Clem:* summariam cognitionem remittere quidem processum ordinarium, sed probationes nihilominus & defensiones requiri plenas. *c. sæpe. de Verb. Sign. in Clem. Cost. hic.*

8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.

Ad l. Iulianus. 9.

1. *Ad exhibendum actio parata est ob rem corruptam. & num. 3.*
2. *Semel tantum institui potest.*
4. *Quando post rem restitutam eadem etiamnum agi possit.*

§. SED SI QUIS REM DETERIOREM.) Re deteriori redditâ certum est hanc actionem † esse, sed ita si res in aliam formam vel corpus sit mutata, *tex. hic.* namque res ita exhibita, videtur abesse. *l. mulier. 13. §. res abesse. de Verb. Sign.* eoque meritò hæc actio superest. *arg. l. etiam. 28. de Solut.* quippe † quæ sæpius ex eadem causa non solet institui, *l. 12. §. 1. inf. eod.* Quod si res simpliciter dolo vel culpa possessoris sit facta deterior, in factum actio succedit. *l. exhibitionis.* 1. 2.

C. *ad Exhib.* vel etiam Legis Aquiliæ actio, si corpore damnum datum sit. *l. non solum. 13. de Rei Vind.* Non igitur (ut Costalius sensisse videtur, *inf. in l. 3. Commod.*) si sciens rem læsam actor recipiat, sibi in damno facto præjudicat: sed idem alijs etiam actionibus resarciri potest, *per text. jam alegatos.* Nec defendit Costalium l. ult. de Eo Quod Certo Loc. quàm ille pro opinionis suæ fundamento ponit, quia ea simpliciùs de purgatione moræ agit, eoque ab hac re penitus est separata. Nec obstat † l. qui tabulas. 42. ff. ad L. Aq. ubi & hoc casu ad exhibendum actio datur, quia id ita est quando statim ab initio rei corruptæ nomine ad exhibendum agitur. Porro quod Doctores † cùm hic tum infrà *in l. 12. eod. l. 1. §. si res depos. l. 3. §. 1. Commod.* latiùs disputant de actione una ac eadem, aut alia rei læsæ vel corruptæ nomine sæpiùs instituenda, id nos pleniùs alibi tractamus. *vide in l. & eleganter. 7. §. non solum. sup. de Dolo. & lib. 5. Subtil. nost. c. 14.*

3\. (margin, beside "nitus est separata. Nec obstat")
4\. (margin, beside "Doctores † cùm hic tum infrà")

Ad l. 12. §. 1.

VIde quæ ponimus *in l. 9. §. sed si quis.* suprà eod. Vbi & hic locus explicatur.

LIBER VNDECIMVS.

DE INTERROGATIONIBVS IN IVRE FACIENDIS ET INTERROGATORIIS ACTIONIBVS.

PAucissima hoc loco de hac re tractabimus, quia interrogationes in jure, præterqnam in casibus perpaucis, non frequentantur. ut hic in l. 1. §. 1. h. t.

Ad l. 1.

§. 1. INterrogatoriæ actiones hodie non frequentantur, quia nemo cogitur ante judicium de suo jure aliquid respondere, prætcrquam in actionibus hæreditarijs. *ut hic. & l. cogi. C. de Hær. Pet.* Et quidem videtur olim consuetum fuisse, ut quisque in causa etiam propria interrogari posset, unde si quis ex responsionibus proprijs conveniretur, interrogatoria actione conveniri dicebatur?

Quanquam

Quanquam interdum interrogatus, an hæres sit, respondere non cogatur, ut si conveniatur à tertio, *per hunc tex.* Sed hoc jure Codicis correctum est, si possessor hæreditatis ex contractibus defuncti in judicium vocetur. *l. fin. §. sin autem.* C. *de Hær. Pet.*

Denique interrogatoria actio dicitur quæ ex responso interrogati datur. *l. de ætate* 11. *§. qui interrogatus. infrà eod.* ut confessoria interdum dicta est, quæ ex confesso datur, seu confessione ultrò facta. non quod propriæ eæ actiones sint, sed quia sine alijs probationum adminiculis ex responso ac confesso paratæ sunt. Iunge tamen his quæ ponimus suprà *in l. ult. de Rei Vind.*

Finis secundæ partis.

P. BVSII IC.

COMMENTARII IN PANDECTAS DNI IVSTINIANI SACRATISS. PRINCIPIS.

cum differentijs

IVRIS CANONICI, ET CONSVETVDINVM AD VSVM

huius seculi compositi.

Pars III.

Qua pleraque contractuum & negotiationum jura explicantur.

Nn n

NOBILIBVS VIRIS

MAGNIFICIS DOMINIS, PRAETORI, CONSVLIBVS. ET MAGISTRATIBVS ORDINIS IVSTITIAE PARITER ET POLITIAE.

Potentissimæ

AMSTERODAMENSIS

Reipubl. Emporij ibidem beatissimi, & in orbe terrarum omnium maximi Auctoribus Prudentissimis Felicissimis,

Hanc partem tertiam
Commentariorum in Pandectas L. M. Q.
Dicat, Consecrat
Paulus Buis IConsultus.

DE

DE REBVS CREDITIS SI CERTVM PETATVR ET DE Condictione.

Tit. I.

Ad Rubr. & l. 1.

1. *Crediti vox generalis, interdum strictior est. & num. 3.*
2. *Creditoris vox arctior.*
4. *Certi condictio an ex mutuo induat speciem certam. & 5.*
6. *Quare hic titulus sit inscriptus de Condictione.*
7. *Sub generali titulo hoc quare edicatur separatim de Commodato, Deposito. &c.*
8. *In condictione furtiva quid singulare.*
9. *An etiam certi condictio ex contractu innominato sit.*

CReditum † seu rē creditam à credendo dicimus, cuius significatio generalis ad quamcunque causam pertinet, ex qua exigi aliquando potest. *l. 1. hic. l. creditores. 10. de Verb. Sign.* Vlpianus † tamen 1. 2.
creditoris nomen ei cui sub conditione legatum est, convenire non putat, in contractu conditionali contrà statuit. *l. is cui. de Obl. & Act.* Sed ea distinctio ad arctiorem eius vocis significatum referenda est. Nam † & strictiùs interdum creditum pro mutuo dicimus. *l. 2. §. 1. verb. nam in ceteris rebus ideo in creditum ire non possumus. infrà. h. t.* Sic certi † condictio generalis parata est in omnes 3. 4.
qui rem vel pecuniam certam debent quacunque ex causa. *l. 9. infrà eod.* speciatim tamen hîc & pro mutui condictione accipitur; quemadmodum & aliàs specialis actio si certum petatur, de SUFFRAGIIS & alia de CHIROGRAPHIS, proposita fuit. *C. Theodos. isto tit.* Vnde quæsitum est, utrum † generalis actio certíve 5.
condictio hæc, ex mutui causa speciem induat singularem? Quod magis est, *per l. 2, vers. nam in ceteris. infrà.* Planè licet id alij disputent (dissenserunt enim in hac re Brocardici ab Vltramontanis, *hanc sc. sententiam probat Bart. hic quem & ceteri Itali secuti sunt,* à quo dissenserunt *Petrus de Bellapert. & alij Galli quos sequitur Zas. hic, num. 9.*) tamen quæstio ea omnino nihili est, parum enim referre dicendum est, utrum adoptionem adrogationi in specie oppositam dicas in generis, substantiâ manere, sive inducere speciem certam;

 & per-

6. & perinde igitur judicandum de ea quæstione est. Denique cùm † hoc titulo præcipuè de condictione certi ex mutuo agatur, rectè additum rubricæ fuit, DE CONDICTIONE. nam tametsi omnis actio personalis, qua intendimus dari fierive oportere, condictio sit. §. 1. *junc.* §. *appellamus. Inst. de Act.* mutui tamen actio hoc nomine propriè signatur. *in princ. Inst. Quib. Mod. Obl. Re Contr.* ad cujus similitudinem reliquæ condictiones dein' videntur introductæ.
7. Sub generali verò titulo de condictione, † ideo separatim de commodato, pignore, deposito edictum est: quia condictionibus propriis ferè contendimus dari oportere, eæ autem actiones nudam tantùm revocant detentionem, seu, ut impropriè loquamur, possessionem naturalem. *l. videamus.* §. *si possessionem. de Usur. Cujac in Par. h. t.* Quanquam † expeditum sit, etiam condictione furtivâ possessionem avocari. *arg. l. sive manifestum.* 10. *infrà. de Condict. Furt.* quippe quæ soli domino datur. *l.* 1. *isto tit.* & idcirco eadem conventus rem dare, hoc est dominium transferre non potest. Sed an
8. certi † condictio etiam ex contractu innominato competat, infrà tractatur *in l. 9. h. t.* ubi vide nostra.

Ad l 2.

1. *Mutuum quid & num.* 10.

2. *An mutuum fuerit si mihi eosdem nummos restituas quos tibi mutuo dedi.*

3. *Si pecunia ab initio eâ mente detur ut eadem restituatur, an mutuum sit.*

4. *Generis ejusdem restituendi æqualitas requiritur.*

5. *Num ei qui auream pecuniam mutuo accepit, restitui argentea possit, & an alterius monetæ, item quatenus, num.* 6.

7. *Qui argentum non signatum mutuò accepit, an signatum reddere possit.*

8. *Quid juris, si quis simpliciter dixerit accipe hanc pecuniam.*

9. *Ad quod tempus æstimatio referenda sit, remissivè.*

11. *Contractus mutui an rectè dividatur à Doctoribus.*

12. *Confessio procuratoris de pecunia mutuò accepta an noceat domino.*

13. *Quæ res mutuo dari queant. & num.* 14.

15. *Aliud pro alio invito non solvi.*

Mutuum

MVtuum est † contractus, quo rem quantitatis, id est quæ pondere, numero aut mensura constat, ita damus, ut eadem nobis genere ac quantitate non etiam in specie reddatur. nam ut Pau- 1.
lus ait, si ita detur ut postea reddatur idem, commodatum erit aut
depositum. *ut hic.* Vnde quæsitum † est, an mutuum fuerit, si eos- 2.
dem nummos quos tibi mutuo dedi, cum postea ijs non indigeres,
mihi reddas? quod Azo non putat, cum eadem species reddatur,
non genus, contra hunc textum. Diversum tamen obtinuit. neque
enim in forma cuiusque contractus (quæ propriam rei cuique speciem, seu, ut Logici, quæ esse rei dat) solutionis eventus spectatur, sed sola partium conventio & contrahendi modus, ea autem in
mutuo est numeratio quantitatis hac mente facta, ut eadem genere
quantitas restituatur. *princ. Inst. Quib. Mod. Re Contr. Obl. & per
hunc text. gl. hic. in verb. magis quam specie. Bart. hic. Donell. num. 5.
Zas. num. 9.* Non mutat quod solutio obligationis facta proponitur specie eadem, quia hoc fuit ex accidenti, *DD. hic.* & ad interitum seu solutionem contractus pertinet, non etiam ad contrahendi
formam. Si verò solutionis diversitas formam contractus mutaret:
jam æstimationis solutio, delegatio item & novatio hoc efficient,
ut nec ab initio mutuum contractum intelligatur, quod tamen di-
xerit nemo jurisperitus. Ceterùm † si ab initio ea contrahentium 3.
intentio sit ut eadem quantitas in specie reddatur, verbi gratiâ, si
qua res in pompam utenda detur, vel in alium quemcunque finem, nequaquam mutuum erit, *ut hic. & l. 3. §. fin. & l. seq. infrà
Commodati.* Sed generis † æqualitas requiritur, ne si alterius generis 4.
quantitas pro altera detur, verbi gratiâ, si de vino conveniat pro tritico dando, non mutuum sed permutatio fiat. Consistit enim similitudo ea in hoc, quod altera species seu res quantitatis, alterius vice per solutionem in genere suo fungitur. *§. 1. in hac. l.* Quamobrem
in proposito non est opus ut altiùs inquiramus, quare res quantitatis in genere suo functionem recipere dicantur, cùm satis sit quod
textus hic explicet se ipsum. Planè aliud genus pro alio solvi non
posse certissimum est, idque pluribus infrà explicamus. *in l. vinum.
22. inf eod. tit.* Illud disputatum est, Num ei qui auream † pecuniam 5.
mutuo accepit, restitui argentea possit, sive an alia moneta solutio
fieri, quàm qua contractum mutuum est. Quod Bartolus non putat, *Bart. ad l. 1. §. fin. de Auro & Arg. Leg. Paul. Alex. & Aret. hic.
Immola in l. Paulus. de Solut. Abbas in c. quanto de Solut.* Moventur
argumento huius textus, quo relatum est aliud pro alio invito creditori solvi non posse. *ut hic.* Fachinæus tamen contrà statuit, *per l.
Paulus. 99. incipit aliàs, creditorem. de Solut.* Nos distinguimus ex moribus hodiernis, ut pecunia numerata qualiscunque loco alterius

Consuetudo huius seculi proba.

mutuo datæ solvi possit, si non intersit creditoris, eò quod hæc non tam ex substantia quàm quantitate usum dominiumq́ue præbet. *l. 1. de Contr. Empt.* Quod si verò eius intersit, contrarium dicimus. *per d. l. creditores. aliàs l. Paulus. aliàs l. debitores. 99. de Solut.* Atque hæc distinctio consuetudine probata est, *Bartol. & Fachin. d. loc.*

Consuetudo Gallia. Quando vero creditoris intersit, id ut aliàs ita in proposito quoque in facto consistit, & judicis officio expendendum est. Illud † apud
6. Molinæum annotatum est, in Gallia neminem cogi minutam pecuniam recipere in debitis magnæ quantitatis, Quamobrem trac-
7. tari potest, An is qui non † signatam argenti quantitatem mutuo accepit, signatam solvere queat, quod re, uti par est, examinata, inter plerosque constat, etsi enim nonnulli id vix admisisse videantur *Butrig. & uterque Sali.. teste Aret. nec non Petro & Cino ad l. si quis argentum. C. de Donat.* quos ipsos etiam hic textus movit, & contrarium alijs visum fuerit (quod in donatione & legato æstimatio pro argento dari potest, *l. si quis argentum. C. de Donat. l. 1. §. fin. de Auro & Arg Leg. & l. cum aurum. § proinde. D. eod gl. Alex. Jas. Dec. Alciat. Zas. hic in §. mutui)* in eo tamen omnes re ipsa conveniunt, ut, si eiusdem bonitatis & ponderis nummi signati sint, cuius quantitas data fuit, non referre utrum ea in nummis restituatur. Illud tamen controversum fuit an creditorem argentum ære contaminatum recipere pro argento puro oporteat, (quod Castrensi placuit) an verò contrà (quod Alexandro visum est) sed rectè Alciatus respondit, si non intersit creditoris, id est, si tanto amplius detur, quanto & inæqualitas resarciri, & sumptus separandi æris ac periculum igne consumendi, repensari possit, Castrensis sententia admittatur, *per d. l. Paulus.* cumq́ue ea & Alexandri opinio conveniat; quia hæc non aliter procedit quàm respectu difficultatis & sumptus unum ab altero separandi. An verò pecunia mutuo data statim repeti queat, infrà tractamus suo loco. *ad l. cum. qui se. §. quoties.*
8. *de Verb. Obl.* Ceterùm si quis ita † pecuniam tradiderit, ut simplicius dixerit accipe hanc pecuniam, quæsitum est quis contractus sit? Nonnulli enim mutuum, esse volunt, *Cin. in l. incendium. C. Si Cert. Pet Bart. Angel. Castr. ad l. cum quid 1. infrà h. t.* movet quòd ex ipsa pecuniæ numeratione mutuum argui videatur. *l. certi condictio. §. quoniam. infrà eod. l. Lucius. 1. Depos. & l. in nave. Locati.* Alijs verò placuit contractum innominatum esse. *Alciat. in d. l. cum quid. num. 38. Zas. num. 42. & lib. Sing. Resp.* [illegible] idq́ue ex eo collectum est, quod in dubio contractus quisque producere actionem præscriptis verbis, censetur. *per l. 1. de Æstim. Act. l. 1 & l. si gratuitum. de Præscrip. Verb.* Rursum alij depositum fore putant. *gl. & Bald. in l. die sponsaliorum. §. 1. Depos.* idq́ue ita quia non appareat de alia

mente,

mente. *per doctrinam Castr. in l. 1. Si quis Caut.* Menochius verò eo casu donationem contractam censet. *Menoch. lib. 3. Præsump. c. 34. num.* 17. Movet eum quod dici solet, Repeti non posse quod quis sciens animo repetendi præstat. *l. quod quis sciens. de* Condict. *Indeb.* Ego respondi in tam absurda interpretum varietate, rem ex facto arbitrio judicis relinquendam esse, *arg. l. 1. de Jure* Delib. Vt nimirum quàm maxima indagine sumpta, si appareat, quid statuendum sit, illud sequatur, sin secùs, quod minimum eligatur, ut scilicet res in depositum cadat. *gl. in d. l. 1. infrà h. t.* Nec ad rem facit d. l. quod quis sciens. de Condict. Indeb. quia ea procedit quoties præstatio ex tali causa procedit quæ solutione facta repetitionem per se impedire consuevit. Siquidem donationem in casu dubio non præsumi expeditum est. *l. cum de indebito. de Prob.* Planè si † occasio postulet, ut pecunia mutuo data æstimanda sit, ad quod tempus referenda æstimatio sit, infrà tractamus, *in l. vinum. h. t.* Est verò † mutui contractus stricti juris. *DD. in §. actionum. per ibi not. Inst. de Act.* Quod ita de contractu per metonumiam dicimus, habita scilicet ratione effectus, hoc est, actionis quæ ex mutuo resultat. Sed & juris gentium esse putatur. *§. & ex hoc Iure. Inst. de Iure Nat. Gent. & Civ.* Dividitur † verò in naturalem qui solâ numeratione & partium consensu constat, ac civilem, quæ solâ cautionis expositione perficitur, cum pecunia re ipsa numerata non sit, & mixtum cujus civile per stipulationem vel consimilem contractum cooperatur. *gl. hic. in §. fin. Zas. hic. in §. ult. num. 24. Minf. & Schneid. in princ. Inst. de Obl. Quæ Re Cont.* Sed ea divisio per se juri nostro ignota est, ita nescio cui idoneo deserviat fini. Cuiusmodi innumera apud leguleios deprehendas, quæ tamen re ipsa officiunt magis quàm instituant. Denique an confessio procuratoris, qui † ad pecuniam mutuò accipiendam constitutus est, domino nocere queat, quod nonnulli hoc loco tractarunt, id nos fusiùs explicamus infrà, *in l. certum. 6. §. sed & an ipsos. de Confess.*

9.
10.
11.
12.

§. Mutui datio consistit in his rebus.) Videamus quas demum res mutui contractus admittat. Et quidem † generalis ea definitio est, Mutui dationem in his rebus consistere quæ pondere numero aut mensura constant, *ut hic.* Quales sunt pecunia numerata, triticum, omne frumenti genus, butirum, vinum, oleum, lac, argentum, metallum quodcunque, ligna, lapides qui vel mensura, vel numero vel plaustri aut navigij æqualis restitutione adpenduntur. Idemque de panibus † dicimus. Quod licet Bartolus ita definiat, si pondere constent, *Bart. hic.* tamen quin idem sit etiamsi numerentur tantùm, & ex hoc textu constat, & vulgo receptum est.

13.
14.

Vers.

15. Vers. Nam in ceteris.) Nota † ex hoc textu, aliud pro alio invito solvi non posse. Quod quatenus ita sit, vel minùs, fusiùs infrà tractamus, *in l. vinum. 22, infra eod.* & suprà in principio huius l.

Ad l. cum quid. 3.

1. Vinum vetus pro novo vel contra quatenus solvi queat, & num. 2. ac 3.

4. Quomodo intelligatur tacitè actum ut eiusdem bonitatis res reddatur.

5. Quid juris si ne quidem de ipso mutuo actum esse constet.

1. HÆc lex † notanda in eo est, quod in mutuo quantitatem non modò genere, sed & qualitate parem solvi oporteat. Proinde vinum vel alia res nova pro veteri, & vice versâ, vetus pro novo solvi non potest. *tex. Gl. Gothofr. hic. Alciatus ibid. num. 11.* Quod hanc
2. † temperationem habet, si intersit creditoris potiùs, quale dederat, recipere, quàm novum. *arg. l. creditorem. 99. de Solut.* nam si eius nihil intersit, & perinde bonum reddatur, quin vetus pro novo restitui queat, nulla dubitatio est. Proinde quod Bartolus hoc loco longiori discursu prosequitur utrum fieri queat, nimirum vetus pro novo solvi, an verò contrà, id omne in facto consistit. Illud quidem constat, nonnullum vini genus vetus melius esse, uti de Rhenensi vino plerumque evenit, ex alio verò genere novum præferri, quod de vino Gallico in his saltem locis Belgicæ compertum est: sed interim benedictio divina unius anni tanta esse potest, ut vinum recens quocunque veteri præstantius sit; quo casu etiam de vino Rhenensi constat, novum præferendum veteri esse. Rursusque evenire potest ut posterioris anni calamitas tanta sit ut de Gallico etiam statuamus, vetus præferendum novo esse. Proinde Iurisconsulti responsum hoc loco cum temperamento accipiendum est, novum puta pro veteri solvi non posse, si id deterius sit. Quatenus † verò hoc
3. ita sit an minùs, id omne, quia, ut dixi, consistit in facto: judici ex
4. officio finiendum. Planè † quod dicimus, tacitè actum intelligi, ut perinde bonum reddatur. *ut hic.* id dubitationem admittit ex eo, quod hic contractus stricti juris censetur; in quo genere nihil venit præterquam quod dicto comprehensum est. *l. quicquid astringendæ. 99. ubi not. DD. de Verb. Obl.* sed respondemus, de bonitate eadem quantitatis cautum intelligi ex ipsa contractus huius natura. *rectè*
5. *Angel. in princip. Inst. Quib. Mod. Re Contr.* Denique, si † simplicius nummi numerati sint, idque sine expressione contractus, quod negotium

negotium initum intelligatur; *suprà exponimus ad L. 2. num. 8. h. t.* Planè si occasio postulet ut de æstimatione quæratur, quid statui oporteat, infrà tractamus *in l. vinum. 22. h. t.*

Ad l. si quis nec causam. 4.

1. *Quid juris sit de re depositari solius gratiâ relictâ. & n. 2. 5. & 6*

3. *De quo periculo hic textus accipiendus quàm controverversum sit.*

4. *Depositarius qui se deposito obtulit ad quod periculum teneatur. & num. 7.*

QVi pecuniam † apud alium solius recipientis causâ deponit, verbi gratia, ut is eam usui suo sine fœnore quando velit, mutuo usurpet, rem depositarij periculo relinquit. Quod & ita de eo est qui speciem † vendendam accepit ut pretio uteretur. *ut hîc & in l. rogasti. infrà eod.* Sed aliàs in deposito periculum deponentis est, nisi reus sit in dolo. *l. contractus. de Reg. Iur.* cum depositum ferè cõtrahatur gratia deponentis. Sed † controversum fuit de quo demum periculo hic textus accipiendus sit, nam & periculum interdum denotat damnum per culpam contingens. *l. si ut certo. 5. §. commodatum. & § seq Commod.* Ceterùm quia & subinde pro damno fatali ponitur, *ut l. si gratuitam. §. 1. & 2. de Præscript. Verb. l. 1. C. Commod.* dubitatum est de quo periculo depositarius in specie huius legis teneatur? Ioannes enim glossator, (*quem sequuntur Decius, Molinæus. & Donell. hîc.*) eum ad casum quoque fortuitum teneri putat, quia hic contractus naturam mutui induat, in quo certum est rem interire periculo domini, *l. incendium. C. Si Cert. Pet.* idque & per d. l. 11. infrà eod. evinci videtur. Bartolus, Castrensis, Zasius, Viglius contrà. *hoc loco.* rem deponentis periculo esse, priusquam puta depositarius eâ utatur. quando enim ad id usque momentum dominus sit, meritò quoque casus fortunæ damno ipsius accidit. *l. pignus. C. de Pign. Act.* Quamobrem † & aliàs depositarius qui se deposito obtulit periculo se obligasse dicitur, cum tamen tantùm de culpa levissima teneatur. *l. 1. §. sæpe. infrà. Depos.* Et hoc igitur magis est. Nec mutat hic textus, quoniam † in deposito, etiam interdum periculum venit nomine damni quod culpa levissima accidit. *ut in d. l. 1. §. quod sæpe fac. d. l. 5. §. Commodatum.* Proinde † & parum ad rem facit d. l. rogasti. §. lancem. quia quod ibi dicitur sine culpa, de culpa lata ac levi accipiendum est. Certum † enim est rem eam

[margin numbers: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.]

judicandã esse ex regula generali de periculo ac damno rei traditæ, ut consideremus utrius cõtrahentium gratiâ conventum sit, quando igitur in proposito solius accipientis gratiâ contractum est; constat etiam eum qui suo solius suo rem recepit, periculo quoque illam habere suo, adeo quidẽ ut ad culpam levissimam obligatus sit, periculo oppositam. *per d. l. contractus. de Reg. Iur.* Extra eam verò certum est rem quamque domino perire. *d. l. pignus. C. de Pign. Act. DD. in d. l. contractus.* Planè si res ab initio æstimata sit, sine dubio periculum omne accipientis erit. *l. 1. §. 1. de Æstim. Act.*

Ad l. Quod te mihi. 5.

1. *Debitor speciei quàm primùm in mora est, obligatur rei periculo.*

2. *An idem sit de debitore qui pecuniam debet respectu rei.*

3. *In rebus æstimato datis cujus periculum sit.*

4. *Quod dicimus morosum debitorem periculo rei obligari, an id etiam pertineat ad moram ex re.*

5. *In debito generis quid juris de rei periculo sit.*

6. *Quid juris si creditor fuerit in mora recipiendi.*

7. *Delicta in periculo rei subeundo an moræ æquiparentur & quatenus.*

8. *Culpa quatenus moræ similis sit in hac re. & num 9.*

10. *In vindicationibus diversa periculi ratio est ab actionibus in personam & num. 11.*

12 *Occidisse quis dicatur.*

13. *Quid juris de periculo sit; si promissus sit servus alienus.*

14. *Quid si quis in culpa rei perditæ fuerit, ignorans tamen se debere. num. 15. & 16.*

17. *Quid juris sit si res eodem modo apud creditorem peritura fuisset. num. 18. & 19.*

20. *In interdicto Unde Vi, Act. Quod Met. Causâ, Condict. Furt. quid singulare. num. 21. ac 22.*

1. DEbitor + speciei quàm primùm in mora est, periculo rei obligatur, *per hunc tex.* ante moram verò creditoris periculum est. *l. Electio. 26. §. si is quem. 4. de Nov. Act. l. Titia. 36. §. fin. de Leg. 1.*

At

At verò eius qui quantitatem debet, periculum semper est. *l. incendium.* 11. *C. Si Cert. Pet. §. item is. Inst. Quib. Mod. Re Obl. Contr.* Vnde tractatum † est, An debitor pecuniæ respectu speciei; (verbi gratiâ, cum hæres damnatus esset alicui stichum dare, & rursum alteri eundem stichum, secundo verò, quia unum eundemque duobus præstare non posset, æstimationem promiserit) debito quantitatis liberetur interitu speciei? Non liberari, Cumanus & Ripa senserunt, Moventur per l. hominem. D. Mand. *& l. æstimata. Sol. Matr. & l. fundum Cornelianum. de Novat.* Diversum tamen plerisque visum est *Castrens. Alex. Ias.* Dec. *Alcia.. Cagnol. & alij hic.* Cum diserte responsum sit, Si alteri stichum hæres dederit quem duobus dare damnatus erat, & antequam interpellaretur ab altero, sticho mortuo, hæredem non teneri, quia nihil per eum intelligatur factum. *l. Titia textores. §. fin. de* Leg. 1. nam & hic alteri ad quantitatem seu æstimationem hæres obligatus erat, *convenit l. si res. 20. de Leg. 3. & l. filiusfamilias miles. §. fin. de Leg.* 1. Quinimo ampliùs, si non quidem duobus servus legatus sit, sed uni tantùm, alteri verò aliquid usque ad pretium servi, deinde servus decesserit, nihil fideicommissi nomine præstandum venit. *l. quidam testamento. §. si tibi. de* Leg. 1. Petinde dicimus, etiamsi hæres ipse promiserit quanti res legata fuerit. *l. 1 §. fin. cum l. seq. Si Cui Plus Quàm Per L. Falc.* Eiusque rei argumentum etiam est ex tractatu actionum noxalium, *in l. 1. vers. planè. Si Quadrup. Paup. Fec.* Dic. *& l. si servus communis. de Furt.* Denique ad sententiam reliquorum quod attinet, certum est, eam quidem procedere in responsis ijs ac speciebus quas ipsi in argumentum adsumunt, non tamen idcirco ea contra definitiones reliquas in consequentiam trahenda est. Namque ad l. fundum. de Novat. quod attinet, constat ibi ex novatione æstimationem deberi, ea verò, quia debitoris culpa nulla intervenerat, meritò ad tempus præsens redigitur. Nec pertinet proinde ea propriè ad propositum thema. At verò in l. hominem. Mand. rectè subintelligitur intervenisse morâ. In l. vir uxori. 8. de Dote Præleg. speciale est favore dotis. Quantum † verò attinet ad l. æstimatæ. Sol. Matrim. & l. plerumque. de Iure Dot. ijs atque alijs similibus agitur de rebus æstimatis, quæ instar rerum venditarum sunt, & respectu periculi ac perditionis in æstimationem intelliguntur deductæ. *l. 1. §. 1 de Æstim. Act.* Itaque re ipsâ nulla inter utramque sententiam illam dissensio est. Denique quod † de mora diximus, per eam effici ut debitor rei periculo obligetur, quæritur an ad moram solum pertineat, in quam reus cadit per interpellationem, an verò etiam ad moram quam dicunt irregularem, id est quæ oritur ex implemento contractus ab altera parte facto, seu morâ ex re? quod non videtur, *per l.*

2. (margin, beside "Vnde tractatum † est")
3. (margin, beside "Quantum † verò")
4. (margin, beside "quod † de mora")

naturalis. §. *sed si scyphos.de Præscrip.Verb Alciat.hic. circa fin. Alex. in l de divisione.Sol.Matrim.* Denique tametsi Iason & Cagnolus illam sententiam communem dicunt; ipsi tamen ab ea discesserunt, moti videlicet per hunc textum, quo etiam is in mora esse censetur, qui quaqua ex causa justa intelligit se dare oportere. Altera interim sententia obtinuit, & notam rationem habet: nam cum emolumentum rei debitæ ad creditorem spectet, *per tex.in d.l. curabit.* & in actione præscriptis verbis id quod interest loco emolumenti (ni res ipsa præstetur) succedat: rectiùs dicimus periculum etiam spectare ad creditorem, *l id quod.7.& l.8.infrà.de Per.& Com.*
5. *Rei Vend.* Porrò, ut latiùs de periculo † rei debitæ agamus, illud observandum est, Si de debito generis agatur, distinguendum esse, ut si homo vel argentum simpliciter debeatur, omnesque servi, aut omne argentum debitoris perierit, periculum nihilominus eiusdem esse; sin autem ex ijs quæ debitor habet, homo vel pondus certum debeatur, quia id ferè in speciem incidat, periculum quidem sit creditoris. *l. in ratione.30.§.incerta. D. ad L.Falc.* Sed ita nisi debitor fuerit in mora solvendi. *per hunc text.* quando verò mora committa-
6. tur, vide text. *& quæ nos ibidem in l.mora.de Vsur.* Planè si creditor † moratus sit in recipiendo, posteaque res pereat, qualiscunque etiam res debeatur, itemque licet debitor antè fuerit in mora, periculum creditoris est. *l.8.in princ.de Condict.Furt.l.qui decem.72. in-*
7. *frà. de Solut.* Ceterùm quod de mora dicimus, id etiam ad delicta † pertinet, nimirum ut delinquentis periculo res sit perinde atque eius qui fuit in mora, *l.1.§.rectissimè.34.l. meritò infra. de Vi & Vi Arm.l.subtracto.C.de Furt.* namque is contrectatione rei alienæ jam ab initio in mora esse censetur. *l.8.§.pen.de Condict.Furt.l.inter.83. § pen.de Verb. Obl. & ibi* DD. Cui simile est quod ipse debitor hominis, si illum occidat, consecret aut manumittat, perinde tenetur, ac si moratus sit, est enim hic etiam in culpa, quæ ipsa & obligationem perpetuare solet. *l.si servum.91.§.sequitur.de Verb.Obl.* Ipsa ta-
8. men culpa † propriè mora non est. cum mora mera tantùm tardatio sit quæ offerendo purgari potest, *d.§ sequitur.* cedes non item, tametsi utriusque in perpetuanda obligatione jus sit æquale. *l. si ex le-*
9. *gati. 23. de Verb. Obl.* Planè † de culpa ad perpetuandam obligationem quod dicimus, id non etiam intelligimus de culpa quæ consistit in sola negligentia servi curandi, verbi gratiâ, si ægroto medicus non fuerit adhibitus, similive incuria perierit. Est quidem cessatio etiam culpa, sed talis quæ in nõ faciendo consistat, & à mora in-
10. terim restituendi propria, sit diversa. Sed aliud † in vindicatione obtinet, eo quod possessor eadem conventus etiam negligentiam præstat. *d.l.91.* Cur hæc tam variè? in re nimirum aliena custodienda summa

summa adhibenda diligentia est, sed in ea quæ traditione demum nostra alterius fit, modò dolus aut lata culpa absit, paulo nobis negligentius versari licet. Atque hæc † ratio & eatenus diversum in 11. legatis ac fideicommissis admisit, in quibus scilicet, cessare quidem utcunque hæredi ad curandam rem licet, *l. mulier. §. sed enim. Ad SC. Treb.* moram sine periculo suo committere non item. *l. cum res. §. fin. de Leg.* 1. Planè † occidisse quoque is videtur, qui post stipulationem servum alteri vendiderit, quem dein' occiderit emptor. Si 12. quis autem alienum servum promiserit, † isque perierit ante moram promissoris, sive à domino manumissus sit, stipulatio extinguitur, *d. l.* 91. §. 1. Idemque est, si quis servum promiserit, & is sine 13. facto ipsius pervenerit ad libertatem, puta ex casu statuliberatis à defuncto relictæ. *tex. ibid.* Ceterùm † qui ignorans se debere, servum occiderit vel manumiserit, perinde tenetur. *d. l. 91. §. 2. junc. l.* 14. *quidam §. pen. Ad SC. Trebell.* Nec † mutat quod ignorantia impedit repetitionem ob causam dati *l. in summa. §. pen. de Condict. Indeb.* cum repetitiones magis ex bono & æquo sint, sed postulationes 15. ex stipulatu strictiores. Ceterùm & † donatarius mortis causa, quia scit, vel saltem scire debuit, donatorem, si convaleat, servum posse 16. repetere, eo casu pretium manumissi restituet. *l. si is cui. 39. de Donat. Caus. Mort.* Sed † quæsitum est, An quod de periculo debitoris dicimus, si mora intervenerit, an id non ita temperandum sit, nisi 17. res & omnimodo apud creditorem peritura fuisset? rectiusque dicimus eo casu debitorem liberari morâ præviâ non obstante. *l. si plures. 14. §. fin. Depos. l. item si verberatum. §. fin. de Rei Vind. l. cum res. 47. §. fin de Leg.* 1. Ac † tametsi id in posteriori lege hac non tam 18. generatim referatur: species tamen eius id non indicat obscurè, nam dum ibidem proponitur, si post moram legatum perierit, periculum hæredis esse; eò quòd acceptum legatarius vendere potuit (quo casu apud legatarium res peritura non fuisset) è diverso consequitur, si eum distrahere non potuisset, ut omnimodo ea & perisset apud creditorem, hæredem liberari. Ceterùm hoc † in interdicto unde vi paulò aliter servatur. nam & qui vim fecit, etiamsi a- 19. ctor quò minùs interdictum institueret, moratus sit, tamen tenetur. *l. pen. de Vi & Vi Arm.* Idemque est † in actione Quod Met. Caus. 20. itemque in interdicto Quod Vi Aut Clam, quæ hactenus æquiparantur. In quibus omnibus hoc obtinet, ut re intra tempora judicati post sententiam sine dolo & culpa debitoris peremptâ (ad pœnam quidem teneatur propter facinus) à pretij tamen præstatione liberetur. Atque hoc propter recentem judicati actionem, in qua priusquam fieret mora, res perijt; præterquam si res apud eum cui vis facta est, peritura non fuisset. *l. item si cum. 14. §. quid si homo.*

11. *Quod Met. Cauſ. ubi dixi.* Sed & actionibus ijs † condictio furtiva, quod ad periculum rei attinet, comparatur. *l. ſubtracto. 9. junc. gl. pen. C. de Furt.* Quamobrem & hoc admittimus, ut mora per oblationem debiti in his purgetur. *l. 8. princ. l. parvi. de Condict. Furt.* Verum hoc rectè Cujacius ad condictionem reſtringit, cum in rei vindicatione teneatur ut quivis poſseſsor. *Cujac in d. l. ſi ex legati. 23.*
12. *de Verb. Obl.* Qui ibidem † author eſt, in tribus ijs judicijs, de metu, vi, condictione furtivâ, nunquam diſputatum fuiſse, num res peritura fuerit apud actorem an minùs, quæ an in alijs actionibus admittenda eſset, controverſum fuit olim. Eaque ipſa tria diſtinctionem admittunt, an res perempta fuerit ante moram intra tempora judicati. *d. l. 14. §. quid ſi homo.* quàm aliæ actiones omnes reſpuunt, ut rectè Cujacius autumat. *d. lo.* Atque hæc eſt ingenua totius hujus juris tractatio, de qua varietatem Doctorum (aliter quàm in pleriſque nobis uſitatum eſt) non propoſuimus, quia ea perquam varia eſt, & res hæc perfectius ex ipſis juris fontibus hauritur.

Ad l. omnia. 7. & ad l. 8.

QVæ ſtipulationi eadem & mutuo inſeri poſsunt. *ut hic.* Dubium movebat, quod hæc obligatio non tam verbis quàm numeratione contrahitur. *Inſt. Quib. Mod. Obl. Re Contr.* Sed quia contractuum omnium forma univerſalis mutua partium conventio eſt, idcirco conditionem & diem tam in mutuo quàm ſtipulatione admitti receptum eſt.

Ad l. certi condictio. 9.

1. *Certi Condictio ex qua cauſa ſit.*
2. *An ſit ex contractibus innominatis.*
3. *Explicatio huius textus.*
4. *Quemadmodum ex L. Aquilia certi condictio ſit.*
5. *Certi condictio ex L. Aquilia an dupli condemnationem admittat.*
6. *Zaſius confutatur.*
7. *An certi condictio etiam ad id quod intereſt detur.*
8. & 9. *Explicantur §. quoniã. & §. ſi nummos eiuſdẽ huius l.*

1. CErti condictio ex omni † causa competit, quâ certum petitur. Quamobrem hæc actio non ex contractu mutui ſolùm, ſed & pleriſque alijs parata eſt. *per hunc text.* Hcc quatenus ea actio generatim accipitur. *gl. Bart. Bal. Alex. hic.* nam & ſpeciatim pro condictione mutui ponitur, ut ſuprà monuimus, *ad Rubr. & l. 1. eod.* Sed an

† con-

† condictio certi etiam ex contractibus innominatis fit, videamus. 2.
Et quidem id sensisse videtur Cujacius *ad l. 74. de Verb. Obl. Borcholt c. 6. num. 4. de Pact.* Movet quod hoc loco relatum est, eam tam ex incerto contractu quàm ex certo nasci. Sed ego didici hoc ad contractus innominatos non referendum. Eiusque rei argumentum est, quod actio in factum ex ijs redundans, dicitur actio incerti. *l. 6. l. 8. l. ob eam. 9. infrà eod. tit.* Nec obstat quod hoc loco † refertur, ex 3.
incerto contractu certum posse condici: quia contractus incertus hic non dicitur innominatus, sed cuius ab initio incertus eventus fuit, ut qui sub conditione aut incerta die fuit initus. Idque consequentia huius textus verba indicant palam. Quemadmodum & ex stipulatu actio, qua ad præstationem facti agitur, incerti dicitur, quippe cuius forma & complexus, quamdiu illud nondum expeditum est, necdum patet, & in cuius locum post moram id quod interest, ipsum quoque incertum, succedit, *princ. Inst. de Verb. Obl. & alibi sæpius* condictione certi interim cessante. *l. si quis certum, infrà eod. vide Donell. hic. num. 4.* Nec mutat quod etiam ex L. Aquilia † 4.
certi condictio datur, *ut hic.* quia in ea non tam de eo quod interest incerto agitur, quàm de vera æstimatione damni; nimirum quanti res corrupta fuit. Illud quæsitum † est, An & certi condictio ex L. 5.
Aquilia dupli condemnationem admittat, quod non ita esse ingeniosissimo Accursio placuit, *seq. Bart. Bald. Alex. Ias. Dec. Alc. in Comment. huius l.* movet eos quod & aliàs quando commodum legis Aquiliæ in diversam actionem venit, incrementum non accedit. *l. item veniunt. §. cum prædiximus. de Her. Pet.* Zasius tamen disputandi causâ contrarium defendit. *lib. 1. Singul. Respons. c. 14.* Nec movet † 6.
quod ipse ex adverso adfert, quia omne id non tam confirmandæ sententiæ ipsius, quàm evertendæ alterius allatum videtur. Nam quod Zasius perhibet; duplæ jus ex L. Aq. ideo hæredi non dari, quia id ipsum nec competierit defuncto, falsa ratio est. Quia & defuncto id ipsum competijt, si non actu, saltem potentiâ. Minusque ad rem facit quod hoc loco ad simplum restrictio non fit: quia id subintelligitur eo ipso quod alia actio ex damno permittitur, quam lex introduxit. Denique & Zasius movetur argumento. l. in duobus. §. exceptio, de Iurejur. sed ea rectè inspecta, prope ipsius disputationem confutat. nam quia ibidem relatum est ex jurejurando actionē consumere causam mādati, societatis, & aliarum, ex quibus iusiurandum delatum est, inde prope consequitur propriam quāque extinctam esse. Rectiùs tamen dicimus actorem sibi imputare debere quod non elegerit actionem ex L. Aq. ipsa, cùm id in arbitrio ipsius fuerit. *l. quod in hær. §. eligere. de Trib. Ac.* Alia quæstio est, An certi † condictio etiā pro eo quod interest parata sit, quod Accursio 7.
quoque

quoque & Bartolo placuisse videtur. Movet eos quod hic dicitur, certi condictionem etiam dari quando ex incerto contractu agitur. Sed quis hoc loco contractus incertus dicatur, jam explicatum est, ut non sit opus ob eam causam deflectere à juris ratione recta. Minùs verò ad rem facit quod hæc actio etiam ex L. Aquilia parata est, quæ tamen in alium finem quàm resarciendæ æstimationis non videatur concessa, ea verò ipsa nihil aliud sit, quàm quod interfsit nostra: quia certi condictio ex L. Aquilia non aliter erit, quàm si quantitas certa æstimationis aut eius quod interest nomine postuletur. Idque ex eo evincitur quod certi condictio ex omni demum causâ competit, ex qua certum postulatur, *ut hic*. certum verò dicitur quod apparet quid, quale vel quantum sit, *l. certum. 6. suprà eod.* Atque hoc igitur plerisque visum est. *Cumano*, *Fulgos. Alber. Ias. Dec. Alc. Zas. hoc loco.*

1. §. *Quoniam.*) Notatur † hoc in textu quod & alibi, utile per inutile non vitiari.

2. *Si nummos.*) Quod † hîc dicitur, numeratione pecuniæ ab alio meo nomine, ignorante me facta, mihi condictionem quæri: id accipe si ratum habeam. Fit enim ratihabitione negotium eiusmodi meum. *l. 6. §. item quæritur. de Neg. Gest.* Neque enim aliàs facilè numeratione meo nomine factà mihi stipulatio quæritur, quanquam id in usuris pecuniæ mihi debitæ admittatur faciliùs. *l. si ita. 126. §. Chrisogonus. de Verb. Obl.* Sed videri hac de re queunt quæ nos suprà *in l. per procuratorem. 72. de Procur. & lib. 2. Subtil. nostrar. c. 6. per tot.*

Ad l. rogasti. 11.

1. *Cum tibi massam vel corpus vendendum dedi ut pretio utereris, quatenus mutuum sit. & num. 3.*
2. *Conciliatur cum hac lege l. qui negotia. 34. Mand.*
4. *Explicatur l. 6. C. Si Cert. Pet.*
5. *Quatenus res vendenda data unius vel alterius periculo sit.*
6. *Mutuum in amplius contrahi nequit quàm datum est, ad explicationem §. si tibi. huius l.*

1. CVm me † mutuam pecuniam rogares, ego tibi massam aliquam vel corpus vendendum dedi, ut pretio utereris, mutuum con-
2. tractum intelligitur. *ut hic.* Opponitur l. qui negotia. 34. † vers. his. argumento. infrà Mand. sed ibi Africanus propriam mutui qualita-

tem

tem respexit, quæ hoc postulat, ut directo de meo fiat tuum, cum in specie proposita interim nunquam nummi fuerint mei. Vlpianus igitur recentiorem opinionem suam hac lege prodit, quæ & deinceps, ut benignior servanda est. *Cujac. tract. 8. ad Afr. in d. l. 34.* Neque alia solutio inveniri potest, *Cujac. post Fulgos. d. lo.* itaque frustrà alij colore diversitatis hæc capita aliter conciliare conati sunt. *Rob lib. 3. Sent. c. 3. & 4. Connan. lib. 7. Comm. c. 1.* Denique notandum est textum nostrum procedere pretio † jam accepto. nam si id necdum habueris, præscriptis verbis actio est. *l. rogasti. infrà. de Præscrip. Verb.* nisi tamen simpliciter res æstimata pro mutuo sit accepta. 3.
nam si id actum sit, utilitatis causâ ab initio mutuum contractum accipimus. *l. si pro mutua. 8 C. Si Cert. Pet. Connan. 7. Com. c. 1.* Nec mutat † l 6. C. eod, quia ibi agitur de casu eo quo aliud dictum est 4.
& aliud actum simulatur, cum in proposito de mutuo revera actum esset. Denique & si ex casu hoc † loco proposito, species alteri 5.
vendenda data sit ut pretio uteretur, eadem perdita quoque sine culpa accipientis, periculo creditoris est, modò ipse eam habuerit venalem; sin minùs, quia solius accipientis causâ debitum contractum est, eiusdem quoque periculo erit. *ut hic.* Sed hoc quatenus ita sit, pluribus explicuimus suprà. *in l. 4. h. t.* ubi vide.

§. Si tibi dedero decem sic ut novem debeas,) Mutuum † 6.
ea lege contrahi nequit, ut amplius quàm tibi dedi, reddas. *ut hic.* Cuius quidem rei ratio est, quod obligatio re in amplius contrahi nequit, quàm numeratum est, *l. si tibi. 17. suprà de Pact.* exploratum tamen est, pactum traditioni (qualis & numeratio est) adjunctum, ad actionem prodesse *l. in traditionibus. supra. de Pact.* Sed id in proposito tam strictè ob odium usurarum, quæ quia ex solo pacto in mutuo pecuniæ numeratæ deberi nequeunt, *l. 3. C. de Vsur. Paul. 2. Sent. tit. 14.* nec pacta in fraudem eius rei permittuntur. Itaque conventiones eiusmodi placuit pro non adjectis esse, adeoque ipso jure fore nullas. *tex. & DD. hic. juxta l. non dubium. C. de Legib. vide Subtil. nostras. lib. 1. c. 4.*

Ad l. si filiusfamilias, 14.

1. *Quid juris sit si filiusfamilias nummos creditos contra SC. Macedonianum solverit & num. 2. ac 5.*

3. *Quid juris sit si creditor nummos consumpserit.*

4. *Explicatur l. 9. §. 1. Ad SC. Macedonianum, & cum hac conciliatur.*

1 SI filiusfamilias † contra exceptionem SC. Macedoniani pecuniam mutuatus solverit, pater nummos vindicare potest, *ut hic.*
2. Sed † si ipse filius jam paterfamilias solvat, quia exceptio Senatusconsulti illius, odio ejus cui debetur parata est, hoc saltem casu repetitio cessat. *l. qui exceptionem 40. infra. de Condict. Indeb.* Quemadmodum nec pecuniæ solutæ vindicationem habet filius patri hæres, ne puta veniat contra proprium factum. *l. si non sortem. § si*
3. *filius. de Cond. Indeb.* Quid ergo si † creditor nummos consumpserit, an non condictio ex consumptione sit? magisque est, consumptionem non dari quia quod dicimus, condictionem conciliari consumptione, id toties verum est, quoties condictio certi esset ex numeratione. Id verò in proposito non ita esset. nam si filius creditori solvens, dominium in eum transtulisset, sine dubio vindicatio cessaret, quippe creditor accepisset quod sibi deberetur. Quare obrem cessat condictio ex consumptione, dominio non translato, quia pecunia patris erat, etiamsi nummi sint consumpti. Atque ita subobscurus hic textus intelligendus est. Num igitur creditor qui pecuniam recepit, consumptione liber sit? distinguimus utrum fuerit in mala fide, an contrà; & quidem si in bona fide fuerit, prope est contra eum concedendam condictionem non esse. *arg. huius text.* Diver-
4. sum tamen † erit si consumpserit mala fide, non quidem ut hæc condictio sit, sed propter contrectationem rei alienæ, ut sit condictio furtiva *l. sed si paterfamilias. 9. §. 1. infrà. ad SC. Maced.* nam ne eam de condictione ex consumptione accipiamus, jam proposita ratio Vlpiani facit. pater enim pecuniam adhuc extantem vindicare posset, ergo non condicere perditam. Proinde illa accipienda est de condictione furtiva, & quidem in omnem, ut ibi textus ait, eventũ. nemo enim rem suam condicere potest nisi adversus furem. *l. 1. de Condict. Furt. l. 5. §. fin. Si Vsufr. Pet.*

DENIQUE PER ERROREM SOLUTI, CONTRA SENATUSCONSUL-
5. TUM CREDITI MAGIS EST CESSARE REPETITIONEM.) Id † ita si vel ex castrensi vel quasi castrensi peculio, vel quandoque sui juris factus solverit. Errorem quoque tam facti quàm juris intelligimus, idque ita ex Placentino annotamus, quia hoc loco distinctum non est. *seq. gl. hic.*

Ad l. singularia. 15.

1. *Argumentum huius textus.*
2. *Opposita l. 34. Mand.*
3. *Quid juris sit si debitori meo jussero ut tibi pecuniam det, qui quidem non dederit, promiserit tamen.*

5. Quid

5. *Quid juris sit, si mandaverim debitori meo, ut Titio creditori meo solvat, & propria delegatio intervenerit. & num. 6.*

SIngulare † in mutuo est, ut si debitorem meum jussero tibi solvere, quò nummos in creditum habeas, nummi videantur à me ad te profecti. Proinde & hoc magis ita erit, cum pecuniam, quam mihi ex causa mandati debes, conventum est, te in creditum habiturum· *ut hic.* Sed obstat l. qui negotia. 34. infrà Mand. † ea autem est Africani, qui hac in re aliter quàm Vlpianus sensit, *ut Fulgosius, Molinaeus, Cujacius annotant,* Ceterùm Africanus juris subtilitatem spectavit, Vlpianus fictionem & utilitatem, cuius sententiam proinde sequimur tanquam benigniorem. *Cuiac. tract. 8. ad Afric. in d. l. 34. Mand. Quod & in l. 11. suprà eod. notamus.* Licet enim ex recentioribus nonnulli hæc capita conciliare conati sint, *Rob. 2. Sent. c. 4. & 5. Corras. 6. Miscel. c. 16. Connan. lib.* Comm. *7 c. 1. Donel. ad hanc l. num. 25. 26. 27. & 31.* tamen id tantùm quæsito coloro factum est, ut quivis ingenuus juris studiosus posthac fateri cogetur. Illud † controversum est, si debitori meo jussero ut tibi pecuniam det, qui quidem non dederit, promiserit tamen, Num tu mihi eam reddere tenearis, an verò libereris cedendo actionem adversus debitorem pristinum meum? Et quidem Saliceto ac Romano placuit te ad numerandam mihi pecuniam teneri, *Salic. Lud. Rom. hic. Fulgos. in l. si me & Titium, 32. infrà eod.* Movet eos quod perhibent, Paria esse solvere & promittere, *ex l. ult.* C. *Ad* L. *Falc.* itemque, quod habens actionem, rem quoque ipsam habere videtur, *l. qui actionem. de Reg. Iur.* Huc accedit quod & aliàs delegatio pro solutione fit. *l. quamvis. §. interdum. Ad* SC. *Velleian. & l. in eum. 9. fin. de Inst. Act.* Sed hoc alij improbant, qui eo casu sufficere existimant, si actio tantùm adversus debitorem cedatur. *Castr. hic. num. 19. Alex. num. 29. Ias. num. 31. Zas. num. 9. Alciat. ad d. l. si me & Titium, num. 15.* Idque argumento eius efficitur, quòd aliàs relatum est, Quoties quis tenetur ob hoc quod actionem habet, cedendo actionem ipsam liberari. *l. quod debetur. de Pecul.* Æquum quidem est, ut is qui nummos meos exigere potest à debitore meo, idque ob promissionem ei mandato meo factam, aut eos mihi reddat aut actionem adversus debitorem cedat, quem alteri delegando videor liberasse. *l. delegare. de Novat.* sed nummos me exacturum ab eo, durius videtur. Et verò argumentum huius textus, neutram sententiam confirmat, adeoque à proposita quæstione omnino diversum est; quippe in quo mutuum ita demum brevi manu contractum intelligitur, si pecunia re ipsa sit accepta. Ego igitur respondi utramque sententiam veram esse, sed in casibus diversis. Quando autem alterutra † obtineat, id omnino consistere in facto.

Ppp 2 Nam

Nam si culpa tui accidat ut debitor non solvat, quod eum minùs interpellaris quàm mandatarium quemcunque deceret, quin teneaeris non est dubitandum, & eo casu sententia Romani ac Saliceti accipienda est, sin verò tibi nihil queat imputari, rectiùs dicimus, satius actionem solam cedendam esse, idque ex sententia reliquo-
5. rum. Vicina quæstio est, Si mandarim debitori † meo ut Titio creditori meo centum solvat, præsenti & acceptanti, adeo ut vera delegatio inita sit: utrum, si debitor meus non solverit, sed fortuna lapsus sit, Titius contra me agere queat; an verò contrà ego liberatus sim? quod quidem magis dicimus. Quia qui debitorem suum delegat numerare pecuniam censetur. *l. qui debitorem. de Fidejuss.* adeoque loco suo alium judicatur substituere debitorem, *l. delegare. 11. de Novat.* & ipse idcirco revera solvisse. *l. quamvis. §. interdum. ad Vellean.* Atque id Bartolo & plerisque probatum est, *Bart.*
6. *hic. num. 19. Ias. 31. Alciat. 53.* Decius. 26. Diversum † tamen alij statuunt, *Ludovic. Rom. & Curt Iun. hic.* quia novatio hic non intelligatur, cum id expresse non sit dictum *per l. ult. C. de Novat.* sed horum sententia ita procedit, si non de formali delegatione, at solummodo de qualicunque novatione agatur, quæ fortè vel ob accessionem vel decessionem personæ aut quantitatis obligationi priori accidit. eam enim non intelligimus novationem esse, nisi hoc expressè sit actum. Idque per d. l. ult. effectum est.

Ad l. si ego. 18.

1 *Si erretur circa causam dominij accipiendi quid juris, ad plenam explicationem huius textus & num. 4. 5. ac 6.*

2. *Conciliatur l. cum in corpus. 36. de Acq Rer. Dom.*

7. *In casibus huius textus reliquis quare diversum quàm in præmissis sit.*

1. SI erretur † circa causam dominij transferendi, verbi gratiâ, cum ego donandi animo pecuniam numerarem, tu eam ut mutuam acciperes, contractus non subsistit, nec pecunia adeo accipientis fiet. *tex. hic. in princip.* Hoc ita relatum videtur intuitu effectus, puta propter condictionem indebiti quâ repeti potest. Ista ipsa tamen & replicatione doli potest elidi. *ut hic.* Quod † licet hic simpliciter in
2. specie pecuniæ consumptæ proponitur, quia consumptio facta sit secundùm voluntatem dantis, rectè tamen Accursius addit, eam rationem non sufficere, potioremque esse hanc, quia numerans non habuit animum repetendi. Cùm idem quoque dicendum sit, si nummi

nummi etiamnum exstent, quia traditio utrimque sit animo alienandi facta; eoque errore hoc non obstante, subtili ratione dominium intelligitur translatum. *l. cum in corpus. 36. infrà. de Acq. Rer. Dom. probant gl. Bart. & Alex. Castr.* Certissimum quippe † est ratione 3.
quoque naturali dominium per traditionem transferri. §. *per traditionem. Inst. de Rer. Div.* Quod ergo hic † relatum est nummos non 4.
fieri accipientis, id fit (ut jam attigi) propter condictionem indebiti, quæ ex errore facti resultat. *tot. tit. de Condict. Ind.* ea ipsa tamen propter replicationem de donandi animo, inefficax fit. Quâ ratione hæc l. cum d. l. 36. pulcrè videtur conciliata. Nec quicquam est quod retorqueri queat, præterquam quod hic dicitur, consumptis nummis † exceptionem doli esse, unde probabiliter colligas, exstantibus 5.
iisdem condictionem efficacem fore. Sed respondendum, argumentum à contrario sensu non admitti quoties juris contrarietas ex eo sequeretur. Multa nimirum ut juris author ait, contra rationem disputandi sunt introducta. Ac tametsi id alij ex illo argumento disputarint. *Fulgos. Bas. Jas. hic.* hæc tamen sententia obtinuit. Certum quippe est, si, ut in dubio, ad juris principia spectemus, negotium ita interpretandum, ut maneat potiùs quàm pereat. Itemque aliàs in ambiguo rei conditionem potiorem esse. *per vulg.* Plane † ex 6.
ijs quæ diximus, manifestum est; quod hoc loco refertur, dominium non fieri accipientis, id intelligi irrevocabiliter. Nam dominium re ipsa translatum esse vel ex eo arguitur, quod ob nummos consumptos condictio ex consumptione est. *ut hic.* quæ obtinere non posset, si dominium numeratione non esset translatum. *L. 14. suprà h. t. ubi vide nostra.* Diversum † tamen est in casibus ceteris huius te- 7.
xtus, nempe quibus in numeratione seu traditione non uterque dominij transferendi habuit mentem. rectiùs enim dicimus dominium tum non transferri. *ut hic. in fine.*

Ad l. non omnis. 19.

Vide posita in l. quod si fortè, 14. §. fin. de Solut.
§. Si pupillus.) Vide quæ ponimus infrà *in princ. L. 3. Commod.*

Ad l. si tibi. 20.

Vide quæ ponimus infrà *in l. qui sic. 55. de Solut.*

Ad l. Quidam existimaverunt.

1. Partem debiti an creditori solvere liceat.
2. Debitorem invito creditori partem debiti obtrudere non posse.
3. Quinque casus excepti 4. 5. 6. 7.
8. Conciliatur l. 2. §. 1. de Verb. Obl.
9. Conciliatur l. 17. §. si duobus. Commod.

1. QVi decem † postulat, partem eam quam reus fatetur, recipere cogitur, litigiosam interim judicio prosequi. *ut hic. convenit l.*
2. *permittendum. 8. suprà de Her. Pet.* Sed alias † regula generalis est, debitorem creditori invito partem debiti obtrudere non posse. *l. tutor. 41. §. 1. de Vsur. l. obsignatione. 9. verb. totius.* C. de Solut. Atque hæc est vera huius rei sententia quam in praxi observamus; præterquam in casibus exceptis. Excipiuntur † autem species sequentes.
3. Primò, quando debitum tantùm ex parte liquidum est. *ut hic.* Secundò, † si plura debita concurrant. *l. ult. Quib. Mod. Pign. Solu.*
4.
5. Tertiò, si servus † ea lege liber esse jussus sit, ut certam exsolvat quantitatem. favore enim libertatis receptum est, solutionem per partes admitti. *l. cum heres. 4. §. item si decem. infrà. de Statu Lib.*
6. Quartò & † singuli hæredum debitum commune pro parte solvere queunt, quia puta, nomina ipso jure XII. Tabularum divisa sunt,
7. *l. pacto. 26. C. de Pact.* Quintò † tributa solvi per partes possunt, idque communi subditorum favore. *l. 4. C. de Coll. Fun. Patrim.* Planè
8. † quin in casibus non exceptis regulam servemus, nihil impedit. Licet enim ab æquissima ea sententia Alciatus post Decium recesserit. *Alciat. hic.* Contrarium tamen plerisque visum est, & moribus obtinuit. Nec movet quod dicimus, stipulationem quantitatis recipere partium præstationem. *l. 2. §. 1. de Verb. Obl.* id enim eò pertinet, ut intelligamus promissionem quantitatis esse dividuam, hoc est sine incommodo per partes solvi posse; non tamen ut creditori invito dilatis spatijs obtrudi queant. *DD. in d. l. 2. §. 1.* Minusque ad rem facit argumentum † à contrario sensu, puta, si creditor
9. debitum pro parte exigere possit, *l. 17. §. duobus. infrà. Commod.* consequenter & solvi ei invito perinde posse, neque enim bona ea consequentia est, cùm è contrariò, id quod favore alicuius introductum est, duriori interpretatione non sit detorquendum in odium aut severitatem. *l. nulla. de Legib.*

Ad

Ad l. vinum. 22.

1. *In æstimatione rei quod tempus considerandum: quàm varia quæstio sit.*

2. *Distinctio in ea re generalis, & quid juris quando æstimatio venit jure actionis.*

3. *Quid juris quando æstimatio venit officio judicis, per juram. in litem.*

4. *In æstimatione rei vera ad quod tempus respiciendum.*

5. *Mora quomodo committatur.*

6. *Quomodo accipiendum sit, quod dicimus in vera rei æstimatione tempus litis contestatæ inspici. & num. 8.*

7. *Quid juris si ab initio contractus mora commissa fuit.*

9. *In vera rei æstimatione per judicem facienda non distinguimus inter judicia bonæ fidei & stricti juris.*

10. *Explicatur & conciliatur l. 3. §. in hac. infrà Commod. & num. 11.*

12. *Explicatur & conciliatur l. hominem. Mand.*

13. *Explicatur hic textus. & num. 15.*

14. *An pro re aliqua quantitatis æstimatio rectè solvi possit.*

16. *Explicatur l. 57. de Solut.*

17. *Explicatur l. 1. §. an potest. de Const. pec.*

18. *In debitis ceteris an æstimatio pro ipsis dari queat.*

19. *Utrius damno accidat mutatio monetæ mutuo datæ. & n. 20. ac 21.*

22. *Si de æstimatione monetæ quæratur ad quod tempus ea referenda sit.*

IN æstimatione † rei judicio postulatæ quod tempus consideran- 1.
dum sit, quæstio ut diffusa, ita nescio an cuiquam plenè hactenus & ingenuè satis sit tractata. Ego saltem hoc loco operam dabo, ut eam quàm maxime fieri potest, habeamus explicatam. Igitur † in ea 2.
re ita distinguimus, ut si æstimatio ipso actionis jure veniat, verbi gratiâ, si rei æstimatio promissa sit, vel fidejussor solverit nomine principalis, ut huic rursus agendum sit ad pretium rei solutæ: tempus contractus inspiciamus. *l. fundum* Cornelianum. *28. de Novat. l. hominem. infrà Mand. l. cum quis. 22. de Obl. & Act.* ubi satis accipere est

est satisfactionem recipere (quique ea verba aliter accepere, ingenuam textus sententiam non sunt assecuti. *Bart. Bal. Alex. ibidem.*)
3. At quando æstimatio † officio judicis facienda est, distinguimus, utrum ea per juramentum in litem fiat, an minùs, priori casu inter judicia bonæ fidei & ea quæ ab initio stricti juris sunt, in illis tempus condemnationis spectatur, in his litis contestatæ. *l. 3. §. in hac. infrà Commod.* Ratio est, quia juramentum in litem demum post jussum judicis, hoc est post sententiam ad rem restituendam, ex cōtumacia morantis causam accipit. *l. 1. & 2. infrà. de In Lit. Jur. l. qui restituere. 68. de Rei Vind.* Inde enim ultra tempus sententiæ aut litis acceptæ æstimatio non reducitur. Quæ ratio & à Ioanne ac Martino vetustis interpretibus recepta fuit. Eruditè tamen Accursius perhibet, si res petita ante quoque dolo vel culpâ rei facta fuerit deterior, etiam id tempus in juramento in litem spectandum. *arg. l. 3. de Condict. Trit.* Quod magis est. Sed quoties † de vera rei æstimatione
4. quæritur officio judicis statuenda, certum est vel ad diem solutioni præfixam. *l. hominem 37. 2. Responso. l. si Kalendis. 11. de Re Iud.* vel ad tempus opportunæ seriæque interpellationis æstimationem reducendam esse, id est utrumque (ut simpliciùs dicamus) ad tempus moræ. *l. 3. §. fin. de Condict. Trit. l. 8. §. pen. de Condict. Furt.* Nam-
5. que mora † & per lapsum diei solutioni statæ, *l. lecta. infrà. eod. l. magnam. C. de Contr. & Committ. stip.* & per sufficientem fit interpellationem, *l. mora. infra. de Vsur.* licet id in casu posteriori omnino in facto consistit. Quoties igitur dicimus in vera rei æstimatione tempus litis contestatæ inspici, subintelligitur semper, nisi † antea
6. fuerit commissa mora. *d. l. pen. infrà. de Condict. Trit.* Etsi enim rarò ad judicium pervenitur, quin reus etiam priùs fuerit moratus, *l. 3. §. 1. de Vsur.* quia tamen ea res penitus in facto consistit, simpliciùs quandoque tempus petitionis pro tempore moræ positum est. *ut*
7. *hic.* Igitur & si statim † ab ipso contractus initio mora commissa fuit, verbi gratiâ, quod venditor acceptâ ipso contractus tempore pecuniâ, cessaverit in rei traditione, ad id quoque tempus æstimationem reducimus, vel si mora non acciderit, respicimus ad tempus litis contestatæ. *l. 3. §. si per venditorem ubi gl. Bart. Bal. Castr. Salic. infrà. de Act. Emp* idque propter participationem pecuniæ ab altero
8. acceptæ. *arg. l. curabit. C. de Act. Emp.* Quæ omnia † ita accipe, ut, si quo modo res post tempus moræ ad sententiam usque in majori pretio fuerit, id ipsum accipiatur commodo creditoris; & damno rursus non cedat, si periisset, aut quo modo deterior facta esset. *l. si sterilis. 21. §. cum per venditorem. de Act. Emp. junc. l. 3. infrà. de Condict. Trit. fac. l. qui autem. 12. §. 1. Si Quis Caut. Jud. Sist.* Ex quibus
9. evenit, in vera † rei æstimatione per judicem facienda, nullam differentiam

ferentiam esse inter judicia bonæ fidei & stricti juris, cùm tamen ea distinctio tantam huic rei suffuderit obscuritatem, ut quàm paucissimis & hæc l. & totus hic tractatus rectè perceptus sit. Nec movet † quod alibi quasi per oppositionem relatum est, in bonæ fidei judicijs tempus sententiæ, in stricti juris, litis contestatæ respici. *d. L. 3. §. in hac. Commod* quia id non de rei æstimatione verâ, sed ea quæ fit per juramentum in litem, responsum est. In ea enim æstimatio reducitur ad tempus sententiæ, cum tamen in judicijs strictis (subintellige quoties ea arbitraria fiunt, quia aliàs in eo actionum genere in litem non juratur. *l. 6. de In Lit. Jur.*) taxatio referatur ad litem contestatam. *d. l. 3. Commod.* Cur hæc † tam variè? quia sc. in strictis judicijs judex actioni propositæ astrictior est, & æstimationis interponendæ potestas per accidens supervenit, adeoque officium eius ante condemnationem primam (quia constat, ut judicia stricti juris arbitraria fiant, pene duas sententias ferri. *not. Donell. & alij ad §. præterea. Inst. de Act.*) nullius aut perexigui momenti est, eò quòd arbitrium eius demum à contumacia rei accipiat causam. *tex. in l. qui restituere, 68. de Rei Vind.* cùm interim in ijs quæ bonæ fidei sunt potestas ipsius ab actionum natura sit major. Planè quod dicimus in actionibus strictis si in litem juretur, respiciendum esse ad tempus litis contestatæ, id quoque, ut in æstimatione rei verâ, ita accipimus, nisi debitor ante fuerit in mora. *per l. cum furti. 9. verb. cum furtum factum sit. de In Lit. Iur. fur enim ab eo tempore censetur in mora fuisse. l. 8. §. pen. de Condict. Furt.* Sed neque ad † rem facit quod *in l. hominem. 57. Mandati.* relatum est: aliud in actione mandati, quàm in stipulatione esse, quia in priori capitis istius responso est species talis, quâ æstimatio venit jure actionis; quod nimirum fidejussor servum pro alio solverat, eiusque pretium actione mandati repetendum erat: posterius verò responsum manifestè confirmat sententiam nostram. Atque hæc opinio, re, uti par est, examinatâ, communis est, *iuxta gl. hic. in verb. cum petitum. quam probant Bart. Bal. Castrens. Ias. Alex. Costal.* Vnde & explicatio † huius textus resultat, nimirum æstimationem vini quod judicio postulatur, simpliciter referendam ad tempus moræ, sive ea per lapsum diei, sive opportunam sufficientemque petitionem commissa sit. *DD. jam allegati* Vt nimirum repetatur ea res à tempore moræ, & reducatur ad condemnationem usque, supputatione nimirum factâ, quanti interea illa fuerit pluris, iuxta ea quæ posuimus num. 8. *in hac ead. l.* Quod autem nonnulli disputant, pro vino aut alia † quantitate mutuo dati, æstimationem solvi posse, *Iacob. de Aren. & Curt. in l. 2. supra eodem.* id plerisque improbatum est, *DD. ibidem. communem dicunt Zas. & Alc.* Quia certum est mutuum ita contrahi non posse.

Margin numbers: 10. (beside "† quod alibi") 11. (beside "Cur hæc †") 12. (beside "Sed neque ad †") 13. (beside "explicatio †") 14. (beside "alia † quantitate")

ut alterius generis quantitas pro alia solvi queat. *d. l. 2. suprà eod.* Et verò id officio judicis effici posse, multò minùs credendum est. Cum enim id tantum casu necessitatis receptum sit, puta quando præstari debitum omnino nequit, *l. qui restituere. 68. de Rei Vind.* probabiliùs dicimus regulariter contrarium esse, *ut in d. l. 2. suprà eod.* Quinimo & absurdum foret in aliam rem condemnationem fieri, quàm quæ judicio fuit postulata. *l. ult. C. de Fideicomm. Lib. l. ut fundus.*
15. *Comm. Div.* Nec ad rem facit hic textus † vel l. ult. suprà. de Condict. Tric. quia in neutra earum quæstio est, utrum æstimatio pro quantitate postulata solvi possit, sed hoc tantùm, quando occasio postulat, ut officio judicis æstimatio ineunda sit, ad quod tempus ea sit reducenda. Hoc autem fit quoties reus in mora solvẽdi fuit, propterea que æstimationem potiùs quàm rem recipere, interest creditoris; eoque actio ob utilitatem temporis vel loci accedentem, arbi-
16. traria est. *l. quod si Ephesi. infrà. de Eo Quod Certo Lo.* Non mutat † etiam l. si quis stipulatus. 57. de Solut. ubi debitori qui decem in melle promisit, liberum est decem vel mel solvere: quia ibi, pecunia præcipuè in obligatione fuit, mel tantùm in solutione, hoc est ut liberum esset debitori ea vel solvere in melle. *Bart. ib. fac. l. 1. de Pen.*
17. *Leg.* Minusque ad † rem pertinet l. 1. §. non potest. de Const. Pec. quia ea non aliter accepta est, quàm volente parte utraque aliud pro alio solvi. Et hoc igitur in praxi servamus. Denique an & quan-
18. do in rebus † ceteris æstimatio pro re dari queat, obiter annotamus suprà, *ad l. qui restituere. 68. de Rei Vind.* Illud igitur in proposito exploratum manet, æstimationem pro rebus quantitatis reliquis restitui non posse. Sed cum pecunia numerata ejusdem generis censeri queat, an & quatenus argentea pro aurea, aut alia ære contaminata restitui possit, pluribus suprà exponimus. *in l. 3. h. t.* Ceterùm quia hic locus propriè ad tempus æstimationis pertinet, illam tractationem in hanc occasionem commode reservasse videmur, pecunia mutuo data creditoris ne an debitoris periculo aut commodo mutetur, & si de æstimatione quæratur ad quod tempus ea
19. referenda sit. Ad primam † quæstionem quod attinet, plerumque distinctè de ea disseri ab interpretibus consuevit, ut, puta, aliam mutationem externam seu extrinsecam statuerent, quæ æstimationi nimirum priori accedat vel decedat; aliam verò internam seu intrinsecam, quæ substantiam nummi cujusque internam deteriorem reddat aut melioré. Constat v. hanc rem tam variè & confusè à plerisque tractatam, ut ex perpaucis intelligi queat, quid senserint ipsi: sed nos in explicanda ea ita agemus, ut & institutæ brevitati satis-
20. fecisse, & officio interpretis non defuisse videamur. Proinde si † monetæ alicujus mutuo datæ æstimatio crescat aut decrescat, quia cõ-

stat

ſtat pecuniam mutuo acceptam ſtatim dominio cedere creditoris, *l.1. & 2. ſuprà h.t.* cui dubium ſit æſtimationem quoque periculo, eius minui aut augeri? Illud verò pervulgatum eſt, ſubſtantiam; id eſt (in propoſito) valorem, nummi in æſtimatione conſiſtere, *l.1.de Contr.Emp.* Quando igitur nummi mutuo dati æſtimatione certâ numerati ſunt, ſequitur etiam eandem quantitatem (*quæ hîc pro ſubſtantia eſt, ex d.l.1.*) æſtimatione pari reſtituendam eſſe. Nam ſi diverſum ſtatuamus, dici oportet æſtimationem pecuniæ mutuo datæ non eſſe certam. At verò contra reſponſum eſt, eam ſemper certam eſſe. *l.nummis.de In Lit.Iur.* ut obligatio hæc etiam ſola reſpectu ceterarum interdum certa dicatur. *l.1.de Condict.Trit.* diverſum igitur dici non poteſt. Accedit quod pecunia in genere ſuo functionem recipit, & altera alterius loco ſolvi poteſt. *l.2.ſuprà.h.t. junc.l.quæ extrinſecus.65.§.1.de Verb.Obl.* Sed & illud huius ſententiæ firmum argumentum eſt, quod ſi eiuſdem generis nummos ſed minoris quantitatis aut æſtimationis reddere creditori liceret, pecunia redderetur non perinde bona. At verò hoc abſurdum eſt & rationi mutui repugnans. *per l.3.ſuprà.h.t.* perinde igitur abſurdum unde hoc ſequeretur. Dicimus igitur, pecuniam mutuo acceptam commodo ac damno domini, hoc eſt eius qui illam mutuo accepit, cum minui tum augeri; quod pleriſque viſum eſt. *Anton. But. & Abb. in c. quanto. de Jurejur. Curt.uterque ad l. cum quid.ſuprà.eod. Afflic.Deciſ.194 num.5.* Et hoc conſuetudine notiſſima receptum eſt, nam ſi quiſquam vel in Germania vel in Belgica nummos quoſcunque, vel florenos in auro, vel ducatos aut coronatos, quorum æſtimatio ſucceſſu temporis minuta eſt, creditori ſuo obtrudere pro quantitate mutua velit, rem profectò omnium abſurdiſſimam proponere videretur. Et hanc conſuetudinem (optimam ſane interpretem legum, *l.ſi de interpretatione. de Legib.*) pene ubique terrarum vigere conſtat. *teſte Bart.in l.1.de Auro & Arg.Leg.& in l. Paulus de Solut.Socin.Sen. lib.1. Conſil.6. Menoch.lib.1. Conſil.49. num.19. Molin.in tract. Commer.num.702.ſub fin. num. Boër. Deciſ.527.num.3.in fine.* Scio equidem ab aliis in contrarium diſputatum eſſe, nimirum damnum debitoris non aliter eſſe quàm ſi fuerit in mora, *Fach. lib.2.c.9. Con.* verum ſententia illorum tantùm pro more ſcholaſticorum diſputandi causâ ſuſcepta apparebit. Nam quod ex hoc textu evincunt æſtimationis demum rationem à tempore moræ habendam, id malè ad propoſitam quæſtionem applicatur, cum pecuniæ quantitas ab initio definitam certamque æſtimationem habuerit, idque de rebus ceteris dici non poteſt. *l.1.de Condict.Trit.* quippe in quibus demum æſtimationis ratio habetur, cũ intereſt creditoris ob morã rei, illã potiùs quam rem debitã recipere.

Conſuetudo communis probat pecuniam periculo creditoris augeri aut minui.

Ad alterum argumentum quod attinet, quo ita contendunt, cum debitor non est in mora, æquum est illum damnum non sentire: respondemus id multò æquissimum esse, cùm ipse pecuniæ mutuo acceptæ sit dominus, quando igitur ob hoc & ante moram emolumentum sentit, par est etiam ut damnum sentiat ante. *per vulg.* Planè quod Fachinæus consuetudinem illam negat generalem esse, idque authoritate Purpurati, *lib. 2. Consil. 522. num. 31.* id quidem ineptum videtur, cum commercia hac tempestate adeo communia sint, ut vix esse queat, aliam alibi in hac re quàm alibi consuetudinem receptam esse. Sic enim in Gallia floreni & coronati nummique adeo quicunque, minutiori pecuniæ quantitate æstimantur. *Boër. & Molin. dd. locis.* Itemque in Italia, ut ex Afflicto constat. *Decis. 194.* Perinde in Germania floreni aurei & ducati Hungarici item daleri, batsis vel albis æstimantur. Prorsus ut in Hispania de Pistoletis & Milleresis constat. Ac in Belgica de quacunque specie nummorum, cum majores quidem Florenis Carolinis, minores stuferis & ita gradatim æstimentur, ac periculo debitoris species sint, adeo ut absurdissimum videretur, si quis creditor nummos eiusdem speciei recipere vellet, quòd incrementum æstimatio accepisset, vel ex adverso si debitor creditori nummos quorum æstimatio decrevit, obtrudere vellet. Vtrumque scilicet ita, nisi quantitas vel in ea specie vel alia, ad æstimationem usque eius quæ data est, suppleatur. *Minsi. Cent. 4. Obs. 1. Molin. d. lo. num. 710.* Idque ita esse Molinæus perhibet, etiamsi expressè conventum esset, ut quantitas in iisdem nummis pari numero reddatur, præterquam si palam sit, partes ad periculum imminutionis vel auctionis respexisse, quod usu venit, cùm vel id expressserint, vel de speciebus restituendis egerint, cùm jam innotuisset, imminere propediem æstimationis mutationem. Extra verò casum conventionis magis est, naturam contractus considerandam, quæ ob æstimationem certam in obligationem deductam, eandem quantitatem non tam numero quàm usu publico parem reddi postulat. *arg. d. l. 1. de Cont. Emp.* Par verò quantitas reddita non videtur, nisi reddatur perinde bona. *l. 3. suprà h. t. junc. d. l. 1. de Cont. Emp.* Maximè cum qualiscunque pecunia numerata in genere suo functionem recipiat. *d. l. quæ extrinsecus. 65. §. 1. de Verb. Obl.* Planè si alteruter fuerit in mora, creditor puta vel recipiendi, vel debitor solvendi, quin tum ad tempus moræ respici oporteat, eique damnum imputandum sit, qui in mora fuit, controverti non potest. *arg. l. 3. de Condict. Trit.* Denique in legato certi ponderis auri vel argenti admissum est ut æstimatio fiat secundùm tempus præsens. *l. cum certum. 9. de Auro & Arg. Leg.* Sed

Consuetudo potioris Europæ in æstimãda nummorum ratione.

21. hoc quatenus ita sit, ibidem tractamus. Ceterùm si de † intrinseca pecuniæ

pecuniæ mutatione quæramus, perinde de jure controversum est, cùm alijs videatur inspiciendum tempus contractus, *Socin. Sen. lib. 2. Consil. 298. Covarr de Vet. Numis. Coll. c. 7. §. Vn. num. 2. Cagnol. ad l. 2. C. de Pact. Inter Emp. & Vend. Canonistæ communiter in c. olim. de Cens.* Movet eos c. cum canonicis. ex. de Censib. verb. vel si non sit in usu, æstimatione pensionis antiquæ facias manere contentos. Accedit quod nummus & aliàs solvendus est boni ponderis & materiæ, *l. 1. C. de Vet. Numis. Pot. lib. 11. & l. 1. ac 2. C. de Ponderat.* Vnde consequitur id in mutuo vel maximè ita esse. *per l. 3 suprà eod.* quasi nimirum id in contractum ipsum sit deductum. *arg. l. Rutilia Polla. de Contr. Emp.* Præcipuè cùm creditor, si eius intersit, solutionem in alia specie recipere non cogatur quàm quæ mutuo data fuit. *d. l. Paulus. 99. de Solut.* Sed alijs diversum placuit, *Fab. in Auth. hoc nisi. C. de Solut. Molin. de Contract. q. 100. num. 749. Menoch. Consil. 49. num. 38.* quia nummi substantia non alia sit quàm quæ ex usu hoc est currenti æstimatione dependet. *d. l. 1. de Contr. Emp.* Vnde olim & urgente necessitate, interdum ex vilissima materia nummus excusus fuit. Movet eos præterea l. cum certum. de Auro & Arg. Leg. quæ tamen parum ad rem facit cum non ad solutionem mutui, sed legati pertineat. *vide interim quæ nos ibidem.* Ego existimo, si nummi æstimati sint, quocunque tempore de solutione agitur, dicendum ut æstimatio reddatur inita tempore contractus, *arg. d. c. cum canonicis:* cum non tam nummi in specie debeantur, quàm æstimatio eorundem, eoque casu procedat sententia prior; sin vero æstimati non sint, eiusmodi solvantur cuiusmodi nunc sunt, quo casu accipienda est sententia posterior. Nec movet quod videri hoc casu queat, creditoris potiùs interesse, pecuniam non recipere talem, cum hæc paulò vilior sit. *per l. Paulus. 99. de Solut* quia hoc ita est, quoties nummi alterius formæ offeruntur, nam quæ eiusdem formæ atque æstimationis sunt, (de quibus hic agimus) substantiā ex usu ac decreto publico habent. *d. l. 1. de Contr. Emp.* & proinde alij esse judicari non possunt. Atque hoc ita distinctè in mutatione monetæ interna moribus observari videmus, parum quippe referre paret utrum decreto publico valor materialis paulum immutetur, modò æstimatio interim eadem sit. Illud constat, in locis ubi negotiationes hodie frequentiores sunt, facili momento æstimationem nummorum mutari, secundum quod & mercium pretia perinde facilè augeri videmus. Sed ne ea res fundorum dominis ac redituarijs, qui ex alienis fundis reditus annuos habent, magno detrimento aut inopinato commodo cedat, jam olim in Transisulania, patria inquam hac mea, alijsque nonnullis Belgicæ provincijs constitutum est, ut pleræque nummorum species etiam à partibus non æsti-

Constitutiones & Consuetudines singulares quæ sine partium conventione quoque perpetuam pecuniæ æstimationem constituunt.

æstimatæ, certâ tamen æstimataque quantitate solvi possent. Qua ratione floreni aurei æstimati sunt 28. stuferis; Carolini 20. stuferis, scutati antiqui 42. stuferis; & ita in speciebus pecuniæ alijs conse-
22. quenter. Atque his positis, expedita & una quæstio est, † ad quod tempus æstimatio pecuniæ referenda sit, nimirum in mutatione externa respiciendum esse tempus contractus, nisi aliud actum sit, in mutatione interna verò tempus præsens, nisi nummi tempore contractus sint æstimati, quo casu perinde ad tempus contractus respiciendum erit. *per d.c. cum canonicis. de Censib.*

Ad l. si quis. 24.

CErtum stipulatus non ex stipulatu, sed certi condictione agit, *ut hic.* actio enim ex stipulatu dicitur incerta. *l. 4. infrà. de Usur. l. 3. C. de Inut. Stip.* Sed interdum actio ex stipulatu dicitur generatim quæcunque ex stipulatione redundans. *l. si pacto. 14.* C. *de Pact. l. inter stipulantem. 83. §. si rem, de Verb. Obl.* & stipulatus pro stipulatione, *ut & in l. pecunia. 9. princ. de Usur. l. 33. §. fin. de Leg. 3. l. 3. C. de Inut. Stip.*

Ad l. creditor. 25.

AN is qui credidit in refectionem privilegio hypothecæ ceteris præferatur, vide latiùs infrà *in l. 1. Quib. Mod. Pig. Tac. Contr. & l. interdum. Qui Pot. In Pig. Hab.*

Ad l. si pecuniam militis 26.

QVatenus cuique per procuratorem quæratur suprà tractamus *in l. per procuratorem.* & infrà *in l. 59. de Acq. Rer. Dom.* ubi hæc explicata est.

Ad l. civitas. 27.

1. *Administratores an & quatenus civitatem ex mutuo obligent. & num. 6.*
2. *Quid juris si civitas ipsa consenserit. & num. 3. ac. 4.*
5. *Quid si corpora opificum magistris suis consenserint.*
7. *An contractus civitatum liberarum vim legis habeant.*
8. *Probatio eius quod pecunia in rem civitatis versa sit, ad quem spectet.*
9. *In civitate quid perinde singulare.*
10. *Quod de civitate dicimus idem etiã ad ecclesiam pertinet.*

11. Quid

11. *Quid juris si prælatus pecuniam mutuo acceptam solvere non possit.*

12 *Quid si capitulum non consensit.*

13. *An pecunia in causam ecclesiæ versa sit, in facto consistit & num.* 15.

14 *Ad quos contractus hæc l. pertineat & in fine.*

16. *An & quando ex mutuo teneantur ij cum quibus contractum est. & num.* 17. *ac* 18.

ADministrator † civitatem ex mutuo obligat, si constet pecuniam in rem illius versam. *ut hic.* eodemque casu acceptum 1
est quod dicimus, eum rem civitatis pro mutuo posse obligare. *l. si is qui.* 11. *de Pign.* Quid ergo, si † collecta in hoc multitudine civium 2.
præsente, aut aliàs accedente mandato eius speciali contractum fit? & appositè dicimus hoc quoque casu eam obligari. *Ias. hic. Bart. in l. aut facta.* §. *fin. infrà. de Pœn.* nam si communi proposito deliquerit, obligatur, *l. metum* 9. §. 1. *Quod Met. Caus.* & facilius igitur, si contraxerit communi decreto. Eo proinde casu minimè opus est probari † eam versam in rem civitatis. *c. pen. de Fidejuss.* Neque necesse est id restringere † ad civitatem liberam, ut Alciatus & Fulgosius autumant, *per hunc text.* quia hæc lex accipitur quando civitas non consensit, ut ex eius fine constat, qui hoc evincit, ut si pecunia in rem civitatis versa non constet, ij teneantur qui contraxerunt. 3. 4.
Vnde est quod moribus nostris etiam corpora opificum & pagorum † obligantur ex contractibus communi consensu initis. Nec opus sit eo casu probare pecuniam in rem eorũ versam. Et igitur id faciliùs in corpore admittimus quod gaudet jure civitatis, *Bart. Castr. Alex. Corn. Zas. in d. l. si is qui bona de Pign.* Quinimo † ampliùs rempublicam rectè sine populi consensu obligari dicimus, si ij contrahant qui liberam administrandi potestatem habent. *Pinell. in l.* 2. *C. de Resc. Vend. par* 2. *c.* 4. *nu.* 68. *cum ibi alleg.* Et hoc quoque moribus obtinet in civitatibus Germaniæ liberis, cuiusmodi complura instrumenta vidimus reipubl. Groninganæ, & Campensis, quæ & jus arrestorum contra singulos cives admittebant, & ex quibus arresta etiã vidimus decerni. Non tamen eo magis † contractus eiusmodi civitatum vim legis habebunt, ut rectè Zasius annotat. *Zas. hic.* quia l. Cæsar. de Public. quam alij in hoc allegant, non de lege propria, sed pacto contractui adjuncto agit. Planè † probatio pecuniæ in rem civitatis versæ ad actorem spectat. *Novell. de Al. & Emph.* 120. *c. & hæc quidem.* 6. §. *fin.* Licet enim aliàs quando requiritur pecuniã mutuo datam in rem alicuius versam esse, sufficiat probare, quod necessariò ea fuerit opus. *l. ult. de Ex. Act.* (quod alijs & ad civitatem referri 5. 6. *Consuetudo obligandi civitates.* 7. 8.

Ad l. Quidam existimaverunt.

1. Partem debiti an creditori solvere liceat.
2. Debitorem invito creditori partem debiti obtrudere non posse.
3. Quinque casus excepti 4.5 6.7.
8. Conciliatur l.2.§.1. de Verb.Obl.
9. Conciliatur l.17.§. si duobus Commod.

1. QUi decem † postulat, partem eam quam reus fatetur, recipere cogitur, litigiosam interim judicio prosequi. *ut hic. conveniri l.*
2. *permittendum. 8. suprà de Hær. Pet.* Sed aliàs † regula generalis est, debitorem creditori invito partem debiti obtrudere non posse. *l. tutor. 41. §.1. de Usur. l. obsignatione. 9. verb. totius. C. de Solut.* Atque hæc est vera huius rei sententia quam in praxi observamus; præter-
3. quam in casibus exceptis. Excipiuntur † autem species sequentes. Primò, quando debitum tantùm ex parte liquidum est. *ut hic.* Se-
4. cundò, † si plura debita concurrant. *l. ult. Quib. Mod. Pign. Solu.*
5. Tertiò, si servus † ea lege liber esse jussus sit, ut certam exsolvat quantitatem. favore enim libertatis receptum est, solutionem per partes admitti. *l. cum hæres. 4. §. item si decem. infrà. de Statu Lib.*
6. Quartò & † singuli hæredum debitum commune pro parte solvere queunt, quia puta, nomina ipso jure XII. Tabularum divisa sunt.
7. *l. pacto. 26. C. de Pact.* Quintò † tributa solvi per partes possunt, idque communi subditorum favore. *l. 4. C. de Coll. Fun. Patrim.* Planè
8. † quin in casibus non exceptis regulam servemus, nihil impedit. Licet enim ab æquissima ea sententia Alciatus post Decium recesserit. *Alciat. hic.* Contrarium tamen plerisque visum est, & moribus obtinuit. Nec movet quod dicimus, stipulationem quantitatis recipere partium præstationem. *l. 2. §. 1. de Verb. Obl.* id enim eò pertinet, ut intelligamus promissionem quantitatis esse dividuam, hoc est sine incommodo per partes solvi posse; non tamen ut creditori invito dilatis spatijs obtrudi queant. *DD. in d. l. 2. §. 1.* Minusque ad rem facit argumentum † à contrario sensu, puta, si creditor
9. debitum pro parte exigere possit, *l. 17. §. duobus. infrà. Commod.* consequenter & solvi ei invito perinde posse, neque enim bona ea consequentia est, cùm è contrariò, id quod favore alicuius introductum est, duriori interpretatione non sit detorquendum in odium aut severitatem. *l. nulla. de Legib.*

Ad

Ad l. vinum. 22.

1. *In æstimatione rei quod tempus considerandum: quàm varia quæstio sit.*

2. *Distinctio in ea re generalis, & quid juris quando æstimatio venit jure actionis.*

3. *Quid juris quando æstimatio venit officio judicis, per juram. in litem.*

4. *In æstimatione rei vera ad quod tempus respiciendum.*

5. *Mora quomodo committatur.*

6. *Quomodo accipiendum sit, quod dicimus in vera rei æstimatione tempus litis contestatæ inspici. & num. 8.*

7. *Quid juris si ab initio contractus mora commissa fuit.*

9. *In vera rei æstimatione per judicem facienda non distinguimus inter judicia bonæ fidei & stricti juris.*

10. *Explicatur & conciliatur l. 3. §. in hac. infrà Commod. & num. 11.*

12. *Explicatur & conciliatur l. hominem. Mand.*

13. *Explicatur hic textus. & num. 15.*

14. *An pro re aliqua quantitatis æstimatio rectè solvi possit.*

16. *Explicatur l. 57. de Solut.*

17. *Explicatur l. 1. §. an potest. de Const. pec.*

18. *In debitis ceteris an æstimatio pro ipsis dari queat.*

19. *Vtrius damno accidat mutatio monetæ mutuo datæ. & n. 20. ac 21.*

22. *Si de æstimatione monetæ quæratur ad quod tempus ea referenda sit.*

IN æstimatione † rei judicio postulatæ quod tempus consideran- 1.
dum sit, quæstio ut diffusa, ita nescio an cuiquam plenè hactenus & ingenuè satis sit tractata. Ego saltem hoc loco operam dabo, ut eam quàm maxime fieri potest, habeamus explicatam. Igitur † in ea 2.
re ita distinguimus, ut si æstimatio ipso actionis jure veniat, verbi gratiá, si rei æstimatio promissa sit, vel fidejussor solverit nomine principalis, ut huic rursus agendum sit ad pretium rei solutæ: tempus contractus inspiciamus. *l. fundum* Cornelianum. *28. de Novat. l. hominem infrà Mand. l. cum quis. 22. de Obl. & Act.* ubi satis accipere

est

est satisfactionem recipere (quique ea verba aliter accepere, ingenuam textus sententiam non sunt assecuti. *Bart. Bal. Alex. ibidem.*)

3. At quando æstimatio † officio judicis facienda est, distinguimus, utrum ea per juramentum in litem fiat, an minùs, priori casu inter judicia bonæ fidei & ea quæ ab initio stricti juris sunt, in illis tempus condemnationis spectatur, in his litis contestatæ. *l. 3. §. in hac. infrà Commod.* Ratio est, quia juramentum in litem demum post jussum judicis, hoc est post sententiam ad rem restituendam, ex cõtumacia morantis causam accipit. *l. 1. & 2. infrà. de In Lit. Jur. l. qui restituere. 68. de Rei Vind.* Inde enim ultra tempus sententiæ aut litis acceptæ æstimatio non reducitur. Quæ ratio & à Ioanne ac Martino vetustis interpretibus recepta fuit. Eruditè tamen Accursius perhibet, si res petita ante quoque dolo vel culpâ rei facta fuerit deterior, etiam id tempus in juramento in litem spectandum. *arg. l. 3. de Condict. Trit.* Quod magis est. Sed quoties † de vera rei æstimatione

4. quæritur officio judicis statuenda, certum est vel ad diem solutioni præfixam. *l. hominem 37. 2. Responso. l. si Kalendis. 11. de Re Jud.* vel ad tempus oportunæ seriæque interpellationis æstimationem reducendam esse, id est utrumque (ut simpliciùs dicamus) ad tempus moræ. *l. 3. §. fin. de Condict. Trit. l. 8. §. pen. de Condict. Furt.* Nam-

5. que mora † & per lapsum diei solutioni statæ, *l. lecta. infrà. eod. l. magnam. C. de Contr. & Committ. stip.* & per sufficientem fit interpellationem, *l. mora. infra. de Usur.* licet id in casu posteriori omnino in facto consistit. Quoties igitur dicimus in vera rei æstimatione tempus litis contestatæ inspici, subintelligitur semper, nisi † antea

6. fuerit commissa mora. *d. l. pen. infrà. de Condict. Trit.* Etsi enim rarò ad judicium pervenitur, quin reus etiam priùs fuerit moratus, *l. 3. §. 1. de Usur.* quia tamen ea res penitus in facto consistit, simpliciùs quandoque tempus petitionis pro tempore moræ positum est. *ut*

7. *hic.* Igitur & si statim † ab ipso contractus initio mora commissa fuit, verbi gratiâ, quod venditor acceptâ ipso contractus tempore pecuniâ, cessaverit in rei traditione, ad id quoque tempus æstimationem reducimus, vel si mora non acciderit, respicimus ad tempus litis contestatæ. *l. 3. §. si per venditorem ubi gl. Bart. Bal. Castr. Salic. infrà. de Act. Emp* idque propter participationem pecuniæ ab altero

8. acceptæ. *arg. l. curabit. C. de Act. Emp.* Quæ omnia † ita accipe, ut, si quo modo res post tempus moræ ad sententiam usque in majori pretio fuerit, id ipsum accipiatur commodo creditoris; & damno rursus non cedat, si periisset, aut quo modo deterior facta esset. *l. si sterilis. 21. §. cum per venditorem. de Act. Emp. junc. l. 3. infrà. de Condict. Trit. fac. l. qui autem. 12. §. 1. Si Quis Caut. Jud. Sist.* Ex quibus

9. evenit, in vera † rei æstimatione per judicem facienda, nullam differentiam

ferentiam esse inter judicia bonæ fidei & stricti juris, cùm tamen ea distinctio tantam huic rei suffuderit obscuritatem, ut quàm paucissimis & hæc l. & totus hic tractatus rectè perceptus sit. Nec movet † quod alibi quasi per oppositionem relatum est, in bonæ fidei judicijs tempus sententiæ, in stricti juris, litis contestatæ respici. *d. l. 3. §. in hac. Commod.* quia id non de rei æstimatione verâ, sed ea quæ fit 10.
per juramentum in litem, responsum est. In ea enim æstimatio reducitur ad tempus sententiæ, cum tamen in judicijs strictis (subintellige quoties ea arbitraria fiunt, quia aliàs in eo actionum genere in litem non juratur. *l. 6. de In Lit. Jur.*) taxatio referatur ad litem contestatam. *d. l. 3. Commod.* Cur hæc † tam variè? quia sc. in strictis ju- 11.
dicijs judex actioni propositæ astrictior est, & æstimationis interponendæ potestas per accidens supervenit, adeoque officium eius ante condemnationem primam (quia constat, ut judicia stricti juris arbitraria fiant, pene duas sententias ferri. *not. Donell. & alij ad §. præterea. Inst. de Act.*) nullius aut perexigui momenti est, eò quòd arbitrium eius demum à contumacia rei accipiat causam. *tex. in l. qui restituere. 68. de Rei Vind.* cùm interim in ijs quæ bonæ fidei sunt potestas ipsius ab actionum natura sit major. Planè quod dicimus in actionibus strictis si in litem juretur, respiciendum esse ad tempus litis contestatæ, id quoque, ut in æstimatione rei verâ, ita accipimus, nisi debitor ante fuerit in mora, *per l. cum furti. 9. verb. cum furtum factum sit. de In Lit. Jur. fur enim ab eo tempore censetur in mora fuisse. l. 8. §. pen. de Condict. Furt.* Sed neque ad † rem facit quod *in* 12.
l. hominem. 57. Mandati. relatum est: aliud in actione mandati, quàm in stipulatione esse, quia in priori capitis istius responso est species talis, quâ æstimatio venit jure actionis; quod nimirum fidejussor servum pro alio solverat, eiusque pretium actione mandati repetendum erat: posterius verò responsum manifestè confirmat sententiam nostram. Atque hæc opinio, re, uti par est, examinatâ, communis est, *iuxta gl. hic. in verb. cum petitum. quam probant Bart. Bal. Castrens. Ias. Alex. Costal.* Vnde & explicatio † huius textus 13.
resultat, nimirum æstimationem vini quod judicio postulatur, simpliciter referendam ad tempus moræ, sive ea per lapsum diei, sive opportunam sufficientemque petitionem commissa sit. *DD. jam allegati.* Vt nimirum repetatur ea res à tempore moræ, & reducatur ad condemnationem usque, supputatione nimirum factâ, quanti interea illa fuerit pluris, iuxta ea quæ posuimus num. 8. *in hac ead. l.*
Quod autem nonnulli disputant, pro vino aut alia † quantitate mu- 14.
tuo datâ, æstimationem solvi posse, *Iacob. de Aren. & Curt. in l. 2. suprà eodem.* id plerisque improbatum est, *DD. ibidem, communem dicunt Zas. & Alc.* Quia certum est mutuum ita contrahi non posse.

ut alterius generis quantitas pro alia solvi queat. *d.l.2.suprà eod.* Et verò id officio judicis effici posse, multò minùs credendum est. Cum enim id tantum casu necessitatis receptum sit, puta quando præstari debitum omnino nequit, *l. qui restituere.68. de Rei Vind.* probabiliùs dicimus regulariter contrarium esse, *ut in d.l.2. suprà eod.* Quinimo & absurdum foret in aliam rem condemnationem fieri, quàm quæ judicio fuit postulata. *l. ult.* C. *de Fideicomm. Lib. l. ut fundus.*

15. *Comm. Div.* Nec ad rem facit hic textus † vel l. ult. suprà. de Condict. Trit. quia in neutra earum quæstio est, utrum æstimatio pro quantitate postulata solvi possit, sed hoc tantùm, quando occasio postulat, ut officio judicis æstimatio ineunda sit, ad quod tempus ea sit reducenda. Hoc autem fit quoties reus in mora solvẽdi fuit, proptereaque æstimationem potiùs quàm rem recipere, interest creditoris; eoque actio ob utilitatem temporis vel loci accedentem, arbi-

16. traria est. *l. quod si Ephesi. infrà. de Eo Quod Certo Lo.* Non mutat † etiam l. si quis stipulatus. 57. de Solut. ubi debitori qui decem in melle promisit, liberum est decem vel mel solvere: quia ibi, pecunia præcipuè in obligatione fuit, mel tantùm in solutione, hoc est ut liberum esset debitori ea vel solvere in melle. *Bart. ib. fac. l. 1. de Pen.*

17. *Leg.* Minusque ad † rem pertinet l. 1. §. non potest. de Const. Pec. quia ea non aliter accepta est, quàm volente parte utraque aliud pro alio solvi. Et hoc igitur in praxi servamus. Denique an & quan-

18. do in rebus † ceteris æstimatio pro re dari queat, obiter annotamus suprà, *ad l. qui restituere. 68. de Rei Vind.* Illud igitur in proposito exploratum manet, æstimationem pro rebus quantitatis reliquis restitui non posse. Sed cum pecunia numerata eiusdem generis censeri queat, an & quatenus argentea pro aurea, aut alia ære contaminata restitui possit, pluribus suprà exponimus. *in l. 3. h.t.* Ceterùm quia hic locus propriè ad tempus æstimationis pertinet, illam tractationem in hanc occasionem commode reservasse videmur, pecunia mutuo data creditoris ne an debitoris periculo aut commodo mutetur, & si de æstimatione quæratur ad quod tempus ea

19. referenda sit. Ad primam † quæstionem quod attinet, plerumque distinctè de ea disseri ab interpretibus consuevit, ut, puta, aliam mutationem externam seu extrinsecam statuerent, quæ æstimationi nimirum priori accedat vel decedat; aliam verò internam seu intrinsecam, quæ substantiam nummi cuiusque internam deteriorem reddat aut meliorẽ. Constat v. hanc rem tam variè & confusè à plerisque tractatam, ut ex perpaucis intelligi queat, quid senserint ipsi: sed nos in explicanda ea ita agemus, ut & institutæ brevitati satis-

20. fecisse, & officio interpretis non defuisse videamur. Proinde si † monetæ alicuius mutuo datæ æstimatio crescat aut decrescat, quia cõstat

ſtat pecuniam mutuo acceptam ſtatim dominio cedere creditoris, *l.1. & 2. ſuprà h.t.* cui dubium ſit æſtimationem quoque periculo, eius minui aut augeri? Illud verò pervulgatum eſt, ſubſtantiam; id eſt (in propoſito) valorem, nummi in æſtimatione conſiſtere, *l.1. de Contr. Emp.* Quando igitur nummi mutuo dati æſtimatione certâ numerati ſunt, ſequitur etiam eandem quantitatem *(quæ hîc pro ſubſtantia eſt, ex d. l. 1.)* æſtimatione pari reſtituendam eſſe. Nam ſi diverſum ſtatuamus, dici oportet æſtimationem pecuniæ mutuo datæ non eſſe certam. At verò contra reſponſum eſt, eam ſemper certam eſſe. *l. nummis. de In Lit. Iur.* ut obligatio hæc etiam ſola reſpectu ceterarum interdum certa dicatur. *l.1. de Condict. Trit.* diverſum igitur dici non poteſt. Accedit quod pecunia in genere ſuo functionem recipit, & altera alterius loco ſolvi poteſt. *l.2. ſuprà. h.t. junc. l. quæ extrinſecus. 65. §.1. de Verb. Obl.* Sed & illud huius ſententiæ firmum argumentum eſt, quod ſi eiuſdem generis nummos ſed minoris quantitatis aut æſtimationis reddere creditori liceret, pecunia redderetur non perinde bona. At verò hoc abſurdum eſt & rationi mutui repugnans *per l.3. ſuprà. h.t.* perinde igitur abſurdum unde hoc ſequeretur. Dicimus igitur, pecuniam mutuo acceptam commodo ac damno domini, hoc eſt eius qui illam mutuo accepit, cum minui tum augeri; quod pleriſque viſum eſt. *Anton. But. & Abb. in c. quanto. de Iurejur. Curt. uterque ad l. cum quid ſuprà. eod. Afflic. Deciſ. 194 num. 5.* Et hoc conſuetudine notiſſima receptum eſt, nam ſi quiſquam vel in Germania vel in Belgica nummos quoſcunque, vel florenos in auro, vel ducatos aut coronatos, quorum æſtimatio ſucceſſu temporis minuta eſt, creditori ſuo obtrudere pro quantitate mutua velit, rem profectò omnium abſurdiſſimam proponere videretur. Et hanc conſuetudinem (optimam ſane interpretem legum, *l. ſi de interpretatione. de Legib.*) pene ubique terrarum vigere conſtat. *teſte Bart. in l.1. de Auro & Arg. Leg. & in l. Paulus de Solut. Socin. Sen. lib. 1. Conſil. 6. Menoch. lib. 1. Conſil. 49. num. 19. Molin. in tract. Commer. num. 702. ſub fin. num. Boër. Deciſ. 327. num. 3. in fine.* Scio equidem ab alijs in contrarium diſputatum eſſe, nimirum damnum debitoris non aliter eſſe quàm ſi fuerit in mora, *Fach. lib. 2. c. 9. Con.* verum ſententia illorum tantùm pro more ſcholaſticorum diſputandi cauſâ ſuſcepta apparebit. Nam quod ex hoc textu evincunt æſtimationis demum rationem à tempore moræ habendam, id malè ad propoſitam quæſtionem applicatur, cum pecuniæ quantitas ab initio definitam certamque æſtimationem habuerit, idque de rebus ceteris dici non poteſt. *l.1. de Condict. Trit.* quippe in quibus demum æſtimationis ratio habetur, cũ intereſt creditoris ob morã rei, illã potiùs quam rem debitã recipere.

Conſuetudo communis pr bat pecuniam periculo creditoris augeri aut minui.

Ad alterum argumentum quod attinet, quo ita contendunt, cum debitor non est in mora, æquum est illum damnum non sentire: respondemus id multò æquissimum esse, cùm ipse pecuniæ mutuo acceptæ sit dominus, quando igitur ob hoc & ante moram emolumentum sentit, par est etiam ut damnum sentiat ante. *per vulg.* Planè quod Fachinæus consuetudinem illam negat generalem esse, idque authoritate Purpurati, *lib. 2. Consil.* 522. *num.* 31. id quidem ineptum videtur, cum commercia hac tempestate adeo communia sint, ut vix esse queat, aliam alibi in hac re quàm alibi consuetudinem receptam esse. Sic enim in Gallia floreni & coronati nummique adeo quicunque, minutiori pecuniæ quantitate æstimantur. *Boër. & Molin. dd. locis.* Itemque in Italia, ut ex Afflicto constat. *Decis.* 194. Perinde in Germania floreni aurei & ducati Hungarici item daleri, batsis vel albis æstimantur. Prorsus ut in Hispania de Pistoletis & Milleresis constat. Ac in Belgica de quacunque specie nummorum, cum majores quidem Florenis Carolinis, minores stuferis & ita gradatim æstimentur, ac periculo debitoris species sint, adeo ut absurdissimum videretur, si quis creditor nummos ejusdem speciei recipere vellet, quòd incrementum æstimatio accepisset, vel ex adverso si debitor creditori nummos quorum æstimatio decrevit, obtrudere vellet. Utrumque scilicet ita, nisi quantitas vel in ea specie vel alia, ad æstimationem usque ejus quæ data est, suppleatur. *Mins. Cent. 4. Obs. 1. Molin. d. lo. num.* 710. Idque ita esse Molinæus perhibet, etiamsi expressè conventum esset, ut quantitas in iisdem nummis pari numero reddatur, præterquam si palam sit, partes ad periculum imminutionis vel auctionis respexisse, quod usu venit, cùm vel id expresserint, vel de speciebus restituendis egerint, cùm jam innotuisset, imminere propediem æstimationis mutationem. Extra verò casum conventionis magis est, naturam contractus considerandam, quæ ob æstimationem certam in obligationem deductam, eandem quantitatem non tam numero quàm usu publico parem reddi postulat. *arg. d. l. 1. de Cont. Emp* Par verò quantitas reddita non videtur, nisi reddatur perinde bona. *l. 3. suprà h. t. junc. d. l. 1. de Cont. Emp.* Maximè cum qualiscunque pecunia numerata in genere suo functionem recipiat. *d. l. quæ extrinsecus. 65. §. 1. de Verb. Obl.* Planè si alteruter fuerit in mora, creditor puta vel recipiendi, vel debitor solvendi, quin tum ad tempus moræ respici oporteat, eique damnum imputandum sit, qui in mora fuit, controverti non potest. *arg. l. 3. de Condict. Trit.* Denique in legato certi ponderis auri vel argenti admissum est ut æstimatio fiat secundùm tempus præsens. *l. cum certum. 9. de Auro & Arg. Leg.* Sed

Consuetudo potioris Europæ in æstimãda nummorum ratione.

11. hoc quatenus ita sit, ibidem tractamus. Ceterùm si de intrinseca pecuniæ

pecuniæ mutatione quæramus, perinde de jure controversum est, cùm alijs videatur inspiciendum tempus contractus, *Socin. Sen. lib. 2. Consil. 298. Covarr de Vet. Numis. Coll. c. 7. §. Vn. num. 2. Cagnol. ad. l. 2. C. de Pact. Inter Emp. & Vend. Canonistæ communiter in c. olim. de Cens.* Movet eos c. cum canonicis. ex. de Censib. verb. vel si non sit in usu, æstimatione pensionis antiquæ facias manere contentos. Accedit quod nummus & aliàs solvendus est boni ponderis & materiæ, *l. 1. C. de Vet. Numis. Pot. lib. 11. & l. 1. ac 2. C. de Ponderat.* Vnde consequitur id in mutuo vel maximè ita esse. *per l. 3 suprà eod.* quasi nimirum id in contractum ipsum sit deductum. *arg. l. Rutilia Polla. de Contr. Emp.* Præcipuè cùm creditor, si eius intersit, solutionem in alia specie recipere non cogatur quàm quæ mutuo data fuit. *d. l. Paulus. 99. de Solut.* Sed alijs diversum placuit, *Fab. in Auth. hoc nisi. C. de Solut. Molin. de Contract. q. 100. num. 749. Menoch. Consil. 49. num. 38.* quia nummi substantia non alia sit quàm quæ ex usu hoc est currenti æstimatione dependet. *d. l. 1. de Contr. Emp.* Vnde olim & urgente necessitate, interdum ex vilissima materia nummus excusus fuit. Movet eos præterea l. cum certum. de Auro & Arg. Leg. quæ tamen parum ad rem facit cum non ad solutionem mutui, sed legati pertineat. *vide interim quæ nos ibidem.* Ego existimo, si nummi æstimati sint, quocunque tempore de solutione agitur, dicendum ut æstimatio reddatur inita tempore contractus, *arg. d. c. cum canonicis.* cum non tam nummi in specie debeantur, quàm æstimatio eorundem, eoque casu procedat sententia prior; sin vero æstimati non sint, eiusmodi solvantur cuiusmodi nunc sunt, quo casu accipienda est sententia posterior. Nec movet quod videri hoc casu queat, creditoris potiùs interesse, pecuniam non recipere talem, cum hæc paulò vilior sit. *per l. Paulus. 99. de Solut.* quia hoc ita est, quoties nummi alterius formæ offeruntur, nam quæ eiusdem formæ atque æstimationis sunt, (de quibus hic agimus) substantiã ex usu ac decreto publico habent. *d. l. 1. de Contr. Emp.* & proinde alij esse judicari non possunt. Atque hoc ita distinctè in mutatione monetæ interna moribus observari videmus, parum quippe referre paret utrum decreto publico valor materialis paulum immutetur, modò æstimatio interim eadem sit. Illud constat, in locis ubi negotiationes hodie frequentiores sunt, facili momento æstimationem nummorum mutari, secundum quod & mercium pretia perinde facilè augeri videmus. Sed ne ea res fundorum dominis ac redituarijs, qui ex alienis fundis reditus annuos habent, magno detrimento aut inopinato commodo cedat, jam olim in Transisulania, patria inquam hac mea, alijsque nonnullis Belgicæ provincijs constitutum est, ut pleræque nummorum species etiam à partibus non æsti-

Constitutiones & Consuetudines singulares quæ sine partium conventione quoque perpetuam pecuniæ æstimationem constituunt.

11. *Quid juris si prælatus pecuniam mutuo acceptam solvere non possit.*

12 *Quid si capitulum non consensit.*

13. *An pecunia in causam ecclesiæ versa sit, in facto consistit & num. 15.*

14 *Ad quos contractus hæc l. pertineat & in fine.*

16. *An & quando ex mutuo teneantur ij cum quibus contractum est. & num. 17. ac 18.*

ADministrator † civitatem ex mutuo obligat, si constet pecuniam in rem illius versam. *ut hic.* eodemque casu acceptum est quod dicimus, eum rem civitatis pro mutuo posse obligare. *l. si is qui. 11. de Pign.* Quid ergo, si † collecta in hoc multitudine civium præsente, aut aliàs accedente mandato eius speciali contractum fit? & appositè dicimus hoc quoque casu eam obligari. *Ias. hic. Bart. in l. aut facta. §. fin. infrà. de Pœn.* nam si communi proposito deliquerit, obligatur, *l. metum 9. §. 1. Quod Met. Caus.* & facilius igitur, si contraxerit communi decreto. Eo proinde casu minimè opus est probari † eam versam in rem civitatis. *c. pen. de Fidejuss.* Neque necesse est id restringere † ad civitatem liberam, ut Alciatus & Fulgosius autumant, *per hunc text.* quia hæc lex accipitur quando civitas non consensit, ut ex eius fine constat, qui hoc evincit, ut si pecunia in rem civitatis versa non constet, ij teneantur qui contraxerunt. Vnde est quod moribus nostris etiam corpora opificum & pagorum † obligantur ex contractibus communi consensu initis. Nec opus sit eo casu probare pecuniam in rem eorũ versam. Et igitur id faciliùs in corpore admittimus quod gaudet jure civitatis, *Bart. Castr. Alex. Corn. Zas. in d. l. si is qui bona de Pign.* Quinimo † ampliùs rempublicam rectè sine populi consensu obligari dicimus, si ij contrahant qui liberam administrandi potestatem habent. *Pinell. in. l. 2. C. de Resc. Vend. par 2. c. 4. nu. 68 cum ibi alleg* Et hoc quoque moribus obtinet in civitatibus Germaniæ liberis, cuiusmodi complura instrumenta vidimus reipubl. Groninganæ, & Campensis, quæ & jus arrestorum contra singulos cives admittebant, & ex quibus arresta etiã vidimus decerni. Non tamen eo magis † contractus eiusmodi civitatum vim legis habebunt, ut rectè Zasius annotat. *Zas. hic.* quia l. Cæsar. de Public. quam alij in hoc allegant, non de lege propria, sed pacto contractui adjuncto agit. Planè † probatio pecuniæ in rem civitatis versæ ad actorem spectat. *Novell. de Al. & Emph. 120. c. & hæc quidem. 6. §. fin.* Licet enim aliàs quando requiritur pecuniã mutuo datam in rem alicuius versam esse, sufficiat probare, quod necessariò ea fuerit opus. *l. ult. de Ex. Act.* (quod alijs & ad civitatem referri

Margin: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. — *Consuetudo obligandi civitates.*

referri visum est, *gl. in c. hoc ius porrectum. in verb. probat. 10. q. 2. Petr. Cin. ad d. l. ult. Dec. hic. per d. l. fin. de Ex. Act.*) verum tamen est in civitate & ecclesia id ipsũ speciale esse. Diversa enim sunt probare pecuniã ad refectionem opus esse, quod satis est in negotijs alijs. *ut in d. l. ult.* & pecuniam re ipsa in rem civitatis esse versam, quod in specie legis propositæ palam constare oportet. *ut hic. & d. Novell. 120. c. 6. §. fin.* Est enim & illud singulare in mutuo pecuniæ

9. † à civitate datæ, quod eadem & ex solo pacto usuras accipit. *l. etiam. 30. de Usur.* Denique quod de civitate dicimus, id etiam ad ec-

10. clesiam pertinere, † inter omnes obtinuit. *d. Nov. 120. c. 6. §. fin. fac.*

11. *c. 1. ex Depos. c. 3. & ibi Abbas. de Fidejuss.* Unde † tractatum est, An Prælatus qui consensu capituli pecuniam mutuò accepit, nec reddere eam potest, solvendi debiti causâ, cogi possit alienare res soli, si non probetur pecuniam versam in ecclesiæ causam, quod Panormitanus vix putat. *Abbas in c. penul. num. 4. de Fidejuss. Alciat. hic num. 4. & 6.* quia ecclesiæ immobilia sine justa causa alienari non possint. *c. sine excep. 12. q. 2.* Diversum tamen obtinuit. *Bart. hic. num. 13. Dec. num. 6. Jas. col. penult. Immola in c. 1. num. 17. Depos. Butr. in d. c. penult. num. 9. de Fidejuss. Mar. Socin. lib. 1. Consil. 15. num. 17. Castr. lib. 1. Consil. 338. num. 2.* Movet eos quod rescriptum est, ecclesiam non teneri ad restituendam pecuniam quæ sine consensu Prælati & majoris ecclesiæ partis mutuo accepta est, nisi probetur in rem eius versa. *d. c. penult. de Fideiuss.* evenit enim inde justam debiti solvendi causam esse, si consenserint prælatus & major capituli pars. *c. hoc ius porrectum. 10. q. 2.* Et verò si justa ea solvendi causa est, cessat argumentum à Panormitano disputandi causâ oppositum, quippe quod haud aliter procedit quàm justâ causâ cessante. Quid ta-

12. men si quidem † prælatus contraxit, capitulum interim non consensit, an successor teneatur, & hoc quoque Panormitano visum est. *in d. c. pen. de Fideiuss. num. 7. Anchar. num. 9.* Moventur per tex. in c. 1. de solut. sed cum ita accipimus, si accesserit capituli consensus. Eo quod expressè constitutum sit, si non probetur pecunia in rem ecclesiæ versa, hæredes prælati teneri. *d. Nov. 120. c. 6. §. fin. Innocen. in d. c. 1. de Solut. Anton. Butr. in d. c. penult. num. 9. Castrens. d.*

13. *lib. 1. Consil. 338. num. 2, vers. si verò nullum* Planè † an in causam ecclesiæ versa sit, id plurimum in facto consistit, & idcirco ferè arbitrio judicis finiendum est. *Menoch. de Arb. Iud. casu. 432. num. 18.*

14. Denique Baldus hanc legem solum in pecunia † numerata admittit. *in l. singularia. suprà eod.* magis tamen est de ceteris rebus quantitatis idem dicendum. *Zas. num. 9 & DD. communiter. hic* Quod & moribus obtinet in civitatibus majoribus quæ vel ob belli metum vel annonæ periculum à civibus aut alijs magnam sæpè frumenti quantitatem

quantitatem mutuo aut æstimato accipiunt. Sed rectè † dicimus ad probandam quantitatem in rẽ civitatis versam, satis esse si doceatur, ea ab administratoribus bono civium avertendæ annonæ causâ, recondita esse. Idque & moribus admissum est. Ad ceteros tamen contractus quàm mutuum, privilegium hoc non pertinere magis dicimus. *Bart. in l. 1. C. de Vend. Reb. Civ. lib. 11. sequitur* Costal. *hic.* licet in ijs quoque beneficio restitutionis gaudeant. *l.* 3. C. *de Jure Reip. lib. 11.* Tenentur tamen † etiam ex mutuo ij cum quibus contractum est, in omnem eventum; durante quidem officio indistinctè. *arg. l. 1. §. est autem. infrà de* Exerc. *Act.* sed finita administratione non aliter quàm si novandi animo debitum receperint. *l. 3. §. in eum. de Adm. Rer. Ad* Civ. *Pertin.* idque ita exemplo tutorum & curatorum receptum est, qui & ipsi finito officio non tenentur. *l. post mortem. Quan.* Ex Fac. *Tut.* Vel Cur. Rationem vide suprà *in l. 67. de Procur.* Planè quod dicimus † administratores finito officio non teneri, cum moderamine acceptum est, si constet pecuniam in rem ecclesiæ aut reipublicæ conversam. Quamobrem benignè dicimus, ipsos aut hæredes eorum interim actione ad exhibendum teneri, ut creditoribus rationum civitatis aut ecclesiæ quas ipsi confecerunt, copiam dent. *l. 3. §. plus dicit. & l. pen. Ad* Exhib. quibus consequenter rempublicam aut ecclesiam ad obtinendam solutionem convincant. Quod si id non præstent per judicem juramento in litem delato taxari potest, quanti intersit actoris. *d. l. 3. §. præterea. Ad* Exhib. Verùm † si exhibeantur nec pateat ex ijs aut aliunde saltem, pecuniam illam in causam universitatis versam, rectiùs dicimus finito officio etiamnum administratores aut hæredes eorum conveniri posse. *d. Novel. 120. c. 6. §. fin.*

15. Consuetudo probat quãtitatem in rem civitatis versam, si ea recondita in annonam sit. — 16. — 17. — 18.

Ad l. creditor. 28.

1. Iure nostro an pignus minòris pretij quàm ad quantitatem debitam recipiens, reliquo renunciare censeatur. & num. 5.
2. Consuetudo Veneta juri nostro contraria.
3. De Lombardis consuetudo similis.
4. Constitutio Pij Quinti.

QVi pignus † accipit debito non sufficiens, ob hoc reliquo non censetur renunciare. *ut hic. l. quæsitum. 9. de Distr. Pig. l. adversus. de Obl. & Act.* Sed Accursius † annotat hanc legem venetijs non servari. *gl. hic.* Meritò quoque non servatur in contractibus nummulariorum, qui permissione † publica, parum profectò decorâ, 1. *Consuetud. Veneta.* 2. 3.

Rrr plebem

plebem improbo fœnore exinaniunt. Neque enim hi ultra actionē habent, quàm in pignus sibi constitutum. Sed quando sors & usura
4. † pretio rei obligatæ æquiparatæ sunt, sine solemniori exsecutionis ordine, summatio quodam magistratus loci decreto, distrahunt
Ius Canon. de Gersum. candem. Denique & consuetudini Venetæ simile utcunque est, quod Constitutione Pij Quinti effectum est, ne † in terris ecclesiæ
4 reditus annuus fundo impositus, ultra extendi possit quàm ex obventionibus eiusdem redigi queat, & ipse adeo minuatur, si quantitas reditus ex obventionibus redigi nequeat, fundo etiam perdito aut imminuto, pereat etiam atque imminuatur ipse. *Gail. 2. Obs. 7. num.* 11. Quod tamen an perinde alibi admittatur nos tractamus suo loco, *in Trac. nostro de Ann. Redit Lib. 1. c 4. num. 5. & 6.* Planè
5. & † jure civili, si quis pignoris prætorij non invenerit emptorem, ipseque ob hoc facultatem possidendi impetret, receptum quoque est, creditorem eodem contentum fore. *l. à Divo Pio. §. si pignora. de Re Iud.*

Ad l. qui pecuniam. 30.

QVi pecuniam mutuo accepturus, eam spopondit creditori futuro, in potestate habet, ne accipiendo se obliget. *ut hic.* quippe cum stipulatio hic tantùm accessoria sit, & mutuum ipsum, cuius causa illa interposita est, demū perficiatur numeratione. *l. 2. §. 5. sup. eod.* Sed ex chirographi consensu ad id, quod tamen re ipsâ necdum numeratum est, conveniri quidem potest, ut & ex stipulatione hic propositâ, verùm non numeratæ pecuniæ exceptionem habet. Quatenus verò & quamdiu ea parata sit, infrà tractamus. *l. non figura, de Obl. & Act.*

Ad l. cum fundus. 31.

PRincipium huius legis pertinet ad ea, quæ pluribus ponimus infrà, *de Vs. l. videamus. & lib. 4. Subt. c. 14.*

1. Argumentum § latius explicatum. & num. 2.

3. An si nummi nostri apud alium instar speciei sint, in compensationem veniant.

1. §. 1. SErvum † tuum bona fide comparavi, qui ex peculio quod ad te pertinebat, alterum servum emit qui mihi traditus est: utilitatis causâ te eum mihi ut indebitum condicere Sabinus & Cassius autumant. *ut hic.* quia novum in ea condictione non fit, ut quod unus solvit, repetat alter. *l. non est novum. infrà. de Condict. Ind.* Venditor

ditor tamen ipse quoque domino † ex vendito tenetur, ut is denuo adversus possessorem cui servus traditus est, condictionem indebiti exerceat: hoc ita si dominus ei pretium servi præstaret. *ut hic. & l. si servum. 24. §. 1. de Act. Emp.* Denique quod hic de vindicandis nũmis dicitur, quæstionem movit, † an si nummi nostri apud alium instar speciei sint, admitti compensatio queat. *apud gl. & DD. hic.* Sed hoc nos latiùs infrà explicamus, *in l. 1. de Compens.* 2. 3.

Ad l. si me & Titium. 32.

SI mea permissione pecuniam à debitore meo accepisti, cùm eum Titij debitorem putares, non quidem ex mutuo, sed certi condictione generali vel indebiti teneris. nam quia ea ratione propemodum pecunia mea ad te pervenit, eam mihi à te reddi, bonum & æquum est. *ut hic. fac. l. perpetuo. infrà de Condic. Ob Turp. Caus. l. si negotia. infrà Mand. l. quanquam. in fine infrà, Ad Vell. l. uxor. & l. mandato. infrà de Don. Int Vir. & Vx.* Quod si eam tibi ab initio ad instantiam tui accipere permittam, eamque tu dein' consequaris, mutuum contractum intelligitur brevi manu. *l. singularia. ubi vide suprà eod.* Quatenus verò juris sit in divisione, cum eo facta qui cohæres non est, pluribus explicuimus suprà. *in l. cum putarem Fam. Ercis. §. pen.*

Ad l. principalibus. 33. & l. 34.

1. *Præsidibus in provincijs negotiari aut pecuniam fænori exponere non licet.*

2. *Accipere tamen mutuum non vetantur.*

3. *Si contra has leges actum sit, ne quidem finitis officiis contractus valent.*

4. *Quid juris si contraxerint bona fide & palam.*

5. *De Rectoribus perpetuis quid juris.*

6. *Quid de rectoribus civitatis, Conciliantur l. officij. & l. non licet. de Contr. Emp.*

7. *An præsides non statim finitis officiis contrahere queãt.*

8. *An præsidibus etiam donationes remuneratorias conferre liceat.*

PRæsidi provinciæ † aut comitibus eius, in provincia negotiari aut pecuniam fœnebrem mutuo dare permissum non est. *l. 1. infrà. hic.* Accipere tamen † mutuum non vetantur. *ut hic, in l. 34.* ut nec vetantur emere necessaria causa victus. *l. 1. C. de Contrac. Jud.* Præterquam ab ijs in quorum causis ipso actu judices sunt, quive aliquid apud eos ambiunt, *l. pen. C. Si Cert. Pet.* Denique harum legum † prohibitio adeo obtinet, ut contractus eiusmodi ne 1. 2. 3.

conf. Sed neutra ratio proba est, eodem enim modo & quibuscunque officialibus aut magistratibus negotiandi copiam demes: at absurdum hoc est, per hos textus, perinde igitur absurdum unde hoc sequeretur. *Iaf. hic. num. 4.* An † verò præsides etiam donationes remuneratorias accipere queant, infrà tractamus. *ad l. Aquilius. 27. de Donat.* 6.

Ad l. lecta. 40.

1. *Argumentum huius legis & num. 3.*
2. *Pacta in stricti iuris iudiciis an ad actionem prosint.*
4. *Conciliatur l. si unus. 27. §. pactus. de Pac.*

MVtuo accepi † centum, stipulatione interposita promisi ea reddere certa die, ac, nisi reddam, usuras centesimas. Postea convenit ut centum ea statis bimâ, trimâ, quadrimâ diebus, divisis partibus solvam. Cum prima dies elapsa, secunda item, & tertia esset: quæsitum est, an à tempore primæ solutionis solvi debeant usuræ totius quantitatis, an verò à diebus demum singulis singularum partium. Dubium movet, quod pactum posterius tantùm ad solutionem sortis relatum, non etiam usurarum fuit, quippe quæ priùs simpliciter in stipulationem venerant; pactumque hoc solum ad exceptionem differendæ solutionis sortis totius inesse. Sed contrarium obtinuit; cum etiam ista sententia admissa, is qui exceptione tutus est, morari non censeatur. Hæc est sententia huius legis. Ex qua tamen † pessimè plerique colligunt, pacta in stricti iuris judiciis etiam ad actionem prodesse. neque enim id Paulus ullo verbo indicat. Nam quod ait contrariam sententiam obtinuisse, id eò pertinet, ut intelligantur pacta isto quidem casu ex parte rei non inesse per exceptionem, sed ipso etiam jure, ut unicuique intelligenti, textumque indaganti protinus parebit. Vide quæ in argumentum huius materiæ longiùs suprà disserui, *in l. jurisgentium. 7. §. quinimo de Pact.* Neque verò † movet quòd aliàs relatum est, stipulationem per pactum contrarium non tolli ipso jure, sed ope tantùm exceptionis, *l. si unus. 27. §. pactus ne peteret. suprà. de Pact. §. præterea. Inst. de Act.* unde sequi videatur, eandem nec in alium effectum posse reformari: quia quod in præsenti dicimus, exceptionem inesse ipso jure, id eò fit quod usura hoc loco non ut lucri promissa est, sed ut pœna, ita nimirum si debitor fortè tardiùs solveret. Quando nimirum in ipsius sortis petitione debitor per exceptionem munitus est, sequitur ut & ipso jure à pœna stipulatione contenta liberetur. Quia enim † in mora non fuit, par est eum nec

1. (margin, beside line 1 of the paragraph)
2. (margin, beside "gis. Ex qua tamen")
3. (margin, beside "§. quinimo")
4. (margin, beside "contenta liberetur")

affici pœnâ posse. Denique quod Paulus in proposito ait, contrariam sententiam obtinuisse, id non ad regulam referendum est, sed ad consilia eorum qui super hac re in adjutorio Papiniani in diversum disputarant, ut ex propositione & acri consideratione textus colligitur manifestè.

Ad l. eius qui in provincia penult.

HÆc l. non est difficilis, nisi quod quæstionum varietate fertilis sit. Quas qui à nobis explicatas quærit, videat Subtil. nostras. in 2. editione, *c. 21. & 22.*

Vers. Quas verò.) Huic versiculo solet opponi l. 33. de Acq. Poss. solutionem vide ibidem.

Vers. Nam etsi.) Relatus est infrà *in l. 33. de Acq. Rer. Dom.* quæ solet opponi. solutionem vide ibidem.

Denique negotiorum gestorum actionem cum familiæ erciscundæ judicio non concurrere, & in quæstione huius textus negotiorum gestorum, & non familiæ erciscundæ judicium esse, planum est. Quâ de re videnda sunt, quæ suprà posuimus, *in l. haeredes. 25. §. non tantum. 16. Fam.* Ercis. *& lib. 1. Subtil. nostrarum. c. 18.* Non obstat verò *l. Mævius. 52. §. 1. Fam. Ercis.* quia ibi pecuniæ exactæ fuerunt ante mortem domini.

Ad l. ult. §. 1.

Vide quæ ponimus infrà, *ad l. in illa stipulatione. 50. de Verb. Obl.*

DE IVREIVRANDO.

TIT. II.

Ad Rubricam.

IVsiurandum, quod & juramentum, est affirmatio summè religiosa. Cuius quidem variæ olim formæ fuere, *vide l. 3. §. fin l. 4. l. 5. princ. l. 13. § fin. h. t. l. 2. C. de Reb. Cred.* usitatior tamen olim modus erat, jurare PER IOVEM LAPIDEM. *Gel. lib. 1. c. 21. Polib. lib. 3.* At post cædem Cæsaris senatus decrevit ut per genium Principis juraretur. *Dion. lib. 44.* Denique moribus Christianis sub sola invocatione nominis divini, tactis interdum etiam sacris evangelijs juratur, hoc modo, ITA ME DEUS IUVET. Planè consuetudine Germaniæ etiam sæpius per fidem principatus aut nobilitatis jurari solet. *Min.*

Cent.

*Cent.1.Obs.*17. Sed hæc jurandi ratio quidem perinde judicatur servanda, non tamen jurans, si eum, vel minima occasio excuset, ob hoc pœnas perjurij subibit. *gl.Can.in c.penult. de Iurejur. verb.quod promisit.* Odia enim restringuntur. *c.odia.de Reg.Jur.in 6.* Hoc ita civiliter. nam si conscientiam spectes, Canonistæ perhibent, non esse differentiam inter promissionem simplicem & juratam. *vide quæ nos suprà ad l.1. de Pact.* *Ius Canonis august*

Ad l. 1.

1. *Iuramenti usus potissimus in litibus finiendis.*

2. *Iusiurandi species tres & quæ singulæ.*

3. *Iurisiurandi usus in negotijs confirmandis quis.*

4. *Actus minorum quatenus juramento firmentur.*

5. *An & quando contractus minorum à juramento robur accipiant plenissimo tractatu explicamus.*

6. *Donatio inter virum & uxorem an & quatenus juramento firmetur.*

7. *An in ea re Iure Can. diversum sit.*

8. *Quatenus id hactenus servetur in foro civili.*

9. *Quatenus moribus.*

10. *Vtrum c. cum contingat de Iurejur. locum habeat cum ex donatione eiusmodi enormis læsio procedit.*

11. *Vtrum fidejussor juramento obligatus beneficium discussionis habeat.*

12. *An fidejussores dotium iuramento obligentur.*

13. *Aut pactum de hæreditate viventis confirmet iuram.*

14. *Vtrum emphyteuta qui canonem solvere iuravit, ob cessationem unius anni fundo expelli queat.*

15. *Vtrum iuramentum confirmet transactionem de alimentis futuris.*

16. *Ad factum iuram. obligatus utrum ad præstandum compelli queat.*

17. *Constitutiones Hispaniæ, Lusitaniæ, Burgundiæ, laudãdæ.*

18. *De iuramento dolo, vi, metúve extorto.*

19. *Iuris Canonici distinctio in hac re.*

20. *Remittendi iuramenti potestas num principis sit an verò iudicis ecclesiastici solius.*

21. *Ex moribus usus iuramenti quis præterea sit.*

Iuramenti

1. IVramenti † usus potissimùm obtinuit, finiendarum litium caussâ, idque vel ex conventione partium, vel judicis authoritate. *ut*
2. *hic.* Sunt † enim diversæ eiusdem species, puta Voluntarium, Iudiciale, necessarium. *ut hic in rubr.* Voluntarium est quod pars parti defert extra judicium, idque referri non potest. *l.17. infra eod.* nisi tamen id inter ipsas conveniat, quo casu posterior jurisiurandi caussa potior est. *l. si duobus. 28. §. fin. eod.* Iudiciale dicunt quod judicio instituto alter ligantium alteri defert. Necessarium verò quod judex defert. *l. 31. infrà eod. ubi vide.* Alij tamen judiciale dicunt quod nos necessarium, & vice versâ, *Cujac. in par. hic.* *Vult. 1. Disp. Schol. c. 7. & alij.* quia puta delatum in jure jusiurandum, ni referatur, vel maximam præstandi necessitatem habet. *l. manifestæ. 38. infrà. eod.* Sed nos singulas species suis quibusque locis, pro more juris authorum, perspicuè designabimus, ne ex varietate hac juris studioso dubium aliquod redundet.

3. Est tamen † extra eas species etiam juramenti usus vel negotij alicuius confirmandi, vel alterum obligandi. Confirmandi, ut in l. si quis major. 34. C. de Transact. *& Auth. sacramenta. C. Si Advers.*
4. *Vend. l. 3. C. Si Min. Si Major.* Dix. Sed actum ipso † jure invalidum juramentum non confirmat. *l. non dubium. 5. C. de Legib. l. 7. §. & generaliter. sup. de Pact. l. si quis inquilinus. 112. § fin. de Leg. 1.* Neque enim par est, juramentum fieri vinculum iniquitatis. *c. 1. §. quia. de Iurejur.* aut contra bonos mores admitti. *c. non est obligatorium. de Reg. Iur. in 6.* Ceterùm † illud expeditum est, contractus minorum, qui subsistunt ipso jure, adeo juramento firmari, ut beneficium restitutionis impediant. *d. Auth. sacramenta. & l. 3. C. Si Min. Se Major. Dix.* Quod & ita est etiamsi beneficij huius non sit præmonitus. id enim quia aperti juris est (dd. locis. ubi nulla præmonitionis mentio fit) meritò id ipsum in praxi receptum est. *Gail. lib. 2. Obs. 41.* Ac tametsi Iason & alij. C *in. Salic. Bal. allegati à Gailio dd. loc.* id in utramque partem disputant: concludunt tamen, si contractus non valeat ratione minoris ætatis (namque ex ea causa restitutioni vel maximè locus est) eundem juramento confirmari; sin verò nullus sit ob defectum solennitatis, aut quia turpis causa subsit, juramentum nihil efficere, *per d. l. non dubium. & alias allegatas. Ias. in d. Auth. Sacramenta. num. 33. & 46. Bartol. in l. cum quis dicendus. §. Titio. num. 1. & 2. de Leg. 3.* Quod ijs quæ dilleruimus pulcrè convenit, & rationem habet; cum is qui juravit justam causam habeat juramenti non implendi, *per tex. in l. ult. Qui Satisd. Cog.* Cete-
5. rùm † an & quando contractus minorum à juramento robur accipiant, quòd hîc modò obiter monuimus, plenissimo tractatu suprà explicamus. *in l. verum. 11. §. sciendum. num. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & plurib.*

plurib. seq. de Minorib. unde qui volet petat. Denique eadem † ratione dicimus, donationem inter virum & uxorem, utpote contra jus factam, juramento non firmari, nec eam etiam quæ ultra 500. solidos citra insinuationem fit, cum utræque donationes eiusmodi non à voluntate partium pendeant, sed diserto jure prohibeantur. *per d. l. non dubium.* Et hoc ita in regno Franciæ receptum Molinæus annotat, *ad Alex. Consil. 4. cum ibi allegatis.* Sed an idem † Iure Canonico sit? dubitari potest cum id juramenti genus sine dispendio salutis servari queat, & idcirco implendum videatur. *c. quamvis. de Pact. in 6. c. cum contingat. de Iurejur.* Accedit quod eodem jure omne jusiurandum servandum est quod non nutrit peccatum, quod de proposita quæstione dici vix potest. *fac. c. si diligenti. §. fin. ex. de Foro Comp. D D. allegati à Gailio. 2. Obs. 39. num. 5. 6. 12. & seq.* Rectè proinde dicimus id servandum; non quidem adeo ex juris authoritate, quàm sactimonia religionis, quòd hoc tutius sit ad formidandum peccatum. *d. c. cum contingat. de Iurejur.* Proinde & in foro ecclesiastico & terris ecclesiæ omnino tenendum est, ut invitus etiam per censuram ecclesiasticam, quæ quasi officium judicis in hac re est, ad hoc compellatur. *c. ult. de Foro Comp. in 6.* Tametsi enim ex eo, jure nostro nulla actio foret, Canonibus tamen, si fraus ac dolus absit, sacramentum quoque conjugum eiusmodi servari placuit. *c. cum contingat. in fine. de Iurejur. Salic. in d. Auth. sacramenta.* Denique & hodie in foro † civili, cum in casu conscientiæ versemur, idem dicimus. *Gail. d. Obs. 39. per tot.* Nisi puta moribus regionum diversum obtineat, ut jam ex Molinæo allegavi in Francia eiusmodi negotia non servari. Quod † in Hispania, quoque, Lusitania & Burgundia constitutum est, ut infrà monemus. Vtrum verò cap. cum contingat, etiam † procedat quando ex donatione enormior læsio redundat, videamus. Et quidem eò Gail inclinat, *d. lib. 2. Obs. 77. num. 12. 13. 14. Afflict. 322. Dec. Consil. 180. in fine. & 181.* quia ex enormi læsione præsumatur dolus. *l. si superstite. C. de Dolo. cum similib.* Diversum tamen aliis visum est, quia ea distinctione nequaquam consuli conscientiæ queat. *Molin. in add. ad Dec. d. lo. Alc. in d. c. cum contingat. num. 223. Moller. 1. Sem. 43. num. 6.* Ego existimo id in facto consistere & judici ex arbitrio finiendum, ut quidem si donatio eiusmodi sit, ut & dolum ex proposito quoquo modo comitantem arguat, juramentum non obliget. *per tex. expressum in d. c. cum contingat.* itaque sententiam Gailii ac Decii accipiendam, cum ibi superveniat nova causa juramenti non servandi. *per d. l. ult. Qui Satisd.* Cog. sin minùs, non facilè causam dandam contraveniendi juramento; *idque ex* Alciati ac Molinæi sententia. Illud quæsitum † est, utrum fidejussor qui se juramento obligavit, benefi-

6.
Consuetudo Franciæ iuri nostr. conveniens.
7
Ius Canon. an hic diversum.
8.
9.
10.
11.

beneficium discussionis habeat? quod magis est, cum juramentum non sit vinculum iniquitatis, *c. quamvis. de Pac. in 6.* foret autem tale, si per illud juris ordinem ac beneficium turbari dicamus. Accedit quod omne jusiurandum intelligitur secundùm naturam actus cui id appositum est. *l. ult. C. de Non. Num. Pec. Dec & Ias. in l. ult. infra eod.* Felin. *in c. ex rescripto. de Iureiur. Alc. in d. c. cum contingat. num.* 174. Planè tametsi Baldus in contrarium disputet. *in d. c. ex rescripto.* Alexander item, *in d. l. ult. infrà eod.* & alij *Anch. in d. c. ex rescripto. in 6. not. Ronchegall. ad l. 3. §. ubi duo. num.* 127. *de duob. reis.* ipsi tamen alibi rem in hâc sententiã finiunt, *Bal. in d. cum contingat. col.* 10. *Alex. in d. l. ult. infrà.* Neque enim mutat d. c. ex rescripto, quia id intelligendum est iuxta ordinem juris. *c. 1. & 2. de Op. Non. Nunc.* Solvere enim fidejussor cogetur sed principali prius excusso.

12. Sed quia [1] jure nostro cautum est, ne fidejussores dotium dentur, idque publicæ honestatis causâ introductum patet, *l. 1. & 2. C. Ne Fidejuss. Dot. Den.* quæri potest, utrum dati cum iuramento, teneantur: cum non sit obligatorium iusiurandum præstitum contra bonos mores. & hoc Bartolo ac Alciato visum est. *Bart. in l. si quis pro eo. num. 9. de Fideiuss. Alciat. in d. c. cum contingat. num.* 312. Contrarium tamen magis est, cum iuramentum illud tale sit, ut sine dispendio salutis servari possit, *ut in c. quamvis. de Pact. in 6.* Nec mutat d. l. 1. & 2. C. quia prohibitio ea civilem tantùm honestatem respicit, non etiam rationem aliquam naturali aut divino juri con-

13. trariam, Quo modo & pactum [†] de successione viventis valet, *ut in d. c. quamvis.* quod tamen respectu honestatis civilis non constaret. *l. pactum quod dotali. C. de Pact.* Vt & aliàs de conventione usurarum, *in c. debitores. de Iureiur.* & de alienatione rerum dotalium rescriptum est. *in d. c. cum contingat. de Jureiur.* Et hoc Baldus Novellus probat, *de Dote. par. 6. privil. 21. limit. 12.* itemque Covarruvias Hispanus, *in relect. d. c. quamvis. par. 2. §. 2. circa finem.* Illud

14. quæsitum est an emphyteuta [1] qui Canonem solvere iuravit, si unius anni solutionem intermittat, ob hoc expelli fundo queat; quod Baldo visum est, *in c. querelam. de Iureiur. & Alex. lib. 1. Consil.* 85. sed & hic diversum obtinuit, *Curt. Sen. in l. si quis maior. C. de Transact. num. 30. Covarruv. in rep. d. c. quamvis. par. 1. §. 4. num. 5. Additores Alex. ad d. eius locum.* Movet eos quod constitutum est, emphyteutam demum cessatione triennij fundo vectigali privari, *l. 2. C. de Jure Emphyteut.* juramentum enim sequitur naturam contractus cui adjunctum est, *per d. l. ult. C. de Non. Num. Pec.* Nec ad rem igitur facit c. querelam. de Iureiur. ubi privatur regimine ecclesiæ qui iuravit solvere, nec tamen id præstat: quia id tantùm

tantùm ad periurium pertinet, quem ratione ſchandali ab eccleſiæ adminiſtratione removeri par fuit. Sed in propoſito de iuramento agimus, confirmando contractui appoſito, quod nec ratione Iuris Canonici aliter accipi poteſt, quàm aliàs Civili aut Canonica conſtitutione proviſum eſt, *per d. c. 1. de Nou. Op. Nunc.* Vtrum verò iuramentum confirmet † tranſactionem de alimentis futuris, ſuprà tractatum eſt, *ad l. cum hi. 8. de Tranſact.* Item, † an ad factum iuramento obligatus, præciſè ut præſtet compelli queat tractamus infrà, *in l. ſi quis ab alio de Re Iud.* Perinde, an qui factum alienum præſtare promiſit ſub religione iuriſiurandi, teneatur; infrà tractamus *in l. iſta ſtipulatio. 38. de Verb. Obl.* ut & quatenus medio iuramento alteri ſtipulari poſſimus. *ibidem in §. alteri.* Quemadmodum & alia complura, datâ occaſione, de vi atque effectu confirmandarum conventionum aliarum ſuis quibuſque locis tradimus, uti de hac re & interpretes alii diverſis in locis ſperſim tractarunt pro re nata. 15. 16.

Illud hoc loco † non præteribo, ſanctiſſimis legibus in Hiſpania, Luſitania, ac Burgandia cautum eſſe, ne ulli contractus medio iuramento fiant, optima profectò ratione, quò periuriis obviam iretur, *Ord. Hiſpan. lib. 3. tit. 1. L. 6. Ordin. Luſitaniæ. lib. 4. tit. 3. Chaſſan. Conſuetud. Burgund. rub. 4. §. 7. Pinellus in rep. L. Z. C. de Reſc. Vend. par. 3. c. 1. num. 11.* Videamus de iuramento dolo, vi, metúve extorto, † num nimirum in eo ad formidandum periurium reſtitutione opus ſit; an verò potiùs ipſo iure ſit nullum. Quod magis eſt *per d. Auth. ſacramenta.* C. *de Reſcin. Vend. iunc. d. c. cum contingat. de Iureiur. iunc. d. l. non dubium.* C. *de Legib.* Iure támen Canonico † obtinuit Panormitani diſtinctio, ut iuſiurandum facti non prohibiti, reſtitutionem requirat, ut ſi quis vi coactus ſit vendere, donare, locare. *c. ſi vero. & c. verum. de Iureiur. c. Abbas, de his quæ Vi Met. Cauſ.* ſin verò interponatur ratione facti illiciti, ipſo ſtatim iure nullum ſit, *per text. in d. cum contingat. ubi Panorm. num. 3. & 11. verſ. ſextus caſus. gl. in d. c. Abbas. in verbo. coactus. de his quæ Vi Met. Cauſ.* iniquitas enim violentiæ accedens ſupplere illum defectum non poteſt, *Gail. lib. 2. Obſ. 42. per tot.* Propè tamen eſt conſuetudinem remittendi iuſiurandi ſupervacuam eſſe, *arg. l. ult. Qui Satiſd. Cog.* præterquam ſi ex emergenti cauſa iuramenti remiſſio impetranda ſit, *vide quæ nos ſuprà in l. verum. 11. §. ſciendum. num. 15. de Minorib.* Sed tractatum eſt, an non principis † poteſtate hodie remiſſio aut relaxatio iuramenti concedi queat, quod Accurſio viſum eſt, *gl. in l. adigere. §. fin. de Iure Patron.* Sed hoc alijs diſplicuit, utriuſque ſententiæ qui 17. *Conſtitutiones Hiſpaniæ Luſitaniæ, Burgundiæ.* 18. 19. 20.

fuerint, videre licet apud Iasonem *in d.l.ult. Qui Satis. Cog.* Verum hæc res ex moribus cuiusque provinciæ judicanda est. Constat enim certissimè, eam potestatem principibus olim (ut pleraque totius juris) fuisse. *fac.l.ult. Ad Municip.* ut & de juramento remitt. præstando, aut non præstando legibus cautum fuit sæpe. *l. quæ sub conditione. §. si quis sub iurisiurandi. de* Cond. *Inst. l.2.C. de Iud.* Vid. *Toll.* Hodie verò Canonibus cautum est, solum judicem ecclesiasticum relaxare à juramento posse. *c. novit. de Iud.* Et hoc in terris ecclesiæ servatur, sed in terris imperij & principum secularium ea res observanda est ex moribus cuiusque loci. Videamus de usu juramenti quod consistit in obligando alium. Eiusmodi igitur est quod libertus patrono præstat. *ut infrà. de Op. Lib. & Iure Patron.* item quod ex moribus Feudorum vasallus domino, subditus principi, vel contra hi illis præstant. Sed & aliàs juramenti usus 1 injiciendæ religionis causa receptus est, quale est juramentum calumniæ, testimonij, purgationis. De quibus singulis suis locis. Extra eos casus verò quatenus ex jurejurando actio sit vel minùs, infrà tractamus fusè, *ad l. nam posteaquam. 9. eod. h. t.*

Consuetudo iuramenti in confirmanda fide dominorum acceptum. 1.

Ad l. 3.

PRincipio huius textus notandum est, jusiurandum proprio motu sine delatione præstitum, nihil proficere. cum ea ratione quò quisque facilior, eò & ad juramentum pronior foret. *ut hic.* Sed in æstimando damno injuria aut vi, alterius illato, auditur pars læsa si in defectum probationis juramentum sibi deferri postulet. *l. si quando. C. Vnde Vi. adde c. ult. Quod Met. Caus.* Idque & aliàs in juramento in litem obtinere, respondi de facto consultus. Inter dominos à Rhede, & rursus inter Routenburgos contra Keteler ter Asse, & Went à Crassenstein.

1. *Iusiurandum legitimè interpositum proficit ex quacunque causa etiam interpositum sit.*
2. *Excipiuntur causæ criminales.*
3. *Purgatio canonica.*
4. *Quid juris sit de pœnalibus.*
5. *An ex delatione juramenti periculum famæ sit.*
6. *An & quatenus in matrimonialibus iuramentum admittatur.*

§. 1. 2. 3.

§. 1. 2. 3.) QVacunque † actione sit actum, si legitimè iuretur, proficiet iusiurandum. *ut hic. & l. bonæ fidei. C. de Reb. Cred.* Excipiuntur causæ criminales, si criminaliter † agatur, quia in his probationes requiruntur luce meridiana clariores. *l. sciant. ult. C. de Prob. gl. hic quam probant Bart. Bal. Angel.* Salic. *Fulg.* Atque hoc ita generatim de omni iuramento statuunt, præterquam quod iuramentum purgatorium per iudicem deferendum, etiam in criminibus receptum est; idque ita, si reus fortasse præsumptionibus levioribus sit oneratus. *l. furti. 6. §. pactus. de His Qui Not. Infam.* Quod Canonistæ † vocant purgationem canonicam, *c. ult. & tot. tit. de Purg. Can.* Denique † si civiliter ex delicto ad pœnam agatur, quin iuramenti delatio admittatur, nulla dubitatio est. nam delatio iurisiurandi etiam in pœnalibus locum habet. *ut hic in §. 1.* Famæ † tamen periculum ex iuramento hoc nullum erit. *d. l. 6. §. sed & si iureiurando.* idque eò, quia causa iuramento decisa non propriam transactionem, quæ fit dato aliquo & retento, sed solutionem vel pactionem gratuitam refert. *l. tutor. 35. §. 1. infrà. h. t.* Quod genus transactionis infamiam non irrogat. *d. l. 6. §. pactúsve.* Sed neque in † matrimonialibus iuramentum contra matrimonium admittendum est. *c. in literis. ex. de Testib. c. lator. de Sent. & Re Iud.* Quanquam si quis æqualem conditione ac moribus in coniugem postulet, nec iusta impedimenti causa subsit, eidem præsumptionibus vel qua alia semiplena probatione munito, ad conservandum matrimonium iuramentum deferri admissum sit. *Abb. in c. mulieri. num. 6. de Iureiur. Gail. 2. Obs. 94.* Uti quidem ego de facto consultus respondi sæpius.

1. 2. Purgatio Canonica. 3. 4. 5. 6.

Ad l. 5. §. fin. & ad l. seq.

1. Iusiurandum an & quando confestim aut ex intervallo præstari queat.

2. Quid iuris sit iuramento remisso.

IVsiurandum delatum sine maioris temporis intervallo † præstandum est. nam si quis postea iurare paratus sit, nihil proficiet. *per hunc text.* Hoc ita, nisi spatium præfixum sit. *l. iusiurandum. & ad pecunias. 34. princ. infra eod.* Quâ ipsâ tamen in specie quoque revocationem admittimus, si actor se aliis probationibus usurum recipiat. Sed eo casu ad iuramentum relabi non liceret. *l. si quis. 11. C. eod.* Planè si iuramentum † revocatum non sit, sed simpliciter remissum, certum est remissionem idem operari, quod operaretur præstatio. *ut hic in l. seq. & l. actori. 8. C. eod.* 1. 2.

Ad l. ait Prætor. 7. & l. seq.

Vide quæ ponimus infrà *in l. 9. §. 1. num. 1. & 2. h. t.*

Ad l. nam posteaquam. 9. §. 1.

1. Actor ex juramento præstito vel sibi remisso actionem acquirit.

2. Reus exceptionem.

3. Actio illa in factum est, & interdum dicitur actio ex ipsa causa de qua juratum est & num. 4.

5. Ex juramento promissorio non esse actionem. & num. 8.

6. Nisi id legitimum sit.

7. Conciliantur opposita.

9. An jure Canonico ex iuramento promissorio actio sit.

10. Quomodo accipiendum sit, quod Iure Canonico dicimus iuram. servanda esse.

1. ACtor ex juramento † præstito vel sibi remisso actionem acquirit. *ut hic.* Actionem puta personalem in factum ad modum actionis judicati, *l. sed si, 11. §. fin. infra. eod. l. 8. C. eod.* Quemadmodum
2. & reo † jurisiurandi exceptio acquiritur si juratum ab ipso sit, vel juramentum ei sit remissum, *l. 7. & 8. suprà. h. t.* de qua si ambigatur, hoc tantùm probatur, juramentum præstitum esse. *ut hic in princip. huius l.* cum juramentum instar solutionis sit. *l. iusiurandum. 40. h. t.*
3. Planè quod dicimus † actionem hanc in factum ex jurejurando dici, id adeo perpetuum non est, quin interim & subinde eadem dicatur actio ex ea causa de qua juratum est, *l. si duo, 13. §. si quis juraverit, infrà eod.* Sed hoc de utili actione intelligimus, priori surrogatâ, *d. l. 11. §. fin. d. l. 13. §. 1. l. quod si juravit. 29. infrà eod. l. ult. §. fin. de Lib. Caus.* quanquam aliàs in factum actio & utilis civilis directæ subjuncta, subtiliùs distinguantur. *ut in §. fin. Inst. Ad L. Aq. vide Subtil. nostras. lib. 2. c. 6.* Secundùm † quam distinctionem & nonnulli
4. inter leges jam utrimque allegatas, de in factum utili actione ex causis ipsis discernendum putarunt; nimirum actionem in factum fore, si non juratum sit super causâ certâ. *Costal. hic. DD. in l. si duo. §. si quis iuraverit. infrà eod.* Si verò è contrà super causa certa juratum sit, actionem ex eo contractu fore. Ceterùm quia vix evenit ut ad deferendum juramentum descendatur, quin † agatur ex certa actionis causâ, distinctio hæc posterior inepta videri queat, & rectiùs dicendum

dicendum † per se ex juramento promissorio quod contractus causam adjunctam non habet, nullam actionem dari, quia simpliciùs cedit in vim pacti, *d. l. tutor. 35. §. 1. infrà eod. l. stichum. §. naturalis. de Solut.* ex quo tamen actionem non dari pluribus suprà docuimus. *ad l. 1. de Pact.* Præterquam † si pactum jurisiurandi quoque legitimum sit (ut & de pacto legitimo in genere responsum est suprà, *in l. legitima. 6. eod. tit.*) quomodo ex lege Iulia & Papia, si libertus juraverit patrono se donum, munus vel operas officiales daturum, ex juramento actio est, *l. 7. l. 8. in fin. de Op. Lib. l. 13. in princ. de Accept. l. 6. §. si quis absente. de Confess.* Cujac. 22. *Obs.* 7. Extra eum verò casum propè est ex juramento actionem non dari. Nec ad rem facit hîc † textus, quia is intelligitur de juraméto quod ex causa certa in litem deducta interpositum est, *ut & in l. si duo. §. si quis iuraverit. inf. eod.* Perinde in Auth. sacramenta. C. Si Adu. Vend. intelligendum est, actionem non ex juramento, sed venditione esse. Sic rectè Alciatus *in l. si quis maior. C. de Transac,* subintelligit pœnam (ad quam ibidem agi posse relatum est) peti posse propter adpositam stipulationem. Scio equidem alijs diversum probari. *Covarr. in relect. rub. de Pac. par. 1. §. 2. post num 4. & 5. quò & inclinat Zas. in rub. de V. Obl. num. 12.* sed eorum opinio procedit quoties juramentum confirmando contractui alteri adjunctum est, vel ratione certæ actionis alicuius interpositum. Ex solo enim juramento † aliàs actionem non esse, argumento maximo est, quod Caius perhibet hoc singulatim admissum in obligatione liberti esse, & ceteris interim negari, *Cai. lib. 2. Inst. tit. 9. Cuiac lib. 22. Obs. 7. Alc. d. lo. num. 66. Dominus Bronchorst. popularis meus, Cent. 2. c. 28.* Quinimò ampliùs nec Iure Canonico † ex juramento actio erit, cum iuxta id ipsum quoque ad observationem eius censura ecclesiastica sit opus. *c. ult. de Foro Comp. in 6.* Atque hoc quoque Innocentio probatum est, *in c. novit. de Judic. & Immola. in c. cum contingat. num. 31. vers. sed adverte. de Iureiur.* Parumque ad rem facit † quod alij diversum annotant, *gl. in c. quoties cordis. 1. q. 7. Ioan. Andr. & Host. in c. cum venissent de Inst.* quoniam id nusquam relatum est; igitur id quoque perinde accipiendum, si subsit causa ad actionem disposita. Neque ad rem facit † quod ex eo jure dicimus, juramentum servandum, hoc enim quo dixi modo accipiendum est, ut scilicet per censuram ecclesiasticam compellatur, eoque ipso evincitur extraordinarium actionis remedium cessare.

5.
6.
7.
8.
9. *Ius Can. an hic diversũ*
10.

Ad §. Si minor.

Hic §. explicatus est suprà *in l. verum. 11. §. sciendum. de Minorib.* An verò juramentum deferre minor possit, infrà *ad l. 17. §. fin. & ad l. 18. h. t.*

1. Insinu-

1. *Iusiurandum procuratoris domino actionem parit.*

2. *Invitus procurator non cogitur jurare.*

3. *Conciliatur l. generaliter. § his ita. C. de Reb. Cred. & l. quoties. § tutor. de Nox. Act.*

4. *Iuramentum in animam alterius.*

1. §. IVsiurandum penult.) Iusiurandum † procuratoris vel defensoris, si id delatum sit, domino actionem parit. *ut hic.* Quod de actione utili accipiendum, nam directa domino non datur. *l. non solum. 39. §. qui alieno. 39. de* Procur. Invitus tamen procurator † jurare
2. non cogitur. *l. iusiurandum. & ad pecunias. §. procurator. 34. infra eod.*
3. Si verò iurare paratus sit, audietur, *ut hic.* Non mutat † l. generaliter. §. his ita. C. de Reb. Cred. & l. quoties. § tutor. de Nox. Act. ubi lite per procuratorem ventilata, relatum est, ipsum dominum iurare debere. Hoc enim intelligimus adversario id postulante. Eo quippe casu id potius ab ipso domino dicimus præstandum. Atque ita respondi de facto consultus à Prætore Zuollano, inter Routeborch nomine Salasar, & Moulert nomine suo. Nec ad rem facit quod dicimus per liberam personam nobis non acquiri. *l. 1. C. per quas Pers. Nob. Acq.* quia aliud est in utili judicati actione. *vide posita supra in l. 28. de Procur.* cui actio ex jurejurando similis est. *l. 8. C. h. t.* De-
4. nique juramentum procuratoris quod nomine † principalis præstatur, moribus nostris dicimus juramentum in animam constituentis. *Bart. in l. 2. §. fin autem. C. de Iureiur. propter calum.* Eò quod id ex speciali demum mandato. *c. ult. de Iuram. Calum. Gail. 1. Obs. 83.* in animam constituentis præstatur.

Iuramentum in animam alterius quod ex moribus dicatur.

Ad l. si duo 13.

§. Si quis iuraverit. 3.) Ad hunc §. vide quæ ponimus longiusculè suprà *in l. 9. §. 1. eod.*

1. *Perjurium etiam civili pœna puniri. & num. 2. 3 4.*

5. *Pœna l. si quis major. C. de Transact. an pertineant. ad perjurium cuiuscunque contractus. 6. 7.*

8. *Pœnæ eius legis an per omnia ad minores pertineant, item ad ecclesiam aut civitatem.*

9. *Promittens per fidem quatenus iuramento obligetur.*

10. *Hæredes an & quatenus obligentur iuramento defuncti.*

11. *An*

11. *An femina in pœnas legis si quis maior. cadat.*
12. *An ad evadendas pœnas periurii, mora purgari possit.*

§.Final.) PEriurium fustigatione † punitur, *ut hic.* & infamiâ. *l. si quis maior.* 41. C. *de Transact.* vel exilio etiam. *l. fin. infrà. Stellion.* quanquam & in specie legis postremæ eius stellionatus causa subsit. Quibus † manifestè constat, periurium civili quoque iure puniri. *fac. l. nam sufficit. de Dolo.* Nec ad † rem facit quod alibi relatum est, iurisiurandi religionem contemtam satis Deum habere ultorem, nec pœnam temporalem pro periurio infligi: quia id ita est si quis calore iracundiæ peierasset, aut aliàs nimia temeritate, citra animum tamen alterum circumveniendi, *ut & in l. alienam.* C. *ad L. Iul. Maiest. l. ult. in princ. ad Municip.* contra igitur est, si manifestam fraudem aut damnum alterius operetur. *ut hic per text. Duar. lib. 2. disp. c. 37.* Planè † quod aliis visum est, ea lege impunè relinqui si quis invocato nomine divino peieret: id ex textu non apparet, & nusquam relatum est. Cum vel sanctissima iurisiurandi ratio sit, formulâ ad Deum conceptâ, & periurium etiam idcirco non minus leve, *Cuiac. 2. Obs. 19. Fachin. lib. 1. c. 14.* Idque ita & moribus servatur; inquam, ut periurium illud demum vel solum, vel saltem maximum censeatur, quod violatione iuramenti fit quo Dominus Deus testis invocatur, Et idcirco meritò vel gravissimè punitur. *l. si quis maior.* 41. C. *de Transact.* Illud quæritur, † an pœnæ d. l. si quis maior. comprehensæ ad periurium cuiuscunque cõtractus pertineant, quod plerisque visum est, cùm eadem indefinitè quoque mentionem faciat pactorum. *Bart. Alex. Ias. Corn. ibidem.* Magis † tamen est id ad solam transactionem vel pactum finiendæ litis referri. Odia enim restringi oportet. *per vulg.* & Constitutiones plerumque strictè accipiendæ sunt, adeoque in quacunque legum pœnalium explicatione lenior sententia eligenda est. *l. interpretatione. de Pœn.* Nec mutat † igitur vox pactorum in d. l. si quis maior: quia ea ad pacta remittendæ litis pertinet. *Riminal. Purp. Alciat. ib.* Denique & expeditum est pœnas eius legis non per omnia ad minores pertinere, quia tantùm meminit maiorum. Proinde † de Ecclesia, civitate, aut corpore idem dicimus; quippe quæ & ipsa iure minoris gaudent. *l. respublica.* C. Ex *Q. Caus. Maior. l. rempublicam.* C. *de Iure Reipub. lib. 10.* Nec refert quod Iason disputandi causâ diversum defendit, quia vox *si quis* etiam ad civitatem pertineat. *l. nihil. Ad SC. Maced. l. item ait. iunc. l. ergo sciendum.* Ex *Quib. Caus. Maior.* quia id quidem ita est, præterquam in casibus exceptis. Quando igitur d. l. si quis maior minores excludit, idque omnes probant, excludit etiam civitatem, quæ iure minoris gaudet. De-

Margin numbers: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

Consuetudine periurium maximum censetur, quod factum est invocato nomine Dei.

9\. nique † & suprà monuimus *in rub. h. t.* iuramentum etiam fieri simplicius interposita fide, nec tamen eo casu eum qui promissum non servat pro perjuro censeri. Hoc igitur eatenus quoque accipiendum ut pœnæ omnes cum huius legis, tum l. si quis major, in eum non protinus cadant, aliàs enim magis est, jurātem illo modo quoque, ut in juramentis reliquis, compelli posse ad juramentum servandum. *c. ad aures. de His Quæ Vi Met. Cauſ. c. pervenit. de* Fidejuss. *c. querelam. Ne Prœl. Vic. Su.* Et hoc in Germania servatur, ac judicatis Cameræ probatum est. *Gail. 2. Obs. 59.* de Hæredibus † quid dicemus? sed in his varistum est, nam eos quoque defuncti juramento obligatos Castrēsis sentit, *lib. 2. consil. 13. Socin. lib. 3. consil. 38.* Movet eum quod dicimus hæredem quoque oneribus hæreditarijs obligatum esse. *l. si duo. de Acq. Hær.* idque etiam in juramento ita esse. *Novel. de Iureiur. à Mor. Præst.* Cagnolus contra, *ad d. l. si quis major. seq. Menoch. lib. 4. consil.* 355. quia juramentum personale sit, quando nimirum hæres non juravit, nec iuramentum contemnere censetur, *Canonistæ in c. veritatis. de Iureiur. Covar. in c. requisivisti. n. 2. ex. de Test.* Sed expeditum est, hæredem quidem ad observationem juramenti compelli, itaque sententiam primam accipi, non tamen si ad id non compellatur periurum fore, itaque accipiendā sententiam illam *tex. & Canonistæ. in d. c. veritatis.* Denique è sacris Literis constat, Dominum Deum aliquoties maximis pœnis afflixisse populum Israhel quòd violarent iuramenta maiorum. Et hoc igitur omnibus hæredibus etiā qui Deum timent, exemplo perpetuo sit.

Consuetudo Germaniæ. 10.

11\. Alia quæstio † est an femina cadat in pœnas dictæ Constitutionis, *in l. si quis maior.* quod magis est. Quia vox hæc si quis tam masculos quam feminas complectitur: *l. 1, de Verb. Sig. Jas. ad d. l. si quis maior.* Nec ad rem facit quod Fulgosius disputandi causâ in contrarium adfert, mulierem à dolo præsumpto excusari, *arg. l. 1. §. fin. de Eden.* ream verò linguam sine dolo, hoc est mente rea non fieri, *c. homines. c. ult. §. episcopus. 22. q. 2.* quia ea ratio demum locum habet quoties dolus manifestus non est. Quamobrem quidem mulier ob ignorantiam iuris, vel quamvis etiam causam leviorem à dolo & periurio excusabitur, *l. regula, de Jur. & Fac. Ign.* sed si de manifesta eius pertinacia ac fraude constet, contrarium dicimus. Quando verò id ita sit, æquo iudicis arbitrio relinquimus. Illud quæsitum est,

12\. Si iuramentum † non præstetur, an ad evadendas pœnas mora purgari, saltem ex æquitate Canonum possit, quod Iason probat, *in d. l. si quis maior*, Movetur per not. in c. apud misericordem. 32. q. 1. & in c. beatus. 12. q. 2. Sed quia ii loci ad pœnitentiam ecclesiasticam pertinent, ceteris diuersum placuit, *fac. Dec. con. 452. Rom. cons. 457.* eò quod hoc nusquam sit relatum, & ideirco ius civile tenendum sit.

fit. *c.* 1. *de Novi Op. Nunc.* Nos distinguimus, utrum tantum commissa mora sit, quo casu sententia prior obtinet, ac purgatio etiam Iure civili admittitur in pecuniariis, multo igitur magis in arduis, an vero manifesto periurio transactio oppugnata sit, quo casu sententiam postremam admittimus.

Ad l. iusiurandum. 17.

1. *Iusiurandum voluntarium referri non potest.*
2. *Ac ne quidem periurio post detecto retractatur.*
3. *Explicatur l. 1. C. h. t.*
4. *Explicatur l. ult. C eod.*

IUsiurandum † voluntarium est quod ex partiũ conventione extra iudicium defertur. Idque referri non potest, *ut hic.* Servanda nimirum, ut is iuraret pactio est. namque ab initio ei liberum erat, id non suscipere. DD. *hic.* Periurio † etiam post detecto, iusiurandũ non retractatur, *l. admonendi.* 31. *in fine. inf. eod.* nisi hoc † specialiter lege excipiatur, *l.* 1. C. *eod.* ubi lex pro conventionis pacto accipi potest. Alii tamen id pro exceptione constitutionis vel alterius cuiuscunque legis accipiunt, *gl. Bart. ibidem.* Qualem quia difficulter inventurus sis, Cuiacius eam clausulam à Treboniano additam putat, & ad l. ult. C. eod. relatam. *Cuiac.* 13. *Obs.* 35. quia *ibidem* quod † periurio extortum erat, repeti concedatur, cum iuratum fuerit super testamento. Voluntarium enim iuramentum vim ac speciem transactionis habet, *l* 2. *sup. eod.* transactio autem super testamento nisi id inspectum sit, non impedit, quin post eam initum quod amplius relictum est, repeti queat. *l.* 3. §. *cum transactio. sup. de Transac.* Nec iniquum igitur est, si per testamentum periurio detecto, deinceps etiam quod amplius relictum est, repeti queat. *Donel. in tract. de Iureiur. c.* 9. *num.* 5. Et neutra igitur sententia sive Cuiacii sive Doctorum aliquid continet absurdi. 1. 2. 3. 4.

Ad §. 1. & ad l. 18. 19. 20.

1. *Argumentum harum legum.*
2. *An minor deferre juramentum possit.*

HOc §. & his li. docemur qui iuramentum deferre queant, quæ † quia perspicuæ sunt, illud tantùm tractabo quod aliquibus disputatum est, An non minor iuramentum † deferre queat? quod magis est, *l. nam posteaquam.* 9. §. *si minor. suprà eod.* Potest enim & sine curatore obligari, *l. puberes.* 101. *de Verb. Obl.* Quod si ita est & iuramenti conventione hac obligari potest, quippe quæ speciem continet transactionis, *l.* 2. *suprà. & l.* 31. *in fine. infrà eod.* Cui accedit, quod iuramentum pro solutione est. *l iusiurandũ,* 27, *inf. eod.* 1. 2.

Solvere autem minor potest (etsi læsio restitutio parata sit) *l.1.C.si Adu.Sol.* ergo & juramentum deferre. Consequentia verò ea quoque perspicuè fundata est in l.20.& l.huic enim.21.inf.eod. Atque hoc etiam Cujacio visum est. Nec mutat quod Duarenus id ipsum in dubium trahit, quia minor non habeat legitimam personam stādi in judicio. *tot. tit.* C. *Qui Non Hab.Leg. Pers. Standi In Iud.* ea enim ratio non procedit in juramento extraiudiciali. Restitui verò eum si per delationem hanc lædatur, extra dubium est. Idque argumento eius efficitur, quod restituitur contra solutionem. *l.7.§.3. de Minorib. &* C. *Si Advers. Sol.*

l. 21.

Allegatur ad leges præcedentes.

l. 27.

Allegatur ad l. 17.§.1. & ad l.18. suprà eod.

Ad l. admonendi. 31.

1. Quando judex parti alteri juramentum deferat. & 12.

2. Quæ causæ dubiæ dicantur.

3. Improbata sententia plerorumque interpretum idque ex solida ratione juris.

4. Quæ causæ delationi judiciali locum faciant. & num. 5. 6. 7. 8. 9.

10. Chirographa nuda ex moribus quantum probent.

11. Quantum libri mercatorum.

13. Tam actori quàm reo iuramentum deferri potest, & utri quando.

14. Num verò delatio iuramenti necessariò postulanda à litigatoribus sit.

15. Et ante & post conclusionem causæ iuramentum deferri ac delationem à iudice postulari posse. & num. 16.

17. Iuramento à iudice delato causa finita ex novis instrumentis retractari potest.

18. Consuetudo Hollandiæ.

19. Iuramentum à parte parti delatum non retractatur.

Iudex

IVdex † interdum, exigente ita in dubio necessitate, parti alteri juramentum defert, & secundum eum judicat qui juravit, *ut hic. & l.3.C.eod.* Quæ verò causa dubia dicatur, quæsitum est. Obtinuit † tamen dubiam dici, si probatum sit semiplenè. *gl. Bart. Alex. Castr. Jas. hic. Turzan. in lib. regul. in voce testis.* Sed hoc alij improbant, qui tum demum causam dubiam dicunt, cum utriusque partes probationes æquales sunt, & ob imperfectam probationem parti alteri juramentum non deferri. *Donell. in tract. de Iurejur. c. 11. num. 4. Duar. lib. 2. Disp. c. 33.* Propè † tamen est judicis cognitioni relinquendum an & quando eius religio ferat utrum ob probationem semiplenam aut aliàs dubiam juramentum ab ipso deferendum sit. Et hoc in praxi sequimur, & rationem in jure habet, *d. l. 3. C. verb. causâ cognitâ. c. 2. ex. de Prob. c. ex insinuatione. de Procur. verb. causâ cognitâ sequitur Cuiac. in Nov. 7.* Absurdum enim foret eam demũ causam dubiam dici, in qua utriusque probationes sunt æquales, quia id nusquam relatum est, & eo casu ferè reo deferendum est. *c. cum sunt. de Reg. Iur. in 6.* Nec ad rem facit quod alij perhibent perinde esse, nihil probari vel imperfectè, eoque in proposito reum absolvendum ac si nihil actor docuisset. *per vulg. l. qui accusare. C. de Eden.* In proposito enim contrarium obtinet, cum expresso jure cautum sit, juramẽtum ob inopiam probationum referri. Sunt quidem qui eius rei definiendæ causâ, sufficere † censent ad juramentum deferendum singula hæc, unum testem fide dignum; comparationem instrumentorum, famam constantem, scripturam privatam. *gl. in l. 3. §. eiusdem. de Testib. Oldend. in tract. Prob. c. quotuplex sit probatio.* Sed hæc nec semper, nec sola eius efficaciæ sunt, ut delationem hanc producant. Testem enim unum vix aliter convenit tantam fidem mereri, quàm si homo probatæ fidei ac vitæ cum verosimili designatione circumstantiarum deponat. *c. ult. ex. de Jurejur. fac. c. 3 verb. quatenus per ipsius Archiepiscopi & superstitis clerici dictis constiterit de præmissis. ex. de Procur.* Comparatio † etiam literarum in collatione chirographi privati ita demum sufficientem in proposito præsumptionem pariet, si chirographum ipsum ex quo collatio fit, tribus testibus subscriptum sit, taleque esse fuisse probetur. Aliàs enim ex publicis tantùm instrumentis collatio fit. *l. comparationes. 20. C. de Fide Instr.* Similitudine verò ita probata, † movebitur per eam iudex, ad juramentum in supplementum probationis deferendum, *Novell. 73. c. si tamen. 3.* Sed † ad famam quod attinet, juris est, incertum rumorem parum aut nihil ad probandum operari. *l. ult. verb. falsus rumor non solet obesse. infrà. de Hær. Inst.* Constantem tamen consentientemque quasi omnium famam probare semiplenè non dubitamus. *arg. l. 3. §. eiusdem, de Testib. gl.*

Margin numbers: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

& Bart. ibidem. Corras. hic. num. 8. & judex igitur, si hoc ex circumstantijs tutum arbitrabitur, deferet ob eam juramentum. Denique
8. & scriptura † privata, quæ rei esse non negatur, sed interim incautè à se expositam conventus conqueritur; aut aliàs ex comparatione uti dictum est, convincitur eius esse cum illam negaret: sufficere ad delationem juramenti dicemus. *d. Nov.* 73. *c.* 3. Occasio tamen
9. postulare † potest ut cautio adeo nuda, signisque destituta sit, ut parum aut nihil ad deferendum juramentum operetur. Hoc tamen quod de scriptura privata dicimus, in maxima negotiorum frequẽtia, qua Europa singulari benedictione divina hodie gaudet pluribus, moribus paulò latiùs extensum est. Ita nimirum † ut chirographo quisque suo (quod tamen rei esse non negetur) ferè plenè convincatur, & in casibus demum quibus reus præsumptionibus aliquot munitus in contrarium est, ad juramenti delationem in supplementum veniatur: nisi tamen exceptio non numeratæ pecuniæ intra legitimum tempus opponatur, vel solutio probetur. Sed de scriptura ipsius proferentis manu scriptâ, certum est, eam secundùm juris placita nihil operari. *l.* 5. 6. 7. *C. de Prob.* Sed hoc quoque com-

10. *Consuetudo hodierna in probati ne chirographorum.*

11. muni Europæ † Christianæ consuetudine ita mutatum est, ut interim probent semiplenè; nimirum si liber contineat annum & diem, data & accepta, ac mercator ipse bonæ fidei ac famæ sit, ideoque permissum est ut eo casu in supplementum ad delationem deveniatur. *DD. hic. Covar. Pr. Q.* 1. *c.* 22. *num.* 8. *circa fin. Boër. Decis.* 105.
12. *prope fin. Gail.* 2. *Obs.* 20. Perinde præsumptiones, † indicia ac argumenta per se quoque tanta esse queunt, ut etiam deficiente quavis probatione alia, quandoque judicem moveant ad deferendum juramentum, nam cum interdum & fidem plenam faciant, quid ni quoque interdum operentur quod probationes aliæ minùs perfectæ. *l. indicia, C. de Rei Vind. l. cum citra.* 15. *C. de Iure Dot. l. ad probat.* 1. *C. de Prob. l. non omnes.* 5. §. *à barbaris.* 6. *de Re Mil.* Quibus omnibus manifestum fit, quod ante monuimus, An & quando juramentum deferri oporteat, id omne positum in facto ac arbitrio judicis esse.
13. Denique nõ actori modò, sed † & reo interdum deferendũ est, quando verò id huic aut illi concedendum sit, perinde ab judicis arbitrio dependet. *c. ult. de Iurejur.* ut nimirum ei deferatur cuius probationes id exigere pro re nata videntur, Absurda enim & nusquam sibi constans in hac re interpretum est variatio (*videatur Bar. in d. l.* 3. *C. h. t.*) ut & plerumque aliàs, cum Doctores quæstiones quæ in solo facto consistunt ad trutinam juris revocare conãtur. Qui error ferè maximas & plurimas controversias peperit, Si verò non usquequaque magni momenti res sit, actori deferatur. *gl. in d. c. ult. Bart. Ias. Castr. Alex.* modò arbitrium liberum per observationem hanc judici

judici non auferatur, quia cognitio eius rei ad cõſcientiam pene ipſius pertinet. *d.c ult.* Num † verò id neceſſariò petendum à litigatoribus ſit, quod Bartolo viſum eſt. *Bart. hic. n. 60. Iaſ. ib. num. 316. ſeq. Capic. deciſ. 55. num. 1.* an verò judex etiam ex officio deferre debeat quod Abbati placuit. *Panor. in c. ult. §. ſanè. nu. 15. de Iureiur.* & Butrio probatum eſt, *c. 1. num. 13. de Iud.* videamus. Rectè verò utrumque dicimus, ſc. id & ad judicem pertinere, ſi finiendis litibus expediat, *d. l. 3. verb. cauſâ cognitâ decidi oportet. C. eod. ubi Salic. nu. 29.* & à partibus peti poſſe. *Alex. conſil. 53. col. ult. lib. 1.* Quod moribus obtinet. Nec movet quod referri ſolet, judicem officium ſuum non impertiri, niſi poſtulatum, *l. 4. §. hoc autem iudicium, de Dam. Inf.* id enim ita eſt in ijs quæ primum emergunt: ſed in proceſſibus ſemel inceptis magna judicis poteſtas eſt, *l. ædiles. 25. §. item ſciendũ. de Ædil. Ed. l. ubicunque. de Inter. Act.* Minuſq; ad rem pertinet quod juramentum ultro oblatum non æſtimatur. *l. 3. prin. eod.* quia id non ita eſt quando prævia judicis cognitione delatio poſtulatur, aut juramentum offertur. Rectè † proinde receptum eſt juramentum & ante & poſt concluſionem cauſæ à judice ad probationum ſupplementum poſſe deferri? *Gail. 1. Obſ. 108. num. 4. & 6.* eiuſque rei argumentum certiſſimum eſt, quod judex in ipſâ juramenti delatione etiam definitivam ſententiam dare poteſt, *l. cum index. 11. C. de Sent. & Int. Om. Jud iunge c. cum Joannes. ex. de* Fide *Inſtr.* Vnde † & conſequens eſt, etiam à parte id poſt cauſæ concluſionem peti poſſe. *arg. l. penul.* C. *de Reb. Cred.* Nec mutat quod poſt cauſæ concluſionẽ nihil ampliùs produci poteſt. *c. cũ dilectus. de Fide Inſtr. Auth. qui ſemel.* C. *de Prob.* quia id in propoſito non obtinet, cum poſtulatio deferendi juramenti tantũ ſit imploratio officij judicialis. Planè † quin juramentũ hoc repertis inſtrumẽtis novis, retractari, & cauſa priori ſtatui reſtitui poſſit, non eſt dubitandũ: idque ita eſt vel maximè, ſi reo juramentũ ſit delatum, & judex eum ob hoc abſolverit, poterit enim nihilominus actor, ſi poſtea nova inſtrumenta invenerit, jus priſtinum proſequi, cum abſolutio tantum ab inſtantia facta intelligatur. *per hunc tex. fac l. 2. C. ſi Ex Fal. Inſtr.* unde nec eo caſu facilè de perjurio quæri ſolet. *l. ult. inf de Jn. Lit. Iur.* Attamen ut agi queat reſtitutione opus eſt; *arg. l. Divus. de Rẽ Iud. & d. l. 8. Coſt. hic. com. dicit.* Vnde profectũ † eſt, quod hodie in curijs Hollandiæ pleræque ſententiæ quæ ob defectũ probationũ latæ ſunt, tantũ abſolutoriæ ferũtur, aut exſecutioni mãdantur præſtita priùs cautione. In quam formam & ferè libelli concipi ſolent. Quibus verò in cauſis id uſitatius ſit, videri poteſt Merula *. in praxi Hol. lib. 4. diſtin. 4. ſect. 3. tit. 1. c. 2. num.* 16. Denique in † juramẽto à parte parti delato contrarium obtinet, *ut hic.* cum enim in tranſactionem cadat, *l. 2. ſup h. t.* rectè dicimus reſciſſionem non admitti, *l. ſub prætextu. C. de Tranſact.*

Margin: 14. 15. 16. 17. 18. *Conſuetudo Hollandiæ.* 19.

Nec mutat l.ul.de Reb.Cred.quia ibi juratum erat super testamento,quod juramentum meritò,ut de transactione propria constat,retractatur, quia testamentum nondum erat inspectum. Vide tamen latius de eo juramento infrà *in l.manifesta.38.eod.*

Ad l.qui per salutem.33.

EVm qui per salutem suam jurat jurasse censeri ex hoc textu palam est. Atque huic similis est qui jurat per fidem. Quod tamen an & quatenus ita sit suprà tractamus *ad rubr.& ad l. si duo. 13. §. fin.h.t.* Hodie enim moribus Christianis nulla jurandi formula propria censetur, præterquam quæ cum invocatione divini nominis fit. Vnde tractatum est, an ad juramenti formam pertineat evangelia tangere,& verba exprimere,quod Panormitano visum est, *Abb. & Butr.in cap.pen.de Iureiur.* an verò & animi conceptus sufficiat, ac scripturâ exprimi possit mente ad Deum erectâ,quod Menochio placuit,*lib. 1.cons.37.num.49.post gl.Corset.Iacob.Cin.& alios quos allegat.* Quod magis est,& moribus obtinet, Covarruvia teste. *Covarr.in c.quamvis.par.1.in §.fin.num.4. de Pact. Alc.in rub. de Iureiur. num. 29.*

Ad l. Iusiurandum. & ad pecunias. 34.

QVod principio huius l. dicitur, jusiurandum ad quascunque res interponi posse, id quatenus ita sit, pluribus suprà explicamus *ad l.1.per tot.& l.9.eod.*

De dilatione verò juramenti præstandi agimus suprà, *ad l. 5. §. fin.& ad l.seq.* ubi hæc allegatur.

§.Procurator.) Allegatur suprà ubi agimus de juramento procuratoris in l. 9.§. jusiurandum. penult.eod.tit.

§.fin.) Explicatur in l.38. infrà eod.

Ad l. tutor. 35.

Ad Princ.) Vide quæ ponimus suprà *In l.3.§.1. h.t.*

§.1.) Prodigus an & quatenus contrahere aut juramentum etiam deferre possit, pluribus infrà prosequimur, *in l. is cui. de Verb. Obl.*

Ad l.manifestæ.38.

1. *Iusiurandum in iudicio à parte parti delatum præstandum est vel referendum, etsi nihil probetur.*

2. Conci-

2. *Conciliatur l.12.§. fin autem. C.eod.*

3. *Conciliatur l.qui accusare. C.de Ed.*

4. *Quid juris sit si quis prius probare conetur, dein' relabatur ad deferendum juramentum.*

5. *Quid si relationi non sit locus, an locus delationi sit.*

6. *Vtrum juramentum recusari possit, si subsit periculum perjurij.*

IVsiurandum † in judicio à parte parti delatum; vel præstandum est, vel referendum. Quod si neutrum præstet, solvere compellitur. *ut hic. & l,34.§.fin.suprà eod.* Idque ita est, etiamsi pars deferens nullas probationes habeat, *l,tutor.35.sup.eod.* Nec mutat† l.generaliter.12.§.fin autem. C.eod. quia eam ita accipimus, si reus habeat probabiles causas recusandi, verbi gratiâ, si diversum velit probare, *c.2.ex.de Prob.c.ult.ex.de Iurejur.* aut delatio super facto alieno fiat. *l.Marcellus.§.2.Rer.Amot.l.iusiurandum.34.§.procurator.suprà eod.* Quod igitur Accursius autumat hanc per illam esse correctam, meritò reprobatum est. *per Cin & Salic. ibid. Castr. Ias. hic.* Nec ad rem † facit l.qui accusare. C.de Ed. *& c.ult.h.t.* ubi relatum est, actore non probante, reum etsi nihil præstiterit, absolvendum, hoc enim ita nisi delatum juramentum sit. *per d.l.35.h.t.* Perinde jurandum † aut juramentum referendum dicimus, si reo juramentum ab eo actore deferatur, qui primum probare rem conatus erat, cum eadem turpitudinis ratio subsit. *per hunc text. fac. quæ not. DD. in l. circa. de Prob.* & ista exceptio nusquam sit relata. Atque hoc Senatus Pedemontanus probavit, *Anton Thesaur.decis.93.* DD. *allegati à Mascardo, vol.2.de Prob.concl.957.num.9.* Nec movet quod Ripa disputandi causâ in contrarium adfert, *num.65.hic.* l.si quis jusiurandum. C.eod. quia ea procedit, si ab initio actor jusiurandum detulerit, ac dein' ad probationes relabatur, cum enim tertiò ad juramentum venire ob levitatem eius minùs probandum est. Quid ergo si locus relationi † juramenti non sit (quod interdum accidit, ut cum deferens probabilem facti ignorantiam habet, *d l Marcellus. §.2. Rer. Am.*) an nihilominus delationi sit locus, ita nimirum ut id suscipere cogatur reus? Et hoc Cravetta probat, & magis est. *consil.203.* eius igitur sententiam communiorem perhibent, *vide Menoch.de Arb. Iud.cas.189 & Mascar.de Prob.vol.2. concl.957. num.16.* Moventur per l. jusiurandum.34. sup.eod. & d.l.Marcellus. item.c.ult.de Iurejur. quibus rectè relatum est, non semper ut defertur juramentum ita referendum esse. Non mutat quod Natta ex adverso disputat, semper conjunctam relationem delationi esse.

ut hic. & l. jusiurandum. 34. §. ait prætor. suprà eod. l. delata. C. eod. quia id quidem regulare est, non obtinet tamen in casibus exceptis. Neque est cur sibi reus injuriam fieri queratur, cùm testis ac judex in propria causa fiat, *l. ult. C. de Fideicomm. l. 1. Quar. Rer. Act. Non Det.*

5\. Vicina quæstio est, utrum † juramentum recusari possit ubi periculum est ne perjurium detegatur, quò Bartolus inclinat, *in l. jusiurandum. 17. § procurator. num. 4. supra eod.* Sed id generali argumento huius textus confutatur, cùm nihilominus verum maneat, manifestæ turpitudinis esse si nec jurare, nec juramentum referre velit: Et hoc Cravettæ visum est, *Consil. 207. & Mascar. de Prob. vol. 2. concl. 957. circa fin.* nam quod Bartolus *ex d. l. 17. §. fin.* diversum notat, perabsurdum est, ac nullo adeo argumento eius textus evinci potest.

Ad l. jusiurandum. 40.

QVemadmodum jusiurandū exactum ad solutionem aut transactionem negotij exceptionem producat, pluribus suprà explicamus, *in l. 9. eod. h. t.*

DE IN LITEM IVRANDO.

TIT. III.

L. 1.

Relata est infrà *in l. 4. §. iurare eod tit.*

Ad l. 2. & 3.

Vide quæ ponimus infrà *in l. tutor. 8. ubi eadem sunt allegata.*

Ad l. videamus. 4.

QVia solùs dominus in litem jurare potest; *l. vulgo 7. infra eod.* de tutore & curatore quæsitum est. Obtinuit tamen & eos jurare hoc modo posse, *per hunc text.* Nec mutat d. l. 7. quia tutor loco domini est, *l. 7. §. si tutor. infra Pro Emp. l. interdum. 56. §. pen. de Furt.*

1. *Iusiurandum per judicem taxandum, & quomodo. ac n. 4.*
2. *Conciliatur l. 68. de Rei Vind.*
3. *Costalius notatus.*
5. *In juramento veræ æstimationis diversum.*

1\. *§. Iurare. 2.)* IVsiurandum † in litem, quia pro jurantis affectione fit, *l. tutor. 8. infra eod.* meritò per judicem taxandum responsum est, *ut hic. & l. 1. §. 1. infra eod. l. 3. §. præterea. Ad Exhib.*

2\. Non mutat † l. qui restituere. 68. suprà de Rei Vind. ubi jurari ex rei

rei contumacia in infinitum sine ulla taxatione cautum est: id enim eo quòd in hoc taxandi genere non ad verum damnum, sed magis ad probabilem affectionem actoris respicimus: itaque ibi taxatio designat æstimationem rei veram, quæ in juramento in litem non consideratur, *l. 1. supra h. t. & l. tutor. 8. infra eod.* Planè quod † Costalius autumat in rei vindicatione speciale esse, ut judicis taxatio nō accedat, *Costal. in d. l. 68. per illum text. post Corras.* id parum probabile est, quia quod ibi de rei vindicatione dicitur, id continuo mox textu & ad quasque actiones personales alias relatum est, ut specia-le ibi de in rem actione definitum intelligi non queat. Nam & hoc loco relatum est jurare in infinitum permissum, non tamen hoc judicis moderationem excludit, *§. iurare. in ead. hac. l.* Nec ad rem facit quod id in d. l. 68. adjectum non est, quia ibi propria eius rei sedes non est, sed tantum de ordine exsequendi agitur. Quod igitur ad modum taxationis attinet, is ex hoc titulo venit supplendus, non quidem ut simplex ratio damni vel eius quod interest habeatur, sed propter contumaciam, respectus etiam ad arbitrium domini fiat in pœnam rei, *l. 8. C. eod.* 3.

Item videndum,) Iudex certè reum † minoris condemnare potest quàm est juratum, & juramentum ipsum quoque interdum nō sequi, sed ex maxima demum causa, aut instrumentis post repertis, *ut hic.* Sed in juramento † veræ æstimationis non ita est; quippe quod judex in judicando strictè ac præcisè sequi tenetur, *Novell. 82. c. 10.* sed neque facilè de perjurio eius jurantis quæratur. *l. ult. infra eod.* 4. 5.

1. An etiam ob culpam in litem juretur.
2. An ob dolum solum an unà & ob culpam latam. & nu. 3.

§. Final. AN etiam † ob culpam in litem juretur, videamus, nam ex hoc textu convincitur, tantùm jurari ob dolum, *ut hic & l. prox. §. sed in his. infra eod.* igitur non ob culpam simpliciter ita dictam, hoc est culpam levem, multoque minùs levissimam jurari receptum est. Et hoc inter omnes constat, cum ijs casibus solius æstimationis veræ habenda ratio sit, *d. l. 68. de Rei Vin.* Sed hoc † quoque ad culpam latam pertinere Ioannes sensit, & Azo probat, *seq. Bart. Castr. Ias.* Fulgosius contra, quia in pecuniariis lata culpa dolo continetur, *l. Quod Nerva. Depos. l. 1. §. is quoque. de Obl. & Ac. l. 1. §. hac actio. Si Mens. Fals. Mod. Dix.* adeoque ipsa pro dolo habetur *l. magna. 226. de Verb. Sig.* Quod aliàs quoque in pœnalibus ita est, *l. 1. § non alias. Si Quis Test. Lib. Esse Iuss.* Præterquam in criminibus gravioribus, *l. in lege. ad L. Cor. de Sicar.* Deferri † igitur juramentum in litem ob latam quoque culpam posse disertè constitutum est. *l. 2. C. h. t.* Nec ad rem facit, quod id tantùm de dolo 1. 2. 3.

responsum est, *ut hic.* perinde enim & de mensore responsum est, *d.l.* 1. §. *hac actio.* id ipsum interim ibidem ad latam culpam refertur, cum dictiones eiusmodi restrictivæ, etiam ad casus similes pertineant, *not. in l. ob as alienum.* C. *de Præd. & Al. Reb. Min.* Atque hæc sententia rationem habet, & Duareno jam ante probata est. *Duar. ad l.* 1. *infrà.* Corras. 4. *Misc. c.* 2. *Dominus Bronchorst. cent.* 2. *c.* 30.

Ad l. in actionibus. 5.

1. *In quibus iudiciis in litem iuretur.*
2. *An juretur in actione ex empto.*
3. *Ratio differentiæ inter illam actionem & iudicia cetera.*
4. *An & quando iuretur in iudiciis stricti iuris.*
5. *In contrariis bonæ fidei iudiciis non iurari.*

1. IVratur in litem, in † actionibus in rem, ad exhibendũ, & ijs quæ bonæ fidei sunt, *per hunc text.* his nimirum quibus magis ad restituendum agitur, *ut in l. qui restituere.* 68. *in fine verb. in omnibus quibus arbitratu judicis aliquid restituitur. suprà de Rei Vin.* Vnde fit

2. quòd in actione † ex empto in litem non juratur, cum propriè in ea non agatur ad restituendum. *gl. hic.* Ac tametsi Accursius allegat sententiam Hugonis qui id nulla lege cautum perhibet, constat tamen contrarium *ex l.* 4. C. *de Act. Emp.* quæ in casu contumaciæ ad id quod interest emptoris, arbitratu judicis reum damnandum præscribit. Hoc tamen interdum pretium egreditur, ut si re ipsa interfsit pluris *l.* 1. *princ. de Act. Emp.* Et hæc igitur sententia obtinuit, *Alber. & Fulgos. post gl. hic.* Donell. *ibid. num.* 4. *Duar. ad hunc tit. nu.*

3. 21. Ratio differentiæ † est, quod faciliùs nobis indulgeatur affectum æstimare in re ea quæ propriè nostra est, vel ad jus nostrum pertinet, *l. filiofamilias.* 25. §. 1. *Sol. Matr.* In actionibus igitur bonæ fidei, ceteris, ut commodati, depositi, locati diversum obtinet, *l.* 3. §. *in hac. Commod. l.* 1. §. *in deposit. Depos. l. si cui.* 48. §. 1. *Locati* Sed in

4. judicijs stricti † juris contra est, præterquam si per accidens arbitraria fiant; *d. l.* 3. §. *in hac. Commod. & arg. huius tex. in princ. & §. fin. ubi* Don. *num.* 14. *Duar. num.* 1. & 2. Denique & in directis tantum

5. † bonæ fidei, non etiam contrarijs juratur, *l. ei apud quem. Depos. gl. hic.* Cuiac. 9. *Obs.* 2. Ac tametsi Accursius in contraria pignoratitia diversam nonnullorum sententiam allegat, *gl. in l. si pignore.* 22. §.

3. *verb.*

3. verb tenetur. infrà de Pig. Act. tamen nec authorem eius opinionis, nec fucum rationis allegat.

§. Sed in his.

An etiam ob culpam latam in litem juretur tractavi suprà, *l. prox. §. fin. h. t.*

§. Final.

Ad veram rei æstimationem quando juramentum deferatur, infrà docemus, *in l. tutor. 8. h. t.*

Ad l. vulgo. 7.

SOlus dominus in litem jurat, *ut hic.* & si quis loco domini sit, ut tutor, curator, *l. 4. princ. sup. h. t.* Sed hoc in juramento litis definitivo non per omnia ita est. *vide qua nos in l. nam postea. 9. §. pen. sup. tit. 1.* Plane si quis speciale ad hoc mandatum habeat, benigniùs dicimus etiam per procuratorem in animam constituentis jurari posse, Quia moribus nostris eiusmodi juramentum perinde censetur ac si dominus id ipse præstet. Et hoc in praxi obtinet.

Ad l. tutor. 8.

1. *Iuramento in litem non considerari quod revera interest. & quare. num. 2.*
3. *Aestimatio rei vera, rationem affectus non admittit. & num. 5.*
4. *In postulatione nummorum quare in litem non iuretur.*

ILlud constat, † in juramento in litem considerari, non quod revera interest nostra, sed quod ex affectione sua actor interesse existimaverit. *hic & d. l. qui restituere. 68. de Rei Vind.* Ne † nimirum dominus invitus pretio simplici re sua per contumaciam alterius privetur. In æstimatione tamen rei verâ affectionis † ratio non habetur, *l. pretia. 63. Ad L. Falc fac. l. ult. de Op. Seru. l. 1. §. & aliàs videamus. Si Quid In Fraud. Patr. l. si servum. 33. Ad L. Aq.* Planè & in nummis quorum † restitutio non fit, jusiurandum in litem non extenditur ultra ipsorum quantitatem. *l. nummis. 3. supra. h. t.* Cum quia æstimatio eorum certa est, tum quia probabilis affectio non tam in corpus eorum quàm quantitatem cadit. Denique & juramentum

mentum in litem rectè in omnibus judiciis interponitur. *l. 5. §. fin. suprà eod. ubi Donell. num. 21.* non quidem simpliciter ob dolum rei, ut in superioribus, sed propter defectum probationum ob damnum culpâ alterius acceptum. Testibus enim ad hoc & acumine suo judex utetur. *l. un. §. in aliis.* C. *de Sent. Quæ Pro Eo Quod Inter. Prof. gl. ult. in l. 2. suprà eod.* quamdiu scilicet ea sufficiunt, sed iis deficientibus necessitas huius iuramenti delationi parit locum. *l. si quando. 9. C. Unde Vi. gl. Bart. & Ang. Sal. Alex. Jas. in d. l. in actionibus. 5. §. fin.*
6. *suprà eod.* Idque appellant † iuramentum veritatis; cùm non nisi ampliori significatione iurisiurandi in litem nuncupetur; *arg. l. 2. supra. hic.*

l. ultima.

Allegata est suprà *in l. 4. §. item videndum. eod.*

DE CONDICTIONE CAUSA DATA CAUSA NON SECUTA.

Tit. IV.

Ad l. 1.

Opponi solet huic textui l. jam dubitari. 85. de Hær. Inst. & l. Antistius. 62. princ. de Acq. Hær. solutionem vide utrobique.

Ad l. dedi tibi. 3.

1. *Argumentum textus.*
2. *Conciliatur l. 4. C. Si Manc. Ita Fuer. Al.*
3. *Conciliatur l. 1. Qui sine Manum. Ad Lib. Perv.*

1. §. QUid si ita dedi. 3.) Si tibi † decem dedi ea lege ut intra certum tempus stichum manumittas, tempore præterito servo tamen necdum manumisso, hæc condictio est. *ut hic. & l. 5. § at cum*
2. *do. de Præs. Verb.* Non mutat l. 4. C. Si Manc. Ita Fuer. Alien. † ubi mancipium ex proposita specie fit ipso jure liberum: id enim ita procedit, si dantem non pœniteat. *l. 1. l. ult. C. eod. l. 3. de Serv. Export.* Parumque ad rem facit quod alibi relatum est, etiamsi venditor † vo-
3. luntatem suam mutaverit, nihilominus servo competere libertatem; *l. 1. in fine. Qui Sine Manum. Ad Lib. Perv.* quia id speciale est quando

quando uterque contrahens decessit sine hærede. tum enim nullius interest illum in servitute manere. *ut ib. in tex.*

1. *Argumentum textus.*
2. *Conciliatur l. 4. C. de Dolo.*
3. *Explicatur §. finalis. huius l.*

§. QVinimo. 4.) Si servum † manumiserim, ut mihi decem, prout inter nos convenerat, dares, nec das tamen, quæ actio sit quæritur. Vlpianus actionem ex hoc contractu, id est, præscriptis verbis fore. *ut hic.* At constitutum † est de dolo esse, *l. 4. C. de Dolo.* Et cessat ergo actio civilis. *l. 1. junc. l. si quis affirmaverit. §. Labeo. de Dolo.* Respondemus duplicem ex innominato contractu actionem esse aut ratione non impleti contractus, quo ferè id quod interest resarcitur; aut ad causam ex pœnitentia revocandam. Si priori beneficio uti velim, actio præscriptis verbis est, *ut hic.* si verò præstitum ex parte mea condicere velim, quia manumissio revocari non potest nec factum condici, necessariò in defectum condictionis ad actionem de dolo veniendum est, *l. 5. §. quod si faciam. de Præscr. Verb.* 1. 2.

§. Final.

QVæritur † an hæres servum, cui libertas sub conditione relicta est, prohibere possit nummos adimplendæ conditionis causâ de peculio solvere, quod magis est, *per hunc. text.* Hoc ita si non servo & unà peculium sit relictum; eo enim casu prohibere non posset, *l. si peculium. 20. §. 1. infrà de Statulib.* 3.

Ad l. si pecunia. 5.

1. *Ob causam datum ex pœnitentia revocari potest.*
2. *In judiciis innominatis contra.*
3. *Explicatur l. cũ te. C. de Pact. Inter Emp. & Ven. & alia.*
4. *Quid juris sit, si is qui accepit grãdes fecerit impensas. 5.*
6. *Quid juris de pœnit. servo ita alienato ut intra certum tempus manumittatur.*

OB causam datum † ex pœnitentia revocare licet. *ut hic. & tot. t. t.* & hoc in contractibus iis quorum jure non est proditum speciale nomen. In nominatis † enim contrarium obtinet, verbi gratiâ, in locatione, *l. qui operas. 38. infra locati.* emptione venditione & similibus. Nec impedit † l. cum te. C. de Pact. Inter Emp. & Ven. quia ibi emptio vera non fuit, sed permutatio propria, exiguo tantum pretio addito. Sic in l. ex empto. *§. is qui vina. de Act. Emp.* 1. 2. 3.

non

non ex emptione sed ex datione arrhæ hæc condictio competit, *l. contractus*, C. *de Fid. Instr. Azo in Sum.* C. *de Cond. Ob Caus.* Denique & si impensas fecit cui datum est, & postea conventum sine
4. sua culpa præstare vetetur aut non possit, non repetet etiam qui dedit, *l. pen. C. eod.* Sed hoc civiliter accipe, ut modus impensarum cõsideretur, & condictioni locus fiat, si fortè multò minùs quàm da-
5. tum est, sit impensum, *per hunc text.* Qui in † hoc notandus est, quod ad condictionem impediendam sumptuum magnitudo operetur ne res ampliùs integra intelligatur. Actio igitur præscriptis verbis hoc casu in id quod interest erit, *l. 5. §. 2. de Præscrip. Verb.*
6. *§. 1.)* Perinde, si quis servum tradiderit ea lege ut † intra certum tempus manumitteretur, datorem autem pœnituerit, hocque accipienti maturè denunciatum sit, servo ab accipiente manumisso, propter pœnitentiam actio est, *ut hic.* Sed hoc nec eo quoque casu in contractu nominato ita foret, *l. quæsitum.* 8. *de Seru. Export.* Et ex textu præsenti evincitur, ut condictioni locus sit ex pœnitentia, parti id denunciandum esse.

Ad l. ult.

1. *Argumentum huius l. & num. 3.*
2. *Explicatio eiusdem & conciliatio l. 5. §. 1. de Præscrip. Verb. & num. 4.*

1. SI tibi pecuniam dem † ut mihi stichum des, contractus innomi-
2. natus est. *ut hic.* Hoc ita si simpliciter † pecunia in hoc data sit, & non ad modum emptionis de pecunia uti pretio convenerit pro recipienda re empta. tum enim negotium in emptionem cadit. *l. 5. §. 1. de Præscrip. Verb.* Emptori enim satisfieri potest si res vendita ei tradatur, dare autem (de quo hîc) ferè est dominium transferre, *§. sic itaque. Inst. de Act.* ad quod emptor directò non tenetur, *l. si ita. 25. §. 1. de Contr. Emp. Duar. ad hunc tit. Corras. 2. Miscell. c. 9.*
3. Quantum † ad secundam huius responsi partem attinet: definitur eo, non illius qui pecuniam dedit, sed eius qui accepit ut stichum daret, periculo stichum esse, mortuoque eo pecuniæ repetitionem
4. esse. *ut hic.* Obstare eidem † putatur graviter, *d. l. 5. §. 1. vers. 2.* ubi relatum est periculum stichi eius esse qui aliam rem priùs dedit. Respondetur, periculo quidem eius qui dedit pecuniam vel rem, stichus erit, ita ut debitor eius actione præscriptis verbis ad dandum eum ipsum, vel ad id quod interest loco eius non teneatur, ita accipienda est d. l. 5. §. 1. pecunia autem ei qui illam dederat, non

perit,

perit, quia eam condicere potest, *ut hic eleganter Cujacius. 23. Obs. 29.*

DE CONDICT. INDEBITI.

TIT. VI.

Ad l. 1. Princip.

1. *Indebiti condictio quomodo originem habeat.*
2. *Causa eius quasi ex mutuo, unde promutuum. & n. 3.*
4. *Indebiti genera plura.*

NVnc videndum † de indebito soluto. Qui enim indebitum sol- 1.
vit, quamvis in hoc potius det, ut debitum solvat quàm contrahat, *§. item. Inst. de Obl. ex. Quasi Contr. l. 5. §. is quoque. de Obl. & Act.* quia tamen indebitum præstat, eo ipso quasi contrahit & negotium aliquod gerit, *l. 2. & l. si in area. 33. hic.* Et ferè † quasi ex 2.
mutuo is qui accipit ad id quod datum est obligatur; ita nimirum, si solvatur res fungibilis quæ mutuum admittat, *d. l. 5. §. is quoque.* Vnde id Cujacius promutuum † nuncupat, *in Par. C. eod. & lib. 8.* 3.
Obs. 14. Wesenbecius quasi mutuum, *in Comm. de Cond. Caus. Dat.* Sed & eadem condictio datur ex bono & æquo, si quævis alia res data sit. *l. hac condictio. 66. infrà eod. Duar. c. 1. h. t.* Indebiti † verò ge- 4.
nera plura DD. statuunt, *gl. Bart. alij hic.* & quidem appositissimè dividitur uti debitum ipsum, in indebitum naturale, civile, prætorium. Naturale, ut in l. indebitam. 47. hic. civile ut nudo pacto conventum, *l. 13. & l. 40. infrà eod.* prætorium ut in l. si non sortem, 26. §. 3. l. 43. h. t.

1. *Per ignorantiam solvens hanc actionem habet.*
2. *Conciliatur l. 7. de Iur. & Fac. Ign.*
3. *Excipiuntur duæ species singulares. & num. 4.*

§. 1.) IS hanc † actionem habet qui debitum ignorans solvit; non 1
etiam qui sciens, *per hunc text.* Ignorantiam qualem hic accipimus, factine an juris, an potiùs utramque? magisque est id de sola ignorantia facti accipiendum, *l. regula. §. si quis. de Iur. & Fac. Ign. l. cum quis. C. eod. l. error. C. ad L. Falc.* Nec mutat † quod dici- 2.
mus, juris errorem in damnis amittendæ rei suæ non nocere, *l. 7.*

de Iur. & Fac. Ign. quia hoc ita intelligendum est ut non prosit, prodesset autem, si condictionem proferret. Eoque respectu aliàs relatum est, facti quidem errorem prodesse, *l. 4. de Iur. & Fac. Ign.* juris autem errorem non nocere, *d. l. 7. eod illo tit.* quia enim dominium voluntate eius qui solvit, ad accipientem translatum est, *l. cum in corpus. 36 infra. de Acq. Rer. Dom.* sequitur id non ampliùs eius esse qui solvit, ut tandem regula illa nihil obstet: quod & si non errasset, condictio cessaret. Excipe † tamen hinc 1. speciem l. 1. in princ.
3. Vt in Poss. Leg. Nom. ubi hæres cui cautio remissa erat, eam tamen per errorem præstitit, illam condicere potest, idque favore ultimæ
4. voluntatis. 2. Si mulier beneficio † SC. tuta, ob interpositam fidejussionem solvit, solutum repetit. *l. 9. C. ad Velleian.* Sed hoc quoque singulare est, quod feminis subinde juris ignorantia permissa est. *l. regula. de Iur. & Fac. Ign.*

Ad l. 2.

QVi dubitat an debeatur, & ita solvit, ut si indebitum postea appareat, repetat, propius est, ut condictionem ex vero contractu habeat. *ut hic.* Accursius igitur rectè & ex eodem negotio actionem præscriptis verbis statuit, quod magis est, *per l. rebus. C. de Rer. Perm.* Planè si sciverit indebitum, dubitaverit tamen, ideoque ea mente dederit, ut postea repeteret, hoc tamen non expresserit, cessat condictio. *l. quod quis. 50. infrà eod.* propositum enim in mente retentum nihil operatur. *l. 7. C. de Condict. Ob. Caus.*

Ad l. in diem. 10.

IN diem debitor adeo debitor est ut omnino repetere solutum ante diem non possit, *ut hic.* nisi incertum esset an dies quandoque ventura esset, tum enim ut in solito debito conditionali, ante illam existentem condictio est. *l. sub conditione. infra eod.* dies enim incerta pro conditione est. *l. 1. & l. dies. infrà. de Cond. & Dem.* Sed cum in specie huius legis sors reperi nequeat, an interusurij commodum refundendum sit, videamus, & eò quidem Iason inclinat, *post Albert. & Fulgos. hic* verum quia is qui sortem petere nequit, ab usuris quoque exclusus est. *l. eos. princ. C. de Vsur. l. fœnerator, de Nau. Pœn.* contrarium obtinuit, *Costal. hic post Bal. Angel. Salic.*

l. 13.

Relata est in ijs, quæ ponimus suprà *ad princ. l. 1.*

Ad

Ad l. indebiti, 15.

§. 1.) QVi falsus animi rei non suæ possessionem se alteri debere putat & solvit, hanc condictionem habet, *ut hic.* nec mutat *l. si in area. 33. vers. sed etsi. eod.* quia ibi tradens rem non suam, vero domino possessionem tradidit. Ac tametsi eodem casu propter impensas bona fide factas, retentionem habuerit, eoque & repetitionem eius quod retinere potuit, habere videtur, *arg. l. si is qui hereditatem. 45. infra eod.* tamen id in proposito non ita laté acceptum est, puta quia tantum exceptionem habuit seu retentionem; non etiam actionem. *l. Paulus. 14. infra. de Doli Excep.* vide tamen quæ laté tractamus infrà *ad d. l. 33. h. t.*

Ad l. sub conditione. 16.

Vide quæ ponimus suprà, *in l. in diem. 10. eod.*

Ad l. si pœnæ. 19.

§. 1. QVamvis creditor debitum recipiat, si tamen is non debeat qui solvit, condictio competit. *ut hic. l. in summa. 65. §. fin. infra eod.* Hoc ita si solvens id nomine suo faciat, *l. 15. §. 1. supra eod. l. si quid possessor. 31. princ. de Her. Pet.* solvit nimirum hoc casu verè indebitum, *d. l. 65. §. fin.* Quod si nomine debitoris solvat, condictio cessat. *l. repetitio. 44. infra eod.* Ratio est quia in condictionibus hisce regulariter consideratur persona eius pro quo solvitur, *l. si per. 6. C. h. t.* Si igitur solutum sit nomine alterius quàm qui debebat, cōdictio obtinet. *ut hic.* sed extra eum casum contrà dicimus, quia certum est etiam pro invito solvi posse, & debitum extingui. Vnde rectè Budæus à Cujacio notatus est, quod ille falsò antinomiam statuerit inter d. l. repetitio. & hunc text. *Cujac. 8. Obs. 9.*

Ad l. planè, 21.

Vide quæ ponimus infrà *in l. cum is. 32. §. fin. eod.*

Ad l. sed etsi. 22.

SI putem me tibi aut Titio promisisse, cum vel neutrum factum sit, vel sola persona unius stipulatione comprehensa, & alteri solverim: repetitio est. *ut hic.* Vnde convincitur, quandoque permissum esse allegare ignorantiam proprij facti, quoties nimirum justus error subest, *per hunc text.* Si tamen error adeo stupidus sit, ut

excusatione non mereatur, contrarium dicimus: *l. quanquam. 7. infra. ad SC. Vell.*

Ad l. eleganter. 23.

Vide posita infrà *in l. damus. 52. eod.* quæ solet opponi.

§. 1. & 2.) An transactio post rem judicatam valeat, quod huius loci argumentum est, pluribus suprà tractamus, *ad l. post rem judicatam. 7. supra de Transact.*

Ad l. si non sortem. 26.

§. INdebitum. 3.) Qui exceptione perpetua tutus solvit, condictionem indebiti habet, *ut hic.* Sed hoc perpetuum non est, ut fusius infrà explicamus, *in l. qui exceptionem. 40. princip. eod.*

§. 3.) Relatus est infrà in l. 40. eod.

§. Filiusfamilias.) Ad hunc §. pertinentia relata sunt suprà, *in l. si filiusfamilias. 11. de Reb. Cred.*

1. Si qui hominem aut decem debebat solverit tantum quinque, an obligatio in quinque sit sublata.

2. Conciliatur l. 17. de. Accept.

3. Vtroque simul soluto quid juris.

1. §. penul.) SI quis hominem aut decem debebat, solverit tantùm quinque, quæsitum est utrùm pars obligationis perimatur, an verò & reliqua quinque aut stichus postulari queant nihilominus? & magis est partem obligationis non sublatam, & idcirco actionem adhuc alternativè institui posse, *per hunc text.* At
2. qui in specie proposita quinque + acceptò ferr, partem obligationis perimit, *l. qui hominem. 17. de Accep.* ergo & de solutione idem dicendum, *tit. Inst. Quib. Mod. Tol. Obl.* sed hoc idcirco ita relatum est, quia actio non ampliùs quàm in stichum aut quinque institui potest. Actio igitur etiamnum ipso jure ad alterutrum durat, *ut in dd. ll.*

QUAMVIS UTROQUE SIMUL SOLUTO, MIHI RETINENDI QUOD
3. VELLEM ARBITRIUM DARETUR.) Quid ita? quia constat in debitis alternatis electionem alterutrum solvendi apud debitorem esse. Quando igitur hic qui creditor ante fuit & solutionem recepit, ipse modò debitor est, electionem habet utrum solvat, idque ex sententia Marcelli ac Celsi, quam Vlpianus hoc loco sequitur, Iulianus contra, cuius opinionis vestigium est infrà *in l. cum is. 32. in prin. eod.* Atque hoc & Papiniano visum fuit, ac Iustiniano novâ constitutione

tutione probatum, abrogatâ sententiâ priore, *per l. penult.* C. *eod.* *Cuiac. 8. Obs. 35.* cum jus condictionis accipientem non directum debitorem constituat, sed ex æquitate quadam ius suum debitori primo ac vero conservet.

1. *Operæ solutæ an condicantur. & num. 5.*

2. *Consuetudo servitiorum quæ vasalli præstant operis comparata.*

3. *Solutum per errorem non repeti, nisi accipiens eo locupletior sit.*

4. *An nummi indebitè soluti periculo accipientis sint.*

6. *An eædem operæ censeantur quæ à duobus eiusdem artis opificibus præstantur.*

§. Libertus) QVas operas † libertus patrono solvit, quia eas natura debet, non repetit. Quod si decidit cum patrono pecunia, & operas præstet, an repetat, videamus; & quidem id dici potest si tales præstiterit quæ communiter æstimationem recipiunt, quales sunt fabriles, pictoriæ & similes, in officialibus quas vel amicus amico gratis præstat diversum dicimus; *ut hic.* Idque & moribus † huius seculi ad servitia, quæ dicunt, vasallorum refertur apposite, ratione scilicet beneficiorum quæ à dominis tenent, *fac. gl. in c. 1. verb. reverentia. de Mil. Qui Contum.* 1. 2.

NEMPE HOC SOLUM REFUNDERE DEBES, QUOD EX PRETIO HABES. Ex his verbis collectum † est solutum per errorem non aliter repeti, quam quatenus recipiens eo factus sit locupletior. Vnde soluta quæstio est, an nummi † indebiti soluti periculo accipientis sint, quod quidem Accursius in dubium vocavit, qui existimat nūmis quoque consumptis hanc actionem esse: & hoc loco casum specialem fore, eo quod genus perire non possit, *l. incendium. C. Si Cert. Pet. quem sequuntur Bart. Angel. Castr. vide gl. in l. indebiti. 15. supra eod.* Alijs tamen diversum placuit, *Bal. Alber.* *Fulgos. Salic. Alex. Jas.* idque probabilius argumento huius textus evincunt, quo non simpliciùs de nummis, sed fundo ac servo agitur. Ego respondi referre, num quod solutum est consumptum sit, quo casu non consideratur utrum locupletior accipiens fiat, an minùs; quod & aliàs interdum ex sola consumptione condictioni origo fiat, *l. 14. supra de Reb. Cred.* & indistinctè igitur cui solutio facta hac actione tenetur, idque & Accursius sensit & qui eum sequuntur: num verò sine dolo malo & culpa res alienata vel perdita sit, quo casu vel res ipsa condicenda est, vel quod ex eadem quoquo 3. 4.

 modo

modo superest. *ut hic.& arg.d.l-15.§.1.verb. vel possessio.* itaque ac-
5. cipienda est sententia Fulgosi & aliorum. Planè quod † relatum videtur, operas à liberto patrono præstitas condici indebitas posse. *ut hic.* id speciale est, eo quod pars utraque hoc nomine pretio depecta est. Aliàs enim expeditum est, operas præstitas ut indebitas condici non posse, sed præscriptis verbis agendum, *l.pen.infra.de* Præs.*Verb.*
6. Denique quod hic dicitur, † non easdem operas censeri, quæ à duobus eiusdem artificij opificibus præstantur, eoque eas condici non posse, id quidem ita est in condictione indebiti, quá fere speciem solutam condicimus, non verò in obligationibus quibuscunque, quia in ijs aliæ cum ceteris ferò eædem in genere censentur. *not.in l.5. de* Duob. *Reis.*

Ad l. judex. 28.

QVi re ipsa debet, sed malè absolutus solvit, nihilo magis condicet. *per hunc text.* Vide quæ hac de re ponimus latiùs infrà, *in l.qui exceptionem. 40.eod.*

Ad l. interdum. 29.

Vide quæ ponimus infrà ad l.quod si fortè.14.§. fin. de Solut. quæ solet opponi.

Ad l. cum is 32.

QVod hoc loco relatum est, ex solutione rerum duarum quæ alternativè debitæ sunt, peremptá uná, alteram manere in solutum, verum est cum utraque res simul data est, *ut hic.* Nec refert quod is qui solvit repetendæ alterius electionem habuit, *l.pen.* C. *eod.* nam & eam ipsam rem quæ perijt, eligere debitor potuit, ac tametsi id de altera quoque dici potuit, socordiæ tamen suæ imputabit quod & utrumque solverit, & cum solvisset, alterutrum non repetijt. Planè si diversis spatijs solutio facta sit, posterior sola indebita est, itaque ea tantùm periculo solventis erit, priùs soluta similiter sola periculo eius qui utramque accepit, *arg.l.cum duo.supra eod.*

1. *Qui existimat se teneri ad dotandum & dotem confert, an condictionem habeat.*
2. *Confutatus error Bartoli contra hunc textum efficax.*
3. *Quid juris sit dote promissa per errorem non tamen ex causa pia.*

4. An

4. *An dos ex causa pietatis data sit quomodo constet.*
5. *An causa dotalis in foro ecclesiastico tractanda.*

§. Mulier.) QVi existimat † se obligatum ad dotandum, & hoc errore dotem vel caverit vel solverit, condictionem non habet, sublato enim errore remanet causa pietatis, quâ dotem quoque affectam esse, & ex hoc textu & pluribus juris nostri locis constat. Sed quod nonnulli † perhibent, id non ita fore, si quis se ex testamento vel qua simili causa obligatum putet, & tantùm huic textui locum esse si quis se obligatum ad dotandum officio pietatis credat, *per l. qui se debere, & l. si donaturus. suprà de* Condict. C*ausa Data. Bart. Costal. hic.* Id & hoc textu confutatur, nec ijs legibus evincitur, cum utroque loco solvens proponatur vel debitor, vel ex certa animi destinatione donaturus jussu mulieris fuisse. Est prætera utrobique ibi species qua matrimonium proponitur non secutum, ut neutra propriè ad rem pertineat. *vide quæ nos infra. l. 69. §. gener. de Iure Dot.* Planè si † quidem error, non tamen pietatis causa subsit, ut cum curator negotij gerendi causâ majorem quam pro modo dotem promisit, repetet, quod ultra facultates puellæ solutum est. *vide l. cum post. §. 1. de Adm. Tut.* Tantundem dicimus si quidem dotis promissio facta sit, & pater aut curator ignorans mulierem divertisse, solverit. Vt tamen hoc casu non indebiti condictio, sed de dote actio ex stipulatu sit, *l. si pater. 41. Sol. Matrim.* Denique an dos ita data sit ut affectus atque opinio † pietatis adfuerit, an minùs, id omnino in facto consistit. Iunge quæ ponimus suprà, *in l. Nesennius. de Neg. Gest.* Sed in dubio pro dotibus respondere melius est. *per vulg.* Ceterùm quia dotium causa pia censetur, *ut hic.* quæstio † mota est, an cognitio de ea etiam ad judicem ecclesiasticum pertineat, quod Ioanni Andreæ, Ostiensi atque Immolæ placuit. *in c. de prudentia. de Don. Inter Vir. &* Vx. Angelus Costalius contra, *in l. 1. de Iure* Dot. Sed aut venit causa dotalis in lite matrimoniali incidenter, & clericus de ea quoque cognoscere poterit, eoque casu sententia prior obtinet, *tex. in c. de prudentia. ex. de Don. Inter Vir. & Vx.* aut verò per sese, & contrarium obtinet. Atque hoc moribus servatur.

Margin: 1. 2. 3. 4. 5. *Consuetudo de judicio dotis.*

1. *Dissensus juris authorum in electione debiti alternati solvendi.*
2. *Resectus à Iustiniano.*

§. fin.

11 §.fin.) IN debito generali † aut alternato, electio debitoris est, quod præstet. Proinde si generaliter obligatus Stichum se purè promisisse putet, eumque ita solverit: per condictionem indebiti repetet, & alium quemvis dando liberabitur, *ut hic*. Contra Celsus, ne in alternato quidem debito electionem dat, adeo quidem ut & condictionem per errorem soluti neget, *l. si is cui legatus. 19. de*
12 *Leg*.2. Quæ Celsi opinio † cum ex ea dependeat quam suprà ex Vlpiano retulimus, *in l. 26. §. pen. h. t.* & hæc contraria Iuliani ex hac lege *in princ. & aliis locis eiusdem authoris non exstantibus, sed a Triboniano allegatis:* rectè & hæc sententia à Iustiniano correcta est, *per l. pen.* C. *eod*. Excipitur tamen species l. planè. 21. suprà eod. idque ex ratione ibidem adjuncta, *Cuiac. 8. Obs. 35.*

Ad l. si in area. 33.

1. *Qui rem alterius non deductis impensis tradidit non actionem, sed tantum retentionem habet. & num. 3. & 4.*
2. *Quatenus hoc verum sit.*

1 QVi rem † alterius non deductis impensis tradidit, repetitionem non habet, quia eas conservat solummodo per retentionem,
2 *ut hic*. Hoc ita nisi rem traditam † qui impensas adhibuit, propriàm fecerit accipientis, quia eo casu quasi aliquod negotium cum illo contractum foret; eaque ratione responsum est, hæredem qui in rē hæreditariam impensas adhibuit, re traditâ, illas rectè condicere, *l. qui exceptionem. 40. §. 1. infra eod.* Distinguendi igitur in hac re aliquot casus sunt. Aut igitur qui per errorem tradit, rem suam in accipientem transfert, & condictionem indebiti habet, *l. quod indebitum. 7. & alibi h. t.* Idque ita est etiam in eo quod deducere debuit, nec fecit tamen, *d. l. 40. §. 1. l. si is qui. 45. h. t.* Sed ad rem repetendam certi condictionem habet, *d. l. 7. suprà. h. t.* ad impensas incerti, *d. l. 40. §. 1.* Aut quis rei non suæ possessionem domino tradit, & retentionem tantùm habet, re verò actu ipso traditâ, actionem non habet. *ut hic*. Quo respectu † regulare est, si quis quidem retentionem
3 habeat, cuius petitionem non haberet, id cum, si solverit, repetere non posse. *l. ex quibus. 51. infra eod.* Et hoc verum est † de actione civili. Benignè tamen dicimus, quemadmodum per exceptionem doli retentionem habemus, *l. Paulus. 14. de Except. Doli.* ita actione in factum prætoria saltem, impensarum repetitionem fore, *arg. l. si & me & Titium. de Reb. Cred.* Atque ita Castrensis respondit de facto consultus, *Paul. Castr. hic.* Aut denique rei non suæ possessionem quis

quis extraneo tradit, & possessionem condicit, *l. indebiti. 15. §. 1. & fin. suprà eod.*

Ad l. is cui. 34.

1. *Argumentum legis.*
2. *Conciliatur l. qui haredi. 44. §. sed cum suspectam. de Cond. & Demonstr.*

CVI tota hæreditas † per fideicommissum relicta est, & præterea fundus, si decem hæredi dedisset: hæres verò suspectam hæreditatem dicat, & eam ex Trebelliano restituat, causam non dandæ pecuniæ habet; & ideo quod eo nomine quasi implendæ conditionis causâ dederit, condictione repetet. *ut hic.* Hoc ideo, quia fundus sub conditione hac, si decem hæredi dederit, relictus erat ei, cui & tota hæreditas per fideicommissum fuit tradenda. Quando igitur universam hæreditatem ex SC. Trebelliano ab hærede, qui coactus adierat, consecutus est, fundum ab eodem frustrà peter, & consequenter justam causam habuit pecuniæ condicendæ. Nam & absurdè implevit conditionem fideicommissi quod re ipsa consequi nequit. Planè si conditio non † absurdè impleatur, etiamsi hæres suspectam hæreditatem habeat, benignius est datum hæredi non auferri. *l. qui haredi. 44. §. sed cum suspectam, de Cond. & Dem.* 1 2

Ad l. frater à fratre.

1. *Ratio difficultatis in hoc textu.*
2. *Textus hic de sola obligatione naturali intelligitur.*
3. *Naturalis obligatio per filium quaritur patri.*
4. *Ratio 1. responsi.*
5. *Peculium debito peculiari ut quadam universitas oneratum est. & num 6. & 7. 9.*
8. *Explicantur duo versiculi sequentes. & num. 10.*
11. *Expediuntur aliquot difficultates. & num. 12. ac 13.*

HÆc lex non tam † materia aut tractatu difficilis est, quam commentantium & varietate, & prolixitate obscurior facta. Nos igitur, ut pro stilo atque instituta brevitate eam explicemus, ita agemus, ut mens eius quàm maximè perspicua fiat. Titius † & Mævius fratres in eiusdem patris potestate constituti, singuli peculium habent, Titius Mævio viginti mutuo dat, ex hoc negotio tan- 1 2

tùm naturalem obligationem contrahi expeditum est. Cum id & ratio juris dictet, quæ inter has personas civilem obligationem non admittit, & textus adeo ipse indicet. Sed mortuo patre Titius fratri creditum solvit, quæritur an repetitionem habeat? & illud constat pro ea parte, qua ipse patri suo hæres est, solventi condictionem pa-
3. ratam, *ut hic 1. respons.* Nam cum obligatio † ea patri quæsita sit Ita-tim, *l. placet. 79. de Acq. Har. l 1. princ. Si A Par. Quis Manum.* per successionem eadem confusa est. *l. stichum. 95. §. a..tio. de Solut.* & ita pro parte hæreditaria eius, sublata. Quamobrem illud expeditum manet, pro parte ea solutum condici posse. Sed pro parte qua Mævius hæres est, Africanus respondit, eum ita solutum condictum esse, si non minus ex peculio Titij ad Mævium perve-
4. nisset. Rationemque † addit, quòd participatio peculij sustulisse videatur obligationem naturalem. Id verò quemadmodum accipiendum sit videamus. Repetit igitur Titius solutum à Mævio, si amplius vel tantundem ex peculio ad eum pervenerit ac solutum
5. est. Quid ergo si ad Mævium minus † peruenerit, peculiotenus
6. tantum tenebitur. Quamobrem † verò? quia peculium universitas quædam est, ut hæreditas, quæ cum onere suo transit ad successorem, quando igitur peculij partem Mævius frater cohæres à fratre suo nactus est, nactus est & una debiti onus. Itaque confusa rursus in persona eius est debiti pars illa quoque, propter peculij ex hæreditate participationem, & idcirco frater Titius soluti ut indebiti condictionem habet, quatenus tamen peculij participatione
7. debitum in persona Mævij confusum est: Igitur si † ex peculio Titij pervenerit ad eum nihil, nihil etiam condicet (quia nec eo casu confusio est) sed quod solutum est, non repetetur, quia debitum saltem naturâ fuit. Atque hæc est ingenua sententia principij hujus legis, quò manifestè convincitur onus peculij sequi peculium ipsum. Consequentes versiculi idem arguunt, & quidem duplici
8. medio. Primò, ita, usque adeo † verum est peculium onere suo affici, ut si prælegatum Titio debitori peculium eius esset (quo casu ei pars dimidia jure hæreditatis, & altera dimidia jure legati contingit, l. quidam. 81. *de Leg. 1.*) deductio huius debiti (pro dimidia puta obligationis parte, ex qua Mævius successit) ab eodem Mævio ex eodem peculio prælegato fieret. Nec Titius igitur amplius consequeretur quàm quod superesset onere deducto. Atque huc usque se porrigit argumentum illud. Planè si deductio per errorem omis-
9. sa esset, ut totum † peculium Titius debitor accepisset, daretur Mævio repetitio eius quod potuisset deduci, id est condictio indebiti. Re enim ipsa indebitum erat, quia legatum fuit peculium, quod intelligitur demum deducto eo quod patri vel fratri naturali ra-

tione

tione debebatur. ijs enim debitis minuitur peculium ferè ipso jure. *l. sed si damnum. 9. §. peculium. de Pecul. l. servus quem. 30. prin. de Act. Emp.*

IDQUE MAXIME CONSEQUENS ESSET EI SENTENTIAE.) Hoc † 10.
versiculo continetur alterum argumentum, & quidem non levius priori, quo Africanus docet universitatem peculij onere suo gravatam. Ita igitur argumentatur: Quod si Titius extraneo quid debeat, & ex peculio eius aliquid ad fratrem Mævium pervenisset, pro ea parte defenderetur à Mævio adversus peculiarem Titij ipsius creditorem. Quando igitur in proposito Titius ipse debuerit Mævio, Mævius nihil petere potest. Nam quod quis ad defensionem alterius præstare tenetur, idem præstabit in persona sua multò magis. *l. 1. suprà. Quod Quisq. Iur. l. cum in eo. 44. de Pact. L. Attius. suprà. Si Seru. Vind. l. si negotia. 31. Mand. l. quoties. 9. §. 1. l. cum hereditas. 39. infrà. de Adm. Tut.* Argumentum eius rei probatur authoritate Iuliani, & duabus speciebus deducitur, puta, aut Titius solverit extraneo creditori debitum peculiare, aut solverit nondum. Primo enim casu repetet judicio familiæ erciscundæ, unde & consequens est ut in altero casu cavere debeat Titio Mævius de indemnitate. Denique † 11. ex hac lege constat, etjam obligationem naturalem acquiri patri, cum & aliàs regulare sit, ut quamcunque obligationem extra causam peculij castrensis, filius acquirit, eam patri quærat. *l. 1. princ. Si A Par. Quis Manum. & §. 1. Inst. Per Quas Pers. Nob. Acq*, maximè cum peculium ipsum non patris sed filij sit. *l. 3. §. sed utrum, de Minorib.* Nec refert quod omnes homines natura æquales dicuntur. *l. quod attinet. 33. de Reg. Iur.* id enim tantùm ad statum pertinet. Minusque † 12. ad rem facit quod dicimus, patrem filio suo naturaliter teneri, *§. quæsitum. infra in hac l.* unde naturalis obligatio filij non videbatur ad ipsum transire: quia obligatio inter patrem & filium constans à jure naturali est, at acquisitio obligationis patri commoda, à jure gentium, quod utrumque communi nomine juris naturalis venit. Itaque quàm primùm filius obligationem naturalem acquirit, acquirit etiam patri. *l. 1. princ. Si A Par. Quis Manum.* Qua ratione videlicet dicitur servus domino debere, quod eius filio debet, *l. 9. §. peculium. infrà. de Pecul. l. si peculium. 6. in princip. infra. De Pec. Leg. §. cum autem. Inst. Quod Cum Eo.* Vnde & expeditum est, quemadmodum accipi debeat quod dicimus, id quod per eos acquiritur qui in nostra potestate sunt; id nobis confestim acquiri, neque momento aliquo subsistere in persona eius cui adquiritur; *l. placet. 79. De Adquir. Heredit.*

Yyy 2 namque

namque id quoque de jure gentium accipiendum est. Denique & oppositum est, quod frater fratri quoque naturaliter obligetur, & proinde nec solutum ideo quidem condici; ut subtiliori discursu hujus legis omnino non videatur fuisse opus. Sed meminisse hoc casu eius oportet quod paulò antè monuimus, obligationem peculiarem magis acquiri patri, quàm filio. cum peculium ipsum patris esse censeatur. *d. l. 3. §. sed utrum. de Minorib.* Minorem verò obligationem per majorem tolli, & aliàs relatum est. *l. debitori 80. de Fi-*
13. *dejuss.* Ceterùm † an non pater creditor filij debitoris & rursus debitor filij creditoris, idem creditor & debitor sui ipsius erit? & id quidem absurdum videtur. Responsum tamen est absurdum non esse, quod haud rarò eveniat, quê eiusdem creditorem & debitorem esse. Absurdum tamen est, eandem personam eandem rem vel quantitatem eidem debere: sed id ita per filios accidit, per quos negotium contractum est. Cum nihil prohibeat quem esse debitorem unius & alterius creditorem. Rursus motum est, successione utriusque debitum universum confundi, & nullam igitur subtilioris hujus contributionis habendam rationem esse. Sed disputatio hæc propter peculium instituta est, cuius utcunque separatam rationem tanquam universitatis alicujus separatæ pater esse voluit, nec ante mortem revocavit.

Ad l. qui exceptionem. 40.

2. Exceptione perpetua tutus an & quatenus solutum repetere possit.

3. Quid juris sit de eo qui sciens se tutum exceptione, promittit aliquid ut acceptò liberetur.

4. Quid juris in exceptione SC. Macedoniani.

5. Tutus exceptione rei judicatæ an solutum repetat.

6. Quid juris sit de eo qui tutus est excep. jurisjurandi.

7. Quid juris de exceptione Velleiani.

1. PRincipium † hujus legis relatum & explicatum est suprà *in l. 14. de Reb. Cred. & in princ. l. 1. h. t.* Illud tractandum est, quod
2. hoc loco refertur, eum † qui exceptione perpetua tutus solvit, in-
3. debiti condictionem habere, *ut hic: & l. 26. §. 3. h. t.* Sed hoc non † procedit primò, si sciat exceptionem perpetuam se habere, & interim promiserit aliquid ut accepto liberetur. *l. si is qui. 24. h. t.* Secundò id † non procedit in exceptione quæ odio creditoris introducta
4. est, ut accidit in exceptione SC. Macedoniani, quia & in ea natura-

lis

lis obligatio mansit. *ut hic. & l. si paterfamilias. §. pen. & ult. ad SC. Maced.* Similiter verò & † is qui exceptione rei judicatæ perpetua tutus solvit, non repetit. *l. judex. 28. suprà. & l. Iulianus. 60. inf. eod. & arg. l. naturaliter. suprà h. t.* quanquam † in exceptione jurisiurandi diversum sit. *l. si quis. 43. infrà eod.* Sed neque hoc in exceptione † Velleiani admittimus. *per hunc text.* repetit enim mulier etiamsi errore juris lapsa solvisset. *l. quamvis. 9. C. Ad SC. Vell.* Ratio est quia exceptio hæc favore mulieris introducta est, *ut hic.* cui ferè juris ignorantia permissa est. *l. regula. de Iur. & Fact. Ign.* 5. 6. 7.

§. 1.

Pertinet ad ea quæ ponimus suprà *in l. si in area. 33. eod.*

Ad l. quod pupillus. 41.

AN & quatenus pupillus sine authoritate tutoris obligetur, infrà explicamus; *in l. obligari. 9. de Auth. Tut. & lib. 6. Subtil. c. 7.*

Ad l. si quis jurasset. 43.

Vide quæ ponimus ad l. 40. suprà. h. t. ubi & hæc relata est. *& ad princ. l. 1. eod.*

l. repetitio. 44.

Relata & explicata est suprà *in l. 19. §. 1. h. t.*

l. si is qui. 45.

Relata est in ijs quæ ponimus suprà ad l. si in area. 33. eod.

l. indebitam 47.

Relata est suprà ad princ. l. 1. h. t.

Ad l. quod quis. 50.

Vide quæ ponimus in l. 2. suprà eod.

Ad l. ex quibus. 51.

1. *Explicatur hic textus.*
2. *Conciliatur argumentum oppositum.*

EX quibus † causis retentionem quidem habemus, non autem actionem, ex ijs si solvatur, condictio cessat, *ut hic.* Eius rei perspicuum exemplum est suprà *in l. si in area. 33. eod.* Obstat tamen 1.

huic textui quod debitum naturale jure compensationis retineri potest, *l.6. de Compens.* peti non itē. *l. jurisgentium. supra. de Pact.* nihilominus si solvatur condictio indebiti oritur, *per l. si ambo 10. §. 1. de Compens.* Respondemus hunc textum accipiendum de restitutione rei alienæ cui impensæ adhibitæ sunt, secundum textum & not. d. l. si in area. opposita verò lex in solutione eius procedit quod usquo adeo alterius non est, ut & ipso jure per compensationem debitum esse desierit.

Ad l. damus, 52.

QVi ob causam dat, etiamsi causa falsa sit, non repetit. *ut hic.* Quod de causa impulsiva accipimus, ut si quis se obligatum ad antidora credat & ita solvat. Nam qui se aliàs vel ex transactione vel simili causa obligatum putat, eoque intuitu solvit, cùm tamen illa re ipsa non præcesserit, quin repetat, nulla dubitatio est. *l. eleganter, 23 in princ. suprà eodem.*

Ad l. cum indebitum. 57. princ.

CVm tutor pupilli nomine indebitum solvit, impubes condictionem habet. *ut hic.* Hoc ita nisi tutor finita jam tutela, quod plus debito solvit, pupillo imputaverit, tunc enim ipse condictionem habet, *l. ult. §. 1. infra eod.*

Ad l. servo. 58.

SErvo manumisso fideicommissum ita relictum est, si ad libertatem ex testamento pervenisset, post acceptum fideicommissum pronunciatus est ingenuus, indebiti legati repetitio est. *ut hic.* Quid ita? quia conditio defecit; ingenuo nimirum libertas ex testamento obtingere non potest. Quod verò hoc loco ea occasione ab alijs tractatum est, an non conditio impossibilis vitiet stipulationem, id nos alibi tractamus. *infra in l. si Mævia. 45. de Hær. Inst.*

Ad l. Iulianus. 60.

1. *Argumentum huius legis.*
2. *Conciliantur diversa argumenta. & num. 3.*
4. *Res judicata quatenus pro veritate st. & quatenus veritatem immutet vel minùs.*
5. *Quomodo accipiendum quod dicimus sententiam in eum qui pendente lite solvit, absolutori iam dandam. & num. 6.*
7. *Expli-*

7. *Explicatio §. primi huius legis. & num. 8.*
9. *Confutatur sententia Doctorum, glossa defensa.*

VErus debitor † qui debiti eius nomine accepto judicio solvit, 3.
non repetit, idque ita sive absolutus sive condemnatus postea esset, *ut hic. allegatur suprà in ijs quæ ponimus ad l. 40. h. t.* nam & si condemnaretur præstandum esset, & si absolutus esset, natura tamen debitor foret. Nec mutat quod dicimus † solventi in dubio re- 4.
petitionem dari. *l. sufficit. ubi notat. suprà eod.* id enim ita quando evenire potest ut aliquo casu debitum omnino non sit; quod in proposito non ita est. Minusque ad † rem pertinet quod aliàs relatum 5.
est, rem judicatam pro veritate haberi. *l. res judicata. de Reg. Iur.* hoc enim ita civiliter, sententia tamen substantiam rei non tollit, sed id tantum quod est, vel non est, declarat. *l. sicuti. §. sed si quæratur. Si Seru. Vind.* Vnde ipsa quidem † veritatem non constituit, sed sim- 4.
pliciùs dicitur pro veritate esse. *d. l. res iudicata.* ipsamque adeo non immutare, *l. exceptio. de* Excep. *Rei Iud. l. si superatus. §. fin. de Pign.* Magisque est reum eo casu ab observatione judicij absolvendum esse. *§. fin. Inst. de Perp. & Temp. Excep.* ut re ipsa judici non incumbat eũ in posterum cõdemnare. Planè quod † alij perhibent eam senten- 5.
tiam tantum absolutoriam ab instantia esse, *Bart. Bal. Cast. Ias. hic. per tex. in §. fin. Inst. de Perp. & Tem. Exc.* id cum moderamine accipiendum ut eadem tamen habeat vim definitivæ, *Cost. hic.* Quando enim debitum per solutionem ipso jure tollitur, parum concinnè facturus judex videatur qui sententiam verbis definitivis conciperet, quippe quam conformem libello esse oportet, is autem tempore litis acceptæ fundamentum habuit. Proinde † quòd ad for- 6.
mam attinet, sententia absolutoria est, quod ad effectum definitiva.

§. 1.

VBi autem † quis quod purè debet, sub conditione novandi a- 7.
nimo promisit & interim solvit, repetit, cum incertum sit an debiturus sit. *per hunc text. & l. sub conditione. suprà eod.* Sed si diversæ personæ una quidem purè debeat, altera verò novandi animo sub conditione promittat, is qui purè debet, solvens non repetet. *ut hic. fac. l. pecuniã. de Reb. Cred.* Et id simpliciùs huius loci argumentum est & ab Accursio intellectum. Postrema † igitur huius capitis 8.
verba hæc (*Sed hoc dissimile est. In stipulatione enim pura & cõditionali eundẽ debiturũ certũ est.*) ita accipienda sunt, ac si dicat juris author, sed hoc in casu posteriori non ita est, cùm ad condictionẽ indebiti in stipulatione pura & conditionali parandam in utraque obligatione

eundem

9\. eundem oporteat esse debitorem. Planè quod + ceteri diversum statuunt, & eo quoque casu soluti repetitionem esse. *Costal. hic qui ait id omnes contra Accursium tenere.* id minùs probandum est, licet enim novatio debitum civili ratione tollat, manet tamen obligatio naturalis ex persona primi, ut recté dicamus, solutum ob eam causam non condici. Hoc autem dici non potest, quando inter easdem personas novatum est, quia eo casu novatio inter eas efficit, ut obligatio eadem videatur, mutatà tantùm qualitate. *per hunc text.*

Ad l. in summa. 65.

§. 1.) QVod hîc dicitur, si evidens calumnia detegatur, non obstante transactione condictionem quoque hanc dari, id Baldum movit, ut diceret transactionem, cui dolus causam dedit, ipso jure nullam esse. Sed hoc quatenus ita sit, explicamus suprà *in l. & elegamter. §. non solum, de Dolo.* Illud constat, quod ad effectum attinet, parum referre utrum transactionem per dolum sublatam dicamus, cum &, si ponas eam sublatam non esse, pacti exceptio replicatione doli elidi queat. Denique & expeditum est, si transactio falsis instrumentis extorta sit, illam rescindi. *l. pen.* C. *de Transact.*

§. Ei qui indebitum.) Quos fructus restituat qui indebitum accepit tractamus infrà suo loco *in l. videamus. de Usur.*

§. Si servum penult.) Qui servum alienum indebitum accepit, eumque manumisit, si sciens hoc fecerit, tenetur ad pretium, si nesciens, non ultra quàm ad operarum emolumentum, & si fortè quam hæreditatem per eum sit adeptus. *ut hic.* In quo textu quod de scientia dicitur, id de scientia accipiendum est, quam habuit manumissor tempore manumissionis. nam si eum tempore servi traditi alienum esse sciverit, dominium non transfertur, eoque nec manumissio valebit. Furtum enim fit cum quis sciens indebitum accipit. *l. quoniam. 18. infrà. de* Condict. *Furt. l. falsus. 43. §. 1. de Furt.* ad manumissionis tamen substantiam satis est, ab initio accipientem fuisse in bona fide. *ut hic.*

§. Final.) Ad hujus §. intellectum vide quæ ponimus suprà, *in l. 19. §. 1. eod. tit.*

l. Hæc condictio. 66.

Relata est suprà ad princip. l. 1.

Ad l. ult.

§. 1.) Relatus est suprà *in l. 57. ad princ.*

§. Final.

SI quis minori pecuniam credidit, & ab eo aliquid usurarum nomine accepit, posteaque minor contra creditorem restitutus sit, nullâ factâ usurarum mentione, quæritur an usuræ repeti queant? responsum est non repeti *ut hic.* Ratio est, quia restitutionis beneficia, tanquam contra juris ordinem introducta, strictiùs accipimus. Nec mutat igitur quod dicimus, sublatâ obligatione principali, & causam eius accessoriam tolli. *l. novatione. 18. l. emptor. 27. de Nov.* Quia hoc in ijs est in quibus obligatio soluta est ipso jure, quod in proposito non ita est.

DE CONDICTIONE SINE CAVSA.

TIT. VII.

Ad l. 2.

1. *Aestimatione à me præstita quæ actio mihi detur, re ad dominum redeunte.*
2. *Quid juris sit hac de re in actionibus in rem.*
3. *An is qui ex causa judicati solvit si re ipsa non debeat, solutum condicat.*

SI quo casu res cuius æstimationem præstiti, ad eum † redierit, 1. cui ex bonæ fidei contractu obligatus æstimationem solvi, condictione sine causa, vel pristina actione contraria pretium repetam, *ut hic.* quia nimirum causa præstiti pretij redijt ad non causam, *ut in l. 1. in fine. suprà. h. t.* Si tamen ex contractu agatur, propè est ut alternativè procedendum sit, ad pretium inquam, vel rem ipsam. *l. in commodato. 17. §. fin. inf. Commod.* Hoc † ita in actionibus in perso- 2. nam, quia in realibus qui æstimationem solvit, desiderare potest ut sibi actio à domino cedatur. *l. si culpa. 63. de Rei Vind.* Sed & si cessio non fiat, tamen is qui æstimationem solvit, quasi causam emerit, ipse quoque utilem rei vindicationem intentare potest. *d. l. 63.* Solutio enim æstimationis pro emptione habetur. *l. 3. Pro Emp.* emptor autem actionis istam ipsam hodie exercet utiliter, idque sine nova cessione. *l. emptor. 5. l. postquam. 7. cum simil. b. C. de Her. vel Act. Vend.* An verò † is qui ex causa judicati solvit quod non de- 3. bebat, repetere possit, alia quæstio est; quam & nonnulli hoc loco tractant, sed nos de ea infrà agemus. *in l. cum ex causa. 11. de Appel.*

Ad l. ult. §. fin.

SI dos data sit ei quæ matrimonium de quo agitur sine incestus crimine contrahere nequit, quæsitum est, an datum repeti queat? & magis est repeti per condictionem sine causa. *ut hic*, vel saltem per condictionem ob causam dati. *l.* 1. *C. de Condict. Ob. Caus. dati.* Repetit verò is qui dedit, vel mulier, si alius ei ipsi donaturus dederit. *l si extraneus* 10. *in princ. l.* 9 *in princ. suprà. de Condict. Caus. Dat.* Id ita si ignorantes sponsalia contraxerint. namque aliàs quod eorum causa datum esset, redigeretur in fiscum. *l.* 4. *C. de Incest. Nup. Novel.* 12. *c.* 1.

LIBER DECIMVS TERTIVS.

DE CONDICTIONE FVRTIVA.

TIT. I.

Ad l. 1.

1. *Condictio furti soli domino parata est.*
2. *Tutor & curator an hanc actionem habeant.*
3. *Si non domino res subrepta sit condictionem incerti habet.*

1. IN re furtiva [1] soli domino condictio competit, *ut hic*. Idque in ea actione singulare est, cum regulariter propria condictio nemini rei suæ nomine parata sit. *§. sic itaque.* 13. *Inst. de Act. l. ult. supra. de Vsufr.* vide *Subtil. nostras. lib.* 4. *tit.* 8. Tutor [2] tamen vel curator, quia pro dominis sunt, hoc modo condicunt rectè. *l. interdum. §. pen. vers. condicere. de Furt.* Denique si creditori, possessori aut alij [3] non domino qui jus in rem habet, ista ipsa subrepta sit, magis est, eum condictionem incerti habere, *l. & ideo.* 12. *§. fin. infra eod. l. verum.* 25. *§.* 1. *de Furt. ubi Bartolus.* Qua ratione & alibi responsum est, creditorem, quod condictione ob rem sibi surreptam nactus est, debito imputare, *l. si pignore,* 22. *infra. de Pign. Act.*

Ad l. proinde. 6.

CVius ope consilio furtum factum est, etsi fortè teneatur, non tamen tenetur condictione furtivâ, *ut hic.* Si verò fur solvendo

do non sit, etiam in eum condictio erit, *l.* 4. §. *si opem. infra. de Pecul.* Non mutat l. sæpe, 53. §. fin. de Verb. Sign, ubi ex eis quorum ope consilio factum est, alteri condici posse, alteri non posse relatum est, id enim ibi proponitur ex sententia Labeonis, quæ tamen statim communi juris authoritate dicitur absoleta. Quanquam materia eius loci propriè ea sit, an verba hæc ope consilio, alterum sine altero, intelligi queant ad furti delictum committendum.

Ad l. si pro fure 7. §. fin.

1. *Hæres furis condictione furtiva tenetur in solidum.*
2. *In rei vindicatione idem*
3. *Itemque in actionibus ex contractu vel quasi.*
4. *Cujacius confutatus.*

HÆres furis condictione † hac in solidum tenetur, etiamsi res ad illum non pervenit. Ratio est odium furum, *ut hic. & l. 9. infra eod. §. fin. Inst. de Obl.* Ex *Del.* Namque aliàs hæres ex delicto defuncti non tenetur in amplius quàm ad eum pervenit. *l. ult.* C. *Rer. Amot.* Sed & in rei † vindicatione obtinere constat, ut si quid à defuncto fortè dolo vel culpa sit commissum, id hæres præstet. *l. si in rem.* 42 *de Rei Vind.* Idemque est in † actionibus ex contractu vel quasi contractu. *l. ex contractibus. 48. l. ex depositi.* 11. *de Obl & Act.* At hoc quod de condictione furtiua dicimus, omnes probant, *gl. Bart. DD. hic. & d l. 9. infra* Ceterùm Cujacius disputandi causâ diversum † tentat, Ob id quod alibi relatum est, condictionem hanc morte tutoris interire. *l. si tutor.* 9 §. *fin. cum l. seq. de Tut. & Rat. Distr.* sed quia ibi non modo de hac actione, sed & de actione furti, & damni injuriæ tractatur, id pro materia subjecta de ijs actionibus solis accipi oportet, quia certum est condictionem hanc in hæredem dari. *per d. l 9. inf.* Auget sententiã, quod l. 10. de Tut. & Rat. Distr. ex Paulo translata est, cũ c. præcedens ex Papiniano sit, ut probabile fiat, non ita infinitè ea actionum genera à Paulo relata, ut retulit illa Papinianus. Obstat quod eadem propè ratio est patris succedentis in peculio, quæ est hæredis in actionibus ex delicto *l. ex pœnalibus.* 58. *de Regul. Iur.* Pater interim de peculio non ultra tenetur hac actione quàm ad eum pervenit. *l.* 3. §. *penult. de Pecul.* Sed respondemus, regulare esse, ut filiusfamilias solus hac condictione teneatur, quia eadem nemo tenetur quàm qui furtum fecit aut eius hæres, *l. 5. supra eodem.* itaque nec in patrem datur, nisi fortasse ex furto quid apud illum sit. Planè quod rerum

amotarum actio non in solidum contra hæredes parata est, *l. ult. C. Rer. Am.* id minus mirum est, quia & alia benignius in eo judicio quàm condictione furtiva admissa sunt. *Anton. Fab.* 4. *Conject. c.* 1. *Bronchorst. Cent.* 2. *Q.* 39. Probabilia proinde quidem argumenta Cujacij sunt, sed ad textum frangendum minimè demonstrativa. *Cujac.* 7. *Obs.* 37. Et rectè dicimus cum juris authore, multa in jure nostro contra rationem disputandi introducta esse.

Ad l. in re furtiva. 8.

DE periculo rerum nostrarum quæ apud alios sunt vel fuerunt, suprà abundè tractatum est, *ad l.* 5. *de Reb. Cred.*

Quod verò hic relatum est, re peremptâ nihilominus durare condictionem æstimationis, id respectu effectus intelligi oportet. Quantum enim ad formam agendi attinet, certum est, etiam re perempta, ipsam nihilominus petendam esse. *l. si servum* 91. *§ fin. de Verb. Obl.* cùm perinde habeatur ac si res extaret. *l. nemo* 82. *§.* 1. *de Verb. Obl.* Sed & effectus intuitu æstimatio ipsa tanquam debita constitui potest. *l promissor.* 21. *in princ. infrà. de Const. Pec.*

§. 1.

ET quod hic simpliciter dicitur, in condictione furtiva æstimationem ad id tempus referri, quo res unquam plurimi fuerit, repugnare videtur l. 2. §. quæsitum. de Priu. Del. ubi definitur condictionem furtivam retro non egredi judicij accepti tempus. Sed subintelligendum est, nisi res etiam diutius antè fuisset contrectata. Illud enim ibi ex opposito actionis Legis Aquiliæ relatum est, nimirum ut in ea retro æstimatio referatur ad annum elapsum, ita non fore in condictione furtiva, quæ ipso scilicet jure non egrediatur tempus judicij accepti, vel moræ, si ea antè commissa fuit. *vide quæ nos latissimè suprà in l. vinum, de Reb. Cred.*

Ad l. in condictione. 9.

Vide quæ ponimus suprà *ad l.* 7. *§. fin. h. t.*

Ad l. sive manifestus. 10. §. fin. l. 11. & 12.

QVi rei sibi subreptæ dominium amisit sine facto suo, condictionem retinet; si facto suo amisit, condictio cessat. Quamobrem hactenus rectè in re communi distinguitur, ut si furtum passus provocaverit ad judicium communi dividundo, condictione furtiva non amplius agere possit, si verò ipse sit provocatus, illam retineat.

neat, *ut hic in l.* 12. Sed hoc non obtinet, si cui servus furtivus sub conditione legatus sit, & ejusdem nomine lite jam contestatâ condictio exstiterit. absolvitur enim hoc casu fur, etiamsi sine facto hæredis, servus pervenerit ad libertatem, *l. si servus.* 14 *hic.* eam enim alienationem quodammodo hæres fecisse censetur, quod is eandem pene cum defuncto referat personam. *Novel.* 48. *princ.*

Ad l. si servus, 14.

PRincipium huius l. relatum est in ijs quæ ponimus ad legem 10. & sequentes. h. t.

In quo & hoc observandum, quod perhibent condictionem cessare, quia desierit hæredis interesse servum furtivum recipere. *ut hic.* Non tamen ea ratio semper hanc actionem tollit, quia & quandoque re sublata, nihilominus eadem datur pro recipienda æstimatione. *l. inter omnes* 46. *vers. hoc idem. infra de Furt.*

QUOD SI PENDENTE.) Res quæque tanti æstimanda est, quanti ea commodè vendi potest; *l.* 1. §. *si hæres: Ad SC. Trebell. l. si quis uxori,* 52. §. *penult: de Furt.* idemque est in re legata sub conditione. *ut hic.* Nec mutat l. in legato, 45. Ad L. Falc. quia quod ibi Proculus reprehenditur non in eo fit quod legatum conditionale tanti sit æstimandum quanti vendi potest, quasi scilicet pluris aut minoris æstimandum sit: sed in eo notatur, quod æstimatio ineunda referri non debet ad tempus præsens, sed ut res interim cautionibus provideatur, & referatur ad id quo vendi possit, conditione existente.

Ad l. parvi. 17.

AD tollendam condictionem furtivam vel novatione vel oblatione, nihil interest præsens res furtiva sit an minus. *ut hic.* Id ita, nisi pereat priusquam promissor facultatem habeat restituendi: tunc enim, quia res abest, non censetur eam obtulisse. *l. qui decem,* 72. §. *idem responsum, infra. de Solut.*

DE CONDICTIONE TRITICARIA.

TIT. III.

Ad Rubr.

COndictio triticaria unde dicta sit, variatum est. Accursius eam ab authore Tritico dictam censet, ut & Pauliana ac Fabiana ab

authoribus dictæ sunt suis. *gl. hic. quam sequuntur Bart. Duar. & Donell. in princ. num. 2. h. t.* Nam quod alij eam à tritico dictam putant, *Cujac. Stephanum secutus.* id minùs mihi probabile fit, quia ne quidem ulla tritici mentio fit in enumeratione eorum ob quæ illa parata est. *hic in l. 1.*

Ad l. 3.

1. De tempore æstimationis remissivè.

2. Condictionem Triticariam non esse stricti juris, sed arbitrariam. & num. 3.

1. QVæ hic disseruntur † de tempore in æstimatione rei condictione postulatæ, suprà latiùs exposita sunt, *in l. vinum, 22. de Reb. Cred.*

2. Sed & argumento huius † textus constat (quod alibi docemus) condictionem Triticariam non manere stricti juris. Quia enim nulla re in hac actione minor judicis potestas est, quàm arbitrarijs ceteris. *ut hic.* meritò dicimus eam quoque talem esse. Bonæ fidei eam esse nemo dicet. *per not. DD. in §. actionum. Inst. de Act.* Stricti verò
3. juris eam non esse † ex hoc evincitur, quod in actionibus eius generis judex nihil amplius potest, quàm vel partium conventione expressâ, vel certo actoris jure reus præstare tenetur. *not. in l. quicquid 99. de Verb. Obl. & in fine Inst. de Obl. Ex Conf.* Id quod interest verò & æstimatio rei ex facto judicis subtilitate desumenda, non est certa, priusquam judex de ea sit arbitratus. *fac. tot tit. C. de Sent. Quæ Pro Eo Quod Inter. Prof.* Ergo quæ actiones cognitionem eius admittunt, non sunt strictæ. His adde quod *ex l. ult. infra eod.* constat, æstimationem etiam in hoc judicio tam ad loci quàm temporis utilitatem referendam; perinde nimirum ut de actione arbitraria peculiari nomine sic dicta, relatum est infrà. *in l. quod si Ephesi. 4. inf. tit. 1. vide quæ asseruimus latè. lib 6. Subtil. c. 1.* Atque id Cujacio quoque probatum est, *trac. 3. ad Afr. in l. 8. de Eo Quod Certo Lo.* & Vulteius sequitur. *lib. 2. Iurisp. Rom. c. 4. num. 6.*

l. ult.

Relata est in l. 3. suprà eod. & pertinet ad posita in in l. vinum. de Reb. Cred.

DE

DE EO QVOD CERTO LOCO DARI OPORTET.

TIT. IV.

Ad l. 1.

1. *Causa huius edicti & actionis.*
2. *Vtilis hæc actio quare dicatur.*
3. *An qui loco constituto non solvit, quocunque loco conveniri queat.*
4. *An remissiones à judicijs ad judicia hodie frequententur.*

IVre nostro † qui olim alio loco postulabat quàm quo reus solvere tenebitur, plus loco petebat. Neque igitur videbatur facultas esse alibi agendi. Sed quia id iniquum foret, quod per absentiam rei actor vel perpetuo jure suo posset frustrari: utilis actio hæc inventa est. Vtilis ideo † dicta, quia utiliter alibi exercetur, *gl. hic.* & introducta est ex æquitate ob impeditam, per cessationem rei, prosecutionem actionis directæ. *Cujac. in l. 1. infrà. eod. Tract. 8. Ad Afr. Donell. hic. num. 4.* Sed quæsitum est, an qui loco † constituto non solvit, quocunque loco, an verò tantum idoneo conveniendus sit? magisque est locum tantum idoneum permitti. *l. hæres. 19. §. fin. suprà de Iudic gl. hic. communem dicit Ias. seq. Costal. hic. itemque Duar. c. 4 h. t. Donell. hic. num. 6.* Bartolus tamen hoc in dubium trahit, *Bart. hic. num. 2.* Movet eum quod alibi relatum est, eum qui loco convento non solvit, quocunque loco conveniri posse. *l. eum qui. 43. de Iudic. l. si duo. 16. §. 1. infra, tit. 1.* Sed hoc non mutat, tametsi enim id indifferenter relatum est, sic tamen accipimus, si locus judicij sit idoneus. *l. gradatim. 11. §. 1. de Mun. & Hon.* Remissiones tamen hodie minùs frequentantur. Quod † quidem Iure Canonico cautum est. *c. Romana. §. contrahentes. de Foro Comp. in 6.* sed à nobis latiùs explicatum. *in l. 1. num. 5. 6. & 7. de Indic. supra.*

1. 2. 3. 4. *Iure Canon. remissiones non usitatæ.*

Ad l. 2.

1. *In actione arbitraria cuius utilitas habeatur.*
2. *Quomodo rei utilitas consideretur.*
3. *Rei moram suam non prodesse.*

4. Quate-

4. *Quatenus accipiendum sit quod dicimus utilitatis rationem habendam.*

5. *Quid juris si actor fuerit in mora.*

6. *Iudicis authoritas in hoc judicio.*

7. *Explicatur §. si quis Ephesi. & quando in civili aut criminali actione loci adjectio è libello omitti possit.*

1. ARbitraria actione tam actoris quàm rei utilitas † contenta est. Ita nimirum rei, ut si eius pluris intersit suo loco solvisse, idque quò minùs fieret per actorem effectum sit, condemnatio mi-
2. noris fiat. Et hoc inter omnes constat. Quid ergo si † reus fuerit in mora, an perinde ratio eius habenda sit, si ipsius intersit? puta quod res eo tempore ac loco minoris ab ipso potuerit præstari, videamus: & id quidem Ioanni (aliter quam Irnerio ac Placentino) visum est, quem & nostri sequuntur, *gl. & Bart. Wesenb. in Comm. huius tit. num. 6.* Ratioque perspicua est, quia actor modò etiam plus petendo quàm res tempore ac loco solutionis fuit, plus loco peteret. *arg. §. plus peteret. Inst. de Act.* Præterea movet, quod jus utilitatis eius reo semel quæsitum est. *ut hic in §. nunc de officio pen.* ideoque eadem illi ex consequenti auferenda non videtur. *arg. l. ult. supra. de Pact.* Quod igitur Cujacius absurdum perhibet, hactenus morosi rei rationem habendam, *tract. 3. Ad Afr. in l. Centum Capua.* profectò à viro doctissimo vix satis accuratè puto esse cõscriptum. Cum quia spectatur quod revera interest creditoris suo loco recepisse, *§. fin. infra eod.* id autem locum ac tempus solutionis excedere non debet, tum quia rei conditio in odiosis non est nimium gravanda. *Donell.*
3. *hic, num. 6.* Neque tamen † inde sequitur, moram suam reo prodesse, *contra l. 173. §. pen. de Reg. Jur.* quia nocet nihilominus, cùm è diverso in eodem casu multo amplioris interesse actoris possit quàm rei, & rursus nocet in actione ipsa continuanda. Et ab hac sententia, uti principijs juris conveniens in judicijs non est discedendum.
4. Denique & † quod dicimus, utilitatis rationem habendam, id ita accipi oportet, si reo culpa vel mora queat imputari. Nam si vi majore belli vel tempestatis detentus non comparuit, contrarium erit. *l. continuus. 137. §. 2. infra. de Verb. Obl. gl. hic in princ. Wesen. d. num.* 6. Id enim quod interest in hac actione, culpæ vel moræ quasi pœna est. *l. ult. inf. eod.* quam non meretur extra culpam constitutus. Per-
5. inde dicendum est, si actor † non minùs quàm reus in mora fuerit, quia receptum est, moram morâ compensari. *l. 10. de Compens. junc.*
6. *arg. l. 9. in fine de Usur.* Sed est hac † in re magna semper judicis authoritas, *d. l. continuus. §. 2.*

7. Si

§. Si quis Ephesi.

QVi Ephesi decem aut Capuæ † hominem dari stipulatus est, non debet detracto altero loco experiri, ne auferat reo utilitatem loci. *ut hic.* Hoc ita nisi alterutro locorum agatur, tum enim & ita experiri licebit sine loci alterius adjectione, *ut constat ex §. Scævola. 1. infrà hic,* Sed id æqua ratione temperatum est, nisi intersit rei locum adjici. *Costal. post Bart. Bal. & Ang. hic.* Quemadmodum & idem statuunt, in accusatione criminali, licet aliàs in ea locum delicti exprimere non sit opus. *ad quod allegant, l. libellorum. de Accus. §.* Nunc de officio.) Relatus est in ijs quæ ponimus suprà in princ. huius l.

Ad l. quod si Ephesi. 4.

1. *Qui certo loco debet ibidem conventus in solam summam damnandus est.*

2. *Vtilitas temporis quod hic habenda dicitur, id torsit interpretes, sed non rectè.*

3. *Sententia authoris de ea re. & num. 7.*

4. *Iudex quantum possit in judicijs strictis, & eadem quoque ex utilitate temporis fieri arbitraria. & nu. 5.*

6. *Explicatur l. 76. de V. Obl.*

QVi certo † loco dare promisit, ibidem conventus, in solam summam promissam condemnandus est, nisi quid ultra convenerit, vel accesserit temporis utilitas. *ut hic.* Sed hoc interpretes † torsit, quod ibidem etiam utilitas temporis habenda dicitur; proinde Accursius hæc verba, *Nisi quod esset stipulatus, vel si temporis utilitas intervenit,* conjunctim accipit. *gl. hic.* Haud enim ex sola cessatione temporis actionem illam arbitrariam putant, *gl. & Ias. hic. Donell. ibid. num. 4.* quod non † admittimus, cum hic separatim de utilitate temporis mentio fiat verbis desertis? Cui adde l. si fundum. 114. de Verb. Obl. ubi & perinde in condictione fundi eius quod interest ratio admittitur, *& in l. ult. suprà. tit* 1. Quæcunque autem actio stricti juris, cum ad æstimationem eius quod interest venitur, fit arbitraria. Certum enim est † in stricti juris judicijs judicem nihil amplius posse, quam licet ex partium conventione, vel liquido certoque actoris jure reus præstare tenetur. *not. in l. quicquid. 99. de Verb. Obl. & in fin. Inst. de Obl. Ex Conf.* Quando igitur hoc casu eius quod interest ratio habenda est, *ut hic. & ad d. l. ult. tit.* 1. *d. l.* 114. *de Verb. Obl.* ea verò necdum per judicem finita, semper incerta est.

tit. C. de Sent. Quæ Pro Eo Quod Interest Prof. rectè dicimus certi condictionem ex temporis quoque utilitate fieri incertam. Stricti enim juris non manet, arbitraria igitur fiat oportet. Atque hoc etjam Cujacius probavit. *tract. 3. ad Afr. ad d. l. Centum Capua. inf. eod. ubi plenè v. Subtil. nostras. lib. 6. c. 1.* Et verò hæc sententia quia causas contentionum omnes tollit, tanquam benignior, amplec-
5. tenda est. Nec mutat † l. si filiusfamilias. 78. de Verb. Obl. ubi statuitur cum quis fundum stipulatus est, non venire fructus qui stipulationis tempore in eo fuerũt, quia enim hi ne quidem ob moram incerti condictionem veniũt, *l. 4. in prin. & l. videamus. 38. §. si actionẽ. 7. de Usur.* id ex propria stipulationis naturá fit; non tamen ob hoc ratio eius quod interest fundum antè recepisse, consumitur. *per tex. in d. l. 114. de Verb. Obl.* Et quidem an in stricti juris judicijs fructuum ratio habenda sit, alibi commodiori tractamus occasione. *vide. quæ nos in l. 4 de Usur. & lib. nostrum. de Off. Iud. c. 7 num. 41.*
6. *42. 43. 44. 45.* In proposito enim satis est † docuisse, in actione ex stipulatione ob moram eius quod interest rationem haberi, & condictionem certi quoque ob moram admittere rationem eius quod interest, eamque hac occasione arbitrariam fieri. Itaque condictio
7. quidem certi, ubi illa competijt, instituenda est etiam in perempta. *l. si servum. 91. §. fin. de Verb. Obl.* res tamen ita censetur ac si æstimatio condicatur, *l. 8. sup. de Con. Furt.* cum res ad effectum eum deveniat, si judex rem restitui jubens, deprehendat eam non exstare, *l. qui restituere. 68. de Rei Vind.* In proposito igitur sufficiat, id docuisse, in actione ex stipulatione ob moram, eius quod interest rationem haberi, *d. l. 114.*

1. *Argumentum huius §.*
2. *Conciliatur oppositum.*

1. §. Interdum.) QVia hæc † actio arbitraria est, judex ex causa reũ interdum absolvere potest, de pecunia ibi paulo pòst solvenda, ubi id futurum convenerat. Verbi gratiâ, si fortè ibi pecunia dicatur actori oblata vel deposita, vel facilè solvenda. *ut*
2. *hic.* Nec mutat quod aliàs dicimus, futuri † temporis tractatum ad judicem non pertinere, ideoque nec cautiones de futuro interponendas esse, quia id ita est, quando non subest justa causa rectè cautiones interponuntur, *l. in omnibus. 41. de Iudic.* perinde & in arbitrarijs. *ut hic.*

Ad

Ad l. Centum Capuæ. 8.

1. *Actio Arbitraria perinde datur in fidejussorem, ut in principalem.*
2. *Quomodo hoc accipiendum sit. & num. 5.*
3. *Fidejussor in utilitatem ob moram accidentẽ non tenetur.*
4. *Ampliatio eius rei.*
6. *Conciliatur l. mora. 88. de Verb Obl.*
7. *Conciliatur l. quæro. 54. Locati.*
8. *Ratio definitionis in hac l.*

ACtio arbitraria † perinde in fidejussorem datur, ac creditorem ipsum. *hic in princ.* Sed hoc ita ne fidejussor ante conveniatur quam reus in locum constitutum venire possit. inest enim dies hæc obligationibus hujusmodi tacitè. *l. 2. §. qui ita. 6. sup. eod.* Adeo ut nec conveniri fidejussor queat priusquam & ipse eodem pervenire potuisset. *l. si testamento. 49. §. fin. de Fidejuss.* 1. 2.

Vers. Nec oportebit.) Quod dicimus fidejussorem † actione arbitrariá teneri, id ita accipe, ut ob hoc tamen non in amplius condemnetur propter moram rei. *tex. hic. & l. fin. inf. eod.* quia pœna rei fidejussoriam obligationem regulariter non auget *l. 68. §. 1. l. fin. inf. de Fidejuss.* Idque usque ita † est, ut si post moram à reo commissam actionis huius nomine fidejussor accipiatur, non ultra sortem conveniendus sit. *d. l fin inf. eod.* Proinde lis adversus eum non aliter † tanti æstimatur quanti interest actoris, Capuæ potiùs quàm alibi solvi, quàm si & ipse fidejussor fuerit in mora. *per tex vers. nec oportebit. hic. facit l. si testamento. 49. §. fin. inf. de Fidejuss. gl. Bart. DD. hic.* Aliàs igitur in promissam summam tenebitur solam, & mora rei non nocebit fidejussori. *ut hic. & l. fin. inf.* Quibus opponi † solet l. mora. 88. de Verb. Obl. qua mora rei fidejussori nocere finitur verbis disertis. Sed hoc in perpetuanda obligatione, ut nimirum fidejussor rei interitu non liberetur. *l. si à colono. 58. §. 1. de Fidejuss.* non ut fidejussor ob hoc in amplius conveniatur. Opponi etiam † solet l. quæro. 54. in princ. locati. ubi propter moram rei fidejussor etiam in usuras definitur teneri; Sed ibi proponitur se unà obligasse in omnẽ causam. Regulariter enim contra esse ex eodem tex. patet, Ex quo constat quia usuræ in bonæ fidei judicijs non tã ex obligatione proficiscuntur, quã officio judicis, ideo regulariter in illas fidejussorem simpliciùs acceptum nõ teneri. Atque hæc est ingenua horũ capitũ cõciliatio. Quæ quia diversis interpretibus diversimodè tentata est: tutius est inanes plerorũque operas hactenus omittere, 3. 4. 5. 6. 7.

quam futiliter iisdem tempus perdere. Ratio verò qua † constat his legibus simpliciùs in causam principalē obligationem contractam, est ea, quia hic de stipulatione natura sua stricti juris agitur, in cujus obligationem regulariter nihil venire quàm id quod expressè actum est, constat. *not. in l. 99. de Verb. Obl.* quod in opposita lege 54. qua de locatione bonæ fidei agitur, non ita est, etiamsi verbotenus non in omnem causam obligatio concepta videtur. *Donell. hic.*

Ad l. is qui penult.

1. *Qui certo loco solvere tenetur, invito stipulatori alibi solvere nequit.*
2. *Quid si duplex loci adjectio sit.*
3. *Conciliatur l. continuus. 137. §. cum ita, de Verb. Obl.*

1 QVi certo † loco solvere obligatus est, invito stipulatori alibi solvere nequit. *tex. hic.* Plane si duplex loci adjectio sit, in al-
2 terutro reus † conveniri potest, sed & ipse potest alterutro priusquam in altero conveniatur solvere. *l. 2. §. Scævola suprà eod. vide*
3 *quæ nos in d. l. 2. §. si quis* Ephesi *suprà eod.* Nec † mutat l. continuus. 137. §. cum ita verb. vel quia ubique potest solvere. *de Verb. Obl.* id enim ita est, volente creditore. In proposito verò de stipulatore invito agimus. Elapso enim tempore quo commodè reus in locum solutionis venire potuisset, etiam alibi conveniri potest. *l. hæres. 19. §. fin. de Iudic.*

l. ult.

Relata est & exposita in l. centum Capuæ. sup. eod.

DE CONSTITVTA PECVNIA.

TIT. IV.

Ad l. 1.

1. *Actio ex Constituto à Iure Prætorio est & quare. & num. 2.*
3. *An ex pacto geminato actio sit.*

Cui

CVi debitum † constitutum est Iure Prætorio ex constituto habet actionem, idque ob naturalem æquitatem. *text. hic.* Quod vel maximè hodie † ita est, quia edictum Prætoris ex compositione Iuliani priùs, & pòst compilatione Triboniani juris perpetui authoritatem habet; eoque constitutum effectum sortiri instar pacti legitimi, censeri utcunque potest. *per l.6. suprà. de Pact.* Planè quod nonnulli hinc † colligunt, ex pacto quovis geminato actionem nasci. *Costal. post alios hic.* id ita quidem est quando partium consensu super pacto priori constitutum initur. Quoties verò id aliàs ita fit, judicis arbitrio relinquimus. Neque enim ex quovis pacto temeratio vel geminato actionem damus. *vide quæ noto in l.1. sup. de Pact.*

1. *An inutilis stipulatio valeat ut constitutum.*
2. Conciliatur *l.27. §. pen. de Pact.*
3. *An & quatenus vera regula sit, quâ dicimus, si quod ago non valet ut ago, valet tamen ut valere potest.*

§. Eum qui.) QVi stipulari † sibi voluit, non constitui, inutili stipulatione constituti actionem non parit. *tex. hic.* Nec mutat † l. si unus. 27. §. pen. suprà de Pact. ubi acceptilatio inutilis valet in vim pacti de non petendo: hoc enim ideo quia exceptio faciliùs paratur quàm actio. *gl. hic.* Ceterùm si † ex hoc vel illo textu argumentum generale colligam, Quod non valet ut ago, valere tamen ut valere potest, officio interpretis minùs rectè fungar. Sunt quidem species complúres quibus id quod ago non valet ut agere decrevi, valet tamen ut valere potest. *ut in d. l.27. §. pen. l. cum emptor. de Rescin. Vend. l. si accepto. de Accept. l. Scævola. 76. ad* SC. *Trebell. l. ex ea. §. 1. de Testam. l.3.* C. *Theodos. de Testam.* Ex adverso sunt species aliæ, Quibus quando id quod ago non valet ut ago, ne quidem jure valet ut quodammodo posse ex eo quod superest è negotio, valere videatur, *ut hic. & l.1. §. si quis ita. de Verb. Obl. l. verbis civilibus. & l. in pupillari. de* Vulg. *& Pupill. Subst. l.1. de Jure Codicil. l. fideicommissum. §.1. de Leg.3. l. ex testamento.* C. *de* Fideicomm. *& alibi.* Quæ omnia in singulis speciebus diversè, pro diversitate specierum sunt observanda, nec altera alteris opponenda.

Ad l. 3.

1. *Si maritus plus in dotem constituat quàm facere possit, quid juris.*
2. *Quid tamen si plus quàm facere queat, solutum sit.*

3. Quid si novandi animo ultra quàm facere potest promiserit. & num. 4.

5. An id constitui possit quod tantùm civiliter debetur.

1. SI maritus plus in dotem constituat quàm facere possit, in solidum quidem obligatus est, ultrà tamen quàm facere potest non
2. est condemnandus. *tex. hic. in princip.* Sed si † vel ipse vel tertius eius nomine plus solverit, re ipsa, cessat repetitio. *l. quod nomine.* 8. *& l. 9.*
3. *sup. de Condict. Indeb.* Quid ergo si novandi animo † ultra quàm facere possit promiserit? Bartolus & in novationis summam condemnandum putat. *Bart. hic.* Costalius contrà *in l. 9. sup. de Condict. Indeb.* cuius sententiam, quia benignior est, in judicando sequimur. Ratio est quia constitutum ac pactum eiusmodi contra bonos mores & debitam reverentiam foret. *l. alia*, 14. §. *fin. Sol. Matrim.* Quæ autem stipulationes eiusmodi sunt, non magis quàm pacta ejusdem generis servanda sunt. *l. stipulatio.* 61. *de Verb. Obl.* quando itaque novatio non alio modo promissionem reformat, quàm quia prioris contractus novandi causa in stipulationem est transfusa: rectè dicimus nec per novationem hanc naturalem reverentiam mu-
4. tari. Nec refert, quod per † novationem obligatio prior tollitur, neque enim eò magis tollitur reverentia morum.
5. Vers. Si quis autem.) Ex hoc textu constat † id quod tantùm jure civili debetur, verbi gratiâ, cum quis actionem jure efficacem habens, exceptione pacti perpetua exclusus est, constitui debitum hoc non posse. *tex. & DD. hic.* Nam quia hoc propter exceptionem perpetuam habetur pro indebito. *l. stichum.* 91. §. *naturalis, de Solut.* rectè dicimus constitutum super eo iniri non posse. *l. 2. vers. ut non erubescat.* C. *eod.* Idemque igitur de cæteris causis è quibus jure civili exigi posset, naturali tamen non debetur, dicimus. *ut per DD. hic.*

Ad l. cum qui.

1. In provincia constituens se Romæ soluturum an & quando tempore legationis conveniri queat. & num. 2.

3. Explicatur hic textus.

1. §. Iulianus. 1.) IN provincia † constituens se Romæ soluturum, paulò pòst legationis causa Romam venit, quæsitum est, an ibidem durante legatione rectè conveniatur? responsum est, revocandi domum jus esse *ut hic in 2. respons.* Idemque est, si quis in loco legationis constituerit quod ante debebat. *l. si quis in legationem.*

nem. 8 de Iudic. Nec mutat † hic textus *1. responso*. quia is obtinet, si legatus Romæ existens quod antè debebatur ibi non constituat simpliciùs, sed & ibidem solvere legationis tempore constituat. Nos autem in specie ea versabamur, qua existens quidem in loco legationis, constituit, non tamen nominatim ibidem se tempore legationis soluturum. *vide & quæ obiter annotamus suprà in l. 8. de Iudic.* Id enim in constituto vel contractu legati solum inspicitur. *l. 3. de Legat.* Nam quod alibi † generatim definitur legatum in loco legationis ob contractum ibidem initum rectè conveniri, *l. si legationis. 25. de Iudic*, id ad constitutum eius debiti quod alibi contractum est, non pertinet. *d. l. 8. de Iudic.* 2.

1. Quomodo accipiendum sit quod dicimus id solum constitui quod debetur.

2. Constituens se pro alio pignus daturum tenetur.

§. QVod exigimus.) Quod dicimus † id solum constitui quod debetur. *d. l. 2. vers. ut non erubescat.* C. *eod.* in rem accipiendum est, nimirum ut non is solus qui debet, sed & nomine ejusdem alius constituat rectè. *ut hic.* Idque usque adeo procedit, ut & de † cōstituto teneatur, qui constituit se pro alio daturum pignus. *l. qui autem 14. §. 1. infrà eod.* nam & res una pro alia ut ex conventione partium solvi, ita & constitui potest: *l. 1. §. an potest. sup. eod.* & faciliùs igitur æstimationem pro re debita constitui receptum est, *l. promissor. 21. in princ. de* Const. *Pec.* 1. 2.

Ad l. sed etsi. 7. §. 1. & l. 8.

SI mihi aut Titio stipuler, Titio constitui suo nomine nequit, tametsi enim ei solvi possit, non tamen ipse actionem habet. Si igitur posteaquam mihi soli constitutum est, solveris Titio, mihi nihilominus teneberis, *tex. hic.* Nec impedit l. si ita stipulatus. *59.* de Solut. quia ea ita accepta est, si constitutum sequatur stipulationem in continenti. tum enim stipulationi adjectus, in constituto censetur repetitus, perinde ac si jusserit stipulator & solvere eidem. *d. l. 59. de Solut.* & quod initio exprimitur, in fine cēsetur repetitū, *l. 4. §. fin. de Pact.* Reliqua huius materiæ tractamus latiùs infrà, *in l. pen. h. t.*

in l. hactenus. 11.

QVæ Doctores hoc loco latiùs disputant, an constitutum indebiti, quod etiam scivit constituens non deberi, valeat in vim donationis, an minùs, id infrà tractamus, *in l. ult. eod. tit.*

Ad

Ad l. qui autem. 14.

§. SEd & si quis. 2.) Notandum est hic, si quis constituat alium pro se fidejussurum, constitutum valere, nec vitiari etiam quasi factum promiserit alienum. *§. si quis alium. Inst. de Inut. Stip.* quia intelligitur constituisse, se facturum, curaturum, *gl. Bart. Castr. hic.* Quamobrem si per moram constituentis committatur quò minùs ille de quo actum est fidejuberet, vel alium perinde idoneum, vel id quod interest, solvere tenetur, sin verò mora ipsius nulla fuerit, contrarium erit. *tex. hic.*

§. Final.

1. *Quomodo constitutum fiat.*
2. *Quid si formâ stipulationis fiat.*
3. *Explicata Butrij sententia.*

1 QVibuscunque idoneis † verbis, adeoque & inter absentes constituto fieri potest, *ut hic. & l. quidam. 26. inf. & l. eum qui. 1. §.*
2 *pen. infra eod.* Planè si verbis † stipulationis solennibus constituatur, verbi gratiâ, constituis? constituo, idque ipsum inter præsentes fiat, magis dicimus stipulationem contractam. *DD. hic. arg. l. 7. §. quod*
3 *ferè. de Pact.* Neque tamen † hoc casu stipulatoriam actionem cum civili damus, quia prætoria hæc non aliter obtinet, quàm si civile judicium ex stipulatu cesset. *tex. & DD. in §. de constituta. 9. Inst. de*
4 *Act.* Ex quibus † evenit, Iacobum Butrium minùs rectè in contrarium disputasse. Cuius tamen sententia admittenda est, si partes hoc disertè egerint, ut non ex stipulatu, sed constituto ageretur. *per d. l. 7. §. quod ferè. de Pact.*

Ad l. si duo. 16.

SI duo quasi rei constituant, cum altero agi in solidum potest, *ut hic.* hoc ita, ut si tertij nomine constituerint, beneficium divisionis habeant. *Nov. 4. c. 1. junc. Novell. 115. c. 6. l. ult. C. h. t.* ubi qui cõstituunt, spondent vel fidejubent nomine alterius, eodem censentur jure. Excipe si divisionis beneficio renunciatum sit; quia quisque beneficio sibi concesso renunciat rectè *l. si quis in conscribendo. ubi not. DD. C. de Pact.* & hoc igitur in proposito quoque moribus obtinuit, *Angel. & Sichard. l. ult. C. eod.* & ego respondi de facto consultus à Prætore Zuollano, in causa ter Marsch. contra Hell, & aliàs sæpè,

Ad

Ad l. sed etsi alia. 17. & l. item illa. 18.

His legibus docemur actorem non purgare moram recipiendi, vel veniendi ad locum prætextu difficultatis, quod in debitore non ita esse constat. *l. quod te mihi. 5. de Reb. Cred. l. 3. §. fin de Act. Emp. Bart. in d. l. quod te. & Panorm. in c. brevi. de Jurejur.* An autem, quando debitor & creditor diversi fori sunt, creditor forum rei sequatur nec domi suæ per lapsum diei constituatur in mora, pluribus infrà tractamus. *in l. mora. de Usur.*

Ad l. promissor. 21.

Allegatur suprà in ijs quæ ponimus ad l. 5. §. quod exigimus. sub. fin. h. t. & explicatur in l. 8. de Condict. Furt.

Ad l. si post. 22.

1. *Hæreditate evictâ aut ex fideicommisso restitutâ an ex constituto actionem habeat possessor.*

2. *De actione Fidejussoria idem juris in hac re, quod de constituto est.*

3. *Conciliatur l. si tibi. 17. §. pen. de Pact.*

4. *Et quatenus ea accipienda sit.*

Si hæres cui constitutum † est, hæreditatem ex fideicommisso restituerit, de constituto actionem non habet, fideicommissarius 1.
habet. Idemque hæreditate evictâ dicimus, *text. hic.* Perinde † nimi- 2.
rum ut & fidejussoria actio per hæredem quæsita, hæreditate translata & unà transit. *l. hæres. 21. in princip. de Fidejuss.* Non mutat † l. si 3.
tibi. 17. *§. pen. de Pact.* ubi possessor hæreditatis eidem pacto suo nec obesse nec prodesse perhibetur, hoc enim ita in actione directa quamdiu jus per hæredem vel possessorem quæsitum, fideicommissario needum cessum est, tenetur puta hæredi ad ejusdem cessio-
nem. *l. si hæres. 59. ad SC. Trebell.* Quanquam & si ratum † negotium 4.
hæres non habeat, benigniùs dicimus, nec prodesse nec obesse hæredi possessoris pactum. *d. l. si tibi. §. cum possessor.* quod non ita erit, si ratificet, tum enim omne emolumentum restituet. *l. post SC. l. sed si lege. §. petitio. l. evicta. l. si possessor. 1. §. ait. Senatus. de Pet. Hær.*

l. Quidam. 26.

Relata & explicata est in ijs quæ ponimus suprà *in l. 14. § fin. eod.*

Ad l. si quis duobus, penult.

1. *Argumentum legis.*
2. *Accursij interpretatio laudata.*
3. Cujacij *emendatio in hoc textu supervacua.*
4. *Differentia stipulationis & constituti.*

1. SI duobus, verbi † gratiâ, tibi aut Titio pecunia constituta sit, Titioque qui soli constituto, non etiam obligationi primæ fuit adjectus, solvatur: debitor quidem ipso jure manet obligatus, sed exceptione tutus est contra creditorem principalem. *ut hic.* Itaque re-
2. cte † Accursius hæc verba, *propria actione pecunia constituta manet obligatus*, ita accipit, priori actione eius pecuniæ nomine, quæ postea
3. in constitutum deducta est. *gl. hic.* Cujacius † igitur hic mendum esse putat, & pro propria actione, legit, priori actione. Emendatio tamen hæc, quia ex conjectura est, penitus supervacua est. Est igitur hacte-
4. nus † quoque manifesta constituti & stipulationis differentia. nam si Titio unà stipulationi inserto solvatur, certi condictio per solutionem ipsi factam, tollitur ipso jure: quia etiamsi ex consequenti stipulatori constitutum sit soli, postea verò Titio stipulatione comprehenso solvatur, ipso jure liberatio contingit, *l. si ita. 59. de Solut. l. eum. qui. 56. §. qui sibi. de Verb. Obl.*

Ad l. ult.

1. *Si constitutum ex falsa causa sit, an de constituto actio sit.*
2. *Si quis indebitum sciens constituat, an donare videatur, quomodo disputatum inter Doctores sit.*
3. *Disputatio ea conciliata.*

SI constitutum † ex falsa causa per justum errorem constituentis
1. promanet, verbi gratiâ, quia se Titij hæredem putabat cum non esset: cessat in eum de constituto actio, *tex. hic. Bald. in Rub. C. eod.* Quid ergo si † quis indebitum sciens constituat, an donare videa-
2. tur? Iason & Faber non putant. *Ioan. Fab. in §. si constituta. de Action. Ias. ibidem. num. 40. Zas. num. 12.* Quorum sententiam adjuvat quod stipulatio inutilis non valet in vim constituti. *l. 1. §. cum qui. sup. eod.* unde argumento à contrario sensu colligas, nec constitutum inutile valere in vim donationis aut alterius contractus. Auget opinionem hanc, quod jure Digestorum ex donatione non erat actio, *not. in l. 35. C. de Donation.* unde nec ex inutili constituto in vim

dona-

donationis, actio danda videtur etiamnum. Quibus adde quod suprà refertur, eum qui necdum usuras debet, si sortem & usuras cõstituat, in solam sortem teneri, quia ipsa duntaxat debebatur. *l. hactenus. §. fin. supra eod.* Vnde colligas nec hoc casu ex constituto donandi animo facto, actionem esse, quia nec antè debebatur. Alij tamen, actionem quidem constitutoriam ex hac causa negant: ceterum quia jure Codicis ex pacto donationis, actio est. *l. si quis argentum. C. eod.* & constituto eo uti donandi animo facto, jure saltem Codicis, actionem produci putant. *gl. Bart. Castr. Gotofr. in d. l. hactenus. sup. eod.* Movet eos quod dicimus, cujus per errorem dati repetitio est, eius consulto dari donatio est, *l. cuius. 53. de Reg. Jur.* Sed hoc quidem ita est ad impediendam repetitionem ejus quod ipso actu solutum est: verùm id liberaliùs quàm par est ex constitutione nova (quod juris genus quàm strictissimè semper accipimus) ad conventionem aliam jure civili inutilem, producitur. Ego igitur respondi, jus ex facto pendere, & Iasonis † sententiam recipiendam, 5. quando paret constituentem formâ ac verbis constituti usum, & etiamsi de scientia indebiti constet, inutile constitutum esse; ver. gr. si ita constituam: Quod postulas, etiamsi me non debere putem: vel etiamsi constet me non debere, tamen tibi constituo, aut solvam; Accursium verò & reliquos sequimur, quando de donationis forma ac verbis manifestè liquet, verbi grat. quod postulas, etiamsi id tibi non debeo; tamen dono tibi ac solvere constituo, vel ita, donandi animo, aut mera liberalitate persolvam.

COMMODATI.

TIT. VI.

Ad l. 1.

§. fin.) An impuberes obligentur ex contractu & quatenus, infrà tractamus. *in l. 9. de Adm. Tut.*

Ad l. 3.

§. In hac actione.) Vide quæ ponimus suprà in l. vinum. 22. de Reb. Cred. ubi hic §. plenè expositus est.

Ad l. 3.

SÆpe etiã ad hoc pecuniæ cõmodantur ut dicis gratia numerationis loco intercedãt.) Id est quæ cõplendæ juris solẽnitati dãtur, ut

quæ numerantur mancipationis causâ vel in pompam, ut glossæ veteres, id est, dictionis vel verbi gratiâ, ut scilicet dicatur pecunia intervenisse. Quemadmodum *in l. 1. ad* SC. *Sillan.* Nam si finxit se quis auxilium ferre, vel dicis gratiâ tulit: nihil hoc commentum ei proderit. Est & aliud eius dicterij exemplum apud Ciceronem. *Verrin.* 6. Atque huius originem quidem se Antonius Augustinus Hispanorum omnium doctissimus ignorare perhibet: sed Varro eam nobis à dicendo perspicuè deducit. *lib. 5. de Ling. Lat.*

Ad l. sicut ceteros. 5.

1. *Argumentum huius loci.*
2. *Quando solus dolus ex contractibus præstetur.*
3. *Doli vox hic culpam continet.*
4. *Quid juris sit si merces interveniat.*
5. *Quando summa diligentia præstanda sit.*
6. *In judicio tutelæ aut negotiorum gestorum quid singulare.*
7. *Quid juris sit de casu fortuito.*
8. *In precario quid singulare. & num. 20.*
9. *Quid juris sit in negotijs utriusque gratia initis.*
10. *In mandato quæ diligentia adhibenda.*
11. *Procurator litis ad quam diligentiam teneatur.*
12. *Repetitio super iis dictorum per gradus culpæ distributa, ac dolum & latam culpam cadere in omnes contractus.*
13. *De culpa levi.*
14. *Explicatur* §. *pen. Inst. locati.*
15. *De eo qui columnā transferendam suscepit quid singulare.*
16. *Explicatur l. 13.* §. *fin. & l. 14. de Pign. Act.*
17. *De causa levissima.*
18. *In commodato quid juris.*
19. *Lege contractus quid conveniri queat.*

§. NUnc videndum.) Tractat hoc loco juris author non solùm
1. quàm diligentiam † commodatarius, sed & quam plerique contrahentes præstent. Quæ in re inter conventionum genera distinguimus ita: An nimirum illa dantis, an accipientis, an verò utri-
2. usque gratia sint inita. Si solius † tradentis gratiâ incantur, ut in deposito, solus dolus præstatur. *hic &* §. *præterea. Inst. Quib. Mod. Re Contr.*

Contr. Obl. Ita tamen † ut eatenus doli vox & culpam contineat latam. *l. quod Nerva. 32. inf. depos. l. magna negligentia. de Verb. Sign.* 3.
Planè si merces interveniat † quia tum utriusque gratiâ contrahitur, vel quando ut diligentia major in custodia adhibeatur, convēnit, eadem adhibenda est, & culpa igitur utroque hoc casu (quam Doctores levem nuncupant) præstanda. *tex. hic.* Si solius accipientis gratiâ contrahatur, summam † diligentiam & culpam, quam dicunt Doctores levissimam præstat. *ut hic. & l. 18. inf. eod. l. contractus. 23. de Reg. Iur.* Sed aliud † in judicio tutelæ aut Neg. Gest. Etsi enim hæc non intuitu gerentis, sed eius solius, cuius neg. agitur, geruntur, tamen favore pupillorum ac absentium, etiam diligentiam præstant. *l. si negotia. 11. sup. de Neg. Gest. l. 1. in prin. de Tut. & Ration. Distr. l. 23. contractus. de Reg. Iur.* Planè si alius diligentior gerentis intuitu non accessit, etiam ad culpam levissimam tenetur, *§. 1. Inst. de Obl. ex quasi contract. ubi not.* Casum tamen fortuitum ne quidem commodatarius præstat, quia quantū † ad hunc attinet, res quæque periculo domini est. *l. item si. §. fin. de Rei Vind. l. 14. §. 1. Depos.* Hoc ita nisi dolus vel culpa rei casum præcesserit: *ut infra §. quod verò. in hac ead l.* aut aliud actum sit *ut hic.* Qua de re qui plura requirit videat quæ nos latè *in l. 4. & l. quod te mihi. 5. de Reb. Cr.* Deniq; tametsi quod diximus ita in commodato est, tamen † in precario aliud obtinet. *l. 1. inf. de Precar.* Sibi enim imputabit precario dans, quod rem non repetierit antè, quia revocare quandocunque voluit, potuit. *not. in l. contractus. 23. de Reg. Iur.* Quæ verò utriusque gratiâ contrahuntur, ut † in pignore, conductione, similibus, etiam culpæ præstationem (quam interpretes distinctionis causa levem vocant.) admittunt. *ut hic. & d. l. 23. de Reg. Iur.* Atque hæc ita distinctè veteribus scripta & usu recepta sunt. Sed in mandato † subsistimus, quia id non semper utriusque gratia initur *§. 1. Inst. Mandati.* Itaque hic distinguimus ex regula huius textus, ut si mandatum solius mandantis gratiâ sit, dolum tantùm ac latam culpam mandatarius præstet ut in deposito. *l. si procuratorem. 8. §. fin. inf. Mand.* Si mandatarij solius gratiâ contractum sit, perinde ut in commodato habeatur, hoc est ut omnis etiam culpa præstetur. *ut hic. & d. l. 23. de Reg. Iur.* Denique si utriusque gratiâ contrahatur, diligentia talis adhibenda est, qualem rebus quisque suis præstat, hoc est ad culpam solummodo levem tenetur. *ex hoc text.* Procurator † tamen litis, etsi ferè mercede conduci solet, etiam ad exactissimam diligentiam tenetur. *l. à procuratore. 13. C. Mandati.* & ideo ad levissimam quoque culpam obligatus est. nam etsi leviùs delinquere videtur, tamē quia imperitia annumeratur culpæ. *l. idem juris. 8. ad L. Aq* non est absolvendus. Ac ut rem totam paucis, verbis tamen alijs repe-

Bbbb 3 tam,

Margin numbers (right): 3 (line 1), 4 (line 3), 5 (line 7), 6 (line 9), 7 (line 16), 8 (line 21), 9 (line 25), 10 (line 28), 11 (line 39).

tam, videamus obiter de diversa doli ac culpæ qualitate. Ex quovis igitur contractu vel quasi, quo agitur ad damnum resarciendum, actio hoc nomine est, vel ob dolum, vel latam culpam, vel simpliciùs ita dictam, vel demum omissam diligentissimam rei custodiam, cui interpretes opponunt culpam levissimam. Dolus & lata † culpa
12. in omnes contractus cadit, etiamsi solius dantis gratiâ sint initi, ergo etiam in depositum & mandatum solius mandantis causa initum. *ut hic, & d. l. 23. de Reg. Iur.* Latæ culpæ proxima † est culpa simpliciter ita dicta, quam interpretes ferè levem nuncupant. *DD. hic.* Hæc præstatur in obligationibus utriusque gratiâ initis, *ut hic & ad l. 23. l. si servus. 108. §. cum quid. de Leg.* 1. Opponitur autem huic principio custodia quàm quisque rebus suis adhibere solet: quâ simplicius omissâ culpa succedit. Itaque adhibenda est hæc in administrandis rebus communibus. *l. heredes. 25. §. non tantum. ff. Fam. Ercisc. l. socius, 72. Pro Soc. l. si constante. 24. §. si maritus. Sol. Matrim.* Deinde & quidem in contractu emptionis, opponitur ei diligentia talis quam diligens paterfamilias rebus suis adhibere solet. *l. quod sæpe. 35. §. si res vendita. 4. de* Contr. *Empt.* Itaque custodia in hoc contractu non sufficiet quàm suis rebus venditor adhibet, sed eatenus eam commodato comparamus, ut majorem quàm suis rebus diligentiam, venditor adhibeat. *l. 3. infrà. de Peric. & Comm. Rei Vend.* Idemque de locato & conducto dicimus. *l. si quis domum. 9. §. Celsus. pen. l. item quæritur. 13. §. Si*
14. *Gemma. Locati.* Itaque quod † alibi dicitur, conductorem præstare diligentiam eam quam præstat diligentissimus quisque. *§. penult. Inst. Locati.* superlativum pro positivo intelligimus. Est tamen id
15. in eo qui † columnam vel quam aliam rem tractatu periculosam transportandam conduxit, speciale, ut ad exactissimam diligentiam teneatur. *l. si merces. 25. §. pen. Locati.* idque ex Martini interpretis veteris sententia. Nam qui operas suas ad hoc locat, quasi artificium profiteatur, ad omnis imprudentiæ culpam obligatur.
16. *gl. ibidem.* Nec † mutat l. si cum venderet. 13. §. fin. de Pign. Act. ubi definitur, in pignore (id autem utriusque gratia contrahi certum est) perinde ut commodato culpam præstari & custodiam. Quia id accipimus de culpa levi. nam & ipsa quoque venit in commodatum, non quidem quæ commissione diligentissimi, sed diligentis solum hominis, patratur, ut ex lege, ea igitur. 14. & seq. d. tit. de Pign. Act. constat manifestè. Planè quod attinet ad culpam
17. quam interpretes levissimam dicunt, † tametsi ea juris nostri authoribus vix ita nominatim nuncupetur, tamen certissimum est, diligentiam majorem in commodato, & si quæ sunt negotia eius generis, alia quàm in reliquis, quibus utcunque diligentis patrisfamilias

milias cura adhibetur, requiri. *hic. & l. in rebus. 18. princip. infrà. eodem. l. 1. §. 3. infrà. de Obl. & Action*. Itaque hinc nullum damnum excluditur † præter periculum casus fortunæ. *ut hic.* de 18. quo supra egimus plenè. *in l. 5. de Reb. Cred.* Hæc omnia tamen ita accipimus, nisi aliud actum sit. Nam & † contractus lege vel sti- 19. pulatione conveniri potest ut alteruter contrahentium majorem diligentiam præstet vel culpam luat quàm natura ejusdem postulat. *ut hic. & l. 1. §. si conveniat. infrà. Depos.* Ceterùm ne dolus præstetur pacisci non licet. *l. si unus. §. illud. de Pact. d. l. 1. §. illud. Depos.* Ab hoc † tamen ordine precarium, uti diximus, semo- 20. tum est.

§. Rem tibi. Versic.

Idem Labeo.) REm tibi commodavi vt eam pignori dares, si eam non repignoras aut luis: teneris commodati. Si tamen non in culpa luendi sis, verbi gratiâ, cùm vel pecuniam solvisti, vel solvere paratus es, creditor interim eam reddere nolit, ad hoc tantum commodati actio est, ut mihi actiones tuas adversus eum præstes. *text. hic.* Quod si id per commodatarium steterit, ipse ut pignus redimat, ac liberatum mihi restituat, tenetur. *l. petenti. 27. inf. de Pign. Act.*

1. *Argumentum huius loci remissivè tractatum.*
2. *De usu vehiculi dividuo vel individuo.*
3. *De vehiculo duobus commodato.*
4. *Hodierno jure quid cautum.*

§. SI duobus. final.) Ad hanc † quæstionem (An duo eandem rem 1. in solidum possidere queant) pertinentia: vide infrà posita. *in l. 3, §. ex contrario. de Acq. Poss. & l. nostro. 3. Subtil. c. 12.*

Quod autem † porrò hic de usu vehiculi dividuo vel individuo 2. differtur, id ita accipe, ut usus pro solo utendi facto positus intelligatur. Vsus enim pro servitute personali acceptus individuus est. *l. usus pars. 19. de Vsu. & Hab.*

Denique † quod subjungitur vehiculo duobus commoda- 3. to; duos quodammodo reos in solidum constitui, ei opponi solet. *l. rem. 21. §. 1. infra eodem.* Sed in eius specie res communi periculo commodata fuit expressè. Quando igitur ibi re ipsâ

aliud

aliud actum fuit, merito & pro cujusque parte actionem in singulos competere dicimus. Planè hodie, etiamsi duobus † in solidum commodetur, tamen ab initio singuli pro parte sunt conveniendi, nisi alij vel absentes sint vel non solvendo. eo enim casu quod à reliquis haberi non tam facilè potest, à præsentibus qui solvendo sunt, præstandum est. *Novell.99. de Reis Promit.*

Ad l.unde.7.

QVi rem aliquam commodavit, ejusdem læsæ nomine non solum commodati, sed & Legis Aquiliæ actionem habet, ita ut si prius egerit actione Aquiliæ damni eius nomine, postea commodati non agat. Ceterùm si priùs agat commodati, ex lege Aquilia reus in id tantū condemnetur, quod minùs in commodati quàm L. Aq. actionem venit. *tex.hic.* Quod ergo infrà dicitur, si altera actū sit, alteram consumi. *l.in rebus.18.§.sive autem.inf.eod.* id ita quidem simpliciter procedit, si priùs actum sit Aquiliâ. at actione commodati priùs instituta, consumitur quidem Aquiliâ, sed in eo tantùm quod ex commodati actione minus quàm Aquilia fuit perceptum. Non mutat l.qui servum.34.§.fin.ad L.Aq. *verb. Sed verius est non remanere.* Probata enim hodie lectio Florentina est, quæ negationem istam non habet. Et profectò irrepsisse illam imperiti glossatoris vel scribæ culpâ, quis non videat? Nam cum in verbis ejusdem textus posterioribus legisset verba hæc: quia simplo accedit, & simplo subducto locum non habet, clausulam hanc priori penitus repugnare putavit. Sed hæc accipimus, ac si dicamus: simplo subducto in id tantùm locum non habet. Quæ loquendi ratio Græca est, quâ conjunctiones restrictivæ nonnunquam omittuntur.

§. 1.

Ad hunc §. vide quæ ponimus infrà *in l ad eos.19.eod.*

Ad l.in rebus.18.

§. 1.) RElatus est in ijs quæ scripsimus ad l.7. suprà. eod. ubi vide.

§. penult.) Qui sciens rem vitiosam alteri commodat, quia in dolo est, meritò damnum per hoc accidens resarcit. *ut hic.* id quia in dolo est, ut Connanus sensit *lib.7.Comment.c.3 num.6.* Bartolus tamen id & ad culpam latam refert, quod magis est, cum in contractibus culpa lata doli nomine comprehendatur. *l.quod Nerva. 32. Depos.*

§. fin.

§. Final.

1. *In actione commodati compensationi locum esse.*
2. *In actionibus in rem quomodo compensatio obtineat. & num. 3.*
4. *Compensatio interdum pro retentione.*
5. *Explicatur l. ult. C. eod.*

CErtum † est compensationi in commodati actione locum esse, *per hunc text.* Idem & de in rem actionibus † dicimus, *l. ult. C. de Compens.* Quod toties ita est, quoties in judicium venit id quod compensationem admittit, ut cum pro æstimatione damni liquidi agitur, vel pro re ipsa æstimatio succedit. ejus enim compensationem admittimus ad concurrentem quantitatem. *ut hic.* Ipsas † puta species, seu ipsa corpora, vel corpora etiam cum quantitate non pensari, magis est. *l. quod dicimus. 5. de Impens. In Rem Dot. Fact.* Si proinde ratio faciat † quò minùs ipso jure pensatio fiat, retentionem interea concedimus donec satisfiat. *d. l. 5. l. si non sortem. 26. §. si centum. de Condict. Indeb.* sed hanc quando compensationem dicimus, *l. fructus. 7. §. ob donationes. Sol. Matrim.* impropria significatione utimur, cùm propriè loquendo tantum retentio sit, *ut in l creditoris. 15. §. 1. l. si is qui. 59. de Furt.* Nec mutat † l. ult. C. eod. quia ea lex fugitiva est, ad titulum depositi pertinens: & ibidem pro voce commodati, rectiùs legitur commendati, id verò est depositi, hæc enim actio sola compensationem non admittit, *l. ult. C. de Compens.* ut rectè Cujacius notat. *9. Obs. 37.* & alij probant. Atque ita contrariæ eæ leges conciliantur sine ullo nævo.

1.
2.
3.
4.
5.

Ad l. ad eos. 19.

COmmodatarius & conductor de damno ab alijs dato regulariter non tenetur. *ut hic.* Quod etsi hoc loco indifferenter Iulianus refert, pertinet tamen tantùm ad vim majorem, & casum qui præveniri aut averti non potest. nam si damnum tale accidat quod custodia præveniri potuit, conductor resarciet. *l. sed de damno. 41. infrà. Locati.* Quantam verò diligentiam commodatarius adhibeat, suprà scripsimus. *in l. 5. §. nunc videndum. eod. tit.* Non obstat verò huic textui l. 7. §. 1. suprà eod. quia ea procedit in damno à correo debendi illato, hic verò textus, cum tertius quivis damnum dedit.

Ad l. rem mihi. 21.

§. 1.) Refertur in ijs quæ ponimus latè suprà *in l. 5. §. si duobus. Commod.*

DE PIGNORATITIA ACTIONE.

TIT. VII.

Ad l. 1.

1. Pignus propriè quid.

2. Hypotheca propriè quid, & quomodo differant pignus & hypotheca.

3. Statutum de pignore an etiam de hypotheca intelligatur.

4. Pignus etiam ipsum jus in rem designat.

5. Moribus Hollandiæ & Transisulaniæ quid singulare.

6. Definitio contractus pignoratitij.

7. Explicatur §. fin. Inst. de Obl. Re Contr.

8. In pignore judiciali quid singulare.

9. Pignoratitia actio personalis quæ sit, & quotuplex.

10. Quæ realis.

11. Aes pro auro si in obligationem deductum sit quid juris.

1. Pignus propriè † est quod pro obligatione alia in majorem securitatem realiter eau devinctum creditori est. *l. 6. §. pen. inf. eod. & tit. D. & C. de Distr. Pign.* idem Græcè † dicitur hypotheca, *tot. tit. de Pign. & Hyp.* Sed existimatum est, voces eas subtili quadam ratione differre; ita nimirum, ut pignus propriè sit rei mobilis & manu traditæ, ac quasi à pugno ductum, *l. plebs. 238. §. 2. de Verb. Sign.* hypotheca verò magis rei non traditæ sit, *l. si rem 19. §. propriè. inf. h. t. DD. in d. l. plebs.* Planè quantum ad usum attinet, nihil inter eas differentiæ est, unde & alibi respondetur, vocem illam utramque non nisi sono differre. *l. 5. §. 1. de Pign.* Quamobrem † & statutum de pignore positum, de hypotheca intelligitur, & vice versa. *Felin. in c. cum aliquis. de Re Iud. Negus. in tract. de Pign. par. 1. princ. num. 1. & 9. Bart. in d. l. si rem. §. propriè. inf. eod.* Quod etsi alij non simpliciter admittunt, qui distinguunt inter favorabile & odiosum, item an res tradita sit an minus. *Ripa in rubr. de Pign. Moss. in tract. einsdem tit. c. 1.* tamen magis indistincte admittitur, quia in usu harum vocum nulla differentia est, *d. l. 5. §. 1. de Pign.* Idque etiamnum consuetudo huius seculi ipsa optima legis interpres probat, nisi appareat de alia statuentium mente. Deinque † & pignus de- signat

Margin notes: 2. 3. *Statutum de pignore etiam de hypotheca intelligitur.* *Consuetudo quid admittat in statutis de Pign. & Hypoth.* 4.

signat ipsum jus in rem creditori paratum, quod effectu ipso & jus prælationis præ debitis ceteris, & distractionis adeo ipsum continet. Ceterùm illud ex moribus† ac statutis Hollandiæ ac Transisulaniæ observandum, in regionibus ijs pignus rei immobilis non constitui, præterquam si id coram judice territorij sit obligatum. Verum & per metonomiam hæc vox dicitur de contractu, & ipsa obligatione quâ pignori res tenetur. Contractum † autem hunc definio nominatum quo res obligatur propter crediti restituendi fidem. Qua quidem in re specifica differentia apparet huius à reliquis contractibus re initis, eo quod mutuum & commodatum gratiâ usus, depositum causa custodiæ, solùm verò pignus securitatis gratiâ contrahatur, *ut hic. & l. 4. l. 23. §. 1. de Pign.* Nec† mutat interim quod dicimus, creditorem pignore re obligari. *§. fin. Inst. de Obl. Quæ Re Contr.* id enim fit respectu obligationis directæ, quâ creditor non aliter tenetur, quàm si rem acceperit; quod tamen in consideratione contractus, itemque hypothecariæ actionis contrariæ, non ita est, *ut in dd. ll.* contractus enim ipse sine traditione quoque in rem actionem producit. *l. pignoris. 17. inf. de Pign. l. pignoris. C. eod.* Tametsi pignus† judiciale non constituatur, nisi ventum sit in possessionem. *l. non est. 26. §. 1. inf. eod.* Pignoratitia autem actio hæc dicitur† propriè personalis, quâ debitor creditori & hic vicissim illi tenetur, & est alia directa, alia contraria. Directa est quâ obligatur creditor, contraria qua debitor tenetur ipse. Sed & † in rem actio pignoratitia & hypothecaria dicitur, qua scilicet creditor rem persequitur, *l. pignoris persecutio. & l. rem alienam. infrà eodem.* frequentius tamen & hypothecaria, *§. item Serviana. Inst. de Act.*

5. *Consuetudo Hollandiæ & Transisulan.*

6.

7.

8.

9.

10.

§. Final.

OBservandum est quod† hic dicitur; si æs pignori datum sit, quod debitor affirmaverit aurum esse, nihilominus æs pignori esse, idemque dicimus in stipulatione quâ de auro convenit, *l. si id quod. 22. de Verb. Obl.* Sed in emptione ac venditione contrarium obtinet, quarum rerum differentias plenè tractavimus infrà, *in l. 9. & l. 14 de Contr. Emp. ubi vide.* 11.

Ad l. 2.

Rem alienam pignori dari, non posse, & quare, pluribus infrà tractamus. *in l. 41. h. t.*

Ad l. si convenerit. 4.

1. *Si inter debitorem & creditorem de distrahendo pignore convenerit, quid juris.*

2. *Quid si nec de distrahendo nec de non distrahendo actum sit, & num. 3.*

4. *Denunciatio exsequendi pignoris quomodo fiat. & nu. 5.*

6. *Quid si actum sit ut pignus distrahatur statim.*

7. *Quid si debitum in diem sit. & num. 8.*

9. *Qua ratio distrahendi sit si actum sit ne distrahatur. & num. 10, 12. & 13.*

11. *Moribus huius seculi quæ ratio distrahendi sit.*

14. *Pinellus notatus.*

15. *An post denunciationem biennium cessandum sit, antequam dominium impetretur.*

16. *Explicatur l. ult. C. de Iure Dom. Imp.*

17. *Quid juris si pactum sit ne debitor pignus alienet.*

1. SI de distrahendo pignore † convenerit, & distractio re ipsa subsecuta sit, venditio valet, & emptor dominium capit, *ut hic.* etiamsi venditor ipse dominium non habuit, *l. non est novum. 46. de Acq.*
2. *Rer. Dom.* Idem est si quidem † non convenerit de distrahendo, non tamen convenerit, ne distrahatur. Notandum enim hic est, idem fore sive de distrahendo pignore convenerit sive non convenerit, modo nec cōvenerit ne distrahatur, *ut hic. & l. Aristo. §. fin. Qua Res*
3. *Pign. Data Non Obl.* Quamobrem † utroque eo casu, ut procedatur ad distractionem, tantum una denunciatione est opus. *l. 4. C. de*
4. *Distr. Pign.* Facienda verò † denunciatio est testatò, *ut in d. l. 4. C.* Et quidem moribus obtinuit, ut ea instar † solennis citationis fiat per judicij ministrum, quæ denunciatio moribus Transisulaniæ pignoratio dicitur. Quod tamen ita acceptum est, nisi expressè actum † sit,

Consuetudines pignorū distrahendorum.

5. 6. ut pignus distrahatur statim, tum enim denunciationem superfluā fore putant. *Costal. hic post Bald. quem allegat in l. prædia. ad fin. C. de*
7. *Fideicomm.* Præterquam si convenerit † ut solvatur in diem, quia tum ordinaria distractionis solennitate procedendum est, etiamsi aliud actum esset. *l. 1. C. de Pact. Pign.* itemque hoc casu solvendæ
8. pecuniæ † exspectandus dies est, *l. 4. infra, de Distr. Pign.* tametsi & vindicatio pignoris interim concessa sit, *l. quæsitum. 9. in prin. de Pig.*
9. Denique si de certè † actum sit ne distrahatur, venditio non aliter admissa est, quàm prævia denunciatione trina *ut hic.* At inter singulas denunciationes quantum temporis intercedere oporteat, quæsitum

tum

tum est? magisque est, ter denos dies requiri, *per l. 21. §. 1. de Const. Pec. fac. l. 68. & seq. de Iudic.* Alij tamen aliter, † Accursius enim ni- 10.
duum requirit, *gl. hic.* nonnulli verò id arbitrio judicis relinquunt,
Castr. Salic. Angel. hic. sed si juris rationem intueamur, benigniùs
est decendium accipi. At moribus † huius seculi exsequendi pig- 11.
noris ratio ex stilo ac consuetudine judiciorum dependet, quæ ob *In ordine*
exsecutionis frequentiam usumque assiduum, nusquam non certa *distrahendi*
esse potest. Plane ordine procedendi justo intermisso, si creditor sine *pignoris sin-*
eo distrahere pergat, furto se obligat, *per hunc text. & l. si is qui 73. gulorum iu-*
de Furt. prorsus ut debitor qui ipse pignus vendit, ob hoc furti tene- *dicierum mo-*
tur *l. si is qui rem. 66 in princ. eod. tit. de Furt.* Verùm, ut ad rem, ex ijs *res servandi.*
quæ diximus constat, pactum quo agitur † ne pignus vendatur, 12. 13.
non per omnia vim suam retinere, ne scilicet effectus huius con-
tractus ab initio directò tollatur, non etiam utile prorsus esse, idque
ex ipsa æquitate; ne nihil quicquam eodem videatur effectum, i-
deoque ternam inducit denunciationem. *Bart. DD. hic.* Quod au-
tem Pinellus autumat, † pactum etiam ita iniri posse ut distractio- 14.
nis effectus eodem penitus tollatur, *Pinel. in l. 2. par. 2. c. 2. num. 5. C. de Resc. Vend.* id ut nusquam relatum est, ita per hunc textum
infractum. DD. *hic.* Illud quæsitum est, an † non post denunciatio- 15.
nem biennium cessari oporteat priusquam pignus distrahatur, quod
plerique putant, *gl. & DD. hic* qui id introductum perhibent *per l. ult. C. de Iure Dom. Imp.* Sed hoc Donellus improbat, nec moribus
adeo receptum est. Et verò quid ineptius quàm hoc, si creditorem
integrum biennium post denunciationem oporteat cessare, an non
enim ea res morosum debitorem magno bono sit affectura? Neque
verò hoc docet d. l. ult. C. de Iure Dom. Imp. quia † ea modò proce- 16.
cedit, quando creditor pignus distrahere nequit, ideoque ipse do-
minium rei obligatæ ambit, ut ex principio eius legis constat palam;
ex quo nimirum manifestum fit, quod Imperator eadem constitu-
tione formam dominij impetrandi mutare velit. Nam cum antiqui-
tus quoque lex commissoria in pignoribus fuerit interdicta, adeo-
que etiamnum odio ejusdem interdicta sint pacta illi similia, *l. 1. C. de Pact. Pign. ubi not. gl.* DD. *verb. legis captionem: l. ult. C. eod.* quia vi-
delicet isti prohibitioni sæpius fraus à fœneratoribus fieret in re-
bus obligatis, idque ferè interventu tertij: Iustinianus constituit, si
creditor non invento emptore dominium rei obligatæ impetrare si-
bi velit, biennium post denunciationem cessandum esse, ut nimirũ
deinceps etiam res venum exponatur, quæ si emptorem non inve-
niat, à Principe impetretur, ut rem sibi jure dominij habeat credi-
tor. *Nonè sed verè ac eleganter Donellus in tract. de Pign. c. 12 & post eum Dominus Bronchorst popularis meus antecessor Lugdunensis prima-*

rius,Cent,2. Assert.72. Ceterùm hac quoque in re hodie plerisque in locis variatum moribus est, & idcirco modus ac forma eius dirigenda est secundùm stilum cujusque tribunalis. Quid + verò efficiatur per pactum quo convenitur,ne debitor pignus alienet, infrà tractamus suo loco. *in l.si creditor.7.§.fin.de Distr.Pign.*

17.

Ad l. quamvis. 6.

PAlam est,creditorem cogi non posse ad vendendum pignus, nisi tamen res multò majoris pretij sit, tum enim cogi posset, quò scilicet ex reliquo ceteris etiam creditoribus satisfiat, ut tamen interim hoc nomine creditori primo satisdetur. *ut hic.& l. A Divo Pio.§.si rer.de Sent.& Re Iud.* Quod verò ampliùs hic *in §.creditor.*) dicitur, summam & usuras pecuniæ eius quæ superest præstandas, nisi solummodo illam in deposito habuerit,rationem habet,cum & si minoris vendiderit, agere in reliquum queat. *l.1.C.de Pign.* Hoc tamen in pignore judiciali id est jussu judicis capto,non ita est, quia creditorem eodem contentum esse oportet, etiamsi minoris pretij sit. *d. l.à Divo.§. si pignora.* Denique & acceptione pignoris debitum non ultra pretium ejus extendi, sed per hoc reliquo renunciatum censeri ex Consuetudine Veneta,suprà monuimus. *ad l.creditor, 28.de Reb.Cred.*ubi vide.

Consuetudo Veneta due Versa.

Ad l. si necessarias. 8.

§. Si unus.) Vide quæ ponimus suprà, *in l. communi dividundo. Comm. Div.*

§. Final. Pertinet ad ea quæ infrà ponimus *ad l. 11.§ si in sortem, eod. tit.*

Ad l. si rem 9.

§.Propriè.) De differentia pignoris & hypothecæ vide quæ ponimus suprà, in rub.h.t.

Ad l. Solutum. 11.

1. *Litis contestatione pignus non solvitur.*
2. *Dubitandi ratio.*
3. *Ratio decidendi.*
4. *Quid juris sit sorte duntaxat non etiam usuris solutis, vel vice versa, si alterius solutio facta sit.*
5. *In dubio pignus & in usuras datum censetur.*
6. *Quid si nominatim & in usuras datum sit.*

Litis

Litis contestatione pignus solutum † non censetur, idque ita sive cum ipso debitore lis contestata sit, sive fidejussore, *ut hic. & l. grege. 13. §. etiam. de Pign. l. quamvis. 8. C. eod.* Dubium movebat † quòd litis contestatione quædam novatio contrahitur. *l. delegare. 11. §. 1. de Novat.* novatione verò pignus tollitur, *ut hic in §. 1.* Sed quia litis contestatione non deterior, at melior plerumque debitoris fit causa, *l. non solet, 86. de Reg. Jur.* rectè admissum est, quod dicimus, novatione pignoris nexum solvi, id ad solam novationem propriam pertinere, *gl. & DD. hic.* non etiam ad impropriam quæ quodammodo litis † contestatione fit, quippe per quam, non, ut per novationem, tollitur obligatio prior, sed conservatur magis, ut quando periculum præscriptionis imminet. 1. 2. 3.

§. Si in sortem duntaxat vel usuras obstrictum est pignus, eo soluto, propter quod obligatum est, locum habet pigneratitia.) Quod ita † accipe ut pigneratitia quidem locum habeat ipso jure, retentio tamen interim alterius quoque nomine, per exceptionem doli fit. *l. un. C. Etiam Ob Chirog. Pec. Pign.* Denique & † in dubio pignus in usuras quoque datum censetur, *l. si necessarias. 8. §. fin. inf. eod.* sed si usuræ priores, de quibus tempore contractus convenit, ex pòst facto conventione aliâ sint auctæ, nec nominatim convenit de pignore pro eo quoque habendo quod est adjectum, magis est nec in auctionem eam pignus obligatum. *l. 4. C. de Usur.* Quod si † nominatim pignus & in usuras datum sit, cessabit pigneratitia quamdiu & usuræ solutæ non erunt, *ut hic in vers. sive autem.* 4. 5. 6.

Si solutum. 5.

Quod inter cetera hîc refertur, invecta creditoris secundi, hoc est ejus qui ipse rursus ab inquilino conduxit, domino quoque tacitè obligata esse, rectè acceptum est de creditore prædij urbani. Contrarium enim est in conductore prædij rustici, vide quæ ponimus infrà *in l. 24. §. 1. Locati.*

Ad l. si cum venderet. 13. §. fin. & ad l. 14.

Quatenus creditor ad custodiam rei teneatur, & ob quam culpam, suprà expositum est fusè. *ad l. si ut certo, Commod.*

Ad l. si convenerit. 18.

Principium hujus legis pertinet ad explicata in l. cum convenit. de Pign.

§. fin.

§. fin. & ad l. 19.

SErvus aut filius liberam peculij administrationem habens, rectè obligat rem peculiarem. *ut hic. & l. seq.* hoc ita si id pro debito peculiari fiat, quia pro alio obligare illam non possent. *l. 1. §. 1. Qua Res Pign. Data Non Obl.*

Ad l. eleganter. 24.

§. SI vendiderit. 2.) Hoc §. agitur de restituendo superfluo pretij & usurarum, quod creditor ex distractione pignoris vltra debiti quantitatem exegit. Qua de re vide quæ ponimus infrà *in l. pen. h. t.*

Ad l. non est mirum. 26.

1. *Pignus sola conventione constituitur, & quando non.*
2. *Quid diversum Iure Canonico & moribus sit.*

1. EXpeditum † est pignus vel sola partium conventione constitui, *l. 1. suprà. h. t. ubi scripsi.* verum pignus judiciale non aliter constituitur quàm venitur in rem præsentem *ut hic.* Hoc ita si fieri possit ut in rem præsentem creditor adsit, aliàs enim ferè decretum judicis pro apprehensione rei est, idque ex Panormitani sententia rectè & benignè admitti potest, *Abb. in c. cum aliquibus. de Sent. & Re Iud.* Atque hoc ipsum Iure Canonico dilertè cautum † est, si potentia aut dolo rei integrum annum is cui immissio decreta est, submoveatur. *c. contingit. de Dolo & Contum.* Denique illud eadem ratione moribus Transisulaniæ, durantibus hisce tumultibus bellicis obtinuit, ut is cui prætorium pignus rei immobilis assignatum esset, si id à judice postularet, etiam non apprehensum pignus consequeretur. Idque invaluit eo tempore quo judices plerique ab agro profugi se in municipijs continebant. Planè quod attinet ad statutum Saxoniæ, Hollandiæ, Transisulaniæ, quo pignus immobilium non constituitur nisi coram judice loci: certum est sola conventione coram judicio facta efficacem hypothecæ causam esse, ut nimirum apprehensione reali non sit opus. Denique quia & jure nostro pignus in nominibus consistere potest, *l. si convenerit. 18. prin. suprà eod.* obtinuit nulla quoque apprehensione ex decreto judicis ad hoc opus fore, sed sufficere solam prætoris assignationem, cùm nulla in his possessio constet. Atque id hoc loco Costalius ex Accursio ac Baldo annotat, & magis est.

2. Ius Canon. quid sanciat in hac re.

Consuetudo Transisula.

Ad l. si pecuniam. 33.

DIfficultas huius legis nulla est, præterquam quod ea veteribus obscurior visa, qui non videntur satis intellexisse quid esset antichresis,

antichresis (nam quod vetusti codices nonnulli antiphinam legunt, absurda scriptio est, & ex Florentino Codice jam pridem emendata. *Alc. 2. Dispunc. c. 3.*) hoc est mutua rei obligatæ pro pecunia accepta usus permissio. Sed hæc Iure Canonico etiam improbata est, quippe quo cavetur fructus rei obligatæ sorti imputandos. *c. 1. de Usur.* An verò hoc quoque in terris Principum secularium servandum sit, infrà tractamus. *ad l. 11. §. 1. de Pign.* *Ius Canon. antichresin improbat.*

Ad l. Titius. 34.

AN & quatenus pactum legis commissoriæ in pignoribus admissum sit, pluribus infrà explicamus, *in l. si fundus. 16. §. fin. de Pignor.*

Ad l. cum & sortis. 35.

Principium huius legis pertinet ad ea quæ ponimus *in l. si is qui. 11. de Pign.*

1. *Traditio pignoris creditori possessionem confert.*
2. *Conciliatur l. sciendum. §. creditor. Qui Satisd. Cog.*
3. *Possidere & possessionem habere ut differant interdum.*
4. *Quomodo & quare creditor dicatur rem obligatam possidere. & num. 5.*
6. *Ius possessionis apud creditorem non esse.*
7. *In antichresi quid singulare.*
8. *In pignore quid singulare.*

§. Final.) TRaditio pignoris † creditori possessionem confert, dominium interim conservat creditori, *ut hic & l. si pignus. inf. eod. l. cum notissimi. §. 1. C. de Præscrip. 30. An.* Nec mutat † l. sciendum. §. creditor. suprà. Qui Satisd. Cog. ubi creditor pignus possidere non censetur: aliud enim est possidere, aliud possessionem habere, ut ibidem apparet, *& l. per servum. princ. de Acq. Rer. Dom.* Subtiliùs scilicet hæc distinguimus, † ut possideat qui affectu dominij rem habet; possessionem verò habeat etiam is qui intentione alia quàm dominij, puta vel usufructus vel pignoris, illam tenet. Ceterùm & interdum † distinctione hac omissa, creditor ipse pignus possidere dicitur, *l. servi nomine. 16. de Usucap. l. 1. §. servum. 15. de Acq. Poss.* respectu nimirum detentionis seu possessionis naturalis quæ facti est, cum possessio ipsa plurimum in facto consistet, *l. 1. §. furiosus. 3. in fine. de Acq. Poss.* Quo intuitu † & Marcianus perhibet, creditorem qui debitori pignus locavit, per colonum possidere videri, *l. res pignoris. 37. de Acq. Poss.* quæ scilicet postrema vox ferè

1
2
3
4
5

6. notam improprietatis denotat. Nam quantum ad possessionis † jus, ejusdemque legitimum effectum attinet, certum est, id creditori nec ad usucapionem, nec ad acquirendum per servum, prodesse,
7. *d.l.37.de Acq. Rer. Dom. d.l.16.de Usucap.* Tametsi & antichresis † in hoc contrahatur, ut creditor etiam fructuum percipiat utilitatem, idque in vicem usurarum, *d.l. si is qui.11.de Pig.* Illud quoque
8. in pignore speciale † est, quòd dominus possessionem eius precariò rogare & conducere potest, idque ob jus quod creditor habet in rem, *ut hic & l. si pignus. infrà eod. & d.l.37. de Acq. Rer. Dom. l. pen. §. creditor, Qui Satisd. Cog.* Cum tamen depositum, emptio, aut conductio rei suæ subsistere non possint. *l. neque pignus.45. de Reg. Iur. l. qui rem. 15. Depos.*

Ad l. Caius Seius. 39.

1. *Quatenus præsentia sua in actu aliorũ quis sibi præjudicet.*
2. *Quatenus subscriptione.*

1. SI quis † intersit actui qui re ipsa in præjudicium sui præsentis tendit, sibi ita demum præjudicat, si actus is sine consensu suo subsistere non posset, unde filius emancipatus qui à patre inductus ut rem suam pro debito ipsius obligaret, id deinde fecit, rem pignori constituit cum effectu *l. fidejussor. 26. §.1. de Pign.* Cum eo casu scienti dissimulatio noceat, ne creditori fraudi sit, *l.2. C. Si Al. Res Pign. Det. fac. l. sæpe.63. de Re Jud.* Quod si actus ille etiam sine consensu ejus de cujus præjudicio agitur, perfici posset, ut in specie hujus legis, qua testamentum etiam ab aliis testibus subscribi & perfici potuisset, testis sibi non præjudicat. Unde qui interfuit testamento, quo res à se pignori data, per creditorem donato confertur
2. alteri, sibi non nocet *ut hic.* Neque igitur † ex subscriptione sola aut præsentia, onus probationis in subscribentem transfertur, *ut hic per Bart.* nisi manifestum sit eum hoc omittendi juris sui causa fecisse, *l. Titia. 34. §. Lucia. de Leg. 2.* quia id & per errorem factum esse potuit, ut rei veritas meritò per hoc non immutetur, *l. illicitas. §. veritas, de Off. Præs.* Non mutat l. servus communis. 38 §.1. de Don. Inter Vir. & Ux. quia scire ibi idem est quod consentire. Planè si quis interfuerit alienationi rei suæ ab alio factæ, & pretium dein' receperit, censetur ab initio quoque præsentia sui consensisse. *l. quidam. 12. de Evict.* Quod, si non consensisset receptione pecuniæ, & tantùm interfuisset, non ita foret, *d.l.34. §. Lucia.* Perinde ac si adfuisset quidem non tamen lectis aut intellectis tenore ac verbis instrumenti, *l. ult. C. Plus Val. Quod Ag. fac. l. de his. de Transact.*

Ad rem alienam. 41.

1. *An & quatenus pignoris obligatio de re aliena fiat.*

2. *Res aliena pignori data si postea debitoris fiat, an pignus convalescat. & num. 3.*

4. *Quid juris sit si ego ei successerim, qui rem meam invito me obligavit.*

5. *Antinomia inter Paulum & Modestinum soluta. & num. 6.*

Constat rem alienam † pignori dari non posse, *l. 2. C. Si Res Al. Pign. Det.* Valet tamen contractus ad actionem personalem, tam directam, *l. si rem. 9. §. penult. sup. eod.* quam contrariam, *l. tutor. 16. §. 1. suprà. h. t.* non autem ad actionem in rem. *ut hic. & d. l. 2. C. Si Al. Res Pign. Det.* Vnde quæsitum † est, si res aliena, de qua convenerat pignori danda, postea debitoris fiat, an ex post facto retrotrahatur, quasi ab initio quoque obligata esset; quod non videtur, quia oportuit rem obligandam tempore contractus fuisse in bonis debitoris, *l. & quæ nondum. 15. §. 1. de Pignorib.* Placuit tamen & postea hypothecariam utilem fore, *ut hic. & l. 5. C. Si Al. Res. Pig. Det.* Sed hoc, si ignoraverit † creditor alienam esse, quod si sciverit, ne quidem ad personalem actionem contractus valet. *l. tutor. 16. §. 1. in fine. h. t.* Et meritò igitur Papinianus respondit, in speciem rei alienæ collata conventione, difficiliùs utilem actionem pignoratitiam dari, *l. 1. princ. infrà de Pign.* ubi rectè interpretes vocem difficiliùs explicant omnino non, *gl. & DD. ibid.* NON EST DICENDUM, Non idem quod in specie superiori † Paulus statuit: Si ego ei successerim qui rem meam invito me obligavit, negat enim hoc casu creditori hypothecariam expressè, *ut hic.* quòd non idem contraxerit qui jam pignoris sit dominus. Contrarium Modestinus statuit, *in l. si Titio. de Pign.* Et hunc nodum † ut solvant, multi responsum Modestini non de hypothecaria utili, sed pignoratitia personali accipiunt, *Donel. in tract. de Pign. c. 9. Connan. l. 4. Comm. c. 5. Accursius nihil certi definit.* parum profectò appositè, neque enim ullo modo dubitari potest, quin hæres per omnia idem juris sustineat quod sustinuit defunctus, *l. qui in jus. 176. de Reg. Iur.* Quia igitur defunctus etiam ex ipso contractu de re aliena inito, contraria actione tenebatur. *d. l. tutor. 16. §. 1. suprà eod.* consequens est, & eodem modo teneri hæredem. Teneri inquam non utili actione personali, sed ipso jure, actione ex obligatione rei alienæ redundante, & directæ actioni directò contraria. Proinde quod Modestinus de utili actione refert, id non de actione personali accipi oportet (quia

[margin numbers: 1 beside line 1 of body; 2 beside "C. Si Al. Res Pign. Det. Vnde quæsitum"; 3 beside "ne quidem ad personalem"; 4 beside "cesserim qui rem meam"; 5 beside "Modestini non de hypothecaria"]

hæc, ut jam dictum, ipso jure creditori parata est) sed de actione in rem utili. Ex quibus † remanet, capita proposita penitus pugnare, magisque dicendum ex Cujacij sententia, Tribonianum in hoc textu omisisse, quæ verosimiliter non omiserat Paulus, nimirum, Postea quoque ex æquitate placuisse, ut daretur creditori in hæredem utilis actio, ad hypothecariæ scilicet exemplum. *l. cum res. C. Si Al. Res Pig. Det.* ut eadem disertis verbis adjecit Modestinus in lege opposita. *d. l. si Titio. Cuiac. 19. Obs. 26. cui proximè accedit Duarenus, ad tit. de Pign. Act. c. 3.*

Ad l. creditor. penult.

NOtandum hic est, superfluum pretij cum usuris, quod ex pignore distracto redactum est ultra debiti quantitatem: per creditorem qui pignus vendidit, exigi oportere; nec teneri idcirco debitorem delegationis medio recipere emptorem. *ut hic.* Sed hoc temperationem admisit, si debitor exspectare velit donec creditor ab emptore pecuniam exigat, quod si facere nolit, tenetur ei creditor actiones suas cedere, ut ipse debitor exigat idem; idque periculo creditoris. *l. eleganter. 24. §. si vendiderit. 2. suprà. eod.*

LIBER DECIMUS-QUARTUS.

DE EXERCITORIA ACTIONE.

TIT. I.

HActenus quidem actum est, quemadmodum ij quibus creditum est ex negotijs suis conveniantur. Geruntur tamen etiam negotia sæpius per alios. Idque experientia demonstrat tam mari quàm terræ fieri. De maritimis igitur negotijs prodita est actio exercitoria, quam Prætor ferè vectorum gratiâ proposuit. *Paul. 2. Sent. tit. 6. l. si eam. 5. §. 1. hic.* eò quòd haud rarò propter navigandi necessitatem cum magistris navium contrahatur, ab ignaris conditionis eorundem. Ideoque æquum censuit, eum qui magistrum navi præposuit, teneri; quasi eius fidem qui cum ignoto fortè nauta contrahit, potissimum sequeretur. *l. 1. princ. h. t. l. si institorem. 19. Si Cert. Pet.*

Ad l. 1.

1. *Exercitores qui dicantur.*
2. *Magister quis.*
3. *Quemadmodum præpositio rei nauticæ probetur.*
4. *Forma præpositionis an & quatenus servanda.*
5. *Quid juris sit si plures magistri divisis officijs constituti sint.*
6. *Vtrum procurator an dominus conveniendus remissivè.*
7. *Exercitoria actio in patrē vel dominum in solidū datur.*
8. *Quid juris eadē re sit in actionibus ceteris.*

§.Magistrum.) EXercitores dicuntur † ad quos navis ipsa & unà mercaturæ emolumentum spectant, Belgicè **reeders**/*text. in §.exercitorem.inf.in hac l.* Qui plerumque jure societatis plures numero, unius vel plurium navium in classes distributarum exercitium instituunt. Cujusmodi sunt hodie in Hollandia ac Zelandia societates Indiæ Orientalis, itemque Occidentalis, & aliæ plures in Africam, Italiam, Græciam, Daniam, Sueciam destinatæ. Magister verò † dicitur cui totius navis cura ab exercitore uno vel pluribus commendata est, per antonomasiam quandam communi huius seculi consuetudine (in Belgica, & urbibus Balticis scilicet) receptâ. Sed cùm plurimum ad rem faciat, quemadmodum probetur † præpositio magistri, responsum est, eam non solum voluntate domini expressa probari, sed etiam scientia ac patientia ejusdem. *ut hic, & l.ult. Quod* C*um* E*o.* 1 2 3

Vers. Quid tamen.) Expeditum est, formam præpositionis † diligenter à præposito observandam esse. *l. sed si. §. conditio. inf. de Institor. l. Padius. suprà de Arb. §. igitur. inf. ead. l.* hoc tamen transilimus si quo modo ea captiosa fieret. Quamobrem singulatim in hac re admissum est, ut magister aliquem contra voluntatem & præscriptum domini substituere possit. Idque necessitatis gratiâ admissum est, eò quod negotiantes cum magistris ob res singulas singulis momentis singulare deliberandi consilium capere non possint. *ut hic, & supra in princ. ead. l.* Si tamen plures divisis officijs † constituti essent, pro officio tantùm cujusque ex hoc edicto obligabitur exercitor. *§. si plures, infra. ead. l.* Quod cum moderamine acceptum est, ut non procedat si alter inhabilis sit. *l. quidam decedens. §. 1. de Ad. Tut.* 4 5

§. EST AUTEM NOBIS ELECTIO.) Vtrum procurator † an dominus conveniendus sit, item num officio finito procurator teneatur, pluribus suprà explicamus. *in l. si procurator. 67. & l. 28. §. fin. de Procur.* ubi vide. 6

7. §.Licet autem.) Exercitoria † actio in patrem vel dominum in solidum datur. *ut hic.* Sed in ceteris, si filius aut servus negotientur patre aut domino ignorante, hi de peculio tenentur. *tot. tit. de Pecul.* si patre aut domino sciente, actio tributoria est, in solidum verò, si etiam volente, hoc est jubente aut consentiente ipso. *ut hic in vers. sed si sciente* patré in privatis negotijs sola scientia. Aliàs in solidum non ligat. *ut hic. & l. si filiusfamilias. de Tutel.* Quatenus tamen hoc
8. † in tutelis ita sit, ibidem docemus. Sed si quod munus publicum filius agnoscat, excussis bonis filij, adversus patrem aut hæredes ejus in solidum actio est. *l. 1. C. de Decur. lib. 10.*

Ad §. si plures. & l. seq.

AN & quatenus plures socij exercitores teneantur in solidum vel minùs, pluribus infrà explicamus, *ad l. 24. pro Soc.* ubi vide.

Ad l. ult.

SI magister aut institor singulare mandatum habeant ad pecunias mutuò accipiendas, non opus est probari illas in rem patris esse versas, *l. 1. §. nec autem. suprà eod.* sed contrarium est si tantum habeant consensum tacitum, nisi tamen probaret creditor, quod fuerit ijs magistro aut institore in rem domini opus. *ut hic.* Sed hoc in pecunia civitati aut ecclesiæ mutuò data non procedit, ibi enim necessariò probandum est, eam in rem civitatis esse versam. Vide quæ nos suprà latè, *in l. civitas. de Reb. Cred.* Idemque est cum de in rem verso agitur, quia & ibi actu ipso in rem versam est oportuit. *l. 3. §. si sic accepit. de In Rem Verso.* vide tamen quæ nos in eadem l. 3. §. ult.

DE LEGE RHODIA DE IACTV.

Tit. II.

Ad l. 1. & 2.

QVi laborante nave, ut ipsam & merces proprias servaret, alienas merces in mare projecerit, tenetur magistro navis, isque rursus tenetur domino mercium amissarum, quia detrimentũ mercium quæ ita ejiciuntur communicandum pro portionibus est. *ut hic.* Non mutat l. qui servandarum, 14. in princ. de Præscrip. Verb. ubi relatum est eum qui projecit nulla actione teneri: id enim ita

est

esse ut nulla actione teneatur quod alienas merces projecit, propriè enim tenetur ob suas merces per jactum aliarum servatas.

§. Si convenerit.) Si quid rumpatur in nave, vectores non resarciunt, nisi tamen communis periculi avertendi causa fiat. *ut hic. & l. navis. 6. infrà eod.* Quemadmodum nec faber repetit si fortè malleum fregerit in opere alterius. *per hunc tex.* Quatenus verò socius socio, mandator procuratori de damno à latronibus aut alio casu illato teneatur, infrà explicamus, *in l. cum duobus. 52. §. quidam. Pro Soc.*

Ad l. deprecatio.

IMPERATOR MUNDI DOMINUS; imperio scilicet, non jure patrimonij seu dominij.

Ad l. ult. §. 1.

DAmnum atque impedimentum fatale excusat à pœna. *ut hic, & l. si homo mortuus. de Verb. Obl.* Quod & ita in judicijs est. *l. apud Celsum. §. si in arbitrum. de Except. Doli. & ibi Bart l. sed & si quis. §. quæsitum. Si quis Caut.* Non tamen eximit aliquem ab obligatione principali. *l. continuus. de Verb. Obl.* Num verò à mora excuset, alia tractatio est, de qua agimus infrà *in l. mora. de Usur.*

DE INSTITORIA ACTIONE.

TIT. III.

Ad l. 1. & 2.

SI is qui mihi actionem cedere tenetur, solvendo non sit, in principalem qui cum institore contraxit, actio datur. Quando verò sine cessione domino in eos qui cum institore aut procuratore negotiati sunt, actio detur, suprà tractamus, *in l. per procuratorem, 72. de Procur.*

Ad l. 5. §. sed & cum fullo.

EX hoc textu constat procuratorem & institorem in aliquo differre, licet aliàs regulare sit, eos ferè pari jure censeri. *l. pen. C. de Inst. Act.* Sed hoc in delictis non ita est, pone institorem fugisse & res sibi creditas abstulisse, in dominum actio erit, quòd

fidem

fidem eius sequi se velle hac ratione significaverit omnibus. Sed hoc de procuratore simplici non ita est, ut quidem Costalius ex hoc loco annotat; & verum est, si procurator res alias abstulerit quàm quarum negotium ipsi erat mandatum. nam si quid in mandatis deliquerit, eadem quoque in re illum instar institoris censendum magis dicimus. *per text. in l. si procurator. 6. de Condict. Indeb.* Denique nec absurdè ex hoc loco evincitur dominum ex contractu aut facto discipulorum non obligari, quod rursus temperatum est, nisi instar institoris negotiari consueverit. *arg. l. ult. Quod Cum Eo Qui In Al. Pot.*

§. Non tamen.) Notavimus suprà in contractibus exercitorum observandam constitutionis formam, *l. 1. vers. quid tamen, de Exerc. Act.* Idem hic & de institore relatum est. Quatenus verò ex contractu magistratuum municipalium civitas teneatur, vel quatenus ecclesia ex contractu prælati, pluribus suprà tractamus. *ad l. civitas. de Reb. Cred.* Quibus addi queunt quæ ponimus infrà, *in l. si cum villico. 16. eod. tit.*

§. Si ei quem. & §. seq.) Certum est eum qui rei vendendæ mandatum habet, fidem pretij habere posse, nisi hoc specialiter prohibitum sit, *ut hic & l. 1. §. 2. de Excep. Rei Vend. & Trad.* Sed quod Bartolus annotat procuratorem cum mandato speciali fidem pretij habere non posse, id nusquam relatum est, multoque minùs ex l. 1. de Off. Procur. Cæs. evincitur. *ad quam Bart. hoc notat.* cum eâ nihil aliud caveatur, quàm procuratorem Cæsaris alienare non posse sine Cæsaris consensu. Procuratorem quidem fisci de pretio fidem non habere manifestum est. *ex l. si curator. in fine. de Iure Fis.* verùm hoc nihil ad rem facit. Sed neque creditor qui pignus exsequitur fidem emptoris sequi potest ita, ut debitor ob residuum pretij teneatur exspectare. *l. penult. de Pign. Act.* præterquam scilicet ex gravi & moventi causa, quo ipso tamen casu res periculo venditoris erit. *l. eleganter, §. si vendiderit. & ibi gl. de Pign. Act.*

Ad l. sed si pupillus. 11.

§. de quo palam.) Ad hunc §. vide quæ ponimus infrà in l. inter. 26. Mand.

Ad l. habebat quis. 13.

1. *Actor qui ex una causa succubuit, eandem rem ex alia postulare potest. & num. 4.*
2. *Explicatio huius legis.*
3. *Bartolus rectè à Costalio notatus.*

Nemo

NEmo † qui uno judicio succubuit eandem rem vel quantitatem prohibitus est postulare ex alia causa, *l. Aurelius. 28. §. fin. de Lib. Leg. l. si mater. 11. §. si quis. & §. eandem. de Except. Rei Jud.* 1
Quod igitur præsenti lege statui † videtur, tantum actionem utilem dari, id juxta speciem propositam accipi oportet, qua scilicet non ex alia causa, sed ex eadem omnino agitur, accidentali qualitate videlicet de in rem verso tantùm in institoriam mutatâ. Et rectè Costalius hoc loco Bartolum notat, quod is restitutionem contra sententiam priorem requirit. namque id sine lege scripsit, & contrarium ex eo evincitur, quod aliàs responsum est, omnia judicia absolutoria dici. Namque eò quoque id dicterium pertinere putem, ut subintelligatur, *aut condemnatoria*. Ita nimirum † efficitur, ut si quis ex una causa ab observatione judicij absolvatur, non protinus exceptionem rei judicatæ alteri obstare. Atque ea ratione in multis locis Belgicæ unitæ hodie pleræque sententiæ absolutoriè feruntur, id est ut reus tantùm ab instantia absolvatur. Quod suprà pluribus prosecuti sumus. 2 3 4 *Consuetudo Belgica.*

Ad l. si cum villico. 16.

NOn omnis qui alicui rei præpositus est mox pro institore censendus, sed is tantùm qui certo negotio constitutus est. Vnde villici contractu dominus non obligatur, quòd is tantùm curandis fructibus præpositus sit. Si tamen etiam fructibus distrahendis sit ordinatus, & quæstui ex ijs parando, pro institore est. *ut hic.* Vnde consequens est nec ex contractu prioris cœnobialis, aut custodis ecclesiam obligari, sed solùm ex contractu procuratoris ad hoc ab ecclesia constituti, nisi puta illi quoque procuratorum munere fungantur, vel aliquid ex consequenti in functionem muneris sui contrahant. *l. 1. § sed & si pecun... m. suprà eod. Innocen. in c. cum quibusdam. de Fidejuss.* An autem & quatenus his casibus opus sit probari pecuniam in rem domini vel ecclesiæ versam esse, ex eo metiendum est quod suprà ponimus *ad l. ult. de Exerc. Act. & l. 3. § ult. de In Rem Vers.*

Ad l. ult.

AN procurator aut institor finito quoque officio teneatur ambiguè ab interpretibus acceptum est, nos verò id solidè explicamus suprà, *in l. procurator. 67. de Procur.* ubi hæc quoque allegata est.

DE TRIBVTORIA ACTIONE.

TIT. IV.

Ad l. 1. §. 1.

QVod hîc dicitur edictum de Tributoria actione ad omnes negotiationes porrigi, id ita intelligendum est de mercibus peculiaribus, non etiam de aliis, cùm nec totum quidem peculium in tributum veniat, nec domini merx etiam, tametsi servus ea negotietur, sed merx sola qua negotiatur peculiaris. *§. ceterùm. vers. rursus. Inst. Quod Cum eo. l. sed si pupillus. 11. §. pen. de Inst. Act.* Atque eo respectu infra responsum est, non omnem negotiationem cum servo factam inducere tributoriam actionem. *l. 5. §. mercis. infra eodem.*

Ad l. 3. §. si servus.

DOlus tutoris aut curatoris quatenus noceat pupillis, ponimus infrà *in l. ult. de Adm. Tut.*

Ad l. procuratoris. 5.

§. Planè.) AN res empta pecuniâ meâ sit mea, an minùs, pluribus infrà tractamus *in l. res qua 54. de Iure Dot.* & non esse meam obtinuit, idque intelligendum est pro ratione decidendi in hoc §. esse; quo relatum est mercem unius creditoris pecuniæ comparatam, in tributum venire.

§. Mercis.) Hic §. relatus & explicatus est in l. 1. §. 1. suprà. h. t.

Ad l. quod in hærede. 9.

§. Eligere.) QVemadmodum exceptiones cumulentur, tractamus infrà *in l. nemo. de Excep.* Actiones verò an & quomodo cumulentur, infrà peragimus, *in l. si is qui. 18. de Obl. & Act.* & suprà *in l. si de Vi. de Iud. & l. nec ullam. de Her. Pet.*

QVOD

QVOD CVM EO QVI IN AL. POT. EST NEGOTIVM gestum esse dicetur.

Tit. V.

Ad l. 2.

Filius-familias quidem ex contractu suo tenetur. *l. tam ex contractibus. 57. de Iud.* soluta tamen patria potestate civili ratione quoque liberatus ea obligatione videbatur, ut de servo manumisso constat *l. eum servum. de Neg. Gest. suprà.* Sed jure Prætorio effectum est ut utili actione teneantur perinde ac si capitis diminutio non intervenisset. *tit. de Cap. Minut.* Idque edicto præsenti in casibus eodem contentis ita temperatum est, ut tantum conveniantur in quantum facere possunt. *ut hic & l. 2. C. eod.*

Ad l. 3.

QVæritur an in supputatione eius quantum filius ex hoc edicto facere potest, ratio æris alieni habeatur? quod ita expeditum est, ut privilegiariorum & eorum qui posteaquam filius sui juris factus est contraxerunt, consideratio fit, non etiam ceterorum. *ut hic.* Quod igitur alibi dicitur non esse deducendum æs alienum, contra quàm de donatore obtinuit. *l. exhæredatum. 49. de Re Iud.* id ita responsum est, quia reus conventus non ipse sed creditores deducunt, & quia donatoris liberalior conditio est, quod omne omnino æs alienum ipsius gratiâ deducitur, cùm in præsenti tantùm aliquorum creditorum ratio habeatur; privilegiariorum scilicet & qui pòst contraxerunt, ut in ceteris melior conditio occupantis sit, nec æris alieni respectus habeatur. *l. inter eos. 19. §. 1. de Re Iud.* occupasse autem prior videtur non qui priùs litem contestatur, sed qui prior ad sententiam pervenit. *text. in l. si verò. 10. inf. de Pecul.* Contrarium in donatore est, ne inops fiat ex sua liberalitate. *l. 50. de Re Iud.*

Ad l. sed si ex parte. 4. §. 1. & 2.

1. *Filius se patrem-familias mentitus an restituatur. & n. 3.*
2. *An mendacium ante litem ceptam possit revocari & num. 4.*

1. Filius † qui se patrem-familias mentitus est, privilegio hujus edicti non gaudet, quemadmodum & alias ex delicto in solidum damnatur. *ut hic. & l.6.inf.eod.& l qui cum se 10. de Re Iud. l. quid enim.suprà de Dolo. l.1.C. Ad Maced. l.si dubitet. de Fidejuss.* Neque enim invocat legem qui in ipsam committit. *l. auxilium. in*
2. *fine.de Minor.* Planè quod alij annotant † mendacium ante litem contestatam revocari posse, *ex l. electio. 26.§. neque hæredi. de Nox. Act.* & ea ratione pœnam eius evitari, *Costal.hic.* cum moderamine accipiendum est, nisi damnum ex mendacio jam re ipsâ redundarit,
3. ut hic & in plerisque legibus jam allegatis. Deceptus enim † in proposito creditor est, quòd cum eo contraxerit cum quo non negotiatus esset, si eum filium-familias scivisset, eoque meritò non restituitur.
4. tur. Sed quando † quis noxali actione conventus, negat se servum in potestate habere, confessione mendacij ante litem contestatam factâ, liber est; & si minor sit, etiam post litem contestatam. tum enim per mendacium actori nihildum accidit detrimenti.

§. Soli autem.

1. *Beneficium condemnationis in quantum facere potest, an transeat in fidejussorem.*
2. *An in procuratorem.*
3. *An adversus hæredem in solidum dirigenda exsecutio sit.*
4. *Temperatio sententiæ aliorum.*

1. Beneficium condemnationis † in quantum quis facere potest, ad hæredem non transit, *ut hic.* nec ad fidejussorem etiam, *l. etsi inf.*
2. *de. Re Iud.* In procuratore † contrarium obtinet, quia is ipse loco domini venit; *l.si cum procuratore. eod.* ideoque nulla in re deterior ipsius conditio est, præterquam in satisdando, *l sed & ea. §. defendere. de Procur.*
3. Vnde quæsitum † est, An lata sententia in defunctum qui tantùm in id quod facere poterat condemnandus erat, adversus hæredem in solidum dirigenda exsecutio sit? & hoc Baldus admisit, *Bald.in l.2. C. eod.& post eum Costal. hic.* Moventur argumento ex hoc textu desumpto, quo scilicet relatum est, beneficium id tantùm
4. paratum personæ fore. Sed ea † opinio cum temperamento accipienda est, ut scilicet ita obtineat, si sententia in solidum lata sit. Constat n. eum quoque qui ejusmodi privilegio gaudet, rectè in solidū condemnari, quo casu beneficium hoc etiam in exsecutione paratum est, *l. Nesennius. 41. § fin. de Re Iud.* Quod si etiam in defunctum condemnatio facta sit, in quantum facere posset, cum hæredi-

tati

tati quoque id jus per sententiam quæsitum sit, diversum dicimus, eo quod actori ulteriora exsequenti obstet exceptio judicati.

DE SC. MACEDONIANO.

Tit. VI.

Ad l. 1.

1. *SC. Macedonianum odio fæneratorum introductum est.*
2. *An minor beneficio huius SC. renunciare possit.*
3. *Zasius confutatus.*
4. *Quid si renunciatum cum juramento sit.*
5. *Peccatum committi ab eo qui ad hoc SC. provocat cum pecunia in usum suum sit versa.*
6. *SC. beneficium per exceptionem paratum esse.*
7. *Verba hæc; actionem non dabo, quas vires habeant.*
8. *Quando non procedant.*

ILlud constat, † SC. Macedianum odio fœneratorum introductum esse, *ut hic, & l. qui exceptionem. 40. de Condict. Indeb.* Quod & 1.
argumento est per filium exceptioni † eius renunciare non posse, 2.
nec magis quàm minor renunciaret beneficio restitutionis. Atque hoc Doctoribus placuisse Costalius author est, *in l. tamen. 11. infrà. eod.* Licet verò Vdalricus Zasius in contrarium † disputet, *lib. 2.* 3.
Resp. Sing. c 28. prior tamen sententia obtinuit, nisi renunciet postea quã paterfamilias esset factus. *d. l. 40.* Parumque ad rem facit l. 2. §. usque adeo. de Injur. quia ibi ei quidem permittitur renunciare actioni injuriarum, sed hoc à proposito jure senatusconsulti longè diversum est, eò quod remissio actionis injuriarum ipso jure favorabilis sit, cum actioni ei & aliàs præscribatur spatio unius anni; exceptio verò SC. perpetua sit. *d. l. qui exceptionem. 40.* Denique & rectè † Bartolus cum argumento huius rei, tum ex ratione Iuris 4.
Canonici admittit, mutuum cum filio-familias initum firmari juramento, *in l. Seius & Aggerius. Ad L. Falc.* Quod eatenus accipi *Ius Canon.*
oportet, ut compellatur adversus exceptionem, censurâ ecclesiasticâ in ejusmodi casibus consueta, *vide quæ nos latè ad l. 1. de Iurejur.* non item ut civili aut canonica ratione beneficium exceptionis tollatur ipso jure, aut aliàs ex eo negotium confirmetur ad actionem, quæ exceptionem SC. perimat jure directo. Sed amplius Innocentius † addit filium familias qui pecuniam mutuo acceptam utiliter 5.

 con-

consumpsit, peccatum committere si se defendat beneficio Macedoniani. *Innoc. in c. quia plerique. de Imm. Eccl.* quod magis est. Denique & expeditum est, † quod dicitur fœneratori in filium-familias actionem dari id non ipso jure, sed per exceptionem fieri, *gl. hic*, cum exceptionem pariat perpetuam. *ut infrà. in l. sed etsi. 9. §. fin. eod. & d. l. qui exceptionem. de Condict. Indeb.* sed talem quæ impediat litis ingressum. *ut hic.* idque officio Prætoris continetur, ad quem scilicet pertinet actiones & exceptiones dare. *vide quæ nos in l. 1. de Iurisdict.* Planè quod Bartolus annotat, † ejusmodi verba *actionem non dandam*, eò in civilibus pertinere ut non nisi paratam exceptionem indicent, *Bart. hic & l. nam posteaquam. de Iurejur.* id quidem ita est hoc loco, & in l. nam posteaquam. de Iurejur. *ubi idem Bart. num. 4.* sed hoc perpetuum non est. Sæpius enim ubi actio negatur ibi juris ratio deficit, & ubi ipso jure agendi facultas impeditur, vel propriissime prætor actionem non dare censetur. Cum prætorium jus viva vox juris civilis sit. *l. nam & ipsum. de Iust. & Iure.* Rectè verò idem Bartolus † ex Iacobo de Arena, ita actionem negandam annotat, nisi exceptio altiorem indaginem admittat. *tex. & Bart. in d. l. nam posteaquam. de Iurejur.* vide quæ nos infrà in l. 2. §. 1. Ad Velleian.

1. Filius-familias consul. SC. gaudet.
2. An hoc jure Codicis mutatum sit.
3. Consuetudo in hac re sententiam glossa probat.

1. §. Final.) EX hoc † textu palam est jure nostro filium-familias consulem non privari beneficio Macedoniani, idem verò de dignitate episcopali & alijs dicendum. Ratio verò est quia jure civili accessio dignitatum ejusmodi non liberat à patria potestate. *not. in l. 3. de Adop.* Sed cum † hodie Consul, Præses, & quicunque à curiæ onere liberi (qui sint illi v. l. fin. C. de Decur. lib. 10.) quàm primùm ad dignitatem ejusmodi perveniunt, ipso jure patria potestate solvuntur, *Novell. 81. c. 1.* quæsitum est an isti ipsi quoque beneficio SC. fruantur quod Accursius non putat, *gl. hic.* Costalius contra, ne privilegium ipsis damnosum sit. Res in eo consistit, an filij-familias maneant an minùs, & quidem quia tales non manent, *per d. Novell 81. c. 1.* rectiùs dicimus glossam tenendam. Cujus † sententiam sine omni controversia in hac re moribus sequimur. Absurdum enim foret ei privato nomine cum periculo credi, qui reipublicæ aut ecclesiæ negotia gravissima liber gerit.

Consuetudine glossæ sententia probata.

Ad

Ad l. 3.

1. *Publicè & apud omnes pro patre-familiàs habitus SC. non invatur, & quatenus. num. 2.*

3. *An ut filius hoc SC. privetur, requiratur ut se decennium pro patre gesserit.*

4. *Filius mercator an hoc beneficio gaudeat.*

5. *Filius an annuos reditus emere possit.*

QVi publicè & † apud omnes pro patre-familias habetur, Macedoniano non juvatur, *ut hic. & l. 1. C. eod.* Fundata quidem exceptio est ipso jure, sed benignè admissum est, ut exceptio † elidatur replicatione, ut nimirum doceat communiter ita existimatum esse, *d. l.* 1. Licet enim ignorantia facilè præsumi solet, *l. verius. de Prob.* nisi aliundè scientia constet: si tamen quispiam in ignorantia contra rationem juris fundet intentionem suam, contrarium obtinet, *ut hic.* An verò necessarium † sit ut filius decem annos se pro patre-familias gesserit, priusquam exceptionis hujus beneficio privetur, videamus. Et id quidem Bartolo placuit, *in l. Labeo. de Sepul. Viol.* sed hoc ut nusquam relatum, ita moribus & ab alijs improbatum est, *Costal. hic.* 1. 2. 3.

§. 1.) Ex eo quod † hic dicitur, filium-familias qui vectigalia conduxit non gaudere beneficio Senatusconsulti, *ut hic.* cum nimirum is facilè ab omnibus paterfamilias esse credatur: argumentum Baldo præbuit, filium negotiatorem SC. eodem non juvari, *Bald. in l. Macedoniani.* C. *eod.* Idque & Consuetudine † harum regionum Belgicæ obtinet, maximè si filius res suas seorsim agat, quod moribus hujus seculi is ferè solutus censeatur patria potestate. *vide nostra sup. in l. 3. de His Qui Sui Vel Al. Jur. Sunt.* 4.

§. Is autem.) Quæri potest † an venditio redituum filio-familias permissa sit, dubium movet quod ea non cadat in propriam mutui conventionem: magis tamen est, ne ea occasione fraus Senatusconsulto fiat, venditionem ejusmodi exceptione submoveri. *ut hic in vers. quod ita demum erit dicendum.* Qua de re qui plura requirit videat tractatum nostrum de Annuis Reditibus, *lib. 1. c. 5. num. 8.* jam olim editum. 5. *Consuetudo hodierna.*

Ad l. item si filius-familias. 7.

1. *Senatusconsultum hoc cessat, si pecunia expendatur in causam necessariam.*

2. Quid

2. *Quid si extiet pecunia accepta in peculio, an actioni sit locus.*

3. *Baldi sententia in hac re quomodo temperanda.*

4. *Quid juris si pater-familias aliquid non tamen omne solverit.*

§. QVOD DICITUR IN EO, QVI STUDIORUM CAUSA ABSENS MUTUUM ACCEPERAT, CESSARE SC. ITA LOCUM HABET, SI PROBABILEM MODUM IN MUTUA NON EXCESSIT.) *ut hic & l. Macedoniani.C.eod.* Idem est, si in
1. quam † aliam causam necessariam pecunia sumatur, verbi gratiâ, ut creditorem dimittat, sibive alimenta paret. *§.proinde.supra ead.l. & §.1.inf.* Quod si non indigeat † ea, nec in rem patris eam verterit,
2. sed exstent etiamnum in peculio, exceptioni locum damus. *l. sed etsi.9.§.hac senatusconsultum. inf. eod.* Sed quod Costalius ex Baldo
3. † refert, *ad d.l. Macedoniani.* filium-familias qui pecuniam mutuam accepit nulla adposita causa, exceptionem SC. Macedoniani habere, etiamsi eam postea in libros expenderet, *per d. §. hoc. Sc.* id temperationem recipit, ut scilicet procedat ita demum, si probabilem modum necessitatis creditor excessit. Aliàs enim contrarium erit; cum credendi ratio in proposito non ex verborum apicibus, sed modo ac usu in quem pecunia destinatur, æstimanda sit. *ut hic.*
4. §. Hoc ampliùs.) Si pater-familias † factus, vel ipse pater etiam solvere cepetit, ratum habuisse negotium censetur, & per consequens exceptio cessat. *ut hic.* Idque & in reliquo nondum soluto obtinet, ut Accursius author est. *gl.hic.arg. Novell. de Her. & Falc.§.non autem.* Cum ratihabitionem ex parte interponens, quod superest quoque ratum habere censeatur, adeoque ratum habere oporteat invitum. *arg. l.cum quæreretur. de Adm. Tut.*

Ad l.si filius familias. 16.

ESt in hac lege exemplum quo tacens consentire mandato censetur, nisi contrarium testatus sit. Unde & aliàs quoties quis actui alicui interest, vergenti in præjudicium sui, consultum est ut in contrarium protestetur, *per hunc text.* An verò si id non faciat, consentire censeatur vel minùs, pluribus suprà explicamus. *ad l. Gaius, de Pign. Act.*

LIBER

LIBER DECIMVS-QVINTVS.

DE PECVLIO

TIT. I.

Ad l. 2.

QVi servi alieni usumfructum habet, ex ijs causis convenitur solis, ex quibus ei per servum acquiritur, ex reliquis igitur causis agendum est in dominum proprietatis. *ut hic.* Nec mutat l. hinc quæritur. *19. §. 1.* infrà eod. quia ibi quidem ex omnibus causis fructuarium teneri relatum est, sed id explicatur in ijs quæ domino quæruntur, domino priùs excusso, *ut ibid. in tex.*

Ad l. 3. §. idem scribit.

Vide quæ ponimus latiùs infrà *ad l. 11. de Appell.* ubi & hic §. relatus est.

§. Servus. Refertur infrà in l. *5. inf. eod.*

Ad l. Depositi. 5. §. si filiusfamilias.

SI filius familias detulerit jusiurandum, & juratum sit, de peculio danda est actio quasi contractum sit, cum in servo sit diversum. *ut hic.* Intelligimus enim id de delatione judiciali, cùm in judicio quasi contrahatur, idque de servo dici nequit, quòd non habeat legitimam personam standi in judicio, ideoque id ipsum subsistere cum eo non potest, *l. multo magis. 24. De Iurejur. l. 3. §. si servus. sup. eod.* Nam quod attinet ad jusiurandum extra judicium præstandum, inter filium & servum differentia non est, *l. quidam. 22. de Jureiur.* Planè quod dicimus servum delatione juramenti conditionem domini facere posse deteriorem, ut dominus ex hoc de peculio conveniatur, id ita acceptum est, si liberam peculij habeat administrationem; aliàs enim diversum dicimus. *per d. L. 24.*

Ad l. quam Tuberonis 7.

1. *Nomina nec mobilia nec immobilia esse.*
2. *Legato usufructu bonorum an nomina contineantur.*
3. *Quid juris de statuto ac nominibus agente.*

4. *Nomina interdum ad mobilia pertinent, interdum ad immobilia. num. 5. & 6.*

7. *Reditus annui immobiles sunt.*

1. §. IN peculio.) Ex hoc textu plerumque colligitur, propriâ † ratione nomina nec in mobilibus, nec immobilibus esse. Vnde illa-
2. tum † est, legato usufructu mobilium & immobilium, usumfructum nominum non contineri, *Bart. in l. ult. §. fin. de Vsufr. Leg. & in l. 1. Si Advers. Transact.* Hoc ita, nisi constet testatorem de tota rerum substantia sensisse. Siquidem voluntas potior est subtilitate verborum aut scripturæ, *l. heredes mei. §. cum ita fuerit scriptum. ad*
3. *SC. Treb.* Quemadmodum &, si constitutio † aut statutum agens de mobilibus & immobilibus, omne patrimonium comprehendere intelligatur, de omnibus accipiendum est. *Costal. hic. post gl. quam allegat in Auth. de Non Alien. Aut Permut. §. vult enim*, idque eo
4. sensu † ut si nomina & actiones ad mobilia directæ sint, pro mobilibus habeantur, sin ad immobilia, in immobilibus sint, *gl. d. lo. seq. Abb. in c. nulli. de Reb. Eccl. Non Al. Bart. in l. si ad resolvendum. ubi*
5. *notat, C. de Præd. & Al. Reb. Min.* Et hæc quidem † distinctio probabilis est, quòd adjuncti ferè eadem ratio habeatur, quæ sit subjecti, sed disputari ex subtiliori discursu juris civilis posset, quod nomina etiam debitorum mobilium, ipsa & immobilia videri queant, *per l. si chorus. 79 de Leg. 3. vide quæ nos latè lib. 1. de Ann. Red. c. 3. per tot.* Sed eadem distinctio Moribus huius seculi in praxi obtinuit. Quoties igitur ratio postulat, † ut alterutro jure, mobilium inquam aut immobilium censeantur, superiori distinctione utimur. Ceterùm Reditus † Annuos, ut jura cetera, inter immobilia haberi Iu-
6. re Canonico cautum. *Clem. exivi. §. cumque annui Reditus. de Verb.*
7. *Sign.* & Constitutionibus jam olim probatum est. *l. jubemus. C. de Sacros. Ecclesf. & in l. hac edictali. C. de Sec. Nup.*

Consuetudo confirmat hoc loco sententiam communem.

§. penult.

QVod dominus servo debet, quia fortè quid in rationes domini impendit, vel dominus debitum peculiare exegit, idque sine animo ut id à peculio separaret, in peculio computatur, *ut hic.* idque ita est in actione de peculio favore creditorum, qui certant de damno vitando. Sed servo cui peculium legatum est, id non concederetur, quia ille certaret de captando lucro. *l. si peculium. 6. §. pen. de Pecul. Leg. §. si peculium. vers. pen. Inst. de Leg.*

Ad l. sed si damnum. 9.

§. Sive autem.) Vide quæ ponimus infrà *in l. ob negotium. de Compens.*

Ad

Ad l. si vero. 10.

Vide quæ ponimus suprà *ad l.* 3. *de SC. Maced.* ubi hæc quoque allegata est.

Ad l. si noxali. 11.

§. penul.) SErvo alienato, actio de peculio & in venditorem intra annum, & in novum dominum datur, ita ut creditor electionem agendi habeat contra alterutrum eorum. *ut hic. & l. & ancillarum.* 27. §. *si servus. l. si creditor.* 37. §. *penult. inf. eod.* Vnde quæsitum est an creditor actionem suam dividere possit, & utrumque pro partibus convenire, quod magis est. *per d. l. & ancillarum.* §. *illud. eod.* Nec mutat l. quoties. 47. §. si creditor. eod. ubi relatum est, re integra, non esse permittendum actori dividere actionem: id enim ita, quando actio jam contra unum est instituta, idque indicat vox actori, qua juris author ibidem usus est. Eadem enim distinctione & in alijs personis similibus utimur, ut fidejussoribus. *l. liberum.* 16. *l. reos.* 2. C. *de Fidejuss.*

Ad l. hinc quæritur. 19.

§. 1.) Relatus est in ijs quæ ponimus ad l. 2. suprà eod. quæ solet opponi, solutionem verò vide ibidem.

Ad l. id vestimentum. 25.

VEstimenta quæ servus à domino accepit ut ijs perpetuo utatur, in peculio computantur. *ut hic.* Nec mutat l. peculium. 40. inf. eod. ubi relatum est, vestes peculium non esse: id enim verum est, si dominus servo peculium non constituerit, cum vestes peculium quidem augere, non tamen per se constituere possint. Vnde argumẽtum duci potest, fratres ordinum eos quibus peculiare nihil habere permissum est, prætextu vestium singularium peculij causam constituere non posse, quod nec per se vestes peculium sint, & aliàs quod habent directò ad ecclesiam pertinere, sine peculiari causa intelligatur. *fac. c. ult. de Testam.* *Juris Canonici ratio similis.*

Ad l. quæsitum. 30.

§. fin.) QVod hîc dicitur de dolo oppositionem temporaneam esse, id ad replicationem refertur quæ instar actionis tempore præcluditur, *ut hic per text & gl.* Nam de exceptione contrarium dicimus, cum ea perpetua sit. *per l. purè.* §. *fin. de Excep. Doli. & l. si pactum. C. de Excep.*

Ad l. si creditor. 37.

§ 1. Relatus in ijs est quæ ponimus suprà, *in l. qui aliena. de Procur.*
§. Penult.) Refertur in ijs quæ ponimus ad l. si noxali. 11. §. penult. eod. tit.
§. Finalis.) Si usumfructum servi alieni habeam, quæri potest, si cum eo servo contraxerim ex re mea vel operis servi, an mihi in dominum proprietatis actio detur? quod magis est, deducto scilicet eo quod servus peculij nomine apud me habet, *ut hic.* Quamobrem verò deducto sibi eo? quia & dominus ipse, quoties de peculio convenitur, debitum suum anticipat. *l. deposui. §. servo. infra. eod.* Sed obstant l. sed & si quid. 25. §. Idem Iulianus. de Usufr. & l. liber homo. 118. in princ. de Verb. Obl. quibus refertur servum ex his causis cum fructuario contrahentem nihil agere; quod fructuarius in his ipse pro domino sit. Cæterùm hæc res distinctione explicanda est, ut quidem nihil agat contrahendo ex ijs rebus impersonaliter, aut si sibi stipuletur nominatim: ceterùm si nominatim stipuletur domino proprietatis, commodo ejusdem contrahit rectè. Cum & alias ex pluribus dominis ei soli acquirat, cui communis servus stipulatus est nominatim. *l. 5. de Stip. Serv. §. fin. Inst. eod.*

Ad l. peculium. 40.

Vide quæ ponimus suprà ad l. vestimentum. 40. h. t. quæ solet opponi, vide solutionem. ibidem.

Ad l. eo tempore. 50.

SI nihil in peculio sit, de peculio acturus mitti in bona patris vel domini non potest; quia non potest videri pater vel dominus fraudationis causa latitare, cùm absolvendus esset, si judicium acciperet. *ut hic in prin.* Hoc nihil est si nihil sit in peculio, nec esse queat eò quod filius aut servus mortuus vel manumissus sit, nam si evenire possit ut tempore sententiæ aliquid in peculio sit, bona patris vel domini possidentur rectè. *l. Fulcinius. 7. §. si quis actione. Ex Quib. Caus. In Poss. Eat.*
§. 1.) Si à creditore filij tui hæres institutus sis, in ratione Falcidiæ ineunda, ut alijs, ita hic quoque, peculium spectatur quod est tempore mortis. *ut hic. fac. l. pen. princ. inf. eod.* Quod si tamen post mortem testatoris ante aditam hæreditatem peculium minuatur, nocebit hoc hæredi, cum eo casu inspiciatur tempus aditæ hæreditatis. *l. cum eo. 56. l. si creditor. 83. de l. Falc.* ut & si auctum sit jacente hæreditate, augmentum retrotrahitur ad tempus mortis. *d. l. cum eo. §. 1.*

§. final.)

§. Final. Cui acquirat servus alienus bona fide possessus, vide infrà, *in l. acquirimus. 10. de Acq. Rer. Dom.*

l. pen. princ.

Allegatur infrà tit. 1. ad l. ult.

QVANDO DE PECVLIO ACTIO ANNALIS EST.

Tit. II.

Ad l. 1.

§. Item hæres.) QVod hic dicitur hæredem conveniendum esse licet peculium tradiderit, id in specie fideicommissi accipimus. eo enim casu tenetur hæres, quia non cogebatur peculium tradere, nisi prius ei legatarius caveret de defensione sui contra peculiares creditores. Quod si tradiderit sine cautione, sibimet ipsi hoc imputare debet. Sed si quis servo libertatem & peculium directò jure reliquit, manumissus convenitur, quia sine facto hæredis peculium manumissi factum est, *l. 1. 5. per contrarium de Dote Prel.* Denique & aliàs quando hæres jussus est accepta certa summa peculium dare, penes eum peculium non videtur esse. *l. at cum hæres. 35. de Pecul.*

Ad l. ult.

SVprà tractatum est, mortuo filio vel servo quantum in peculio sit, tempus mortis inspici. *ad l eo tempore.* 30. §. 1. *suprà. tit.* 1. *per illum text. & l. pen. princ. eod. illo tit.* Quatenus verò id ibi accipiendum sit, posuimus ad d. §. 1. Illud autẽ ex hoc textu palam est, in edicto de peculij actione annali, quando scilicet cœptum est agi post mortem filij vel servi: indifferenter spectari augmentum & decrementum peculij post mortem contingens.

DE IN REM VERSO.

Tit. III.

Ad l. 3. Sed si sic accepit.

Vide hunc §. allegatum suprà in l. ult. de Exerc. Act.

Ad l. & ideo. 7.

§. 1.) CVm filius aut servus domino aut patri in rem versum donant, nihilominus hac actione tenentur. *ut hic.* Hoc ita nisi donandi causa obligationem pristinam domini aut patris per novationem suscipiant, quia tum de in rem verso actio cessat, *l. 10. §. idem tractat. infrà. eod.*

Ad l. si pro patre. 10.

§. Idem tractat.) Relatus in ijs est quæ ponimus ad l. & ideo. 7. §. 1. suprà. h. t.

§. Quare.) Refertur in ijs quæ ponimus ad l. prox. infrà. quæ solet opponi.

§. Versum.) Si in rem patris vel domini quidem versum sit, sed versum esse desierit, actio de in rem verso cessat, *ut hic.* Sed hoc ita accipimus, ut actio denegetur, si quod à servo in rem domini, vel filio in rem patris versum sit, id redeat à domino aut patre ad filium aut servum; quia ipsis debitum peculiare hoc sit solutum. Nam si res casu pereat vel minuatur, nihilominus de in rem verso actio est. *l. 3. §. unde rectè. §. sed & si servum. §. fin. suprà. & l. servus in rem. 17. princ. eod. tit.*

Ad l. Quod servus.

QVod servus vel filius solverit creditori suo, licet in rem patris aut domini versum sit, quod hi actione de peculio liberati sint, non tamen in rem versum intelligitur. *ut hic.* Hoc ita si suo id nomine filius aut servus fecerint, nam si nomine patris mutuum acceperint exsolvendi debiti peculiaris mente, aut si filius judicium de peculio susceperit, tanquam defensor patris, patrem de in rem verso teneri magis est. *l. 1. sup. §. quare potest. hic.*

l. Servus. 17.

Allegatur suprà in l. 10. §. versum. h. t.

Ad l. ult.

EX hoc textu palam est, etiam interdum nomine ejus quod conservandi peculij causa erogatum est, producere utilem de in rem verso actionem. *ut hic.* in rem enim versum accipimus, quod ad utilitatem domini vel patris expensum est, & interdum etiam quod impensum

impensum est per obliquum. *ut in l. 10. princ. & l. 7. §. 1. suprà. eod.* Vnde quemadmodum de in rem verso actione repetitur quod in alimenta familiæ paternæ expensum est, §. *in rem autem versum. Inst.* *Quod Cum His.* ita ea utiliter repetitur quod in conservandam familiam dotis, à marito uxori creditum aut permissum est, *ut hic.*

QVOD IVSSV.

Tit. IV.

Ad l. 1.

§. SEd & si servi.) Qui dominus servi chirographo subscripsit, tenetur quod jussu. *ut hic.* quod temperationem admisit, si subscripserit, ut dominus. nam si quis subscripserit ut testis, instrumento inter alios confecto, non tenetur. *l. Gaius. 39. de Pign. Act.* nisi & unà fidejusserit, *l. 9. C. de Fidejuss.* Hoc ita si stipulatio accesserit, cum fidejussor non nisi verborum obligatione teneatur. *l. mutua. 14. C. Si Cert. Pet.* Idem est, si dominus, ignorans sibi eum servum esse, subscripserit, tametsi de peculio hoc casu teneatur, *l. Titius. de Resc. Vend.* Planè si non fidejusserit, etiamsi velut tutor aut curator subscripserit, non tenetur, *l. si non subscripsisti. 15. C. de Adm. Tut.*

QUID ERGO SI FIDEIUSSERIT PRO SERVO? AIT MARCELLUS, NON TENERI QVOD IUSSU: QVASI EXTRANEUS ENIM INTERVENIT.) Non tenetur igitur ex jussu, quia jussus ejus nullus fuit. Quod verò subjungitur. *Neque hoc dicit ideo, quod teneatur ex causa fidejussionis*, subintellige vel non teneatur, quia certum est quoties dominus ut extraneus intervenit, eum ex fidejussione teneri. *l. si domina. in fine. inf. tit. 1. l. pen. §. taberna. sup. de Inst. Act.* Nam & si quis evictionis causâ pro extraneo fidejussisset in re præjudicij sui, vindicando rem, exceptione repelli posset, quod ipse evictâ re pro evictione teneretur, *l. exceptione. C. de Evict. junc. l. vindicantem. de Evict.*

LIBER

LIBER DECIMVS-SEXTVS.

AD SC. VELLEIANVM.

TIT. I.

Ad l. 1.

1. *Intercessio mulierum quomodo SC.Velleiano prohibita sit.*
2. *Intercedere quid sit & quàm latè pateat hoc loco & n.3.*
4. *Mulier pro alio rectè solvit.*
5. *Prima species qua Velleianum cessat, favor libertatis.*
6. *Secunda dotis.*
7. *Tertio pretio accepto.*
8. *Quantum id pretium fuisse oporteat.*
9. *Quarta exceptio causa doli.*
10. *Quinta, si post biennium secundò cautum sit.*
11. *Si agat pro alio.*
12. *Defendere mulier quatenus patrem possit.*
13. *Exceptio 7. ex l. 8. § 1. inf eod.*
14. *Octava exceptio, si intercedat in rem suam.*
15. *Quatenus delegatio debiti per SC. tollatur.*
16. *Quid si exceptioni huic renunciatum sit.*
17. *Consuetudine huius seculi an mulier mercatrix hoc beneficio gaudeat.*

1. SC. Velleiano † plenissimè prohibitum est, ne mulieres pro alijs intercedant, ne nimirum facilitate sua subeant periculum rei familiaris. *tex. hic.* Intercedere est alienam obligationem
2. † in se recipere, quod fit fidejubendo vel constituendo pro alio. *l. 2. §. 1. inf h. t.* mandando etiam ut alterius nomine pecunia numeretur, aut fidejubeatur. *l. 6. & 7. inf. h. t.* item obligatione rei suæ. *l. quamvis 8. infrà. eod. l. si mulier. 22. C. eod.* aut sibi obligatæ pro alijs factà, *l. 17. §. 1. infrà eod.* idemque dicimus si obligationem alterius delegatione aliàve novatione in se suscipiat, aut alium judicio defendat. *l. 2. §. fin. l. quamvis. 8. §. si convenerit. 8. inf. h. t. l. 2. l. 4. l. 16. C. eod.* etiam ex quasi contractu, ut si hæreditatem adiret. *l. si mulier in iure. 23. inf eod.* Quanquam si id suo nomine faciat, non facilè audiatur, nisi decepta sit fraude creditorum. *l. si mulier. 32. princ. & l.* quidam,

quidam.29.inf. eod. Denique & † senatusconsulto locus est, si alterius nomine mulier mutuum accipiat, aut promittat quod alius acceptutus vel promissurus fuisset. *ut in d.l.* 8.§.*si cum.* 14.*infrà eod.* Quamvis † pro alio solvere possit, idque eo, quod tenacior hic sexus, non tam facilè donet quàm promittat. *l.4.inf.hic.l.1. & l.4.* C. *eod.* Sunt tamen casus † quibus senatusconsultum cessat, verbi gratiâ. 1. si spondeat pro pecunia in libertatis pretium conferenda. *l.pen. C.eod.* 2. Si spondeat pro dote † tertiæ dandâ, vel pro tertia eam solvere promittat, *l.ult.C.eod.* nam in promissione dotis quæ fit filiæ, pietatis respectus beneficium senatusconsulti tollit. *l.* 12. *C. eod.* 3. Cessat senatusconsultum † si pretium pro intercessione acceperit. *l. antiqua.* C. *eod.* Quantum autem id fuisse † debeat, quæsitum est, definire quidem hoc Cynus conatur. C*in. & Salicet, in tit.* C. *eod.* sed totum hoc tutiùs arbitrio judicis relinquitur. D*uar.hic. c.*2. *Sichar.in rub.* C. *eod.* 4. Cessat, si decipiendi † causa intercedat. *l.si decipiendi*, 30. *inf.eod.* hoc enim casu senatusconsulti exceptio replicatione doli elidenda est. *l.6.§.fin. inf.eod.* 5. Si post biennium à prima intercessione, † caveat secundò. *l.si mulier*.22.C. *eod.*6. Si agat pro patre, † prævia tamen hoc casu causæ cognitione. *l. femina.* 41.*sup.de Procur.vide Subtil.nost.lib.7.c.6.* Defendere enim patrem sine mandato non poterit. *l.* 2, *§. fin. inf eod.* 7. Cessat in † specie l. quamvis. 8 §.1.inf.eod. *ut ibi latiùs.* 8. Si intercesserit † in rem suã, neque enim hoc casu intercedere videtur. *l. sed si eum.*3. *l.aliquando.*13.*inf.eod.l.8.§.1.Qui Sat.Cog.l.si adversarius.* C.*eod.* 9 Si mulier debitrix † delegetur creditori creditoris, quia tum vix est ut intercedere videatur. *l.* 2. C.*eod.l.debitrix.in princ.inf.eod.* quod perinde in rem suam promisisse censenda sit, Quamvis si ultro promittat creditori creditoris, sive id novandi animo fiat, sive non fiat, intercedere putatur, & exceptione utitur. *d.l.debitrix.§.1.inf.eod.* 10. An verò † senatusconsultum cesset si ei renunciatum sit, disputatum est, sed hoc nos infrà tractamus suo loco *in l.ult.§.pen.eod.* An verò † mulier mercatrix hodie hujus senatusconsulti beneficio gaudeat, quæri potest & quidem Baldus hoc vix putat, *in l.si à muliere.* C.*de Inst.Act.* Cujus sententia & in foro mercatorum moribus obtinuit, & rationem habet. Idque argumento ejus probatur, quod filiusfamilias qui vectigalia publica conduxit, Macedoniano non gaudet. *l.3.suprà.ad Maced.Costal.ibid.*

Margin: 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. *Consuetudo hodierna.* 16.

Ad l. 2.

1. ***Explicantur verba senatusconsulti. Ne eo nom. ab his petitio &c.***

2. *Exceptione Senatusconsulti cur opus sit, cum senatus actiones dandas prohibeat. & num. 3.*

4. *Mulier quando tuta sit ipso jure, quando per exceptionem Senatusconsulti.*

5. *Intercessiones pro maritis factæ irrita sunt ipso jure.*

6. *Consuetudo contraria.*

1. §. 1 VErba hæc: Ne eo nomine ab his petitio, † néve in eas actio detur: ita intelligimus, ut petitionis quidem verbo vindicatio actionis autem condictio veniat. At exceptione quamobrem
2. opus est, cum † senatusconsultum innuat, petitiones adversus mulieres non decernendas *ut hic. & l. ult. §. si mulier. inf. eod.* Hæc ita accipimus, ut si constet propalam jus dicenti, negotium de quo agitur in intercessionem cadere, actio postulanti denegetur. Sin verò hoc minùs manifestum sit, actionem quidem det, sed ea cum exceptione, nisi pateat mulierem intercessisse. *arg. l. si mulier. 23. inf. eod.*
3. *junc. l. tamen. 11 sup. ad SC. Macedon.* Atque hoc † sensu Bartolus perhibet, actionem dari, si res altiorem indaginem requirat, *vide nostra in l. 1. num. 8. supra ad SC. Maced.* ut scilicet & exceptio detur: quæ quandoque tamen & replicatione doli queat elidi. *l. 6. inf. cod. Bart. in l. nam postea quam. de Iurejur.* Quò spectat quod constitutum
4. est: mulieres nisi instrumento † publico tribus testibus subscripto sese obligarint, ipso jure ab actione tutas esse, ut nimirum confecto tali instrumento in casibus quibus Velleiano locus est, tutæ sint per viam exceptionis. *l. antiqua. 23. & ibi Azo ac Bulg. alleg. à gl. C.*
5. *eod.* Quemadmodum † & intercessiones pro maritis factæ, irritæ
6. sunt ipso jure *Novell. 134. c. 8.* Sed hoc plurium † locorum moribus non servatur. *Bart. in tract. repres. q. 1. nu. 7. Alex. in l. sæpe. de Iudic. num. 11. & 13. Gail. 2. Obs. 90. num. 1.* & rationem habet propter bonorum inter conjuges communionem pene ubique receptam. Denique quod Hotomannus hoc loco pro *mutui dationes,* legit *mutuationes, Hotom. 1. Obs. 14. & in Comm. hic.* Id reliqui rectiùs improbant, *Cujac. tract. 4. ad Afr. in l. 17. & l. 19. infrà h. t.* ubi hanc lectionem retinet. Cum hoc casu mulier novam obligationem alterius nomine suscipiat, ut in l *8. 9. 14. & in l. quidam. 29. inf. eod.*

Consuetudo contraria.

§. Omnis omnino.) Quæ ad hunc §. pertinent latiùs explicata sunt in princip. L. 1. suprà eod.

L. 4.

Relata est infrà *in l. si mulier. 11. & l. 12. eod.*

L. 6.

l. 6. & 7.

Relatæ sunt in nostris ad l. 1. h.t. num. 2.

Ad l. quamvis. 8.

Principium huius l. relatum est suprà *in l. 1. §. 1.*) Si mulier tutoribus, filij ne prædia distraherent, indemnitatem promiserit, senatusconsultum cessat. etsi enim quodammodo intercessisse videatur, tamen quia pro eodem apud eundem intercedere potest nemo, *l. gravius. de Fideiuss.* novam magis obligationem censetur contraxisse, *ut hic. similisque species est in l. tutor. 19. inf. eod. l. 6. C. eod.* Nec mutat d. l. 6. §. 1. & fin. C. quia in utriusque istius paragraphi specie intercessio est manifesta; priori quidem intercedendo apud tutorem pro filio, ut ille actionis contrariæ securus sit, posteriori suscipiendo periculum actionis directæ apud pupillum pro tutore. *Adde Subtil. nostras lib. 7. c. 6.*

Ad l. si mulier, 11. & l. 12.

ITa demum mulieri Senatusconsulto succurritur, si creditor eam intercedere sciat. nam si & hoc casu mulier tuta foret, nemo cum illa contraheret, *ut hic & l. 4. suprà eod. l. tutor. 19. §. cum haberes. 5. infrà eod.* quod & ita ferè est in restitutione minorum. *l. 24. §. 1. de Minorib.* ignorantia igitur creditoris mulieri beneficium adimit. *dd. ll.* sed an hoc ita simpliciùs sit, an verò & requirimus mulierē quodammodo hoc casu fraudis fuisse consciam? Faciliùs quidem cessabit exceptio si fraudis conscia sit, *ut hic & l. seq.* sed interim tamen si conscia non sit, senatusconsultum ob solam creditoris ignorantiam cessabit, *l. 6. l. vir uxori. 17. hic.* Ob ignorantiam enim exceptionem senatusconsulti cessare certum est, *l. 1. C. eod. l. tutor. 19. §. cum haberes. 5. inf. h. t.* hoc autem non aliter obtinere quàm si fraus feminæ concurrat, relatum est nusquam. Et verò ratio quæ hoc casu senatusconsulti exceptionem tollit est indistincta: nimirum si eo casu quo creditor eam intercedere ignorat, senatusconsulto locus sit, contrahendi libertatem mulieribus penitus ademptam iri. *hic. in l. 11.* Et hoc Cujacius probat, *tract. 4. Ad Afr. in explicatione. l. 17. inf.* Planè quod dicimus, ignorantem creditorem ab exceptione hac non submoveri, id temperationem recipit, ut ita procedat, si cū muliere contrahat ab initio, nam si alienā obligationem in se transferat, creditor cautior erit, *l. 17. inf. l. 8. §. 2. l. 4. prin. suprà h. t.* Quo ipso tamen casu, si uterque contrahens probabili ignorantia laboret, exceptio denuo admittitur, *l. 1. C. eod.*

l. 17.

§. 1.) Relatus est in ijs quæ ponimus ad l. 1. num. 2. sup. eod.

Ad l. tutor. 19.

Principium hujus l. relatum est suprà *in l. 8. §. 1. eod. ubi vide.* §. 5.) Relatus est in l. 11. suprà eod.

l. Debitrix. 24.

Relata est suprà *in l. 1. ubi vide.*

Ad l. si decipiendi. 30.

Vide quæ ponimus ad l. 11. & 12. suprà eod. Allegatur quoque in l. 1. num. 9. h. t.

Ad l. ult.

§. Si mulier. 3.) Relatus est suprà *in l. 2. §. 11.*

1. *Mulier an beneficio SC. renunciare possit.*
2. *Quisque beneficio sibi concesso renunciat rectè.*
3. *An renunciari SC. extra judicium possit.*
4. *Wesenbechius notatus.*
5. *Vt renunciationi locus sit mulierem beneficij huius præmonitam esse oportet.*
6. *Quid juris si juramentum renunciationi accedat.*
7. *Iuris Canonici ratio in hac re.*
8. *Instrumentum intercessionis renunciationem comprehendere oportet.*
9. *An solo juramento eluatur vitium omissæ præmonitionis. & num.* 10.

1. §. SI mulier. penult. Cavere debebit exceptione se non usurum.) Ex hoc textu perhibent, † mulierem exceptioni SC. rectè renunciare, quod magis est, *Novell. 94. c. 2. & Novell.* 118. *c. 5.* Confirmat sententiam quod exceptio hæc non tam odio creditorum quã favore mulierum est introducta, *l. qui exceptionem. 40. de Condic. In-*
2. *deb.* In quo genere illud observamus, † quemque renunciare posse beneficio sibi concesso. Atque hoc omnes admittunt si renunciatio fiat in judicio, *Bart. & DD. hic per eundem text.* Sed dubitatum est,
3. an idem sit in † renunciatione quæ fiat extra judicium. *à Costalio hic.* C*onnano. 6. comment. c. ult. num. 9. Wesenb. in comm. huius tit. num. ult.* Moventur, quod mulier eadem facilitate renunciare senatusconsulto possit, quà intercedere, quando igitur ob levitatem prohibita est intercessio, & renunciationem prohibitam censent unà.

Ceterùm

Ceterùm ea ratio licet speciem juris habeat, ficta tamen est. Neque igitur tollit definitionem hujus textus, nam mulier pro alio judicium suscipiendo, directo intervenit; quia verò priusquam intervenerit, etiam antequam ad judicem eatur de exceptione non utenda potest cavere, *ut hic.* merito renunciationem & aliàs admittimus, *ut in Novell. 94. c. 2. & Novell. 118. c. 5.* in quibus quod Wesenbechius perhibet †hoc speciale esse, id textibus non convenit: nam tametsi speciale in illis sit, mulierem tutelæ munus subire, si Velleiano renunciare velit: tamen ex eo non sequitur, renunciationem iis casibus admitti solis. Quinimo contrarium patet cum ex hoc textu, tum ex eo quod mulieribus decipientibus SC. non prodest, *l. 11. & 12. suprà eod.* prodesset autem, si illis renunciare eidem liceret, & illusione hac non obstante, nihilominus beneficio eius frui. Erubescamus igitur contra legem sine lege loqui. Tutiusque est hac in re consuetudinem optimam legis interpretem sequi: ea verò sine discrimine renunciationem admittit, ut Baldus author est: *Dominus Bromehorst allegans Bald cent. 2. controv. c. 40. Gotofr. hic.* ita nimirum † si beneficij huius præmoneatur; & consequenter ei renunciet, 5. *Albert. & Fulgos. hic. Alex. in l. sciendum. num. 33. de Verb. Obl.* Quod ipsum & instrumento insertum esse oportet, nimirum mulierem præmonitam, seu, ut DD. aiunt, certioratam fuisse, atque ita renunciasse. Neque enim satis est simpliciter instrumento inseri, beneficio Velleiani esse renunciatum, quia id ferè fit ex communi consuetudine notariorum cum interim mulier non intelligat quid agatur. Oportet igitur illam beneficij hujus & speciatim esse præmonitam, & ipsum hoc instrumento esse insertum, *Andr. Gail. lib. 2. Obs. 77. num. 5. & seq. ubi allegat Decium, consil. 352. num. 7. incip. viso puncto. & alios plures.* Si verò renunciationi † juramentum ac- 6. cesserit, sine exceptione SC. juramentum valebit, puta si intercessio secundùm juris formam facta sit, *ex requisito l. antiqua. C. eod.* idque ita admissum † Iure Canonico est ex generali regula, *c. cum contin-* 7. *gat. de Jurejur. DD. in Auth. sacramenta per illum tex. C. de Resc. Ven.* Ius Canon. Et profectò si illius capituli sententiam absolutè consideremus, in hac re. advertendum hic non erit, num mulier enormiter sit læsa, an minùs, sed id tantùm, an medio juramento sit renunciatum. Hoc si † ex 8. instrumento constet, eam beneficij huius certioratam; nam si de eo non liqueat, magis est ob enormem læsionem, & concurrentem præmonitionis omissionem, nihilominus mulierem beneficio hoc iuvandam. Idque eò quia juramentum isto casu servatum, vinculum iniquitatis foret, quòd evenire posset ut mulier acta non intelligens eodem constringatur, cum interim et juris ignorantia remittatur, *l. regula. de Jur. & Fac. Ign.* & idcirco scivisse illam hoc ip-

sum, probare cogatur actor, *l, verius. 21. de Prob.* Insuper ex enormi læsione præsumitur dolus, quod nimirum creditor recipiens mulierem intercedentem, ab initio conditionem debitoris scivisse credatur. *arg. l. omnes. §. Lucius. Quæ In Fr. Cred.* Igitur rectiùs dicimus ex facto pendere utrum juramento beneficium Velleiani tollatur an minùs. Cum enim ex consuetudine ac stilo notariorum renunciationes factas esse, plerumque inseratur instrumentis, certiorationem præcessisse oportuit, & absuisse pariter fraudem creditoris.

Consuetudo notariorum minus proba.

9. Ceterùm quod Doctores † autumant, solo juramento elui vitium certiorationis, vel ob solam enormem læsionem, si educta beneficij Velleiani sit, juramentum rescindi, *Andr. Gail. & quos ipse allegat lib. 2. Obs. 77. num. 10. & seqq.* id nec rationi convenit, nec ullo textu evincitur. E contrario verò cautum est, non facilè ob leve damnum veniendum contra juramentum. *d. c. cum contingat.* nec ob solam læsionem juramentum ritè interpositum rescindi. *d. Aut. Sacramenta. C. Si Adu. Vend.* sed concurrente utroque de quo agi-

10. mus † casu, rectius dicimus juramentum non servari ob intervenientem novam causam doli, *l. 1. Qui Satisd. Cog.* Illud Iure Saxoniæ cautum est, renunciationes hasce fieri oportere in judicio. *Lant. Sax. lib. 1. Art. 13.* Planè quoties intercessio ipso jure nulla est, constat nec renunciationem valere nec juramentum. *per l. non dubium. C. de LL. Sichar. ad rubr. C. eod. num. 14. fac. Bart. in l. ult. C. eod.*

DE COMPENSATIONIBVS.

TIT. II.

Ad l. 1.

1. *Compensatio quid.*

2. *Olim compensationi tantùm in actionibus personalibus locus fuit.*

3. *Specierum inter se compensationem non esse.*

4. *De Compensatione in actionibus in rem quid hodie sit juris. & num. 5.*

6. *Vtrum compensationi sit locus ubi quantitas ex una parte debetur, ex altera verò quantitas debetur quæ se habet instar speciei. & num. 7.*

8. *An in commodato compensatio sit.*

Compen-

Compensatio est † debiti & crediti inter se contributio. *tex. hic.* 1.
Ex quo constat huic olim tantùm in actionibus personalibus locum fuisse. Siquidem † actionum realium intuitu creditores & 2.
debitores non dicimur. Magisque est nec in stricti juris judicijs illam fuisse admissam, præterquam quod ex Divi Marci constitutione, eadem & per doli exceptionem oppositam recepta est, *§. in bonæ fidei. Inst. de Action.* Quod usu paulatim latiùs acceptum, *ut ex l. postea. 21. infrà eod.* constat, & Iustiniani lege disertè ad actiones in rem translatum, *l. ult.* C. *eod.* Neque tamen † eò magis specierum 3.
vel corporum inter se compensatio est, *l. si convenerit. 18. de Pign. Act. l. quod dicitur de Impens. In Rem Dot. Fact.* Ratio est quia compensatio vicem solutionis obtinet, *l. 4. inf. Qui Pot. In Pign. Hab.* quia verò aliud pro alio solvi creditori invito non potest præterquam in rebus fungibilibus, *l. 2. §. 1. de Reb. Cred.* consequenter & idem de compensatione dicendum. Quibus adde quod in speciem probabilis affectio cadit, *D D. in d. l. 18. §. fin. suprà Commod.* Quid ergo de † compensatione actionibus in rem opponenda dicemus? 4.
Interpretes ferè ita statuunt, actioni in rem compensationem tum demum opponi, quando res ipsa per æstimationem in quasi pretium est resoluta, *Gl. Bald. alij in d. l. ult. C. eod.* ut accidit in casibus, l. qui restituere. 68. de Rei Vind. Sed & ampliùs † si fortè corpori datum sit 5.
damnum, eius quoque imminutionis ipso jure habenda ratio erit. Quemadmodum & retentionem eadem lege permissam ipso jure Cujacius censit: Quod magis est. *Cujac. 15. Obs. 12.* Id tamen † 6.
commodè accipiendum est, donec nimirum satisfiat. Illud disputatum est, an compensationi sit locus † ubi quantitas quidem ex una 7.
parte debetur, ex altera verò quantitas quæ se habet instar speciei? Quod Bartolo & alijs visum est, *Bart. Alex. Cum. Jacobin. Soc. Ias. & alij ad l. cum fundus. §. servum tuum imprudens. Si Cert. Pet.* idque eo, quòd, tametsi nummi ab altera parte debeantur instar speciei, re tamen ipsa nummi sint, in quos jure cautum est affectum non cadere. *l. nummi. de In Lit. Jur.* Accursius & alij contra, quia species certorum nummorum jure nostro instar corporis sit. *per l. sed si certos. de Leg. 1. Accur. Aret. Roman. Dec. in d. §. servum tuum.* Idque solidè ex eodem quoque textu evincitur, ubi relatum est, peculiares nummos vindicari posse, licet vindicans debeat ipse quantitatem, quasi nimirum peculiares certam speciem constituant. Et hoc quidem magis est. Nec obstat quod dicimus in nummos non cadere affectionem: id enim intelligendum est, nisi debeantur corporis instar. namque ita & affectus in eos cadere posset, *per d. l. sed si.* In causa † verò commodati compensationem esse suprà docemus, *in d. l. 18. §. fin. Commod.* 8.

Ad-

Ad l.2.& l.verum est.4.

1. *Quid sit compensationem ipso jure fieri.*
2. *An & quando judex compensationem praeterire queat.*
3. *Effectus juris in hac re.*
4. *An promissio iurata compensationem admittat.*

1. COmpensatio fit † ipso jure, *ut hic in l.4.l.si ambo.l.postquam.inf.eod.* Azo tamen factum hominis requirit, *in sum, C. eod.* non inepte. Quia compensatio actioni judicio institutae, opponitur. *§. compensationis.Inst.de Act.* Cui accedit quod in potestate partium est, uti velint compensatione vel minùs, *l.2.hic.* Non tamen eo minùs compensatio fit ipso jure, nam & qui solvit, obligationem ipso jure tollit, si tamen solutionem allegare nolit, potest. Sed neque hoc casu minùs sublatum erit debitum ipso jure. Faciliùs itaque compensationis beneficium potest omitti, ipsoque interim jure procedere. Nec obstat † quod judex compensationis rationem quandoque potest praeterire, *l.7.§.1 infra hic.l. 18.§.fin.suprà* Commod. hoc enim ita accipimus si debitum non usquequaque sit liquidum, quo casu judici incumbit discernere an facilè liquidum reddatur, ut tum quidem compensationis computum admittat, sin id difficiliùs pareat, solutio per debitum liquidum non tardetur, *l.ult.*C.*eod.* Verum quia compensatione probata, ab initio minùs debitum intelligitur, *l.cùm alter.11.l.21.infrà eod.* rectè responsum est, ab eo etiam tempore quo utrimque debitum est, compensationis jure minus debitum intelligi. *l.4.*C.*eod.* cuius rei effectus est, † ut usura vel pecuniae compensatae poena, uti non debiti ipso jure à tempore debiti reciproci, non debeatur, *d.l.11.hic.l.5.*C.*eod.* Quid † ergo, si jurato promittatur? plerique dubitant, *Soar.in com.op.lit.*C.*num.*151.*Canonistae in c. 6.de Iurejur.* Movet eos quod omne juramentum quod servari sine salutis aeternae dispendio potest, servandum sit strictè. *d.c. 6.de Iurejur.* Benignius tamen est compensationi dare locum, cum quia ea in veram solutionem cedit, *l.4. qui pot. in pig. hab.* tum quia debitum ipso jure tollit, *ut hic & infra in l.11.l.ult.* C.*eod.* Atque id Bartolus voluit, *Bart.in l.amplius.15 num.8.rem rat.hab. Covarr. in c.quamvis.p.1.§.4.num.8.de Pact.in 6.*& obtinuit, quia benignius est solutionem ab initio non fieri, quàm factam revocari. *l.3.hic. Adde Fach.c.7.lib.1.*

Ad l.etiam.6.

DEbitum etiam id quod solum naturâ debetur, admittit compensationem, *tex.hic.* Id ita nisi debitum sit tale quod exceptione

tione perpetua perimi possit. *l. quacunque. 14. inf. eod.* cujus rei exemplum est, *in l. 2. C. eod.* Nec mutat quod dicimus, creditores non esse, quibus sola debetur natura, *l. creditores. 10. de Verb. Signif.* hoc enim ita propter actionis efficacis defectum. Habet tamen interim naturalis obligatio suas vires, nempe: ut compensationem admittat, novationem, item & fidejussionem recipiat, & nonnullos alios, *tex. & DD. in l. 1. de Novat. l. 16. §. fideiussor. de Fideiuss.*

Ad l. in compensationem. 8.

1. *Etiam debiti in iudicium deducti compensatio est.*
2. *Quando debitum litigiosum tale sit ut in compensationem deducatur.*
3. *An diversæ qualitatis debita inter se compensari queant.*
4. *Bartoli disputatio soluta.*

IN compensationem † etiam id venit quo nomine lis cum actore 1
contestata est, ne nimirum qui diligentem suæ rei gerit curam, pejoris conditionis sit, *tex hic. adde l. non solet. 86. & l. seq. de Reg. Iur.* Hoc ita si res talis sit quæ facili momento liquida reddatur, *ex l. ult. C. eod.* Quando autem id sit in facto consistit, † eoque arbitrium hu- 2
jus, judici relinquimus. *Bald. in l. ult. C. eod.* Sed quæsitum est, an etiam diversæ qualitatis quantitatum † compensatio fit, verbi gra- 3
tiâ, cum unus debeat centum aureos, alter è diverso centum daleros? Et obtinuit, quia in his non tam pecuniæ quàm valoris habetur ratio, *l. 1. de Contr. Emp.* adeoque pecuniæ numeratæ species diversæ etiam inter se functionem recipiunt. *l. quæ extrinsecus. 65. §. 1. de Verb. Obl.* etiam hoc casu compensationem admitti. Potest enim in hoc genere aliud pro alio solvi, *l. 2. §. 1. sup. de Reb. Cred.* ergo & co-
pensari. *arg. l. 4. qui Pot. in Pign. Hab.* Plane tametsi † Bartolus hac de 4
re dubitare videtur, *in l. creditorem. 99. num. 3. de Solut. per illum text.* (ubi definitur, creditorem non cogendum alios nummos quàm numeravit, recipere, si damnum ex ea re sensurus sit) rectius tamen dicimus etiam in ijs compensationem admitti. Quod cum tollendo debito sit benignius, in judicando sequimur: Ita nimirum, ut si una quantitas alterâ fortè pretiosior sit, judex in compensationis computu, id quo una est alterâ vilior, numero rursum vel mensura augeri curet. Atque ita d. l. 99. non obstabit, quandoquidem neutra pars ex compensatione sensura sit damnum.

Ad l. si ambo. 10.

NOtandum ex hoc textu negligentiæ unius cum altera compensationem esse. *ut hic.* Quemadmodum & alibi relatum est, mutui quoque doli compensationem esse. *l. si duo. 36. de Dolo. l. 3. §. si & stipulator. supra de Eo Per Quem Fact. Quo Minus. l. demum. 57. §. fin. de Contr. Emp.*

§. 1.) Compensatio pro solutione est. *l. 4. §. solvisse. de Re Iud.* itaque si compensare potens solvat, condictionem indebiti habet. *text. hic.* Quæ verò ob hanc rem in quæstionem veniant, posuimus suprà *ad l. 2. & 4.*

§. Quoties. 2.) Nota hic & maleficiorum compensationem esse, quoties nimirum agitur pecuniariè. *hic & l. 1. C. Rer. Amot. c. pen & ult. ex. de Adult.* Atque hoc igitur de mutua injuria vel maximè obtinet. *l. qui cum. 14. §. 6. de Bon. Libert. arg. l. 3. de Iust. & Iure. Gail. 2. Obs. 110.* An verò furti nomine & olim criminaliter actum sit, quæsitum est (Consuetudo enim, furum suspendendorum communis, omnibus nota est) Dubium movet quòd hic refertur, ita furti compensationem esse si pecuniariè agatur, unde & ex diverso colligitur criminaliter agi potuisse. Sed magis est verba legis hæc, quoties de ea pecuniariè agitur opponenda esse illis quæ hoc loco de actione ex maleficio in genere ponuntur, ut scilicet actioni ex maleficio toties obstet compensatio, quoties pecuniariè eadem agitur, actionemque furti ideo in specie esse positam, quia eâ tantùm pecuniariè agitur.

Consuetudo contraria.

Ad l. cum alter. 11.

EX hoc textu plenissimè constat compensationem fieri ipso jure, itemque in vim meræ solutionis cedere. *vide & quæ notavi sup. in l. 1. & 2. eod.* Nam quia per eam accessorium usurarum à tempore mor. deb. retrò tollitur: evenit & debitum ipsum sublatum. *ut hic.* Vnde dubitatum est an emphyteuta domini creditor, si canonem non solvat ob interventum compensationis, nihilominus cadat emphyteusi? Sed non cadere magis est. *Costal hic. allegans Bart. & Panorm.* quia nimirum debitum eatenus ipso jure intelligitur sublatum. *ut hic. & l. 4. suprà eod.* Adde quæ posuimus latè suprà ad d. l. 4.

l. Ideo. 17.

Refertur infrà *in l. 20. h. t.*

Ad

Ad l. ob negotium, 20.

CVrator condemnatus ob negotium copiarum expeditionis tempore mandatum, non compensat: quoniam hæc per privilegium repetuntur: *ut hic, l.3.C.eod. l.aufertur.46.§. ut debitoribus. de Iure Fisc.* Planè eum qui cum ædilis esset, arctiorem annonam præbuit, compensare manifestum est, *l.ideo. 17.suprà eod.* idque eò quia non est pecuniæ annonariæ debitor. Distinguendum nimirum est inter ædilem & curatorem rei frumentariæ vel annonariæ. Curator accipit pecuniam publicam ad annonam comparandam, ab eo verò redactam annonam ædilis suscipit. Proinde curator tanquam debitor pecuniæ frumentariæ, non compensat: ædili verò beneficium compensationis paratum est, *Cujac.2.Obs.23.*

DEPOSITI VEL CONTRA.

TIT. III.

Ad l. 1.

§. QVæ depositis.) Accessoria depositi, verbi gratiâ, frenum vel capistrum, ipsa deposita non dicuntur. *text. hic.* Perdita tamen vel læsa dolo, latáve depositarij culpa, quin depositi actione resarciendum damnum sit, non est dubitandum. *arg. l. si ut certo. 5. §. usque. 9. sup. Commod. gl. Bald. hic.* Sed aliàs depositum non intelligimus, nisi in quod utraque pars expressè consensit; nec sola adeo depositarij patientiâ contractum hunc iniri magis est, *l. si ego. 9. §. fin. de Iure Dot.* Quod tamen non ita est in actione ex edicto Nautæ, Caup. Stab. Recepta restituant, *l.1. §. fin. sup. illo tit.*

§. Si conveniat, & §. seq.) Culpam quam depositarius vel alij præstent, exposui suprà, *in l.5. §. nunc videndum. Commod.*

§. Si vestimenta. 8.) Balneator vestimentorum nomine non locati sed depositi actione tenetur, hoc ita nisi & nominatim custodiæ causâ mercedem acceperit. *tex. hic.* Planè fullo ac sarcinator, tametsi custodiæ nomine mercedem non accipiunt, tamen quia pro arte poliendi mercedem accipiunt, custodiæ nomine ex locato tenentur, *l. nauta sup. Naut. Caup. Stab.*

§. Idem Pomponius. 14.) Verſ. Quid enim ſi furere ceperit,) Si debitor deceſſerit, ut ſucceſſor eius non extet, fidejuſſorem teneri certum eſt, ut & in caſibus alijs hic relatis. *vide text. hic.* Exſtat enim in ijs jus hæreditatis vel perſonæ. Planè ſi utraque ea deficiat, verbi gratiá, debitore vel hærede ejus ab hoſtibus capto, fidejuſſor interim non tenetur, *l. poſtquam. 5. ut Leg. Seu Fideicomm. Nom. Cau.*

§. An in pupillum. 15.) Quæſitum eſt, an pupillus depoſiti teneatur: magiſque eſt, eum ita teneri, ſi vel dolum admiſerit, vel locupletior ſit factus, idque ex reſcripto Divi Pij, *text. hic. & l. 3. Commod.* Atque id palam arguit, quòd leges eæ quæ ſtatuunt pupillum obligari naturaliter, *l. 1. §. 1 de Novat. l. ſi eius. 64. ad SC. Trebell. ſi pupillus. 127. de Verb. Obl.* & aliæ quæ adverſò ſtatuunt eundem ita non obligari, *l. quod pupillus. 41. de Condict. Indeb. l. pupillus. 59. de Obl. & Act.* ita concilianda ſunt, ut ſi pubertati proximus, eoque & doli capax ſit, jure naturali obligetur. *ut hic.* Si verò pubertati proximus non ſit, contra dicamus. *l. 41. de Condict. Indeb.* Hoc omne tamen de jure naturali (quod DD. primævum dicunt) non etiam de jure gentium, quod ſecundarium nuncupant, accipimus, Iuxta ea quæ laté diſſeruimus alibi, *vide Subtil. noſtras. l. 6. c. 7.* & rurſus alibi, *in l. 9. de Auth. Tut.*

§. Si res depoſita. 16.) Depoſito reddito deteriore, etiamnum ac ſi redditum non ſit, depoſiti actio eſt, *ut hic.* Quod & in re commodata ita eſt. *l. 3. §. 1. Commod.* & actionibus bonæ fidei reliquis. In ſtricti juris judicijs contra. *l. & eleganter. 7. §. non ſolum. de Dolo. l. de eo. 12. § ſæpius. Ad Exhib.* ſed in his poſt rem traditam vel judicium rei nomine finitum, de dolo actio ſupereſt. *d l. 7. § non ſolum. d. l. 12. §. ſæpius.* Modò eius meminerimus, ut, ſi L. Aquiliæ vel quæ ſimilis actio ſit, ea prius exerceatur. *l. non ſolum. 13. l. 14. & l. 15. de Rei Vind.* Planè ſi rei traditæ, cujus nomine mihi ſtricti juris actio erat, juri adhuc aliquid deſit, ipſa nihilominus res petenda eſt, *l. etiam. 27. de Solut.* Pone ſervum mihi ſtatuliberum traditum, fundúmve alienum aut alteri obligatum, itemque ſi eo nomine cautum non eſſet: quod ipſa adhuc res poſtulari queat, certiſſimum eſt. *l. qui ſervus. 72. §. qui hominem. de Solut. l. 131. §. 1. de Verb Obl.* vide quæ nos hac de re latius agimus. lib. 5. Subtil. c. 14.

§. Si rem depoſitam. 25.) Allegatur hic §. ſuprà *in l. ſin autem. 27. de Rei Vind.*

§. Si ſervus. 30.

1. Servus manumiſſus quatenus ex delicto vel contractu in ſervitute facto, conveniri vel agere poſſit, & num. 5.

2. Quare

2. *Quare Condictione furtiva conveniri queat & rei vindicatione.*

3. *De actione in factum quid hac in re juris sit.*

4. *De servo Principis.*

SErvus † manumissus nomine depositi in servitute contracti, actionem non habet, nec alienatione domino novo ex eo negotio actio quæritur, sed manet domini eius cui primò fuit quæsita, *ut hic.* Sed neque in servum manumissum actio datur ex contractu tempore servitutis inito, quanquam ex delicto & post manumissionem detur, cum noxa sequatur caput. *ut hic. junc l.2.§. nemo delictis. de Cap. Min.* Planè si etiamnum rem teneat, non quidem contractus vi, sed † condictione furtivâ propter præsentem contrectationem, vel vindicatione ipsa conveniri potest, *l. si apud.* 21 §. 1 *.inf. eod. gl. ult. hic Pacius. cent.* 4. *Enant. c.* 77. Est tamen † ex tali negotio etiam in factum actio prætoria in libertinum, perinde ac doli actio foret in omnem eventum. *l. promissa.* 3. *C. An Serv. Pro Suo Fac. vide Subtil. lib.* 7. *c.* 8. Denique & ipsum servum † Principis conveniri potuisse constat, *l. ult. C. ubi Caus. Fisc.* Quod verò alias † dicitur, in servum actionem de incendio, ruina, naufragio dari, *l.* 1. *de Inc. Ru. Naufr.* itemque actionem sepulchri violati, *l.* 3. *§. si servus. de Sep. Viol.* id eò dicitur, non quod servus sit reus principalis, sed quod in dominum servi nomine actio detur. Quia cum servo ipso judicium non est, *l.* 3. *Ne Quis Eum Qui In Jus Voc. Vi Ex.*

1.
2.
3.
4.
5.

§. Si prædo. 39.

PRædo propter rem sibi ablatam depositi actionem habet, uti & actionem commodati, & interdictum unde vi. *ut hic. & l. si non à judice.* 64 *de Iudic. l.* 1. *§. si à me de Vi & de Vi Arm.* Nec ad rem facit quod dicimus, neminem ex sua improbitate lucrum sentire. Quia fur ex deposito agendo lucrum sentire non intelligitur, sed tantùm actiones ea competunt ipsi, ut furti actione vel qua alia conventus restituendi habeat facultatem. Quæ itaque actio domino parata est ipsi, verbi gratiâ, actio furti, eadem malæ fidei possessori non datur: quæ verò prædoni datur, domino parata non est; ut depositi actio ex contractu possessoris, itemque interdictum unde vi. Neque enim dominus eo casu contraxit, nec vi dejecit. *gl. hic.* Ceterùm malæ fidei possessori rei vindicatio parata non est; quippe quæ domino tantùm datur. *ut l. in rem. de Rei Vind.*

§. Si apud duos.) Si apud duos res sit deposita, contra utrumvis in solidum actio est, & ita demum unus liberatur, non si alter conven-

tus solverit; nimirum ut si totum solverit, etiam in totum ei qui non solvit liberatio contingat, si pro parte solverit, catenus tantùm. *text. hic. & l. ult.* C. *de Fidejuss.* Nec mutat l. 2. de duob. reis, quia ibi petitionis vocem cum effectu accipimus, ita ut subintelligatur solutio re ipsa subsecuta. Quod in eodem textu, adjuncta acceptilationis alternatio convincit manifestè.

Ad l. 5. §. 1. & 2. & ad l. 6.

1. De quo sequestro hic agatur.
2. Ad l. un. C. de Proh. Seq. Pec. & num. 3.
4. Communis sententia defensa. & num. 5.
6. Ius Germaniæ & Canon. in hac re.

1. HOc loco † de deposito rei sequestratæ conventionali agi ex ipso textu palam est; & inter omnes ex eodem constat nullum odium in jure nostro sequestrationis conventionalis esse. Sed plerisque
2. que † omnibus contrarium visum est de sequestratione rei litigiosæ, hoc est eâ quæ officio judicis decerni solet, DD. *in l. un. C. de*
3. *Probib. Seq. Pec.* Sed hoc Robertus improbat,† qui eo textu tantùm agi contendit de prohibita sequestratione pecuniæ vel quantitatis; Magisque est ibi ferè agi de quocunque judicio quo certum petitur, quod titulorum connectio indicat. *Cujac ibid. in Parat.* Sed ta-
4. men non ineptè Doctores, † qui ex ratione textus eius, & quamcunque sequestrationem odiosam esse contendunt. Quia absurdum
5. sit quemquam cogi possessione decedere † priusquam sit victus. Id
6. quippe pro ratione est in eadem lege. Illud constat † ad sequestrationem judicialem non deveniri præterquam ex causa necessitatis, ut si periculum sit ne partes utrimque potentes ad arma deveniant, *fac. l. æquissimum. de Vsufr. ubi dixi.* Idque ita Constitutione Germaniæ provisum est. *Ord. Cam. Anno 1584. Augustæ Vind. erectâ.* Quod ferè ubique moribus obtinet, utpote & Constitutionibus Pontificijs provisum. *c. 1. 2. & 3. de Seq. Poss. & Propr.* Sed neque Constitutione de prohibita sequestratione utimur, si reus de fuga suspectus sit. *l. si fidejussor. §. fin. Qui Satisd. Cogn.* itemque in specie, l. imperatores. §. fin. de Appell. & l. si cum dotem. §. si vero. Sol. Matrim. & l. 1. §. si frater. de Coll. Bon. & l. postquam. §. Imper. D. Si Leg. Nom. Cau.

l. Propriè. 6.

Relata est infrà. *in l. licet. 17. eod. tit.*

Ad

Ad l. si hominem. 7.

1. *Privilegium depositi.*
2. *Actio depositi quare privilegiata.*
3. *Conciliatur l. 24 §. in bonis de Reb. Auth. Iud. Poss.*
4. *An ulli privilegiarij depositi actioni praeferantur.*

§. Quoties.) SI bona numularij distrahantur, depositariorum † 1. quam reliquorum creditorum conditio potior est. Adeo ut & privilegiarijs creditoribus praeferantur. *text. hic.* Vnde depositi † actionem Doctores privilegiatam nuncupant. *DD. hic.* 2. quòd scilicet deponens creditoribus reliquis omnibus praeferatur absolutè. Opponi solet l. si ventri. 24. §. in bonis. de Reb. Auth. Iud. Possid. Sed textum † quem tractamus ita accipimus, si is qui deposuerat, rei vindicationem instituat; oppositum verò ita; si depositi agat, ut ibidem perspicuè distinguitur. An autem (quod Accursius 3. proponit non definit tamen) uxor † ratione dotis, creditor expensarum funeris, vel is denique qui in refectionem credidit, depositario 4. sint praeferendi; *idque ex l. interdum ff. & l. ult. C. Qui Pot. In Pign. Hab. & l. pen. sup. de Relig. & Sump. Fun.* id nos ita definimus, magis esse eos domino rem vindicanti non praeferri, *per d. l. 24. §. in bonis. de Reb. Auth. Iud. Poss.* Quid enim iniquius foret, ac rem mihi meã auferri ob debitum depositarij, cui eam solum modo custodiendam dedi? *tex. & DD. hic.* Sed consultum advocatis est ut in rem actionem instituant, *per tex. in d. l. 24. §. in bonis.*

Ad l. si quis. 13.

§. 1.) DEpositarius etiam condictione obligatur, non quidem ipsa rei receptione, sed ita si rem dolo contrectet, *text. hic.* Itaque rectè Accursius hoc de condictione furtiva, vel sine causâ accepit. *gl. hic.* Nam & depositarium rei depositae contrectatione furtum committere certum est. *jur. vulg.*

Ad l. si plures. 14.

§. 1.) QVod in fine hujus textus dicitur, in rei periculo considerandum esse, an res & peritura fuisset, si restituta non esset, id suprà latiùs explicavi, *in l. 8. de Reb. Cred.*

Ad l. qui in rem. 15.

1. *Qui rem suam depositam accepit, an obligetur, & quid de commodato rei suae.*

2. Quid a

2. *Quid de creditore.*

3. *Dolo caret qui petit quod mox restituturus est.*

4. *Quatenus exceptio dominij locum habeat.*

5. *An quid speciale sit introductum. l. 25. C. Locati. & num. 6.*

7. *Quid juris si conductor cum domino simul agant.*

8. *Tertius aliàs quatenus judicium impediat. & num. 9.*

10. *Quid juris sit in rei vindicatione.*

11. *Quid juris in mutuo. & num. 12.*

13. *De spoliatore violento.*

1. QVi rem suam † depositam accipit, utendam rogat vel conducit, depositi, commodati, conducti non tenetur. *ut hic.* Præterquā
2. si debitor † pignus conducat à creditore, *l. 35. §. fin. & l. si pignus. 37.*
3. *suprà de Pign. Act.* Aliàs enim † dicimus, dolo petere eum qui paulò post restituturus est, *c. dolo. de Reg. Iur. in 6.* Vnde & conductionem rei suæ ab initio non subsistere dicimus, *l. qui rem. 20. & l. 23.*
4. *C. Loc. fac. l. 31. infrà h. t.* Sed nec exceptio valeret, † quòd agens nō esset dominus, *l. si alienam. Sol. Matrim. l. 1. §. si prædo. suprà eod.* nisi una opponatur conductorem ipsum dominum esse. *ut hic. & alijs*
5. *Legib. suprà alleg.* Sed quæsitum est an speciale quid contra † sententiam earum legum sit introductum in conducto, idque constitutione, *l. si quis conductionis, 25. C. Locati.* & hoc quidem multis placuit, *Costal. post Bart. in l. commodare. 15. suprà Comm. Salic. &*
6. *Accurs. in d. l. 25. C. Locati.* Ceterùm hoc cum † moderamine acceptum est, ut scilicet ita demum obtineat, si conductor non doceat in continenti de dominio rei petitæ. *per hunc text.* Nam si id in continenti probetur, rectè repellitur locator exceptione doli, *per d. c. do-*
7. *lo. & ibi Canonista.* Quod si commodator aut locator, & dominus † simul agant, præfertur dominus, *l. bona fides. 31. §. incurrit. infrà eod.*
8. *ubi vide quæ nos latè.* Nam † & aliàs interdum tertius ad judicium accedens impedit restitutionem vel sententiæ exsecutionem. *fac. l.*
9. *Titia. & ibi Bart. Sol. Matr.* Atque hoc interdum † etiam in extrajudicialibus admittitur, cum puta is cujus interest, per publicam personam testatò denunciat debitori ne solvat aut rem restituat. *l.*
10. *ult. de L. Commiss. infrà.* Sed in rei vindicatione obtinuit † ut exceptio dominij ante omnia locum habeat, cùm in ea nihil aliud quæratur præterquam an actor sit dominus, *l. ult. C. de Rei Vind. Bart. & Alex. post gl. in d. l. si alienam. Sol. Matrim.* Quemadmodum &
11. in condictione † mutui rectè dominij quæstio refertur, *per text. & not. in l. nam & si fur. de Reb. Cred.* Quod ipsum tamen & temperandum

randum est, si dominium † in promptu doceatur, aliàs enim benignius erit contra bonæ fidei possessorem agentem exceptionem admittere, contra malæ fidei non item. *l. itaque fullo. §. 1. de Furt.* Sed violentus † spoliator hoc modo non auditur, *per l. si quis emptionis. §. sed hæc. de Præs. 30. Ann. C. notamus. in l. Si de Vi. sup. de Iudic.* Cum is ferè per violentiam jure proprietatis cadat. *per text. & DD. in l. exstat. Quod Met. Caus. & l. si quis in tantam. C. Unde Vi.* 11. 13.

Ad l. licet. 17.

1. *Deponere an & quando plures oporteat.*
2. *Sequestrationis vox moribus & Iure Canon. à sequestro deducta.*
3. *Sequestratio quid.*
4. *Quid differat sequestratio voluntaria à judiciali.*
5. *Quæ actiones ex deposito sequestrario sint.*
6. *An & quando sequestratio possessionem transferat.*

DEponere tam † unus quàm plures queunt, sed apud sequestrũ non nisi plures deponere possunt. *in princ. hic.* Quod depositum Iure Codicis itemque Iure † Canonico & stilo fori, sequestrationem dicimus. Proinde sequestratio rectè definitur, depositum † rei controversæ (nam & quod certandi causâ deponitur controversum dici potest) à pluribus in solidum factum. *l. propriè. 6. suprà eod. l. sequester. 110. de Verb. Sign.* Quid autem † differat sequestratio voluntaria à judiciali, tractari potest. Et rectè distinguimus, utrum depositio ex sponso apud eum fiat, qui judex victoriæ à partibus eligitur, quo casu sequester † actione præscriptis verbis tenetur, quasi ex negotio novo, *l. 18. §. fin de Præscrip. Verb.* an verò quis rei litigiosæ à partibus electus, aut judice sequester sit constitutus, quo casu depositi actio est, *l. ei apud. §. 1. l. si in Asia. §. cum sequestre. sup. h. t.* & aliquo casu etiam præscriptis verbis. *l. si quis affirmaverit. 9. §. 2. de Dolo. eleganter Cujac. in Parat. C. de Prohib. Seq. Pec.* Rei porrò depositæ ut proprietas, ita & † possessio apud deponentem manet, nisi fortè ista ipsa quoque apud sequestrum deposita sit. Eo enim casu agi censetur, ut possessio interim competat neutri. *tex hic.* Ceterùm si res tantùm custodiæ causâ deponatur, contrà dicimus, & victori eam possessionem prodesse ad usucapionem. *l. interesse. 39. de Acq. Poss. ubi vide nostra.*

1. 2. *Moribus sequestrationis vox admissa.* 3. 4. 5. 6.

l. Si apud. 21.

Relata est in nostris suprà *ad l. 1. §. 30. h. t.*

Ad l. si duo. 22.

1. *Quid juris si plures hæredes depositarij separatim commiserint dolum.*

2. *Hæredes in judicijs personalibus regulariter tantùm illigantur pro portionibus hæreditatis. & num. 3.*

4. *De in rem actione aliud est.*

5. *In personalibus respectu rei paratis idem est quod in judicijs in rem.*

6. *Quid in actionibus hypothecarijs sit contra hæredes instituendis & num 8. ac 9.*

7. *Moribus hodiernis quid his simile vel dissimile sit in annuis reditibus. & num. 10.*

11. *Quid juris de hæredibus sit, actione contra defunctum jam antè institutâ.*

1. SI plures hæredes † depositarij separatim in pecunia deposita dolum committant, quilibet eorum tenetur pro parte; ubi verò id communiter factum est, singuli quoque in solidum obligati erunt, perinde ac si apud ipsos depositum esset, maximè si pecunia ita interversa sit ut pro parte restitui non possit, quod fit si eadem in speciem sit mutata. Si tamen res non restituatur, condemnatio tantùm
2. pro parte fit. *ut hic.* Nam & regulariter † in judicijs personalibus hæredes tantùm obligantur pro portionibus hæreditarijs, *l. 1. C. Si*
3. *Cert. Pet.* Cum † nomina ipso jure duodecim tabularum sint divisa. Quamobrem nec unus pro altero tenetur qui pòst minùs ido-
4. neus est. *fac. l. legatorum. de Leg. 2.* Sed in rei vindicatione † actio in hæredem quemque datur pro modo possessionis ab unoquoque de-
5. tentæ *l. si possessor. 55. de Rei Vind.* Quod & ita est † in personalibus respectu rei paratis, *l. 3. §. si hæres. Commod. l. si duo. Depos.* Sed quod Costalius post Bartolum in stricti juris judicijs diversum putat, *Costal. in d. l. 55. Bart. in d. l. 3. §. hæres.* id nusquam relatum est. Et contrarium de certi condictione constat. *l. 1. C. Si Cert. Pet.* Nec ad rem facit l. si tibi homo. §. si fundus. de Leg. 1. quia ibi hæres tantum pro parte tenetur, quòd reliquæ partes sunt legatæ tan-
6. quam existentes alterius non hæredis. Denique ad eundem † modum actio personalis hypothecariam continens adversus possessorem pignoris in solidum exerceri potest. *l. 1. & 2. C. de Hær. Act. l. 2. C. Si Un. Ex Plur. Cred.* idque ita etiam moribus obtinet in
7. Annuis † Reditibus qui ex re aliqua præstantur. In ijs enim notissi-

mum

mum est, præjudicio creditoris redituarij divisionem nullam ab hæredibus fieri posse. Cum hodie redituum jus ex Constitutione Pij Quinti in terris ecclesiæ, itemque Moribus Galliæ, Germaniæ, & Belgicæ speciem proprietatis referat, & fundum etiam arctiùs liget quàm hypotheca. Sed & id rationem ex jure nostro habet, *arg. tit. C. Sine Cens. & Reliq. Fund. Comp. Non Posse.* Atque illud est quod Mudæus Iurisconsultus Belgicæ perhibet, hodierno usu hypothecariam in redituum jure quandam principalem actionem censeri. *Mud. in Rubr. tit. de Pign. & Hyp. num. 2. allegans Boër. Decis. 195. num. 17.* propriè verò accessoriam esse, ut quando obligatur res pro debito semel vel aliquot pensionibus solvendo, quod
interim non renascatur quotannis. *Mud. d. lo.* Igitur hæres † hy- 8
pothecæ possessor ad divisionem debiti provocare non potest, *per d. l. 2. C. Si Vn. Ex Plur. Bart. in l. creditoris. de Distr. Pign. Costal. in d. l. 55. de R. Vind.* Quanquam extra dubium sit, eum pro portionibus aliorum pro debito soluto, vel familiæ erciscundæ vel negotiorum gestorum actionem habere. *l. 25. §. hæredes, Fam. Ercis. ubi vide nostra.* Nisi videlicet divisio bonorum jam sit facta † & hæredi posses- 9
sori res tantò minori pretio sit assignata, quanti onus impositum
est. Quod ipsum quoque hodiernis moribus receptum † est in bo- 10
nis annuis reditibus gravatis, quippe quæ in divisionibus plerumque ita reputantur, ut æstimatio fiat tantùm pro pretio quod superest sortis onere deducto. Sed in hypothecaria rei legatæ obtinet ut tantum pro partibus contra hæredes exerceatur ijs, pro quibus singuli personali actione tenentur, *l. 1. §. fin. C. Comm. de Leg.*
Denique & si rei alicujus nomine judicium † cum defuncto fuerit 11
ceptum, id ipsum consimili modo ad possessorem ex hæredibus transit modò pro parte. *l. 2. §. fin. de Prat. Stip.* Sed & si facto cohæredum vel testatoris possessio ad eum devenisset, singuli pro parte tenentur. *fac. Auth. si hæres. C. de Litig. Bart. ad d. l. 2. §. fin.*

Ad l. Lucius. 24.

1. *Depositum & commendatum idem sunt.*
2. *An depositum confessionatum privilegijs depositi gaudeat.*

Depositum & commendatum idem sunt, quod si pecunia † ita 1
data sit, ut tantundem reddatur, propriùs dicimus nō commēdatum sed mutuum contractū. *ut hic.* Illud quæsitū est, An depositū
† quod Doctores confessionatum nūcupant, id est quod confessione 2

 depo-

depositarii extrajudiciali solâ probatur, paratam exsecutionem habeat, & privilegijs depositi gaudeat, *ex l. si quis. & alijs ll. C. eod.* Quod Baldus non putat. *lib.1.Cons.384.Socin. Sen.Cons.* 143 *lib.1. Boër. Decis.195.num 8* quod non videatur depositum verum, leges verò illæ de deposito proprio agant. Accedit quod confessio extra judicium facta paratam exsecutionem non habet. *l.certum.§.si quis ab absente de Confess.* Diversum alijs visum est, *Angel Aret. in §. præterea.Inst.Quib. Mod.Re Contr Obl.& alys quos refert & sequitur Rol. à Valle.* Consil.17.*lib.1. Castrens.lib.2.* Consil.170. Quibus argumentum hic textus præbuit; quo cavetur idem in eo deposito servari quantum ad usuras attinet, quod in deposito vero. Accedit quod confessio probat contra confitentem, *l.pecuniæ.C. de Solut.* Ego respondi rem in facto constare, & priorem sententiam obtinere, si depositarius doceat propalam de errore suæ confessionis, tum enim pro confesso non habetur, *per l. 2. de Confess.* id enim æquitas postulat quæ & in deposito, licet maximè privilegiato, locum habet. *l.31.inf. h.t.* quod si id nec doceatur statim; sententia posterior obtinet. Nec ad rem facit eo casu, quod confessio extrajudicialis paratam exsecutionem non habet: quia executio hoc loco non propter solam confessionem, sed & adjunctum depositi privilegium obtinet.

Ad l. de die. 25.

HÆc l. pertinet ad ea quæ posuimus suprà, in l. fidejussor. 32. §. fin. de Neg.Gest. quæ solet opponi. Solutionem vide ibidem.

Ad l. Publia 26. § fin.

EX hoc textu constat confessionem contractus à scribente expositam, probare contra eundem. Sed an scriptor quod reciprocè deberi sibi fatetur epistola eadem, per illam quoque debitum probet, id in arbitrio judicis esse. *ut hic.* Ex quo evenit, quod hodie receptum & authoritate interpretum admissum est, libros mercatorum contra scribentes probare plenè; non perinde tamen perfectè probare quod ijsdem ipsi domini librorum inserdunt: sed ita modò, ut deferendi à judice jurisiurandi tribuant causam, quod probationem semiplenam vocant. Quod ita explicant, si id judex ex qualitate actoris, forma quotidianæ annotationis tam creditorum quàm debitorum, æquum deprehendat. Reliqua ad materiam imperfectæ probationis pertinentia tractamus infrà, *in l. etiam de Probat. ubi vide.*

Consuetudine quid hodie de libris mercatorum receptum.

Ad

Ad l. bona fides. 31.

§. Incurrit.) Etiam adversus depositarium domino rei vindicatio datur. *l. officium. 9. suprà de Rei Vind.* Adeo ut si dominus & tertius qui deposuit, simul agant, ille vindicatione, hic depositi actione, dominus præferendus sit. *ut hic.* Hoc ita nisi deponenti res pignoris sit. *l. 1. §. pen. ff. Naut. Caup. Stab.* Nec mutat Novella 88. c. 1. quia ibi solummodo definitur, deponenti rem sine ulla tertij denunciatione, restituendam. Agit enim is textus de creditore eius qui deposuit, ne nimirum illius denunciatio depositum remoretur. Plura ad hanc rem pertinentia posuimus suprà, *in l. qui rem. 15. h. t.*

Ad l. quod Nerva. 32.

Quod dicitur aliàs in depositum solum dolum cadere, id etiam ad latam culpam pertinet. *ut hic.* An verò & quando aliàs lata culpa æquiparetur dolo, id pluribus suprà explicamus. *ad l. 4. §. fin. de In Lit. Iur.* Ad quam verò culpam quisque ex quoque negotio teneatur, perinde suprà tractamus fusissimè *in l. si ut certo. Commod.*

LIBER XVII.

MANDATI VEL CONTRA.

Tit. I.

Ad Rubricam.

Mandatum esse contractum & quidem talem qui consensu perficitur, certum est. *tit. Inst. de Obl. ex consens. arg. l. 1. infrà.* ubi mandatum dicitur obligatio. id enim ita per transnominationem, effecti puta pro causa; seu obligationis pro contractu. Quando igitur id alij officium nuncupant. *gl. Bart. Bald. hic.* impropriè quidem scribunt, non ineptè tamen respectu eo, quod contractus hic per se non admittit mercedem, *tex. in l. 1. infrà eod.*

Ad l. 3. 4. 5.

1. *Mandati fines diligenter custodiendi.*

2. *An non mandatarij commodo mandati fines transiliri queant.*

3. *Et an qua actio sit eius nomine quod utiliter gestum est.*

4. *Hanc actionem bonæ fidei esse.*

5. *An habens mandatum ad vendendum aut locandum, pretium rectè recipiat.*

1. MAndati fines † diligenter custodiendi sunt, nec ita transiliendi, ut interfit mandatarij magis servatos eos fuisse quàm o-
2. missos. nam si commodo mandantis eos † transiliat mandatarius,
3. ob hoc mandati conveniri non potest. *l. 5. §. fin. inf.* Sed an in † id quod mandatarius ultra mandatum utiliter gessit, saltem neg. gestorum agat, alibi scripsimus, *vide quæ posuimus suprà in l. 31. §. qui*
4. *aliena. aliàs l. 32. §. libertos. de Neg. Gest.* Denique ex † hoc textu probabile est, etiam hanc actionem bonæ fidei esse, idque alibi disertè expressum est, *§. Actionum. Inst. de Act.* Quod ergo Riminaldus disputat, eandem stricti juris censeri posse, *arg. l. 5. hic. Rim. Vol. 4. Cons. 467. num. 102.* id eò tendit, quod mandatum transiliri non possit præjudicio mandantis, *ut hic.* Illud tractatum est, An
5. mandatum † habens ad vendendum aut locandum etiam pretium eorum contractuum recipere possit. Et hoc Romanus non putat, *Lud. Sing. 23. & consil. 461.* per text. in l. 1. §. igitur præpositio, de Exerc. Act. Quemadmodum nec ad agendum constitutus pecuniam exigere potest. *l. sed si tantum. & l. hoc jure utimur. de Solut.* Contrarium tamen magis videtur, quod & alibi responsum sit, cõstitutum ad contrahendum, voluntate domini quoque pecuniam accipere & expendere censeri. *l. quod Servus. de Solut.* Atque hoc Bartolo & alijs placuit. *Bartol. in l. filia. de Solut. Dec. Consil. 330. num. 3. Stracca de Mercat. tit. de Mand. num. 3.* Sed res facilis explicatu est, aut enim commissio data est ad vendendum aut locandum restrictivè, per vocem scilicet tantùm, solum, aut similem, & recipere procurator pecuniam non potest, eoque casu sententia prima obtinet. *ut in d. l. 1. §. igitur præpositio. voce tantum, non ad exigendum.* aut verò mandatum est simplicius, & altera sententia obtinet. *per arg. eius præmissum.* Ita videmus diversas de diversis speciebus sententias esse, quas alij falsò contrarias ponunt.

Ad l. 6. Princip.

REmuneratio præstiti officij nomine facta mandati actionem non tollit. *ut hic.* Quando etiam id non tam mercedis quàm honorarij causa solvitur, nec ab initio eius nomine (tametsi id etiam

tiam pactum foret) locati actionem concedimus. *arg. l. 1. Si Mens. Fals. Mod. Dix.* sed actionem potiùs extraordinariam, *l. 1. in fine. C. eod. l. 1. de Extraord. Cogn.* Mandati tamen actio erit si pactum adpositum sit in continenti. *gl. hic. per l. jurisgentium. 7. §. usque adeo: de Pact.* Sed ita si certum quid convenerit. nam salarium incertum pollicitationis non petitur. *l. salarium*, 17. C. *eod.* & ne quidem extra ordinem postulari potest. *l. 56. §. penult. infrà eod.* Nec mutat l. 22. de Præscrip. Verb. quia ibi non de incerta pollicitatione, sed contractu innominato agitur. Ceterùm si propria merces intervenerit, dubium non est quin actio locati sit *l. 1. §. fin. suprà eod.* Hoc ita nisi de quota litis convenerit; quia tale pactum jure reprobatum est, *l. 1. infrà. l. litem. 15. C. de Procur.*

1. Mandans rem turpem quæ effectui data est, ipse ut facinorosus tenetur. & num. 2.

3. Quid juris, si quis vulnerare mandarit, sed ita ne mandatarius cedem committeret.

4. Quid juris, si verberare jussus vulneret; cum vulnerare interim inhibitum esset.

5. Quid juris, si quis servo mandarit ne ad se revertatur, quin priùs aliquid facinoris de eo audiret, isque commiserit cedem.

§. Rei turpis.) REi turpis † mandàtum nullum est. *hic & §. fin. infrà ead. l.* ac ne quidem ob accessionem juramenti obligatorium est. *c. non est obligatorium. de Reg. Iur. in 6.* Si igitur 1.
mandatum ejusmodi fuerit implètum, eadem pœna † mandans & mandatarius afficiuntur. *c. fin. de Homicid. in 6. communem dicit Soares in Lit. M. num. 47. Jul. Clar. in pract. §. ult. q. 38. versic. item quæro.* Quid ergo si quis vulnerare mandarit, † sed ita ne mandatarius occidat, & occiderit insuper? magis est, mandantem Lege Cornelia non teneri, sicut non teneretur ipse qui vulnerare tantum volens, occidisset. *l. 1. §. Divus: ad Leg. Cornel. de Sicar.* Ratio est quia in ea lege lata culpa pro dolo non reputatur. *l. in hac lege, 7. eod.* & non tam exitus quàm voluntas spectatur. *l. Divus. 14. eod. tit.* Planè si verberare jussus † vulneret, etiamsi vulnerare nominatim sit inhibitus, tamen mandantem etiam de vulnere teneri magis est. Quia nimirum culpa mandantis præcessit, & alioquin id in Legem Corneliam de sicariis non cadit. *d. c. fin. de Homicid. in 6.* Denique si quis convincatur servo † mandasse, ne ad se revertatur, quin priùs factum aliquod insigne 2. 3. 4. 5.

contra-

contra eum qui illius postea manibus cæsus est perpetrarit, mandantem in pœnam L.Corneliæ cadere putatum est. *Clar. d. §. ult. q. 89. versic. item quæro.* Sed hoc æquo durius est, ego id in præsumptionem ad torturam sufficientem cedere dixerim, qua inquiratur an cædis committendæ causa hoc ipsum mandarit, an verò simpliciùs verberandi causâ. Quod quia benignius est, eligendum est. *per l. benignius. de Legib.*

§. Planè.

MAndati actio tantùm ijs parata est quorum interest mandatum rectiùs esse expeditum. *l. si procuratorem. 8. §. mandati. 6. infrà eod. l. comparandi. 16. C. eod.* Quod ergo hic relatum est, etiamsi non interfuit, actionem esse: non interfuisse accipimus tempore mandati, interesse tamen tempore actionis institutæ. *gl. hic.*

Ad l. idemque. 10.

Princip.) REctè hic relatum est, procuratorem nihil ampliùs præstare quàm bonam fidem; quippe ut in actione bonæ fidei tali, quá vel maximè res nostras alteri curandas committimus. Ceterùm hoc culpæ præstationem non excludit. *l. a procuratore. 13. C. Mand.* tametsi enim aliàs dolus & bona fides sibi mutuo opponantur, *not. in l. 1. de Dolo.* unde videri queat per præstationem solius bonæ fidei culpæ præstationem excludi, tamen id in actione mandati reliquisque actionibus bonæ fidei ita accipitur, ut teneatur reus in hoc quod eum ex bono & æquo juxta naturam contractus ex quo illæ oriuntur, præstare oportet. *l. 2. §. fin. de Obl. & Action.* Quando igitur mandatarius & culpam præstat. *d. l. 13. C. eod.* rectè dicimus eum & ad diligentiam teneri. *vide latius quæ supra posuimus in l. si ut certo. 5. §. nunc videndum. ff. Commod.*

§. Si procurator. 3.) Quod hic dicitur mandatarium qui pecunias meas in suos usus convertit ad usuras in regione consuetas teneri. ei opponi solet l. qui sine. 38. infrà. de Neg. Gest. sed illa procedit in negotiorum gestore, hic §. in mandatario. *rationem differentiæ vide in d. l. 38.*

§. Generaliter.) Ad hunc §. pertinentia plenè tractata sunt infrà *in l. si fidejussor. 29. §. 1. & §. quædam. eod.*

§. finalis.) Fidejussor cui creditor actionem donandi causâ remisit, contra reum principalem ita mandati agere potest, si ei creditor remunerandi causa remiserit. Idemque est si id pro quo fidejusserat, eidem vel mortis causâ vel in legatum relictum sit. *ut hic.* aliàs contrà dicimus. *l. si vero non. 12. in princ. inf. eod.* Planè si extraneus donaturus fidejussori pro eodem solverit, fidejussori parata est mandati actio indistinctè. *d. l. 11. §. 1. inf. eod.*

Ad

Ad l. si ei. 11.

SI creditori cui ex causa fidejussoria damnatus eram, hæres existã, nihilominus mihi mandati actio est. *text. hic.* Dubium movet confusio juris mei & creditoris successione parata. Ceterùm quia ob rem judicatam causa fidejussoria quodammodo ipsa facta est principalis, responsum est integram manere mandati actionem. Contrarium enim dicimus si condemnatio non sit facta. *l. hæres. 21. §. quod si stipulator, vers. quod si idem. de Fidejuss. quæ scilicet opponi.*

Ad l. si vero non remunerandi. 12.

PRincipium huius legis & §. 1. relatus & explicatus est suprà *in l. 10. §. fin. eod.*

§. Finalis.) Hic §. pertinet ad posita in l. 26. in princip. inf. eod.

Ad §. final. &

Ad l. idem. 13. & l. 14.

QVod hic dicitur, hæredem mandatoris in procuratorem qui post mortem id quod ei ex mandato incumbebat, non fecit, actionem mandati habere, id tantùm procedit in casibus à nobis infrà relatis, *in l. inter. 16. in princip. & §. 1. eod.* ubi vide. opponitur *l. & si quis. 14. §. si cui de Relig. & Sumpt. Fun.* quæ actionem de dolo tribuit, hæc autem non datur nisi in subsidium actionum reliquarum omnium, cessaret ergo hoc casu mãdati actio ob hoc quod doli actio succedit. *l. 1. 2. 3. & seq. de Dolo.* Respondemus id accipi non de doli actione propria, sed actione mandati, quæ ipsa ut reliquæ actiones quæ bonæ fidei, naturâ suâ doli actionem continet, *vide quæ dixi latè suprà in l. 7. §. non solum. de Dolo.*

Ad l. qui patitur. 18.

AD hanc l. pertinentia exposita sunt latiùs infrà *in l. qui fide. 53. infrà eod.*

Ad l. si mandavero. 22.

1. *Deportatus quid retineat de ijs quæ huius aut alterius iuris sunt. & num. 2. ad 3. & 5.*

4. *Iure Canonico quid huic rei simile sit cautum.*

6. *Bona deportati post confiscationem an fisco cedant. & num. 7.*

1. §. Is cujus.) Deportatus † retinet quidem ea quæ sunt jurisgentium, sed quæ juris ciuilis sunt amittit. *l. sunt quidam.17.§.1.de Pœn.* Meritò igitur dubitatum est an actiones habeat, quippe quæ & ipsæ sunt juris civilis. *l.2.§. ex his legibus. sup. de*
2. *Orig. Iur.* Responsum tamen † est eum mandati utiliter agere, non directè. *ut hic.* Quod & ita de ceteris actionibus dicendum est. *l. 5.*
3. *§.1.de Bon. Damn.* id ita ut † actiones suas cedere queat, sicut de excommunicato Iure Canonico rescriptum est; qui non agit quidem
4. † ipse. *c. intelligimus. de Judic.* actiones tamen suas cedere potest, & aget cessionarius rectè. *gl. singul. in c.1.§.1.de Iure Patron. Costal. hic.*
5. Sed & ego ipsum deportatum † per procuratorem utiliter agere dixerim. *per hunc text.* Improbata igitur Bartoli opinio est, qui actiones ex hoc loco quodammodo jurisgentium esse censuit. Verùm
6. quod † hic & consequenter relatum est, bona post confiscationem quæsita non sequi fiscum, ei repugnare visa est. l.2. C. de Bon. Proscrip. Sed eam ita intelligimus, ut fiscus succedat demum in bona deportati post mortem. *ut ibidem textus indicat manifestè convenit l. cum ratio.7 §. fin. de Bon. Damn. quem §. Cujac. restituit lib.2. Ob.23.* Ceterùm & hoc ita jure novellarum † correctum est, ut si ascendentes vel descendentes usque ad tertium gradum supersint hæredes, ijdem fisco præferantur. *Novell. 114.c.fin.* De damnato verò in metallum aliud dicimus, nempe delata ei post condemnationem bona ad fiscum non venire, *d.l. sunt quidam, 17. de Pœn.*

§. Si tibi. 7.

SI tibi pecuniam dem ut eandem Titio numeres, tuque eam consumas, præter actionem mandati & furti agi potest. *ut hic.* Hoc ita ut condictio interim furtiva cesset, quoniam & ea rei persecutionem continet. Nam si & furti & condictione furtiva agatur, actio mandati cessat. *l.1. C. de Furt.*

§. Si curator.

REm tibi cum tertio communem alteri mandasti, non in gestorem, sed in te qui mandasti, negotiorum gestorum actio est. *tex. hic.* Hoc ita, nisi & gestor unà absentis respectu administrarit. *l.6.§. si quis ita. vers. nam etsi. suprà. de Neg. Gest. ubi vide, l. si mandatu. 14. C. eod.*

Ad l. inter causas. 26.

1. *Mandatum solvitur morte.*
2. *Quando id non obtineat. & num. 4.5.6.*

3. Con-

3. *Consuetudine Germaniæ quid admissum sit in procuratore ad lites.*

7. *Iure Canon. quid obtineat in procuratore ecclesiæ.*

Principium.) MAndatum solvitur morte † mandatoris. Sed hoc non est perpetuum, *ut hic*. Primò enim si ignorans dominum † mortuum procurator impleverit mandatum, utilis mandati est actio. *text. hic. convenit, l. cum pater. 77. §. Mævio. de Leg. 2. & ibi Bart.* Secundò si res non ampliùs † integra esse desierit, mandatum etiam post mortem durat. *l. si defunctus. 15. suprà. de Procur. ubi etiam vide quando res integra esse desierit.* Unde est quod procuratio ad lites post acceptum judicium non exspirat morte mandantis. Sed moribus † Germaniæ denunciatio hæredibus fit de processu continuando; processu interim non interrupto aut sublato. Tertiò cessat regula, si res quæpiam post mortem domini peragenda sit mandata, vel effectus mandati post diem mortis sit dilatus. *l. si vero. 12. §. fin. & l. seq. l. si præcedente. 58. in prin. ff. h. t. l. si & is qui. 14. §. si cui. de Relig. & Sump. Fun. vide etiam text. & quæ nos in illum. in l. ult. de Solut.* Quartò speciale † est quod institoris mandatum etiam post mortem domini durat, donec nimirum mandatum fuerit ab hærede revocatum. *l. sed si pupilli. 11. & l. 17. §. 2. de Instit. Act.* id enim ad eum modum est receptum propter utilitatem commerciorum. *DD. ibid.* Denique & in donatione dotis mors donatoris mandatum non interrumpit. *l. 9. §.* si res de Fun. Dot. Proinde qui † operâ eius uti nolit, removere eundem oportet, namque id & usque adeo ita est, ut si pupillus hæres exstiterit præpositori, removendus à tutoribus sit, si id eis videtur. *d. l. 11. princ.* Sufficit tamen palam præscribi in loco mercium, ne cum eo contrahatur. Sed præponens hoc casu sine dubio tenetur institori, si fortè eius interfuit non removeri, & nulla remotionis causa desit. d. l. 11. §. 2. Ceterùm illud hic Iure Canonico † diversum est, quod morte Rectoris Ecclesiæ mandatum exspirat semper. *Clem. ult. de Procur. vide nostra in d. l. 15. de Procur. num. 6.*

Marginal notes: 1. 2. 3. 4. *Consuetudo Germaniæ.* 5. 6. 7.

§. Mandatu.

Hic § relatus est infrà *in l. 29. §. quædam. eod tit.*

§. Non omnia.

QVatenus procuratori damnum fatale à domino resarciatur infrà peragimus. *in l. cum duobus. 52. §. quidam. Pro Soc.*

§. sed cum servus.

CVm mandassem tibi ut mihi servum emeres, emisti, is tibi furtum fecit: mandati actione teneor in hoc, ut vel damnum

 resarciam,

resarciam, vel servum noxæ dedam. nisi videlicet ipsemet tu sis in culpa. Quo casu quia fortè ei rem majoris momenti commiseris, meritò ipsi tibi imputabis. Sed si ego eum tibi emendum mandarim quem noviilem, neque te ut caveres monuerim, ob furtum subsecutum quanti intereft tua furtum non commissum, præstabo indistinctè. *tex hic.* idque in posteriori casu tam strictè, quia quoties certum servum emere mãdo, ne nimirum officium cuiquam suum sit damnosum. *l. si servus. 61. §. quod verò, de Furt.* Sed & hoc ipsum aliter obtinet, si culpa mandatarij furtum præcedat, *d. l. 61. §. has: ita. 7. de Furt.*

Ad l. Papinianus. 28.

1. *Argumentum legis. & num. 3.*
2. *Solvitur oppositum.*
4. *Quid remedij sit, ad debitorem tutandum, si mandator pro eo solverit, & num. 5.*
6. *Cessio actionum an ex intervallo fieri queat.*
7. *Quare diversum in tutore.*
8. *Quatenus.*

1. MAndator pro † debitore cui numerari jusserat, solvendo, eundem non liberat ipso jure, quia propter mandatum suum solvit, ideoque hoc casu à creditore mandatori actiones adversus debitorem cedendæ sunt, *ut hic.* Nec ad rem † facit quod dicimus pro
2. alio solvi rectè, & solutione ejusmodi debitori etiam invito liberationem contingere. *per vulg.* id enim ita accipimus, quando debitoris nomine solvitur nominatim. Namque aliàs quod quis suo nomine solvit, non debitoris, id debitorem non liberat. *l. si quid. 31.*
3. *suprà de Petit. Hæredit.* Quia igitur † hoc casu duplex obligatio est, puta cum mandatore mandati cum debitore mutui, suo mandator nomine solvere censetur: ideoque ipso quidem jure debitorem
4. non liberat, *ut hic.* Sed tamen cum ratione † doli exceptionem in creditorem agentem cõcedimus. cum dolo faciat qui petit id quod paulò post restituturus est. *c. dolo. de Reg. Iur. in 6. gl. hic.* Verùm si in-
5. distinctè mandator † obligationem solvat, & hoc casu eam unà pro persona rei solutam magis est, *arg. l. 1. §. pen. de Exerc. Act.* Denique
6. & ex hoc † textu annotatum est, actiones mandatori, fidejussori, & similibus, etiam rectè ex intervallo cedi. *Castal. post Bald. hic. & arg.*
7. *l. si res. in fine. de Leg. 1.* Contrarium † est in tutoribus, namque eij ex intervallis cessionem obtinendo nihil agunt. Cum solvendo pro

pupillis

pupillis obligationem ipsam sustulerint, nam quia pro dominis sunt, obligationem, nisi antè vel in solutione ipsa sibi illam curent, mandari perimunt. Quid ergo, An † tutori hoc detrimento cedet? & 1.
id quidem perquam durum erit: Benignius verò est condictionem indebiti dari, quod per socordiam eam summam ex rationibus ac reliquo omiserit.

Ad l. si fidejussor. 29.

Prin. & §. 1. Hic textus parum difficultatis habet. Illud quæsitum est, an si fidejussor ignorās obligationem esse inutilem, solvat, ob hoc contra reum habeat actionem mandati? distinguimus utrum ignorantia in jure consistet, an verò in facto. Posteriori enim casu actionem habet, priori non item. *tex. hic.* Nec ad rem facit quod dicimus, juris ignorantiam certanti de damno vitando non obesse. *l. 7 & 8. de Jur. & Facti Ign.* quia ignorantia juris nec hoc quidem casu nocet, eo quòd per condictionem indebiti fidejussor solūtum repetere potest. Ceterùm quia contra debitorem agendo ferè uterque de lucro captando certat, meritò possidētis melior conditio est. *l. si favorabiliores. 125. de Reg. Jur. l. si servum. 91. §. sequitur. de Verb. Obl.*

§. Quædam. 4.

1. *Quid juris si fidejussor exceptione procuratoria solverit. & num. 2.*
3. *Quid juris sit omissā exceptione discussionis.*
4. *Quid juris si solutum sit procuratori falso.*
5. *Quid juris, si omissa sit exceptio peremptoria.*
6. *Quid si exceptio talis sit quæ quidem fidejussori prodesset, non autem reo.*
7. *Quid juris si exceptio prosit utrique.*
8. *Quid si fidejussor solverit ante debiti diem.*
9. *Fidejussori imputatur si principali non denunciarit. & quatenus.*

Fidejussor si omissā exceptione † procuratoriā sive sciens sive ignorans eam competere, solverit, nihilominus agit mandati. *tex.* 1.
hic. id ita, si fortè omiserit † exceptionem talem, quæ de qualitate 2.
procuratoris ageretur, verbi gratiā, quod procurator sit miles. *§. fin. Inst. de Except.* isto enim casu hactenus non usquequaque de apicibus juris curandum est. *tex. & gl. hic. Pacius cent. 4. q. 91.* Et consequenter igitur † idem dicimus de exceptione discussionis. *gl. in l. si* 3.

 mancipium.

mancipium. §.1. *de Evict.* *Alex. in l. si constante. Sol. Matrim.* aliave fort præscriptione; ut si fidejussor sine ulla indagine aut excepti ne eiusmodi opposita solvat, recte nihilominus repetat *gl. hic. Bart. in l.*
4. *atqui natura.* §. *cum me absente. de Neg. Gest.* Verùm quotiescunque † procuratoria exceptione omissa falso procuratori re ipsa solutum erit, cessabit mandati actio, *l. inter.* 26. §. *mandato.* 5. *sup. eod.* Denique
5. ad exceptiones † peremptorias quod attinet, generale est, fidejussorem qui sciens omissa exceptione quâ se tueri posset, solvit, mandati actione destitui. *l. idemque.* 10. §. *generaliter. sup. eod.* Nisi fortasse exceptio in persona fidejussoris sit parum honesta, ut si reus jus iniquum impetrarit, & in casibus similibus. *d.* §. *generaliter. & ibi Accurs. ac Bartol.* ut si reus debitum sub usuris accepisset forte pacto nudo, & denunciatus quò fidejussorem defenderet, pudore ductus emansit. non opus est enim ut fidejussor exceptione utatur quàm
6. uti veretur reus ipse, *l.* 48. *Quintus. inf. eod.* Planè si exceptio † talis sit quæ fidejussori quidem prodesset, non autem reo, nihilominus ob solutionem mandati erit actio, *l. penult. & l. ult.* §. *si mulier.* 3. *ad*
7. *Velleian.* Quod si utrique prosit † exceptio, distinguimus ut suprà *in princip. &* §. 1. *suprà eod.* nimirum, ut, si sciens hoc ipsum, solvat, teneatur omnimodo, si ignarus, distinguamus inter ignorantiam facti & juris, quò illa nimirum mandati actionem admittat, hæc
8. non item. *ut in hac eadem l.* §. *si cum debitor.* Ceterùm si † fidejussor ante diem solutionis solverit, mandati actionem non habebit, priusquam cesserit dies. *l. si mandavero.* 22. *in princip. suprà eod.* At fidejus-
9. sori illud imputatur, si fortasse reo denunciare † queat, ut judicium ipse suscipiat. nam si ob hoc reus solvat quod solvere non oportebat, doli exceptione mandati agens repelletur, quia si reus scisset judicium institui, fidejussorem exceptione sua liberasset. §. *si cum debitor,* 1. *suprà in ead. l.* Vnde tamen consequens est, si liberare se non potuisset, exceptionem cessare. Idemque est si quidem reo denunciatum sit, sed existimationis suæ causâ emanserit, solventem nimirum fidejussorem actionem dicimus habiturum, *d. l. Quintus.* 48. *inf. eod.*

§. in omnibus.

Ad materiam huius §. pertinentia tractamus infrà *in l. cum ex causa.* 11. *De Appell.*

Ad l. si hominem. 30.

PRocurator mandatum domini nec revocare potest, nec impedire, præterquam ex justa causa. *ut hic. in tex. & per Bald.* Cui simile ex Iure Canonico allatum, quod legatus Papæ nequeat impe-

diro

dire Papæ mandatum, *fac.c.2. de Off. Leg.* fortè & per hanc legem temperationem recipit. Quod Costalius perhibet, & magis est, *Costal.hic.* Sed quod idem author ex eo Maulium incusat, qui filium interemit pugnantem contra mandata patris imperatoris, id ob periculum rei in periclitando exercitu situm, fortasse minùs simile videatur.

Ad l. qui negotia. 34.

AN & quatenus causa mandati in creditum verti queat, pluribus suprà explicamus *in l.singularia. de Reb.Cred.* ubi hæc explicatur.

Ad l. si fundum. 35.

1. *Argumentum legis.*

2. *An qui operarios elegit nullo pretio dicto, sed tantum quantū qui alij in civitate accipiūt, minimo subsistere possit. & 3.*

SI tibi mandarim † fundum emere quem ipse cum alijs communem habes, quod feceris: partem tuam non tanti habebo quanti minimam comparasti à ceteris, sed quanti vir bonus arbitraturus sit. *ut hic.* Vnde quæsitum est, 4 an qui operarios elegit nullo pretio dicto, sed ea lege ut tantum haberet, quantum reliqui mercenarij ejus diei, an ijs minimo satisfieri queat; quod Guido Papa putavit. *Decis.*252. Sed Costolio placuit, tantum dandum quantum vir bonus arbitraturus sit, quod magis est, *arg.hujus text.* Cum & aliàs pretium rei cujusque censeatur quod æstimaretur communiter. *l. pretia. Ad L. Falc.* Neque mutat † quod de legatario cui tantum relictum est quantum uni ex hæredibus, cautum est, deberi tantùm quantum minimus hæredum accepit. Id enim ita est in legati causa, ubi hæres electionem habet, *l. qui concubinam. de Leg.3.* Cum & aliàs in dubio quod minimum eligamus. *l.si ita ascriptum. de Leg.1.* Sed hoc in proposito dici non potest. *per hunc text.* Maximè cum in quæstione justæ mercedis versemur.

Ad l. Lucius. 38.

TRactatur hoc loco ferè qui pro alio rem suam vel personam obligavit, an liberationis gratiâ ante solutionem à se factam actionem mandati habeat. Quod ferè in facto consistit & arbitrio judicis continetur. Nam & si fidejussor condemnatus sit, aut actum sit ut ad certum tēpus modò in obligatione esset, aut diu fuerit obligatus, agit rectè. Quantum verò temporis ad hoc requiratur, rectè Accursius arbitrio judicis reliquit, *gl.hic.* Perinde dicimus, si obtulerit & consignarit. *ut infrà eod. l.qui mutuam. §.fidejussor. infrà eod.* Aut reus bona sua inceperit dissipare. *L.indebitum. de Condict. Indeb.*

Ad

Ad l. Quintus. 48.

Vide quæ ponimus suprà ad l. 29. §. quædam, h. t. vbi hæc bis relata est, puta, num. 5. & 9.

Ad l. servum Titij. 49.

Qui mandatu meo rem suam quam existimat esse meam, vendit ac tradit, usque eo illam censetur alienare, ut vindicatione penitus frustretur, & tantum in me agat contraria mandati. *tex. hic.* Nec mutat l. si procurator. 31. de Acq. Rer. Dom. quia ea sic est accepta, si procurator erraverit in corpore, cum nimirum rem meam tradere vellet, errore ductus pro mea quam ipsi tradendam mandatam, tradidit suam. Quando verò quis aliàs præsentia sui renunciare juri suo censeatur, pluribus suprà explicamus. *in l. qui rem. 15. Depos. & l. Gaius. 39. de Pign. Act.*

Ad l. fidejussorem. 52.

1. *Argumentum legis.*
2. *Conciliatur l. 37. de Leg. 1.*
3. *Lex hac quomodo sit temperanda.*

1. Fidejussor qui † sine adjectione bonitatis nomine tritici vel consimilis rei pro altero spopondit, vilissimum dando liberatur, quamobrem si pro reo dederit melius, ideoque & ipse à reo melius quale dedit, repetat, exceptione doli mali submoveri potest, ut & ipso minimo sit contentus. *ut hic. facit l. cum is, 22. §. fin. de Condict. Indeb. & l. si venditor. 18. §. fin. de Ædil. Edict.* Nec mutat l. legato
2. † generaliter. 37. de Leg. 1. ubi servo legato nec optimum nec pessimum dandum, responsum est, quia id speciale est in ultima voluntate, cui obligationis generi commune est, electionem esse legatarij, nisi testator aliud dixerit. *§. si generaliter. Inst. de Leg.* cùm è diverso in obligationibus ex contractu sit electio debitoris. *l. plerumque. 10. §. fin. de Iure Dot. Cujacius & nos in l. si unus. 27. §. sed si stipulatus. ff.*
3. *de Pact.* Sed & ego † legem hanc in contractibus ita temperandam censeo, ne minimum quod dicimus interim & vitio aliquo corruptum intelligamus, aut quod ferè sit inutile.

Ad l. qui fide. 53.

1. *Argumentum legis.*
2. *Ratihabitio quomodo aquiparetur mandato. & num. 4.*

3. Con-

3. *Conciliantur l. 6 §. item quaritur. & l. 9. de Neg. Gest.*
5. *Conciliatur l. 6. §. sed si ego. de Neg. Gest.*
6. *Conciliatur l. obligari. de Auth. Praest.*

QVi mādatò fidejussit † pro præsente & non recusante, utrosque obligatos habet jure mandati. *tex. hic.* nimirum & eum qui ut fidejuberet mandavit, & alterum qui quidem non mandavit, præsens tamen & non dissentiens, ratihabitione sua mandasse censetur. Ratihabitio enim æquiparatur † mandato, & ipsam adeo mandati actionem producit. *tex. egregius in l. semper. qui non prohibet. 60. & l. hoc jure. 152. §. in maleficio. de Reg. Iur.* Nec mutat quod alibi relatū † est, ex ratificatione negotij mei ab alio gesti, negotiorum gestorum actionem esse. *l. 6. §. item quaritur. & l. Pomponius. 9. sup. de Neg. Gest.* hoc enim ita rectè ex communi Doctorum sententia est acceptum, si negotia absentis gesta sint, nullo præcedente vel comitante assensu. certum enim est & ratihabitionem negotij eius qui præsens est ipsam producere mandati actionem. *ut hic & l. qui patitur. 18. suprà eod.* Quod igitur aliàs † indefinitè dicimus, ratihabitionem æquiparari mandato, id verum est quo ad affectum agendi, non autem quo ad ipsa actionum nomina. *Din. in c. ratihabitionem. de Reg. Iur. in 6. Junge qua nos in d. l. Pomponius. 9. de Neg. Gest.* Non mutat † etiam l. si pupilli. §. sed si ego, de Neg. Gest. ubi definitur ratihabitione negotij peculiaris, contemplatione filij vel servi gesti, à domino vel patre quorum re ipsâ negotiū est, subsecutâ, nihil agi: hoc enim ideo, quia pater vel dominus ex eo contractu non obligantur in solidum, sed tantùm peculiotenus. ut ex relectione textus præcedentis constat perspicuè, *DD. ibid.* Minùs verò ad rem facit quod dicimus, † ratihabitionem tutoris de ijs quæ per pupillum gesta sunt, mandato non comparari, *l. obligari. de Auth. Tut.* itemque quod mandare pater filio possit ut adeat hæreditatem, ratam habere aditionem non item. *l. si quis. 25. §. jussum. de Acq. Har.* ij enim actus tales sunt, ut authoritas præcedens requiratur ipso jure.

1. 2. 3. 4. 5. 6.

Ad l. qui mutuam. 56.

§. penult.) EX incerta pollicitatione actio non est, *ut hic.* Hoc ita si mandans simpliciter pollicitus sit se gratum fore. *l. salarium. 17. C. eod.* Ceterùm si seriò pro officio aut opera res fieri mandata sit, vel postea quod justum foret mercedis loco reddatur, ex hac conventione, uti innominata, præscriptis verbis actio est. *l. si tibi. 22. inf. de Pres. Verb. princip. Inst. h. t.* Junge his quæ ponimus latè suprà *in l. 6. princip. eod.*

§. Finalis. Qui in negotium sibi à tertio mandatum sumptus bonâ

fide impendit, etsi finem rei imponere non potuit, eos tamen mandati judicio repetit, *text. hic.* Quod etiam tum procedit quando procurator est victus, *l. 4. C. eod.* Quemadmodum è contrà, si per errorem juris quid non debitum alterius nomine consecutus sit, hoc quoque restituere tenetur. *l. qui proprio. 46. §. pen. de Procur.* Quod si id non acceperit nomine alterius, sed tanquam quivis alius, non ita dicimus *arg. l. si verò. 63. §. item quicquid. Sol. Matr. & l. debitor. §. fin. Ad SC. Treb.* Planè si is cui litigare mandatum non est, egit nihilominus & succubuit, sumptus litis non repetit, quanquam si triumphet, repetat. *l. 5. §. quid tamen. ff. Jud. Solvi.*

Ad l. si præcedente. 58.

§. Lucius Titius.) Obstat huic §. l. 10. suprà de Pact, ubi solvi.

Ad l. si mandato. 59.

Ad principium vide quæ ponimus infrà. *in l. cum maritus. §. mulier. inf. de Pact. Dot.*

§. 1.) Vide in l. 2. de Distract. Pign.

§. Paulus respondit. 2.) Ad hunc §. pertinentia vide quæ ponimus infrà *in l. 2. de Duob. Reis.*

Ad l. creditor. 60.

§. finalem.) Huic §. opponi solet l. 41. §. fin. sup. de Rei Vindic. ubi solvi.

PRO SOCIO.

TIT. II.

Ad l. 1.

SOcietas vel in perpetuum contrahi potest, id est dum contrahentes vivunt. *nt hic.* Quamobrem hoc ita? quia societas ferè solvitur morte, hæresque in societatem non succedit, *l. actione 65. §. morte, inf. eod.* nam quia contracta societate electa est persona, cuius industriæ ac fidei res nostras communicamus, de eo in personis hæredum non perinde sumus certi. *§. solvitur. Inst. eod.* vide quæ ponimus hac de re latiùs infrà, *in l. adeo. 59. eod.* Denique hoc adeo ita est, ut ne quidem medio pacti hæredes nostros societati illigare queamus, *l. nemo. 35. in f. eod.*

§. 1.)

§.1. SOcietate omnium bonorum contractâ, cunctæ contrahentium res continuò fiunt communes. *ut hic.* Quod tamen ex ijs temperandum est quæ ponimus fusiùs infrà, *in l.3. §.1.h.t.*

Ad l. 3.

Princip.) QVamobrem quæ in nominibus sunt, in suo statu maneant & non perinde ut bona cetera communicentur, aliam rationem Accursius assignat, *gl. hic.* aliam Alciatus, 3. *Parad.*16. verior hæc est, quòd nomina personis cohærent, nec eas, nisi per delegationem aut cessionem transcendunt; ac ne cedantur quidem, præterquam ad actiones utiles. *l. pen. & tot. tit. C. de Her. vel Act. Vend.* cùm è contrario res nostræ sint propriæ, & alienentur pro arbitrio nostro. Consuetudine tamen Transisulaniæ inter conjuges, matrimonij ingressu tam nomina, quàm bona communicantur ipso jure. Quemadmodum ejusdem provinciæ moribus quoque sublatus titulus Codicis est, Ne Vx. Pro Mar. Sed hoc ita temperandum respondi, nisi soluto matrimonio pariter & uterque solvendo sit & pactis dotalibus aliter esset provisum. Nam si alterutrū tantùm esset; soluto quoque matrimonio, maritum etiam pro vxore & vice versa conveniri videmus. Optandum tamen esset si ea consuetudo ita mitigaretur, ut tantùm ad debita pertineret, constante matrimonio contracta. *Diversa Consuetudo Transisulan.*

1. *Societas omnium bonorum quæ admittat in communionē.*
2. *Communio bonorum inter conjuges moribus recepta.*
3. *Statutum Coloniense consimile, in camera probatum.*
4. *Societate generaliter contracta quid juris.*
5. *Nomina quæ veniant in communionem societatis.*
6. *Consultum ineuntibus societatem quid sit.*

§.1.) CVm specialiter omnium † bonorum societas initur, hæreditates, legata, donationes, & quocunque modo socio delata vel quæsita, veniunt in communionem. *ut hic & l. si societatem. 73. infrà eod.* Atque ejusmodi est communio omnium bonorum † ex consuetudine Belgicæ pleræque admissa inter maritum & uxorem, idque etiam sine conventione ea de re speciali. *Mudaeus ad rubr. h.t.* idem de Cōsuetndine Galliæ testatur Costalius, *in l. Lucius. 38. Sol. Matrim.* idemque statuto Reipublicæ Coloniensis obtinet, quod † & in Camera probatur. *fac. Gail. lib. 2. Obs. 86 num. 14.* Sed ut ad jus commune. Quod si generatim societas ineatur, † magis est, illa solum in cōmunibus esse, quæ lucro ex quæstu aut operis 1. 2. 3. 4.

utriusque redundant. *l. coiri. 7. l. 8. inf. eod.* Quando igitur hæreditas in quæstu non est, nec operis etiam aut negotiatione paratur, in societatem quoque simpliciùs contractam non venit. *l. aditio.* §. 1. *de*
5. *Acq. Her.* Quemadmodum nec † nomina, nisi provenientia ex ipsa negotiatione. *l. si nec as. 12. inf. eod.* Rectius tamen socij & pruden-
6. tiùs † egerint, si quæ quisque eorum contribuit, quod lucrum, quod damnum quisque sensurus sit, quis denique negotij exitus futurus, singulari instrumento comprehendant. Quod hodie ferè receptum est in societatibus negotiationum majorum. Adde his quæ ponimus infrà *in d. l. 7. h. t.*

1. Iusta hæreditas quæ sit.
2. Conciliatur l. 120. de Verb. Sign.
3. Alciatus notatus.
4. Quando justa aut legitima hæreditas causam testati vel intestati contineat.
5. Sensus huius loci.

1. §. DE illo quæritur.) Iustam † hæreditatem hic Paulus interpretatur, ab intestato legitimam. Contra tamen alibi Vlpianus
2. † respondisse videtur, dum ait, non impropriè quoque lege obvenire hæreditatem quæ deferatur ex testamento. *l. lege obvenire. 120. de Verb Sign.* Sed nulla prorsus in his responsis contrarietas est, nam si proprietatem etymologiæ consideres, Vlpiani responsum locum habet, quod & testamentaria successio lege XII. Tab. confirmetur, si verò usum loquendi, Pauli responsum obtinet, & legitima seu justa hæreditas dicitur quæ sola lege sine facto hominis defertur ab intestato. Atque hoc plerisque visum est, tametsi nonnulli hæc ver-
3. bis paulò diversioribus explicent. Nec admittimus † Alciati sententiam, qui putat actum de justa hæreditate ad solam successionem intestati pertinere, legitimam verò accipi de utraque: probabiliùs enim dicimus, utramque & legitimam & justam successionem ab intestato censeri, *ut hic.* nisi qui actus de altera sit initus. Quod si ad
4. utramque † respexisse contrahentes constet, utramque ijs nominibus designari minùs absurdum est. In proposito igitur textu de sola
5. legitima † successione actum intelligimus, quòd de justa contrahentes egerint nominatim, & idcirco alteram intelligantur exclusisse. *arg. l. cum prætor. de Iudic.* idque ita ex significatione frequentiore, ipsisque juris authoribus familiari. *ut D. & C. de Su. & Leg. Her.* itemque D. & C. de Test. & Leg. Tut *& l. illud. 76. de Acq. Her. l. si quis iuleatu. de Her. Inst. Forster, post alios. lib. de Success. ab Intest. c. 16.*

§. final

§. final.

BOnæ fidei contractum cui dolus causam dedit, ipso jure nullum esse, suprà tractamus, *in l. 7. § non solum, de Dolo.*

Ad l. 4. §. fin.

QVod hic dicitur, societatem finiri egestate, id ita acceptum est, si vel bona socij publicata sint, vel eorundem cessio sit facta. *l. actione. 65. §. publicatione. inf. eod. §. 7. & 8. Inst. h. t.*

Ad l. 5. §. donationis.

1. *Donationis causa societas iniri non potest, & quare. n. 2.*

2. *An societas donationis causa contracta valeat in vim donationis.*

SOcietas donationis causa contrahi non potest, *ut hic*. Prorsus ut emptio non valet sine pretio, *l. cum in venditione. inf. tit. 1. l. si donationis causa. l. empti. C. de Contr. Empt.* idque eo, quia societas æqualitatem requirit, *vide tit. Inst. eod. l. si non fuerint. 29 inf. h. t.* Sed quæsitum est, an non societas ejusmodi valeat saltem jure donationis? quod Accursio placuit. *gl. hic sequuntur Salic. & Fulgos. arg. d. l. empti. vers. sed & si donationis.* Alij contrà, *Iacob. Aret. & Albericus hic.* Movet eos quod constitutum aut transactio inutilis non valet vi pacti, *l. 1. §. eum. de Const. Pec. l. 3. in fine. C. de Rep. Her.* Ego respondi rem in facto consistere, ut si constet de donandi animo, Accursij sententia obtineat, sin minus, diversum dicamus, idque ex sententia aliorum, *arg. tex. in d. l. 3. C. de Rep. Har.* Atque hoc ita consideratojure novo. Siquidem jure Digestorum constat nullam donationem sine traditione substitisse, *l. quisquis. C. de Don.* quamobrem nec conventio societatis donandi causâ sine traditione valuisset, *per hunc text.*

Ad l. coiri 7. & l. 8.

1. *Societas simpliciter coiri potest.*

2. *Quid juris sit societate simpliciùs contracta, & num. 3.*

4. *Quid juris sit de societate tacita.*

5. *Quid juris sit si pactis dotalibus inter conjuges actum sit de lucro constante matrimonio obveniente participando.*

6. *Quid juris sit alterius conjugis fundo alienato, & pecuniâ applicatâ in comparationem fundi alterius.*

LIII 3. Coiri

9. COiri societas & simpliciter † potest, sine puta expressa communione omnium bonorum. Et hoc casu de ijs tantùm societas
10. contracta intelligitur, quæ quotidiano † quæstu emptionis, venditionis, locationis, conductionis parantur. *ut hic.*

11. Est itaque hæc conventio † arctior quàm societas omnium bonorum, specialiter contracta, de qua nos suprà *in d. l. 3. §. 1.* Quid
14. ergo dicemus de societate tacito magis † consensu continuatá, pone fratres in communione bonorum consistentes, societatem ex ea tacitam fecisse? & magis est id tantùm in societate esse, quod ab initio commune, communi quoque opera continuarunt, & legata igitur ac hæreditates eo casu non communicabuntur, nisi ex circumstantijs, & actionibus utriusque colligatur alia utriusque mens, ut si utrimque & illa communicarint, & filias ex communi substantia dotarint, ac similia, Nam & quasdam conventiones constat tacité iniri, *l. 4. princ. & in fine. de Pact. Mud. hic.* Illud quæsitum est, pactis
15. dotalibus confectis ut à morte † conjugis alterius, bona utriusque deferantur utriusque hæredi, lucro interim stante matrimonio obveniente, utrimque communicando, an etiam communicentur hæreditates & legata. Quod non videtur, cum omnium bonorum societas contracta non sit. *per hunc text. & d. l. 3.* Nisi tamen de alia
16. consuetudine constet, Ceterum si alterius fundus † venditus, & pecunia rursus in comparationem aliorum prædiorum sit applicata, quid dicemus? & quidem ex hoc textu videtur, rem ut emptione quæsitam communicandam esse. Diversum tamen obtinuit, cùm & aliàs res dotali pecuniá comparatæ quasi dotales sint, *l. si cum dotem 22. §. fin. Sol. Matrim.* & surrogatum regulariter sapiat naturam principij, cui ipsum surrogatum est, *l. si cum. §. qui injuriarum. Si Quis Caut. Jud. Sist. l. si filia. §. Titia. de Cond. Et Demonst. l. pater. de Adim. Leg.* Non ut res ipsa sit illius cuius pecuniá illa est comparata (cum certum sit rem mea pecuniá emptam non statim esse meam *l. 6. C. de Rei Vind.*) sed ut sit eius tantundem ex communione, vel ipsa res etiam, impropria quadam loquendi ratione. *fac. l. res quæ. 55. de Iure Dot. Tiraq. de Retrac. gl. 32. §. un. num. 10.*

l. sed nec æs. 12.

Allegatur suprà *in l. 3. §. 1. h. t.*

Ad l. si convenerit. 14. & l. 15. & 16.

1. *Pactum de non dividenda re communi non efficit quo minùs à societate abeatur.*

2. *Quid iuris sit, si societati renuncietur intempestivè.*

3. Quid

3. *Quid si convenerit ne intra certum tempus societate abeatur.*

4. *Quæ sint iustæ renunciandæ societatis causæ.*

PActum de non † dividenda re communi non efficit, quo minùs à societate ex causa supervenienti recedatur. Quemadmodum & è diverso, si societati intempestivè renuncietur, † pro socio actio est in id quod interest alterum non recedere. Rursus si convenerit ne intra certum tempus à societate abeatur, renunciatio † etiam ante tempus locum habere potest. *ut hic.* Quæ verò justæ renunciandi causæ sint videamus. Igitur eas vel socius nobis suppeditat cui renunciamus, ut si non servet pacta contractus *ut hic in fine l.* vel metus damni majoris ut si non expediat nobis cum eo diutius in communione esse. Idemque est si aliundè † nobis solvendæ societatis accidat causa, ut si commercio, cujus societatem inieramus, amplius non liceat uti. *l. uti. inf. hic.* Quemadmodum † & si alter sociorum diu domo sit abfuturus. *l. 16. inf. h. t. fac. l. 1. l. legatus creatus. de Legation.* 1. 2. 3. 4.

l. idemque. 16.

Pertinet ad ea quæ ponimus in l. præcedente, num. ult.

Ad l. si servus. 18.

SOcietate à servo contracta, non sufficiet ad societatem solvendam, si servus à domino jubeatur, abire societate, sed ipsi socio renunciandum à domino est. *tex. hic.* Igitur vel servus renunciare debet, ut Accursius *hic*, vel dominus, modo renunciet socio, *Fulgos. hic.* Ipsum tamen argumentum hujus legis non aliud est, quàm dominum solo jussu deserendæ societatis, solvere illam non posse. *Mudæus post Odofred. hic.*

Ad l. qui admittitur. 19.

1. *Socij mei socius, socius meus non est.*
2. *Quæstio singularis ad hunc locum.*

SOcij mei socius, socius † meus non est. *text. hic.* Vnde quæsitum est; stante statuto, ut inter conjuges lucri ac damni societas † sit, nec defuncto conjugum uno communio finiatur, nisi inventario confecto & hæredibus tradito: cùm ex facto accidisset, ut mulier defuncto marito, inventario necdum 1. 2.

tradito

traditio nupsisset viro secundo, liberos primi matrimonij ad divisionem ac solutionem societatis provocare, uti liberi dodrantem habituri sint masse prioris, eo quod auctæ illius facultates videantur societate matrimonij secundi? Sed Costalius decreto Curiæ Parisiensis judicatum refert, tantum semissem habituros. *Costal. hic.* idque commodè argumento hujus textus evincitur, quia liberis cum marito secundo nulla societas sit. Nec refert quod Consuetudo ea plerumque ita censetur ac si speciatim omnium bonorum inita societas esset: quia nihilominus verum manet quod hoc textu relatum est, socij mei socium, non esse socium meum *ut hic.*

Ad l. de illo. 23. §. 1.

DE compensatione damni cum lucro per socium quæsito, vide quæ infrà tractamus, *in l. 25. & l. 26. eod.*

Ad l. plane. 24.

1. *Quid juris, si duo pluresve socij magistrum præstituant pro parte.*
2. *Quid si sine partium designatione.*
3. *Quid si unius sociorum voluntate cum institore contractum sit.*
4. *Quid diversum sit in edicto, Nautæ, Caup. stab. ut Recep. Rest.*
5. *Quid si publicè alicui cū alijs injuncta administratio sit.*
6. *Quid si diversis locis plures socij exerceant.*

1. SI duo pluresve socij † unum magistrum sive liberum sive servum communi negotio præstituant, uterque tenetur pro parte, puta, si vel ipsi exerceant, *ut in l. 4. de Exerc. Act.* vel pro partibus mandent, *ut hic.* Namque † aliàs si plures per tertium vel unum ex suo
2. numero, communi consensu vel jussu exerceant, institor quidem in solidum tenetur, sed ipsi quoque socij hoc casu singuli obligantur in solidum. *l. 1. §. fin. & l. 2. de Exerc. Act.* Quod si voluntate u-
3. nius ex omnibus † cum institore contractum sit, is usque eo in solidum obligatur, ut si communi omnium voluntate assenserit, omnes quoque in solidum teneantur. *d. l. 4. §. sed si servus.* Atque hoc, ne in plures adversarios distringatur qui cum uno contraxit. *d. l. 2.* Æquissimum tamen est, ut qui solus solvit, societatis judicio repetat à singulis pro portionibus eorundem. *d. l. 3.* Sed illud observan-
4. dum † est, si agatur actione in factum ex edicto Nautæ, Caup. Stab. ut

ut Recep. Restituant, unumquemque exercitorum seu sociorum tantùm teneri pro parte; quia scilicet hæc in duplum est ex quasi delicto. *l. ult. §. pen. Naup. Caup. Stab.* Quod si † cui publicè injuncta 5.
administratio cum alijs sit, isque pro diviso administravit partem, tantùm pro parte tenetur. *l. cum alicui. De Neg. Gest.* Planè tametsi & ipsi per se exerceant, si tamen singuli commune † negotium 6.
in diversis locis agant, eos (aliter quam d. l. 4. provisum) singulos in solidum teneri Bartolus autumat, *in l. eandem. de Duob. Reis.* *Costal. in l. 1. §. fin.* De *Exer. Act.* & magis est, *per d. l 4 §. sed si servus. eod. isto tit.* Denique ut socij exercitores ferè in solidum tenentur, ita administratores quoque ipsi, nisi eis pro diviso mandatum sit, *l. si creditor. §. duobus.* Pro Soc.

Ad l. Non ob eam. 25. et l. 26.

DAmnum socij culpâ accidens non compensatur cum lucro ejusdem diligentia parato. *ut hic & l. 23. §. 1. suprà eod.* Nec mutat l. Mucius. 30. inf. eod. qua cautum est, damnum non intelligi, nisi lucro prius deducto: quia ea procedit in damno sine culpa socij casu contingens. Minusque ad rem facit l. si negotia. 11. de Neg. Gest. quia ea obtinet in actione negotiorum gestorum, quæ solius absentis gratiâ contrahitur. In ijs nimirum gestor damnum dedisse non videtur, si culpa ipsius aliundè cum lucro pensari queat. Quod in proposito non ita est, cum ab initio quoque singula societatis negotia contrahantur utriusque causa.

Ad l. si non fuerint. 29.

1. *Pactum de lucro vel damno participando, societati legem dat.*
2. *Societas etiam sic contrahi potest, ut unus altero ferat partem lucri vel damni maiorem.*
3. *An quid singulare in hac re Iure Canon. sit provisum.*
4. *An valeat societas inæqualibus partibus contracta, si neuter plus operæ vel pecuniæ conferat.*

Princip.) COnstat † conventionem de lucro participando, societati legem dare. Quod si de his nihil expressum sit, æ- 1.
quales partes censentur, *ut hic & princ. Inst. eod.* Et quidem societatem etiam sic contrahi posse constat, ut unus lucri vel damni partẽ
† altero ferat majorem aut minorem. Quod ita acceptum est, si is 2.
qui ampliùs participat, rursus plus pecuniæ vel operæ contulerit quàm alter. *ut hic*, Denique & Iure Canonico admissum perhibent,

ut quis pro t usu pecuniæ mercatori collatæ, lucri aliquam partem ferat *not in c per vestras de Don.inter Vir & Vx.* Et hoc quoque accipiendum est, ut & unà sustineat periculum damni. *fac. c. juremus. de Sponsal. Abb in d.c. per vestras. gl. in c. plerique. 14. q. 3. verb. negotiationibus. Mudaus. hic. num. 11. 12. & seqq.* Unde quæsitum est, An

4. valeat societas inæqualibus † partibus contracta, si neuter re ipsa altero plus operæ vel pecuniæ contulerit? Azo non putat, eò quòd societas jus fraternitatis continens, nullam prorsus admittit inæqualitatem *l. verum. 93. Pro Soc.* & pacta idcirco ejusmodi velut leonina, non patiatur, *§. fin. inf. ead. l.* Ioannes contrà, quod regulare sit, pacta cujusque contractus servanda esse, *ut hic & arg. l. 1. § si convenit. Depos.* Quorum dissensus ita temperandus est, ut si majus lucrū vel damnum alterutri pactum, manifestam contineat iniquitatem, societas nulla sit, sin verò id minusculum sit, & quidem ut vir bonus difficiliùs discernat, contractus subsistat. *per insignem text. in l. quid enim. 80. infra eod.* Et profectò, quia basis societatis in ipsa æquitate posita est, *§. fin. inf. ead. l. d. l. verum. inf. eod.* rectiùs dicimus iniquam conventionem, ne quidem jure pacti accessorij admittendam, *per tex. & gl. hic.* sed eam ipso statim jure nullam fore. *per l. non dubium. 5. C. de Legib.*

1. *An societas ita contrahi possit, ut nullam partem damni alter sentiat, lucrum interim commune sit.*

2. *Quid juris si pecunia ab uno, operis ab altero collatis, ita ut operarum proventus communis sit, idque sine pacto de participanda aut recipienda sorte. & num. 3.*

4. *Mudaus notatus.*

1. §. Ita coiri.) PRæcedens responsum dubium † movet, An non ita saltem societas contrahi queat, ut alter sociorū nullam partem sentiat damni, lucrum interim commune sit, verbi gratiâ, si unus tantùm pecuniam suppeditet, operam interim alter majorem, an non pacisci liceat ut pecunia illi qui eam contulit, pereat soli; lucrum verò & alter participet? quod ipsum & eadem æquitatis regula Cassius definit; ita nimirum valere, si opera damno non sit minor, *ut hic.* Denique quia societatis partes indistinctas tam lucro quàm damno fore communes constat, *per hunc tex. in prin.* quæ-

2. situm est † pecuniâ ab uno, operis ab altero collatis, ita ut operarum proventus communis sit (namque ita societatem contrahi posse constat *l. 1. C. eod.*) sine pacto interim adjecto de recipienda vel participanda sorte (nam si pactum ea de re factum esset, servaretur, *gl. post Joan. in d. l. 1. C.*) An non is qui pecuniam contulit, illam finita societate recipiat solus, quod magis est. Ratio est, quia societas ini-

tus

tur non causa istius pecuniæ, sed negotij pecuniâ tractandi. Proinde ut instrumenta, quibus operarum † collator usus est, finita societate solus retinet, ita & pecuniã qui adhibuit, eam retinet solus. Tametsi igitur Accursius id in dubium trahit, *gl. magna, in d l. 1. C. seq. Bart. ib.* tamen ipsemet testatur, ita ut nos definivimus, Florentiæ & alibi Consuetudine servari. Et rectè igitur sententia ejusdem contraria reprobata est, *per Bald. Cin. Castr. Iacob. de Aren. in d. l. 1. C.* Quid enim iniquius foret, quàm magistros navis, propter operas suas pro tertia vel quarta lucri parte exercitorum socios, ex negotio, quod quandoque aliquot centenis florenorum millibus constat, navigatione finitâ, sortem pecuniæ maximam participare cum socijs, qui soli maximam pecuniæ sortem contribuerunt. Quemadmodum itaque is qui negotio communi solus navem adhibuit, finita societate eandem retinet solus, perinde & qui sortem contulerunt, eandem finita societate retinent soli; ni aliud actum sit. *DD. qui suprà.* Vnde & vice versa sequitur, quod pecuniæ casu perditæ damnum solius quoque sit eius, cuius illa fuit, nec præstans operas hoc nomine quicquam refundat. Atque hoc etiam Accursius probat, *gl. Bar. Ang. Castr. Bal. ad d. l. 1. C. Pro Soc.* & re bene considerata, ex sententia præmissa sequitur *Martin. Navar. in Manual. Confessar. c. 17. de Vsur. in Societ.* Vt nimirum promiscuè, operis perditis, pecuniæ collator earum nomine refundit nihil. *Bal. & Castr. in d. l. 1. Schneid. in §. de illa. num. 5. & 6. Inst. eod.* Licet enim Mudæo diversum † videatur, *Mud. hic. num. 17. & 18. post Salicet. quem sententiæ suæ authorem allegat.* opinio tamen eius confutatur ratione manifesta, quod nimirum non pecuniæ societas contracta sit, sed negotij tantùm, pecuniâ tractandi, eoque, quemadmodum operæ pereant uni, ita pecuniæ alteri. Non mutat l. cum duobus. 52. §. quidam sagariam. inf. eod. quia ibi ipse quoque ad emendum merces profectus, pecuniam contulerat. *vide Fachin lib. 2. Contron. c. 94. & 95.* Nec est quod quis dicat id huic textui adversum esse, qui nimirum æquales partes lucri ac damni requirit: quia & eas ipsi in proposito non rejicimus, quod unus operas alter pecuniam perdat, quæ videlicet cujusque in societate inita partes pro indiviso erant. Quinimo & Mudæi sententiam admittimus, si operæ ab uno parte æstimatæ sint, & ab altera pecuniæ collatæ, cum partes hoc ipso magis distinctæ sint, ita puta ut sors collata una intelligatur pro partibus quãtitatis utrimque cõmunis. Et hæc omnia ut ratioñe habẽt, ita distinctè in praxi moribus Belgicæ servantur, ubi negotiationes hodie omnium frequẽtissimæ sunt. Consuetudinẽ verò legis interpretem optimã esse certum est.

3. (margin, beside "finita societate")

4. (margin, beside "videatur")

Consuetudo Belgica.

Ad §. final.

Vide quæ ponimus suprà *in l. 5. §. donationis. h. t.*

Ad l. ut sit. 31.

VT sit pro socio actio, societatem esse contractam oportuit, cum sola communio non sufficiat. Igitur & si à duobus res simul empta sit, hoc solo societas contracta non censetur. *ut hic*. Nec mutat l. 2. C. eod. quia ea accipienda est, si tractatu antè habito, de re communi nomine comparandâ, sit actum. *ut in l. prox. inf.* idque ex alijs quoque judicijs constet.

l. Nemo. 35. l. 36. & 37.

PErtinent ad ea quæ ponimus latiùs infrà, ubi plenè tractamus, an & quatenus societas in hæredem transeat vel minùs. *in l. adeo. 59. h. t.*

Ad l. pro socio. 38.

1. *Argumentum legis.*
2. *Ad alia judicia an commodè transferatur.*
3. *Conciliatur l. 1. §. nec tamen de Usur.*

1. QVando pro socio ¹ agitur, ad judicem pertinet, cautionibus de futuro lucro vel damno prospicere, *ut hic*. Quod & alijs actio-
2. nibus ² commune est. *l. inter omnes. 12. Qui Satisd. Cog. l. quod si in diem 16 in princ. de Her. Pet. l. egi. 12. Si Serv. Vind.* Vide quæ ponimus suprà *ad l. in omnibus. 41. de Iudic.* Opponi solet l. 1. §. nec ta-
3. men de Usur. ubi relatum ³ est, ad officium judicis futuri temporis tractatum non pertinere: sed hoc ita in ijs est quæ non jure actionis in posterum penduntur, sed officio judicis, ut de usuris ex mora in bonæ fidei judicijs præstandis obtinuit. *l. 49. §. 1. de Act. Emp.* Nos verò hoc loco de ijs agimus quæ præstanda veniunt jure actionis ipsius, ut nimirum per judicem curetur, ijs prospici cautionibus.

Ad l. si quis. 41. et l. 42.

1. *Si quis à socio industriæ nomine pœnam stipulatus sit quid juris.*
2. *Quid juris sit de pœna ex delicto.*
3. *Quid juris sit si socio res ablata sit. & num. 4.*
5. *Quid juris sit de pœnis in quas ipse socius damnatus est. & num. 6.*
7. *An subjecta stipulatione pœnali novetur obligatio principalis.*

Si

SI quis à socio industriæ nomine † pœnam stipulatus sit, pœnamque acceperit, tantò minùs pro socio actione consequetur, quãtum in pœna fuit. Proinde si tantundem in pœna sit quantum creditor societatis judicio consequeretur, id ipsum quoque cessabit, quia pœna imputatur sorti. *ut hic & l. prædia. inf. de Act. Emp.* Contrarium de pœna ex delicto † dicimus, quam creditor fortè propter pignus sibi injustè ablatum exigit, quia hæc non in sortem, sed lucro creditoris cedit, *l. si pignore 22. de Pign. Act. l. 47. de Solut.* idemque igitur est, & si socio res ablata sit, quia † enim non omnes omnino impensas quas propter societatem fecit, repetit, consequenter nec lucrum omne, quod propter eandem, non tamen ex ipso communi negotio provenit, societati communicatur, *l. socium. 60. §. 1. inf. eod.* At hoc ita, si non omnium bonorum socij sint, † nam si id constet, socius etiam pœnas ob injuriam vel alia delicta perceptas communicare tenetur. *l. cum duobus. 52. §. socium. inf. eod.* Pœnas tamen † in quas ipse socius ex delicto suo damnatus est, non repetit indistinctè, sed ita demum, si damnatus sit injustè. *d. l. 52. §. fin. inf. eod.* Ratio est, quia quoties jure ob delictum damnatus est, toties in culpa est, eam verò quemque sibi imputare oportet, *l. socius. 72. inf. eod.* Sed quantum attinet ad pœnas de quibus hic agimus, certum est eas cedere loco † sortis ipsius, vel ejus quod interest. *l. stipulatio ista. 38. §. alteri de Verb. Obl.* qua de re alibi pleniùs egimus. *vide quæ posuimus in l. rescriptum. 10. § si pacto. suprà de Pact.* Quanquam igitur exactâ pœnâ, adhuc pro socio agi in id quod per eam minus quã nostra interest, consecuti sumus. *ut hic.* agenti tamen obstat exceptio doli, *l. apud Celsum. 4. §. Labeo. de Doli Excep.* An verò pœnali stipulatione contractui † priori subjectâ, novatio contrahatur, alia quæstio est: de qua ita finiendum, novationem non contrahi, nisi hoc expressè agatur, *l. duo societatem. 71. infrà eod. adde l. ult. C. de Nov.* Atque ejus rei maximum argumentum est, quod non obstante stipulatione pœnali, ipso etiamnum jure superest actio ex obligatione priori, *ut hic.* tametsi exceptione submoveatur, *d. §. Labeo.* Sed obstare graviter visa est, *l. 1. § . item si ita: Ad L. Falc. & l. si penum. 24. Quan. Di. Leg. Ced.* ubi, fundo vel penu ita legata, ut, ni si præstentur, decem dentur, morâ in traditione penus commissâ, obligatio in pœnalem dicitur transfusa; verum hoc ideo, quia penus tantùm usque ad litem contestatam ab hærede præstari potest, *l. cum fine. 19. Quan. Dies Leg. Ced.* & legatum penus sub conditione intelligitur ademptum. *l. si penum. 24. eod.* eò quòd id non tam in obligatione sit, quàm præstatione vel solutione sola. Ideoque notandum est quod *in d. l. 1. §. item. Ad L. Falc.* dicitur, penum legatam videri, quod nimirum denotat impropriam legati obligationem.

 Nam

Nam & si vera novatio esset, penus nec solvi posset, jam verò solvi adhuc ad litem usque contestatam potest, *d l.19.* D*uar. ad l. ita stipulatus.115.§.Sabinus.de Verb.Obl.* Minùs obstat l. obligatorium. 44. §.fin.de Obl.& Act.quod ibi vox *quasi*, impropriam novationis significationem designat palam. Posteaquam enim creditoris interesse cepit factum jam antè præstitum fuisse: pœna facti obligationi loco eius quod interest succedit. §.*fin.Inst.eod.* Quando igitur pœnalis stipulatio priori obligationi accedit, non tam intentione ejusdem mutandæ, quàm confirmandæ: verum est, novationem per eam veram minimè contractam esse.

Ad l. rei communis. 45.

1. Rei communis surrepta nomine tam furti quàm pro socio agi posse.
2. Quatenus altera earum alteram consumat.
3. Conciliatur l.71. de Furt.
4. Condictio furtiva interdum furti actio dicta.
5. Conciliatur l.1.C.de Furt.

REi communis à socio surreptæ vel contrectatæ nomine tā furti
1. quàm † pro socio agi potest, *ut hic & l. si socius.44. de Furt.* Sed
quod hic refertur altera actione alterā non consumi, itemque ut al-
2. terutra instituta, vel furti inquā, vel rei persecutoria, superfit altera
nihilominus, idemque omnibus judicijs generale esse, id non caret
dubio. Obstat nimirum l.si is cui.71.prin.de Furt. quæ de condem-
3. nato † contrarium definit, sed hæc lex obtinet in actione furti pœ-
nali, quæ scilicet non rem, sed meram pœnam persequitur, opposita
verò lex actionem furti nuncupat condictionem furtivam, quæ &
ipsa rei persecutoria est, ideoque commodati actionem tollere dici-
tur rectè; subintellige tamen, nisi pluris intersit creditoris, *l.sed si ex*
4 *causa.47.infrà eod.* Condictionem autem furtivam † & ipsam inter-
dum furti actionem dici, juri nostro novum non est. *ut hic & l. cum*
furti.9.de In Lit.Iur.l.ei qui. 9. de Furt. Minùs verò obstat l.1.C.de
Furt, quæ in concursu actionis mandati † cum ipsa furti propria ac-
5 tione aliud statuere videtur: hoc enim ideo, quia domino negotium
ratum habente, ab initio quoque mandatum & consensu ipsius ge-
stum intelligitur, *juxta c.ratihabitionem.de Reg.Iur.in 6.* quando igi-
tur ob hoc pecunia invito domino contrectata dici non potest, con-
sequenter etiam furti actio cessat.

Ad

Ad l. cum duobus. 52.

Ad §. Vtrum ergo.) Ad hunc §. vide quæ de dolo & culpa in quovis contractu præstanda pluribus posuimus suprà *in l. si ut certo. Cómod.*

§. Quidam sagariam.) Relatus est suprà in l. 24. h. t. ubi plenè tradimus an & quando quisque sociorum in solidum aut pro parte conveniri queat.

§. Papinianus.) Retenta ideo hæreditate inter fratres indivisa, ut lucrum ac damnum commune sentirent, contracta quidem societas intelligitur, sed quod aliundè quæsierint, in commune non redigetur, *ut hic.* Planè si fratres, bonis parentum indivisis, simpliciùs simul habitaverint, magis dicimus, societatem per hoc contractam non censeri, *l. ex parte. 39. Fam. Ercis.* Ni videlicet societem tacitè contractam esse constet aliundè, *ut suprà notamus in l. 7. & 8. h. t.*

§. Si quis ex socijs.) Relatus & explicatus est hic §. infrà *in l. 67. §. si quid unus. h. t.*

§. Socium.) Explicatur hic §. suprà *in l. si quis. 41. & 42. eod.*

§. final.) Explicatur in d. l. 41. & 42.

Ad l. adeo. 59.

1. *Societas quatenus solvatur.*

2. *Vectigalium societas quatenus transeat in hæredes. & 5.*

3. *Quatenus lucri ac damni nomine ex contractu societatis in hæredes actio sit.*

6. *Quid si alteri ignota mors sit alterius.*

7. *Consuetudo Transisulaniæ.*

ADeo societas † morte solvitur, ut nec pacto convenire liceat, ut hæres societati succedat. *l. nemo. 35. cum ll. seqq. suprà eod.* 1.
præterquam in societate vectigalium. Atque hoc † ipso in casu an 2.
hæres societati succedat, ex causa, id est rei qualitate dependet, nam si ex socijs decesserit, cuius operarum causa societas maximè contracta est, aut sine quo eadem administrari non potest, magis est, hæredem nec hoc casu in societatem vectigalium succedere, *text. hic. & in l. verum. 63. §. in hæredem. infrà. Bal. in d. l. nemo. suprà eod.* Planè quin lucri ac † damni nomine hæredi & in hæredem actio sit, nó 3.
est dubitandú, *d. l. 63. inf. eod. l. actione. 65. §. si in rem. & §. morte. h. t.*
Sed & hæres socij, licet ipse socius non sit, tamen ea quæ per defun- 4.
tum inchoata sunt, simul explicare tenetur, & hoc nomine utrimque actio est, *l. hæres. 40. d. l. 65. §. morte. h. t.* Nec ad rem facit quod

5. quod alibi refertur,† lucrum ac damnum societatis vectigalium continuari in hæredem, tametsi socius non sit, non similitat tamen observari in societate voluntaria. *l. verum. 63. §. in hæredem versic. quod non inf. eod.* ibi enim societas voluntaria non dicitur societas rei privatæ, sed quæ voluntate & consensu cum hærede renovata est; nimirum ut per eam quoque hæres socius sit, & societati in posterum succedat. Quamobrem posterior is versiculus non adversatur
6. verbis proximis, sed paulò superioribus. Denique & † si reliquis omnibus integris unus sociorum decesserit, alter interim compleverit negotium commune, eadem distinctione utimur, qua in mandato, ut si ignota mors socij sit, ex gesto societas duret, & ipsum adeo societatis judicium, si eadem non ignota sit, finita quoque intelligatur societas. *d. l. 65. §. si alicuius. h. t.* Illud ex moribus Transisulaniæ
7. annotandum † est, quia consuetudine ejus provinciæ generalis bonorum inter conjuges communio, morte quoque solvitur. Si tamen communio manserit (ut solet plerumque donec alter ad secunda vota transeat) hæreditates ac donata superstiti acquiri soli: non etiam liberis. Lucra interim, obventionum ac negotiorum communia esse.

Ad l 60. §. 1.

Hic §. refertur suprà in l. 41. & 42. Et rursus in ijs quæ infrà *in l. 67. §. si quid unus. h. t.*

Ad l verum 63.

Constat socium tantum in id conveniri quod facere potest. Quod non ita modo in socio omnium bonorum, sed & unius alicuius rei est. *ut hic.* Obstat l. sunt quidam. 16 de Re Iud. quæ hanc rem restringit ad solum socium omnium bonorum. Verùm rectè Duarenus respondet, quia utrumque hoc caput Vlpiani est, hoc quidem ex libro trigesimo primo ad edictum, oppositum verò caput ex libro sexagesimo tertio tractatus ejusdem, idcirco brevius illud ex latiori interpretatione legis præsentis esse explicandum. Quia nimirum fraternitas inter socios colenda est, quæ ratio utrique societati communis est. *Duar. in d. l. 16. Dominus Bronchorst popularis meus, cent. 2. Enant. c. 51.*

§. Si cum tres.) Si socij plures sint, unusque agendo adversus alterum, integram partem suam consequatur, tertius verò suam integram consequi nequeat, eò quòd debitor solvendo non sit, quod prior consecutus est, pro socio actione alteri communicabit. *ut hic. fac. l. si unus. 67. infrà eod.* Sed contrarium est in creditoribus alijs,

nam quia hi societatis communionem nullam inter se habent, si quis horum aliquid à debitore communi acceperit, id alijs communicare non tenetur, quia cuique creditorum vigilare licet ad consequendum suum, *l. summa. 21. vers. sed si aliÿ de Pecul. l. inter. 19. in princ. de Re Iud.*

§. In hæredem.) Hic textus explicatus est suprà *in l. adeo. 59. eod. ubi vide.*

§. Final.

Hic §. jungendus ijs est quæ ponimus suprà *in l. si convenerit. 14. eod. tit.* & rursus ijs quæ ponimus in l. adeo. 59. eod.

Ad l. actione. 65.

§. Morte. 9. Hic §. est relatus *in l. adeo. 59. sup. eod.* Relatus est suprà *in l. 4. §. 1.*

§. Publicatione. 12.

§. NOnnunquam. 15.) Ex hoc textu constat etiam durante societate pro socio agi posse. *cui adde l. iam diu. C. eod.* quoties nimirum interest nostra vel rationes communes perspicere. *ut in l. 9. in princ. sup. de Eden.* vel non defertur in medium quod ad alterum pervenit. *ut hic.*

Ad l. si unus. 67.

1. *Expensa in societatem an & quatenus repetantur. & num. 2. ac 3.*
4. *An expensa domi facta repetantur.*
5. *Impensa cibi & potus an repetantur.*

§. SI quid unus.) Expensa in [1] negotium commune, itemque usuræ hoc nomine datæ vel acceptæ, pro parte à socio repetuntur. *ut hic. & l. cum. duobus. 52. §. si quis ex socijs sup. eod.* Non tamen omne lucrum [2] vel damnum quod quecunque modo propter societatem accidit, est reputandum, verbi gratiâ, cum socius resisteret communibus servis erumpentibus, vulneratus est, impensas non repetit, ut nec communicaret si quid ei tertius propter societatem donaret. *l. 60. §. 1. sup. eod. vide etiam quæ posuimus suprà in l. 41. & 42. eod.* itaque distinguimus inter impensas ac commoda [3] quæ in ipsum commune negotium penduntur vel ex eodem redundant, & ea quæ propter idem accidunt. Illud quæsitum est: An expensæ

4. quas socius dum † communes operas exercet, domi fecit, quasque aliàs etiam facturus esset, societati imputentur, *ab Angelo. Bald. Sichar. in l. 1. C. eod. Schneid. in § de illa, in fin. Inst. h. t.* Qua in re principio distinguimus inter societatẽ omnium bonorum & certi alicujus negotij, primo casu imputantur. *not. in l. si societatem. 75. §. 1. inf. eod.* secundo sub distinctione, nimirum ut si in ipsam rem seu negotium commune sint adhibitæ, pro parte refundantur & in societatem veniant, si verò non in ipsam rem sint adhibitæ, etiamsi casu aliquo propter eandem expensæ sint; tamen in hoc judicium non
5 veniant, *ut hic.* Quamobrem nec hoc casu impensæ † cibi & potus quas socius negotium commune exercendo facit, reputantur, *Schneid. post Porc. d. lo.* etsi de sumptibus itinerum contrarium dicamus. quippe qui tam jure scripto quàm moribus hujus seculi, imputantur perpetuò. *l. cum duobus. 52. §. si quis ex socijs. supra eod.*

l nulla. 70.

Pertinet ad ea quæ ponimus suprà, in l. si convenerit. 14. h. t.

Ad l. duo societatem. 71.

Vide quæ latè posuimus suprà *in l. 41. & 42. eod.*

Ad l. 72.

AD ingenuam sufficientemque huius capitis interpretationem vide quæ de culpa in omnibus contractuum generibus latè posuimus suprà. *in l. si ut certo. 5. §. 2. Commod.*

Allegata tamen eadem quoque est suprà in positis ad l. 41. & 42. h. t.

Ad l. si societatem. 73.

PRincipium hujus legis ad ea pertinet quæ posuimus suprà *in l. 3. §. 1. eod.*

§. 1.) Pertinet hic §. ad posita in l. 8. infrà eod.

Ad l. societatem. 76. l. 77. l. 78. & l. 80.

1. *Arbitrium boni viri quando electum sit, & arbitrator quis.*

2. *In ceteris bonæ fidei judicijs quatenus idem.*

3. *Explicata l. 43. cum l. seq. de Verb. Obl. & num. 4.*

5. *Explicata l. ult. C. eod. & § 1. Inst. de Contr. Empt. & num. 6.*

7. Quando

7. *Quando ab arbitratoris pronuntiatione reductio fit. & num.* 8.

9. *Quid si arbitrium in alterius partis conferatur voluntatem.*

10. *Quid juris si ultima voluntas se conferat ad arbitrium boni viri, & num.* 11.

12. *Explicatur l. 6. de* Condit. *& Dem.*

13. *Intra quod tempus reductio impetranda.*

SOcietate ita contracta, † ut ex ijs partibus lucro ac damno fruamur quas Nerva dixerit, omnimodo viri boni arbitrium censetur electum, (eumque arbitratorem Doctores vocant. DD. *hic.*) ita ut si Nervæ arbitrium ea in re fuerit iniquius, id ipsum ad arbitrium boni viri judicio societatis reducatur. *tex. hic.* Quod si generatim arbitrium in alium conferatur sine designatione personæ, magis est ab initio contractum nullum esse. *l. si merces,* 25. *inf. Locati.* Hoc si electus arbitrium pronunciet. nam si id detrectet, contractus ipso jure nullus est, quia id actum intelligitur ne aliter societas sit, quàm ut Nerva arbitretur. *l. prox. suprà.* Quod & in † ceteris bonæ fidei contractibus ita est. *d. l. si merces.* 25. *in princip.* Loc. & consequenter quoque ad stricti juris judicia relatum, nimirum ut in ijs quoque reductioni ad arbitrium boni viri sit locus, *l. si libertus.* 30. *de* Op. Lib. *l.* 78. *hic. Bartolus hic in l.* 76. *§. arbitrorum.* Proinde † & ita accipienda est, l. arbitratu. 43. cum l. seq. de Verb. Obl. DD. *ibidem.* Et quanquam Cujacius disputandi causa † hoc in dubium vocarit, *in d. l. arbitratu. de* Verb. *Obl.* nullo tamen textu sententiam suam defendit. Illud quæsitum est, an non hac in re quippiam † mutatum sit, *per l. ult. C.* de Cont. Emp. quâ relatum est: Arbitrium pretij in Titium collatum ita subsistere, si is arbitretur, aliàs non item, & quidem sine ulla consideratione, an contrahentes ad arbitrium viri boni respexerint, an minùs. Dubitatum enim est, an non per hoc reductioni ad arbitrium boni viri in contractu saltem emptionis ac conductionis, de quibus *in d. l. ult.* agitur, sit derogatum: Et inter omnes obtinuit si iniquum sit arbitrium, nihilominus reductioni fore locum. Nec ad rem facit † d. l. ult. C. & §. 1. Inst. de Contr. Empt. quia ijs simpliciter definitur, tametsi veteres dubitarint, si electus arbitrari nolit, an non valeat saltem contractus ob hoc quod boni viri arbitrium electum videatur: dubitationem eam in posterum submotam iri, & arbitrium renuente electo non valiturum sine ulla consideratione, an ipsius arbitrium præcisè, an verò ut boni viri arbitrium intelligatur electum.

1. 2. 3. 4. 5. 6.

7. Quando verò † arbitrium reductioni pretij locum paret, alia quæstio est: de qua ita definitū est, Læsionem ultra dimidium reductionem operari in primis. *Donel. ad d. l. si arbitratu. 43. num. 19. de Verb. Obl. Dominus Broncborst. cent. 2. Enant. c. 50.* quia tamen & vir bonus læsionem aliquanto infra dimidium iniquam judicaret, arbitrium ejus definitioni. *l. 2. C. de Rescin. Vend.* de dimidio non subjectum districtè, sed & ob dimidium, & ob damnum etiam dimidio minus ad æquitatem posse reduci. Ratio quia boni viri arbitrium electum est, id autem quale esse debeat negotijs singulis, in æquo facti examine consistit, eoque vix subjacet certæ definitioni juris, *DD. in d. l. fin.* Propter † modicam tamen læsionem arbitrium non facilè mutandum est, *Paulus de Cast. in d. l. ult. num. 2.* Cum quod in pretio emptionis naturaliter quodammodo admissa est modici deceptio, *in l. causæ. 16. §. pen. de Minorib.* tum etiam quod in rescissionibus rei majori per rem minorem non facilè præjudicetur. *l. scio. de In Int. Rest.* Quando igitur ea res ex mera æquitate dependet, eādem rectius arbitrio judicis, si ad eum res per partium contentionem devenerit, relinquimus. *l. continuus. 137. §. 2. de Verb. Obl. Bart. d. lo. Schneid. post Angel. in d. §. 1. Inst. de Contr. Emp.* Iunge his quæ pluribus suprà posuimus in l. 1. de Arb. Quid ergo si arbitrium in alterutrius partis conferatur † voluntatem? magis dicimus; & hoc casu viri boni arbitrium electum: *l. 6. sup. h. t. l. 7. de Contr. Emp. l. si in lege 24. Locati. l. si libertus. 30. de Op. Lib. l. 3. C. de Dot. Promiss. l. cum post. 69. §. gener. de Iure Dot.* Atque hoc ita si arbitrio debitoris simpliciter relinquatur quid vel quantum debeat. *ut in dd. ll.* nam si ejusdem voluntati ita conferatur ut & arbitrari possit an debeat, vel obligetur, magis dicimus contractum non valere, *l. 2. §. Scævola. de Eo Quo Certo Lo. l. quod sæpe. 35. §. 1. de Contr. Emp. l. in vendendis. 13. C. eod. l. stipulatio. 17. de Verb. Obl.* Denique in compromissis quæstionum controversarum hoc obtinet, ut strictè & sine reductione valeant prout arbiter pronunciaverit, *ut hic in l. 76. §. fin. & l. in compromissis. 45. de Arb.* Sed hoc quatenus ita sit, pluribus supra explicamus, *in l. 1. de Recep. Arb.* Videamus si ultima † voluntas in arbitrium alterius sit collata quid juris. In his enim paulò aliud obtinet. Igitur legato † in arbitrium alterius collato, neque inest conditio si arbitretur, neque mora donec arbitretur, sed directò pro arbitrio boni viri solvendum est, *l. 1. §. 1. de Leg. 2. l. si filiæ. 43. de Leg. 3.* Proinde & si arbiter pronunciare quid sentiat, detrectet, nihilominus boni viri arbitrium electum censetur, *l. ult. §. 1. C. Comm. de Leg. & Fideicom.* Nec † mutat l. 6. de Condit. & Demonst. quia ibi affirmatur hoc tantùm, si is cujus arbitrio hæres jussus fuerit sub pœna certa opus facere, arbitrium detrectet, hæredem ob id in pœnam.

8. (margin, at "DD. in d. l. fin.")
9. (margin, at "alterutrius partis")
10. (margin, at "explicamus")
11. (margin, at "tinet. Igitur legato")
12. (margin, at "Leg. & Fideicom.")

nam non incidere, tenetur enim ad hoc nihilominus ex viri boni arbitratu. *in l. testamento. 27. in fin. eod. tit.* Illud tractatum † est, intra quod tempus reductio petenda sit? cui rei triginta annorum spatiũ præscribunt, cum officium judicis ad hoc paratum sit, *arg. l sicut. C. de Præscrip. 30 Ann. DD. communiter. teste Gail. 1. Obs. 150. Decio consil. 39. num. 60 Costal. hic allegans Bald. Angel. Alex.* Demque & Costalius diversum in arbitratore statuit, hoc est consensu partium ad rem aliquam pronunciandam electo. *Costal. in d. l. 7. de Contr. Emp.* Contrarium Fachinæus autumat, & huic rei decendiũ esse præscriptum *per l. pen. C. de Recep. Arb.* Et verò quia indistincte ea lex constituta est, rectè eam quoque ad arbitratores pertinere dicemus, *Fachin. lib. 8. Controu. c. 95.* Nam quod Doctores plerumque distinguunt, inter arbitrum & arbitratorem, sciendum est vocum earum diversitatem, nusquam in jure relatam esse. *Corras. lib. 4. Miscell. c. 18. Fach. d. lo.* Planè illud omittendum non est quod Costalius hoc loco annotat; Moribus Galliæ provocatione à sententia arbitri pœnam non committi priusquam à judice provocato, saltem primo, sententia arbitri fuerit probata. *Cost. hic.* de tempore quo durat potestas arbitrandi, probabilius ita statuimus, ut finiatur anno. *arg. l 3. §. sed & si quis. C. Com. de Leg.* præterquam in arbitrio ex compromisso electo, cum enim intra triennium litem finire oportet: *vide nostra in l. 1. sup. de Arb.* Quanquam si intersit partium rem antè finiri, & id fieri possit, officium judicis invocari posse, moribus obtinet.

Ad l. si socius. 81.

1. *Pactum de dotanda filia ex bonis communibus valet.*
2. *Quid juris si id pactum non sit.*
3. *Conciliatur l. 73. §. 1 h. t.*
4. *Impensæ studiorum an in judicium societatis veniant.*

QVod hic † refertur; pactum quo convênit ut filia unius ex socijs, è bonis communibus dotetur, valere, id manifestè arguit, sine pacto eiusmodi contrarium esse. *Bal. Iaf.* DD. *hic.* Ac tametsi hoc à † nonnullis in utramque partem disputatur, *Roland. à Valle. 1. consil per tot.* Adeo ut & Vbaldus scripserit, utramque opinionem sine peccato teneri posse. *Petrus de Vbal. in tr. de Duob. Frat. par. 6. q. 9.* Tamen vera hujus l. sententia est. Nec mutat l. si societatem. 73. §. 1. *eod.* quia ea solùmmodo † agit de impendijs, parandi liberis honoris causa erogatis. Quod rectè interpretes † consequenter ad impendia studiorum retulerunt, ut nimirum & ista ex com-

munibus bonis desumenda. *DD. qui suprà.* Ceterùm ab horum imputatione ad imputationem dotis non rectè argumenteris. Nam & dos in collationem venit. *l.* 1. *de Coll.* Dot. quæ verò prosequendi honoris vel studij gratiâ erogantur, non item. *l. qua pater.* 50. *suprà Fam.* Ercis. *junc. l.* 1. §. *nec Castrens. de Coll.*

LIBER DECIMVS-OCTAVVS.

DE CONTRAHENDA EMPTIONE ET VENDITIONE.

TIT. I.

AB emere vendere emptio & venditio dicta, contractus duarum vocum unus est. Qui emit emptor, qui vendit venditor dicitur. *tot. h. t.* Vendere tamen pro emere Iulianus dixit. *l. qui fundum.* 7. §. 4. *Pro* Empt. *adde l. un.* C. *Si Serv. Ext. Se Emi. Mand.* Sed per abusum, quia si propriè loquamur, peculiaris cuique voci significatio est. Abusus tamen hic veteribus videtur frequentior fuisse. *l. veteres.* 19. *ubi gl. & DD. de Act.* Emp. Ac tametsi Cujacius aliter sensit, qui existimat id de promiscuo usu locationis, conductionis, cum vocibus emptionis venditionis accipiendum, *idque propter l. sequentem. quæ est* 20. *sub tit. de Action.* Emp. *Cujac. lib.* 9. *Obs.* 15. Tamen si idem de correlatis vocibus his utrisque accipiamus, minimè novum fuerit. Planè quin locatio conductio etiam emptio & venditio dicta sit, non est dubium, idque maximè ita in locationibus censuum ac emphyteuseos fuit, *Festus in voce venditiones. venditiones olim dicebantur censorum locationes, quod velut fructus publicorum locorum venibant.* & est in usu etiamnum.

Ad l. I.

1. *Emptio venditio quando dicatur.*

2. Olim

2. Olim & permutatio emptio dicta.

3. An omnis alienatio emptionis nomine veniat. & num.

4. Explicatur l. 29. de Statulib.

6. Prisca familia alienatio.

7. An emptio non sit juris gentium.

8. Vsus nummi.

CErtum est quod hîc refertur, emptionem ac venditionem hodie non dici, præterquam si ex una parte merx, ab altera pretiũ interveniat, *ut hic in princip. &* §. 1. Ceterum quod olim † & permutatio his nominibus sit dicta, ex hoc textu constat. Sed id solertioris seculi usu demum sublatum est. *l. 1. de Permut.* Cave tamen idcirco omnem † alienationem venditionis nomine putes contentam, *per hunc text. & d. l. 1. de Permut. junc. l. si pupillorum. 7. §. si pater. de Reb. Eor. Qui Sub Tut.* Nec ad rem † facit l. statuliber. 29. de Statulib. ubi dicitur XII. tabulis verbo venditionis omnem alienationem contentam, *cui adde l. sicut. 8. §. venditionis. Quib. Modi Pign. Sol.* quia id nec propriè ita est, nec indifferenter, sed solummodo ex interpretatione prudentum quoties eadem subest ratio, nimirum quod nonnullis casibus quibus emptio & venditio est permissa, reliquæ quoque alienationes permissæ vel inhibitæ videantur *ut in d. l. ult. C. de Reb. Alien. Non Alien.* Verbi gratiâ, lege XII Tab. vendendi statuliberos, id est servos sub conditione liberos, facultas erat. Id juris authores † ita interpretati sunt, ut etiam ad reliquos pertineat contractus, nimirum ut & legare statuliberos, & donare sit concessum. *Dominus Bronchorst. 2. Enant c. 61.* Quibus accedit quod omnis familiæ alienatio vel † mutatio ferè per imaginariam venditionem, seu alienationem per æs & libram fieri solet. Tametsi Varro Scævolam secutus nexum solummodo ad obligationes retulit. *Varro lib. 6. de Ling. Latin. vide Vlp. in frag. tit. 19.* Sed hac de re alibi pleniùs agimus. vide Subtil. nostras. *lib. 1. c. 23. per tot.*

1.
2.
3.
4.
5.
6.

Quod autem hîc ampliùs refertur pecuniam non tam usum ac dominium ex substantia præbere quàm ex quantitate, id alibi latiùs explicuimus, *vide quæ scripsimus suprà in l. vinum. 22. de Reb. Credit.*

§. Est autem.) Illud rectè dicimus, contractum † hunc juris gentium esse, quòd idem & à permutatione originem habeat, & loco eius omnium populorum moribus surrogatus, *text. in Inst. de Iure Nat. Gent. & Civ. Bart. hic.* Planè si quis existimet † nummi rationem demum 7. 8.

mum Principum Constitutionibus receptam, longa aberrat via; cùm certissimum sit, & usum eius & emptionis ac venditionis vetustissimum esse, adeoque diu fuisse receptum ante auditum Romanæ civitatis nomen. *Genes.23.c.vers.15. Pinel.ad Rubr.l.2.C. Resc.Vend.p.1.num.27.*

Ad l. hæc venditio.7.

PRincipium hujus legis pertinet ad ea quæ posuimus suprà *in l. societatem.76.cum ll.seq.Pro Soc.* ubi plenè docuimus an & quatenus negotium quoque in alterius arbitrium conferri queat.

§.1.) Ad hunc §. vide quæ ponimus infrà in l.1. de Permut.

Ad l. in venditionibus. 9.

1. *Emptio venditio vitiatur dissensu ac errore.*
2. *Quid si in ipso contractu dissensum sit.*
3. *Quid si erratum sit in materia.*
4. *In pignore quare diversum hactenus sit quàm in contractibus ceteris. & num. 6.*
5. *Quid juris sit, si in parte tantùm venditæ materiæ sit erratum.*
7. *Explicatur l. Labeo.45.inf.eod. & l.21. de Act.Emp. & l.62.h.t. & num.8. ac 9.*
10. *De errore nominis quid juris.*

1. EMptio venditio quia † consensu constat, dissensu ac errore contrahentium vitiatur. Idque in primis ita est, si in corpore sit dissensum, puta cum emptor de Sticho, venditor de Pamphilo sentiret. *text. hic.* Quod si in ipso contractu dissensum † sit, cum unus
2. vendi alter donari putaret, contractum non subsistere suprà relatū
3. est, *in l.si ego.18.de Reb.Cred.* Quid ergo si erratum sit † in materia, verbi gratiâ, cum venditor de plumbo, emptor de argento se agere putaret? magis dicimus, nec his casibus emptionem subsistere. *ut hic. in §.fin. & alibi.* Nec ad rem pertinet † quod contrarium est in pig-
4. nore. *l.1.§.fin.de Pign.Act. itemque in stipulatione, l.22.de Verb.Obl.* Hoc enim ita, quia interest recipientis, ex mutuo ac stipulatione potiùs aliquid esse in obligatione quàm nihil: cùm è contrà in venditione, intersit potiùs emptoris obligationem non constare, quàm
5. subsistere in re viliori ea de qua est actum. Excipe si † id quod venit, ver.gr. æs pro auro venditum, ex parte modò sit aurum: hoc enim casu magis dicimus emptionem esse, *l.quid tamen.14.inf.h.t.ubi vide*

hanc

hanc rem latius. Sed excipiunt † interpretes à regula hac (quâ dicimus dissensu in materia vitiari emptionem) si intersit emptoris potiùs contractũ manere quàm infringi. Verbi gr. si aurũm pro ære venierit; Rectè quidem, *arg. d. l. 1. §. fin. de Pign. Act. & d. l. 22. de Verb. Obl.* ut infrà tractabimus, *in l. 14. hic*. Perperam tamen † in eam rem allegatur l. Labeo. 45. infrà eod. Ceterùm eadem textui nostro repugnare videtur, quia ibidem refertur, eum qui aurichalcum pro auro vendidit, teneri ut aurum quod vendidit præstet, cui † accedit *l. si sterilis. 21. §. quamvis. inf. de Act. Emp. & l. qui officij. 62. §. 1. hic*. ubi dicitur, licet emptio non teneat, tamen ex empto actionem esse in id quod interest. Sed in utraque ea, ex empto actio dicitur, non ex empto propria, verum in factum actio ex negotio qualicunque contracto. Quod tametsi ob defectum consensus in materia, non valet vi emptionis directæ, efficax tamen ex mera æquitate est producendæ actioni in factum, ut scilicet vel materia præstetur de qua fuit actum, vel id quod interest loco ejusdem. Itaque ibi ex empto † actio dicitur, quæ deficienti ex empto propriæ surrogatur in factum: quæque alibi in factum actio dicitur expressè, *l. ossa. 8. §. 1. de Relig. & Sump. Fun.* uti & è diverso aliàs † de dolo actio dicitur quæ ex ipso contractu ob dolum commissum proponitur, *l. si servus. 21. in princ. de Evict. l. 1. C. de Dolo. qua idcirco malè ad titulum istum est relata. vide latius Subtil. nostras, l. 1. c. 10. & 11.* Sed & notandum ex hoc textu, errore † nominis, cum de corpore constat, contractum non vitiari. *fac. l. si quis in fundo. de Leg. 1.*

6. 7. 8. 9. 10.

Ad l. quid tamen. 14.

1. *Si æs pro auro vendatur, quid juris.*
2. *Conciliatur l. 41. §. fin. h. t.*
3. *Quid si corpus æneum pro aureo vendatur, cum minori ex parte esset tale.*
4. *Quid si sine dolo tale esse dixerit.*
5. *Quid si quid commendandi causâ dictum sit. & num. 6.*
7. *Quid si aurum veneat pro ære. & num. 8.*
9. *Quid si ex parte res sit talis pro quali venit.*
10. *Quid juris sit si ob commendationem dolosam deceptio accidat.*

SI æs pro auro † vendatur, contractus non subsistit, *dixi suprà in l. 9. ubi & hac l. relata est*. Hoc ita, nisi corpus, de quo actum est, ex parte saltem sit aurum vel inauratum: tunc enim contractum valere magis est, *ut hic*. Nec mutat † l. cum ab eo. 41. §. fin. infrà eod. 1.

quia ibi agitur de mensa argento seu argenteis laminis cooperta, argentóve inclusa: cujus generis mensæ veteribus usitatæ videntur. *l. 9. §. 1. inf. de Supell. Leg. Plin. lib. 13. c. 15. de mensa Tiberij.* verùm nos agimus de eo corpore quod ex parte saltem tale est pro quo
3. venditur. Quâ in re tamen † quæri potest, si corpus æneum pro aureo vendatur, cum interim ex minori parte modò tale sit, an non rectè in id agatur quod deest? magisque admittimus, agi ideo posse, si actum sit speciatim ut aurum esset purum; Verbi gratiâ, si venditor massam pro auro ducatorum vendiderit, ut majus pretium extorqueret: id autem postea deprehensum est vilius: & rectiùs dicimus, hoc casu ex empto restituendum quanto pluris emerit, *fac. l. 68. §. 1. & 2. hic. junc. l. Julianus. 13. §. si venditor. de Act. Emp.*
4. Idemque igitur erit, † si sine dolo talem esse dixerit, non quidem commendandi causâ, sed ut præstet. *per l. sciendum. 19. in princip. de Ædil. Edic.* Aliud tamen est, si massa fortasse † vel alia res com-
5. mendata sit in genere, pacto tamen emptionis de specifica qualitate convenerit nihil, *l. ea quæ. 43. infrà. h. t.* Quando igitur id ita sit, in facto consistit, eoque id judicis cognitioni ac arbitrio relinquendum est. *per text. & DD. in d. l. sciendum. §. dictum. de Æd. Ed.*
6. Nam commendatione simpliciùs † adhibitâ, propius est, actionem omnem cessare, nisi læsio fortè excedat dimidium. *ex l. 2. C. de Rescind. Vend.* Quid ergo si errore venditoris aurum veneat pro ære?
7. (diximus enim † hoc casu emptionem constare, quia interſit emptoris ratam potiùs manere quàm infringi. *suprà in l. 9. h. t.*) puto ob errorem facti rectè ex vendito agi, ut emptor vel justum pretium suppleat, vel rem inemptam fieri sinat. Idque etiam ita esse,
8. tametsi læsio dimidium non excedat. Movet quod facti † error non nocet. *l. error. 8. de Jur. & Fac. Ign.* Quando enim deceptum in materia emptorem indemnem servari æquum est, *d. l. qui officij. 62. infrà. h. t. & alibi.* est etiam æquum, indemnem servari venditorem. hoc igitur dubitabit nemo, cum propter benignam æquitatem, tum quod actio hæc non minus ex una quàm altera parte bonæ fidei est, eoque liberalem admittit interpretationem. Planè si massa
9. ex † parte saltem fuerit talis pro qua eam venditor alienavit, id perinde metiendum ex ijs erit quæ de emptore decepto jam disseruimus latè. Illud omittendum non est, si ob commendationem † ven-
10. ditoris dolosam emptor ad emendum sit inductus, atque ita læsus, non ædilitia actione aut ex empto, sed solummodo de dolo agi. *l. quod venditor. 37. suprà de Dolo.* Iunge quæ nos ponimus latiùs suprà, *in l. & eleganter. 7. §. non solum. num. 6. & 7. de Dolo.* Planè quod alij autumant Iure Canonico, si dolus in negotio intervenerit, id ipso jure ob hoc nullum esse: ab interpretibus quidem annotatum

notatum est, *Rosbach, lib. 2. tit. 8. num. 6. allegans Bald. in c. 1. ex. de Plus Petit. Iason. in §. actionum. Inst. de Act. num. 36.* sed id commodè accipiendum est, si scilicet dolus contractui dederit causam. Cum Canones imitari leges non dedignentur. *c. 1. de Novi Op. Nunc.*

Ad l. etsi, 15. §. 1. & fin.

QVatenus quis præsentia aut actu proprio consentiendo tertio in alienatione rei suæ, sibi ipsi præjudicet vel minùs, suprà posuimus, *in l. Gaius. de Pign. Act. & rursus in l. qui rem. 15. Depos.*

Ad l. quod vendidi, 15.

1. Dominium rei venditæ non transit ad emptorem, nisi fide de pretio habita.
2. Quatenus id ita sit.
3. Venditori rem venditam pignori esse, & quatenus.
4. Rei traditione pignus exspirat.
5. Sed dominium remanet apud venditorem.
6. Quando venditor fidem emptoris sequatur.
7. Consuetudo Hollandiæ.
8. Cost alius notatus in interpretatione hujus materiæ.
9. Quæ res domino à colono aut inquilino pignori sint.
10. Quæstio singularis ad consuetudinem Saxoniæ soluta.
11. Consilium authoris venditoribus immobilium tutum.

NOn transit dominium † ad emptorem nisi fide de pretio habitâ, aut hoc nomine aliàs satisfacto, *ut hic. & §. vendita. Inst. de Rer. Div.* Quod ita accipiendum est etiam re jam tradita: nam si † necdum tradita sit, aliâ quoque ratione dominium apud emptorem manet, quia scilicet non pactis, sed traditionibus demum proprietatem rerum cedere oportet. *l. traditionibus. C. de Pact.* Planè illud expeditum † est, venditorem quoque rem pignori retinere posse, donec satisfiat. *l. Julianus. 13. §. offerri. de Act. Emp.* non quidem ut proprium pignus sit, cum res sua nemini pignori esse queat, *l. Gaius. de Pign. Act.* sed improprium tantùm, vel quasi pignus. *text. in d. l. Iulianus. §. offerri. verb. quasi pignus.* Re tamen tradita pignus † exspirare dicemus: cum res sua nemini rectè obligari queat, *l. qui rem. 15. ubi vide nostra. Depos.*

l. neque pignus. de Reg. Iur. & interim dominium retineri, nisi fides de pretio habita sit. Ideoque eo casu † res vendita rectè vindicatur,
5. si jam tradita sit, ut paulò post pecunia solvatur, idque etiam tum cum emptor cedit bonis. Atque hoc curia judicialis reipublicæ Amsterodamensis judicavit hoc etiamnum anno 1608. Quando
6. verò † venditor fidem emptoris sequatur, facti quæstio est, de qua Doctores ferè ita definiunt, ut si solutio pecuniæ in diem dilata sit, aut consimilia in contractu accidant, venditor fidem illius videatur
Consuetudo Hollandiæ. secutus, *Schneid. & alij in d. §. vendita. Inst.* Atque id hodie ita mori-
7. bus Hollandiæ, ubi negotiationes † hac tempestate omnium frequentissimæ sunt, servari videmus. Nam venditor rei vindicatione non utitur, si in diem solutio dilata sit. Planè quod Costalius hoc
8. loco annotat, † in locatione quoque conductorem dominium fructuum non consequi, nisi pensione soluta, *post Bart. quem all gat in l. si servus. 61. §. locavi. de Furt.* id nusquam relatũ est. At è contrario constat conveniri posse ut fructus domino pignori sint pro pensione, *tex. in d. §. locavi.* id verò esse non posset, nisi fructus coloni fierent, *d. l. neque pignus.* Illud verò constat, † domino prædij ut bona in-
9. vecta & illata, prædij rustici fructus etiam tacito pignori esse, *l. 4. &*
10. *l. 7. §. 1. Quib. Mod. Pign. Tac. Contr.* Sed ad rem: Quia constat † moribus Saxoniæ, Hollandiæ, Transisulaniæ hypothecam immobilium non constitui, nisi judicio constitutam, quæstio mota est, An venditor rei parte pretij acceptâ, pro reliquo rem traditam conventione extrajudicialis hypothecæ retinere queat, ita scilicet ut alijs hypothecarijs posterioribus præferatur? quod nõ videtur: per elegantem tex. in *l. 1. §. fin de Reb. Eor. Hieron. Treut. in Disp. de Contr. Emp. allegans Moler. 1. Semest. c. 4. qui ita refert judicatum esse.* Wesenbecius tamen contrarium statuit, *Consil. 39.* Prior verò sententia rationem habet cum solennitas statuti debeat observari. Ego in hac re
11. ita aliquando consului, ut venditor qui † emptoris fidem non sequeretur, lege contractus efficeret, ut usum quidem prædij emptor haberet, possessionem verò ac dominium venditor retineret donec pretium solutum esset. *arg. l. 1. C. de Pact. Inter Emp. & Vend.* Et elegans mihi hac in re Consuetudo Transisulaniæ videtur, qua plerumque fit ut venditor prædium non cedat ante ultimum nummum solutum. Ea nimium prospectum semper emptori est, quòd non intelligatur permissione usus rem ipsam tradidisse, priusquam puta accedat cessio judicialis.

Ad

Ad l. Labeo. 21.

QVæ de enunciando contractu tractantur, & in cujus favorem vel damnum is explicari debeat, suprà tractamus *in l. veteribus. 39. de Pact.*

Ad l. hanc legem. 22. l. 23. & 24.

RES sacra, religiosa aut publica per se vendi non potest, modica tamen alteri annexa venditur rectè, jure scilicet accessionis. *l. in modicis. 24. hic. & l. quædam. 62. de Acq. Rer. Dom.* Vnde quemadmodum vendito castro, etiam jurisdictio ei cohærens vendita censetur. *Covarr. Pract. q. 1. num. 10. Menoch. lib. 3. Præsump. 57.* de jure quoque patronatus dicimus, tametsi id alienari non potest, *c. quia clerici. de Jure Patron.* alienata tamen universitate, transire rectè, *gl. & Canonistæ in c. ex literis. 7. eod. tit.* Nisi puta habeatur separatim, *Costal. hic.* Denique & ex hoc textu Panormitani sententia rationem accipit, qui existimat, licet judex secularis patronum jure patronatus privare nequeat, fieri tamen hoc posse per universitatem. *Abbas in c. cum laici. de Iure Patron.* Idque ita admitti potest in jure patronatus, quippe quod & apud laicos esse potest. Quod tamen & ita de decimis intelligi posse; ubi scilicet eæ à laicis quoque ex Cõsuetudine possidentur. Sed in rebus merè sacris, uti ecclesia ipsa, eatenus contrarium foret, ut ea alienatione territorij à principe laico diœcesi priori non eximeretur. Quod accidit in alienatione provinciarum Vltrajectensium, quas Carolus Quintus Imperator ab imperio & ecclesia patrimonio comparatat. Et rationem habet, cum ecclesia commercio exempta sit. *c. quarelam. 15. de Simon.* & unum adeo eius dominium intelligatur solum.

Quid Iure Canon huic simile.

Ad l. si ita. 25. §. 1.

Vide quæ ponimus infrà *in l. rem alienam. 28. de* Contr. *Emp.*

Ad l. rem alienam. 28.

1. *Res aliena quare pignori dari non possit, possit tamen vendi.*

2. *Feuda an & quatenus Moribus Germaniæ & Galliæ vendi possint.*

REm alienam vendi posse expeditum est. *per hunc text.* Pignori tamen quod alterius est, dari non posset. *l. rem alienam. de Pign. Act.* Ac rationem differẽtiæ aliàs fusius tractamus, *lib. 7. Subt. c. 9.* hic 1.

hic igitur monuisse satis est, non minimam quoque eam rationem esse, quòd pignus & rem afficiat, quod contractu tertij effici absurdum foret, emptio verò completur obligatione personæ cum quâ actum est. Nam & satisfit huic obligationi sola traditione vacuæ possessionis. *l.3.& l.25.§.1.suprà eod.* nec ex empto actio adversus venditorem est, quamdiu res non est evicta. *l. qui rem.* C. *de Evict.* pignoris verò contractus ab initio & quàm primum compertum est eam alienam esse, actionem contrariam admittit. *l.15. tutor. §. contrariam. de Pign. Act.* Illud ex moribus † addendum, beneficia
2. quæ feuda dicimus, à vasallis vendi non posse, ac ne quidem id juris etiam quod ipsi beneficio acceperunt; quin eodem cadant. *c. imperialis. de Probib. Feudi Alien. per Lot. c. imperialem. de Probib. Feud. Alien. per* Frid. Sed hoc moribus Germaniæ recentioribus vix observatur, teste Zasio, qui tametsi eam consuetudinem non probat, fatetur tamen durum fore, si illa evertatur. *Zas. par. 9. de Feud. num.* 22. Idemque de Moribus Galliæ testatur Rebuffus, *in tract. suo Feud. & Boër. in* Decis. *suis. locis diversis.* Planè & ipso jure feudorum alienationem fieri domini consensu posse certum est. Sed de his rebus fortè aliàs tractandi occasio commodior erit.

Ad l. cum in lege. 33.

Vide de interpretandis pactis ambiguis, quæ ponimus suprà *in l. veteribus. de* Pact.

Ad l. si emptione. 34.

PRincipium huius legis explicatum est in l. veteribus. de Pact. ubi vide.

§. Final.) Tutor rem pupilli, procurator domini emere nequit. *tex. hic.* Idque usque adeo ita est, ut id nec per se nec per alium agere queant, unquam. Quod si tutor, curator, vel procurator functionis al[i]ius contrarium egerint, rem amittunt & in quadruplum puniuntur. *l. non licet. 46. infrà eod.* Nec mutat l. cum ipse. 5. C. h. t. quia ea procedit cum res pupilli palam, hoc est in auctione publica bona fide à tutore comparatur. ut & l. 5. §. pen. de Auth. Tut. accipienda est. Contrarium tamen est si emptio facta sit malá fide. *d. l. 5. §. 2. de Auth. Tut.* Sed & tutor cui administratio non incumbit, boná fide tanquam extraneus à pupillo comparat rectè. *l. tutores. 6. de Auth. & Cons. Tut.* Minusque ad rem facit l. tutor. 56. de Adm. Tut. quia ibi tutor non emit ipse, sed emit extraneus, quo non solvente pretium, tutor pro illo pretium ex suis pecunijs pupillo contulit, itaque rem retinuit.

Ad

Ad l. quod sæpe. 35.

1. *Arrha quare detur.*
2. *An arrhæ datione permissum sit à contractu resilire, vel minùs. & num. 3.*
4. *Conciliatur l. contractus. C. de Fide Instr.*

Princip.) QVod arrhæ nomine datur, non ideo † datur, quia sine arrha conventio non subsistat, sed ut clariùs constet jam convenisse de pretio, & ita contractum esse perfectum. *per hunc text.* Quod plenè arguit † iniquum fore, si arrhæ perditione permissum dicamus à contractu resilire. Quia id etiam ubi arrha intervenerit haud aliter fieri potest, quàm mutuá partium conventione. *l. 2.* C. *Quan.* Lic. *Ab* Emp. *Reced.* Rectè igitur vetusti interpretes Ioannes & Bulgarus, nihilominus † in id quod interest contra renuentem venditorem, & in pretij solutionem vel id quod interest contra emptorem agi posse. *Bald. in l. contractus.* C. *de Fide Instr. Bart. in l. 1. de Public. Oldendorp. classe. 4. act. 2.* Fulgosius quidem diversum sensit, *hic & in l. contractus.* C. *de* Fide *Instr.* sed sententia eius demum recepta est in specie l. contractus. C. de Fide Instr. quamdiu scilicet emptio nondum est perfecta. Nam si eadem perfecta sit, rectè dicimus quod firmandæ probandæve rei accessit, in ejusdem eversionem interpretari non posse. *arg. l. legata inutiliter. de* Leg. 1. Nec mutat † d. l. contractus. C. de Fide Instrum. quia ea procedit in emptione scripto concipienda, necdum tamen perfectá. *vide Subtil. nostras. l. 1. c. 20. Dominum Bronchorst. cent. 2. q. 54.* Atque ita consuetudine receptum est. Nisi tamen aliud convenerit. *d. l. 2.* C. *Quan.* Lic. *Ab* Empt. *l. ult. inf. de L.* Commiss. *Mud. hic.* §. 1.) Pertinet ad ea quæ posuimus in l. 76. & seq. sup. Pro Soc. ubi vide quæ posuimus num. 9.

Ad l ea quæ. 43.

Vide quæ ponimus latè suprà in l. 14. h. t. num. 5. & in l. 7. §. non solum. num. 7. suprà de Dolo.

Ad l. cum ab eo. 45.

Vide l. quid tamen. 14. suprà eod. quæ solet opponi. Solvi, ibidem.

Ad l

Ad l. non licet, 46.

AD hanc legem pertinentia & quatenus magistratibus negotiari liceat vel minùs, pluribus prosecuti sumus suprà, *de Reb. Cred. ad l. principalibus.* ubi & nonnulla diversa annotamus moribus introducta. Et quidem ipsa quoque lex hæc ibi explicata est.

Ad l. Senatus, 52.

SEnatus-consulto cautum fuit, ne cui domum quo plus sibi acquireret, diruere liceret; néve quis negotiandi causa quid ex dirutis emeret venderétve, pœnâ in eum qui emisset, dupli eius quanti emptum esset, constitutâ, in ærarium conferendi: in eum verò qui vendidisset, ut irrita fieret venditio, & pretium, si id jam solutum sit, emptor ob duplum à se illatum, repetat. *text. hic.* Quo sensu alibi responsum est, ab utroque pretium pœnæ inferendum, tam à venditore quàm emptore. *l. ult. de Damn. inf.*

Ad l. nuda. 55.

1. *Argumentum huius l.*
2. *Mudæi observatio notanda.*
3. *Responsum Authoris de materia fraudulenta venditionis.*
4. *Statutum Transisulaniæ.*

1. NVda atque imaginaria † venditio nulla est. *ut hic.* Sed eam interveniente pretio non facilè præsumimus; *l. imaginaria. de Reg. Jur.* nisi tamen & alia indiciorum adminicula concurrant. Ap-
2. positè verò † Mudæus perhibet, conjuges sæpè in fraudem uxoris aut mariti subornare agnatos, quibus bona sua vendant, & parte aliqua pretij soluti, curent sibi alienata donari; eâ scilicet lege, ut is cui donatur, reliquum pretij persolvat, & mox à morte ad hæredes
3. suos transeat. *Mud. hic.* Quod cum mihi † de facto propositum esset in causa hæredum V. Nobilis Henrici à Rechteren Domini in Almelo. Qui fratri uxoris suæ castrum de Almelo cum jurisdictione & districtu vendiderat, chirographo de pretio accepto, quod paulò post uxori suæ donarat, cum omnibus bonis suis reliquis. Respondi venditionem imaginariam esse (maximè cùm ipse in agone mortis degens, vehementissima affirmatione declarasset, se etiam tum dominum in Almelo esse) & consequenter venditio-
4. nem esse nullam. *per hunc text.* Sed in ea causa etiam † illud me movebat,

vebat, quod venditio ea videbatur facta in fraudem juris Provincialis, quo cautum erat, ne quispiam usumfructum sibi retinere cessâ proprietate posset, præterquam ultimâ voluntate. Id enim in proposito, re ipsa hic agitatū per uxorem parebat, quæ maritum blanditijs ad hæc videbatur adegisse.

Ad l. cum venderes. 59.

1. *Argumentum legis.*
2. *Ratio eiusdem.*
3. *Conciliatur l. 15. §. 1. de Evict. & num. 4.*
5. *Vsusfructus venditi ac evicti ratio, aut juris alterius similis, quid diversum habeat.*
6. *Explicatur l. 38. §. 3. de Verb. Obl.*
7. *Consuetudine hodierna quid diversum sit.*

FVndus simpliciter venditus, sine adjectione ut optimus maximusque esset, non necessariò liber à servitute; sed qualis est præstādus est. *tex. hic.* Transit enim res vendita cum suo onere, nisi quid nominatim sit exceptum. *l. alienatio. 57. inf. eod. facit l. traditio. 26. de Acq. Rer. Dom.* Itaque hoc casu de evictione † agi non potest. *l. pen. inf. de Evict.* Nec mutat quod alibi relatum est † simpliciùs, quotiescunque venditi fundi evincitur servitus, hoc nomine actionem esse. *l. sed etsi. 15. §. 1. de Evict.* quippe id accipiendum est, de æstimatoria actione quanti minoris, ut simpliciter oneris æstimatio fiat, eaque pretio deinceps subducatur. *text. expressus. in l. quoties. 61. de Ædil. Edic. l. in venditione. 41. de Act. Emp.* non autem de actione ex stipulatu vel ex empto ob evictionem in id quod interest paratâ. *d. l. pen. Cujac. post Duaren. in l. 38. §. si quis forte. de Verb. Obl.* Hæc enim ob servitutem † evictam non datur, præterquam in duobus casibus, nimirum aut cum fundus liber, vel uti optimus maximusque est, venit. *l. cum fundus. 48 l. pen. de Evict.* vel cum sciens dolo malo vendidit ignoranti. *l. 1. §. 1. & fin. de Act. Emp.* Quo casu etiam in id quod interest actio datur ratione doli. *per l. si cum fundum. 68. §. 1. & 2. inf. h. t. & l. 1. de Rer. Perm.* Ceterùm est alia hac † in re proprietatis, ususfructus & similis cujuslibet juris ratio quàm servitutis realis, quippe tametsi de illis dictum sit nihil, neque etiam dolus venditoris argui possit, in id quod interest de evictione vel ex stipulatu eorum nomine agitur rectè. *l. in vendendo. 66. inf. eod.* Quid ergo est quod † dicimus ob evictum aliud jus quàm possessionem, usumfructum, usum, proprietatem: stipulationem committi? hoc enim ita simpliciter relatum est, *in l. stipulatio ista. 38. §. 3. de Ver. Obl.*

Pppp &

& puto id de ejusmodi jure vel onere accipiendum, quo res ipsa vel pars eius auferri potest, verbi gratiâ, propter pignus, emphyteusin, noxam, & ex moribus, ob feudum. Quorum omnium evictio locũ actioni ex empto de evictione vel ex stipulatu facit. Ratio differentiæ est, quia eæ res dominij jus graviter minuunt, adeo etiam ut id vel actu ipso avocent, vel eventu saltem avocare queant. *per not. in l. si hominem. 69. de Solut.* Quod non ita in vindicatione servitutis est, quia ea de jure dominij minuit nihil. neque enim quia alteri per fundum meum jure servitutis ire agere licet, idcirco id mihi jure dominij non licet. Id autem in usu & usufructu secus est, *Donel. in tract. de Evict. c. 6.*
7. *Consuetudo hodierna diversa.* Plane ad reditus fundo impositos + quod attinet, si de ijs pretio subtrahendis nihil sit actum, ex generali consuetudine venditor de evictione tenetur. Ratio est quia redituum jus ex prædio aliquo constitutum, prædium ipsum jure pignoris censetur continere. *vide tractatum nostrum de Ann. Redit. singularem.* Adde his quæ ponimus infrà in *l. ult. §. fin. h. t.*

Ad l. comprehensum. 60.

Vide omnino quæ posuimus infrà *in l. quicquid. 27. de Act. Emp.* ubi hæc relata est & explicata.

Ad l. qui officij. 62.

QVæ prædia quisque magistratus vel officialis in provincia olim comparare potuerit, & quid ea in re moribus nostris mutatum sit, plenissimo tractatu suprà peregimus. *in l. principalibus. de Reb. Cred.*

§. 1.) Ineptum videtur quod hîc relatum est, vendito loco sacro vel religioso, licet emptio non teneat, tamen ex empto actionem esse in id quod interest. Intelligenda proinde hoc loco ex empto actio est non propria, sed surrogata eidem in factum. *ut in l. 8. §. 1. de Relig. & Sump. Fun.* Quæ hoc loco impropriè dicitur ex empto, eo quod ex facto negotij eius redundat. *vide latiùs Subtil. nostras. lib. 1. c. 11.*

Ad l. fundus. 64.

An jus accrescendi locum habeat in emptione aut contractibus alijs, tractamus suprà, *in l. 1. num. 9. de Vsufr. Accresc.* ubi vide.

Ad l. Imperatores. 71.

QVibus pretijs aut mensuris res quæque vendatur, in contrahẽtium arbitrio est. *ut hic.* Quod si nil de mensura sit actum, eam accipimus quæ consuetudine loci recepta est, *fac. l. quod si nolit. 31. §. quia adsidua, 20. de Ædil. Ed.* Quæ si variet, minima accipienda est.

est. *arg. tex. & quæ ibi not. Canonistæ in c. ex parte. de Censib. Costal. hic.* Planè quod ex hoc loco colligitur, pacto partium contra consuetudinem veniri posse, *per Bald.* id moderationem accipit, nisi consuetudo vel statutum prohibeat, cùm certum sit consuetudinem in ijs quæ lege scriptâ comprehensa non sunt, loco legis esse. *per vulg. l. de quibus. de Legib. junge not. in l. 1.* C. *ne Fid.* Dot. *Den.*

Ad l. pacta conventa. 73.

VIde quæ ponimus latè suprà *in l. jurisf. gentium. 7. §. quinimo. de Pact.* ubi plenè tradimus an & quæ pacta contractibus adposita, eisdem insint. *& l. 6. §. 1. de Act.* Emp.

Ad l. dolia. 76.

DOlia in horreo defossa cedunt horreo vendito, nisi nominatim excipiantur, *text. hic.* Sed vide an non obstet. l. 17. infrà, de Act. Emp. ubi solvo.

Ad l. fistulas. 78.

§. Frumenta.) HIc paragraphus malè plerumque est à Doctoribus acceptus. constat enim ex eo quando quis pacto periculum casus fortuiti in se recepit, id maximè ad insolitos casus referri. cum Bartolus & alij nonnulli eum directò ex contrario sint interpretati. *vide quæ ponimus infrà in l. ex conducto. 15. §. 1. & 2. Locati.*

Ad l. fundi. 79.

FVndi partem eâ lege vendidi, ut partem quam retinebam, emptor unà certos annos haberet conductam, contra quam Labeo & Trebatius sensère, Iabolenus eo nos uti jure perhibet, quod ex empto actio hoc nomine sit parata, si modo ob hoc fundus minoris sit venditus, *hic.* Refer ad ea quæ posuimus infrà. *in l. 6. §. 1. de Ac.* Em.

Ad l. ult.

LEx commissoria ad pignora non pertinet, & ijsdem adhibita, ipso jure nulla est. Quatenus verò id ita sit, pluribus infrà explicamus *in l. si fundus. 16. §. fin. de* P*ignorib.*

1. Argumentum paragraphi.

2. Iure scripto sola conventione reditus annui ex fundo non solvuntur.

3. Quid sit de moribus huius seculi.

4. C*onsuetudo quomodo in proposito imitetur jus scriptũ. 5.*

6. De Iure Canonico quid sit.

1. §.fin.) LVcius Titius † promisit prædijs Gaij Seij de fundo suo, modios aliquot annuos, deinde fundum vendidit ea lege, eaque conditione qua is ipsius Lucij Titij fuisset, emptor ad annuũ præstandum non tenetur, *text.hic.* cum res eo pacto non censeatur
2. affecta. *fac.l.1.§.Si hæres.ad SC.Treb.* Quod rectè Accursius † de jure scripto accipiendum censet *in gl. unica. hic in fine.* Quia moribus huius seculi contrarium obtinet, adeo, ut quotiescunque reditus
3. † vel obventio annua ex fundo aliquo, alteri fundo vel personæ constitutus est, ea ipsa rem possessoremque eius sequatur tacitè. Ita
4. nimirum ut jure scripto, tributi onus, vel quod cloacarij † aut aquæductus nomine, prædio propemodum instar servitutis incumbit, *l.si pendentes.27.§ si quid cloacarij.de Vsufr. l.in venditione.41.de Act.Emp.* & nisi præstetur annuum, jure pignoris res ea ex qua re-
5. ditus constitutus est, censeatur. Atque hoc † ita hodie tam in contractibus quàm ultimis voluntatibus obtinet. Sed antiquitus, tametsi pro annuo legato res hæreditariæ pignori essent. *l.1.C.Comm.de Leg. & Fideicomm.* ita ut singulis annis legati petitio esset. *l. Gaius. 12.de An.Leg.* idque etiam à quocunque prædij ex quo legatum relictum erat, successore. *l.2.§.fin.de Alim.Leg.* non tamen hoc ad contractus indifferenter pertinuit: *per hunc text.* Sed legati & contractus annui differentias longiùs prosecuti sumus alibi, unde qui volet, petat. in tract. nostro de Ann.Red. Planè Constitutione Pon-
6. tificiâ † redituum ex fundo emptio usque adeò approbata est, ut sine fundo reditus subsistere non intelligatur. Cõstitutione sc. Pij Q.
Ius Canon Diversum. Anno 1568. Romæ promulgata. Et hæc ex moribus Italiæ, Germaniæ, ac Galliæ profecta sunt, quibus quotidie reditus ex prædijs constitui & rem sequi videmus. Adeo quidem ut & speciem servitutis referre videantur. *fac. Bart. in l.2. Quor. Bon. Bald. in l.2.C.de Serv.& Aq.* vide tractatum nostrum de Ann.Red. per tot.

DE IN DIEM ADDICTIONE.

TIT. II.

Ad l. 2.& 3.

1. *Addictio in diem duplex.*
2. *Quomodo differat.*
3. *Quid si facta venditio cum pacto redimendi sit.*

Addictio

ADdictio in diem fit † vel purè, ut cum lex ita dicta est: allatâ meliori conditione, ab emptione recedetur, vel sub conditione, ut emptio perficiatur, nisi melior conditio offeratur, *ut hic.& tot. h.t.* Inter quas species, † si effectum consideres, hoc differentiæ est, quod venditione existente conditionali, emptor nec usucapit, nec fructus suos facit. *l.ubi autem.inf. h.t.* Contrarium verò est, venditione existente purâ, *ut in ead. hac l.§.fin.* Verùm in dubio in diem facta venditio censetur, non conditionalis, *l.2.§.si in diem.Pro Emp.* Quod si † venditio facta sit cum pacto redimendi, certum est indistinctè emptorem fructus facere suos, nec in sortem computare. Et hoc moribus obtinet. Si tamen ex instrumento contractus constaret, fructus in sortem imputandos, etiamsi venditionis voce usæ sint partes, contrarium obtinet, & pactum in vim conventionis usurariæ servandum est, quod ne Iure quidem Canonico ita foret, si in pura emptione simpliciùs conveniret de redimendo. *text.& Canonistæ in c.illo.ex.de Pignorib.*

1. 2. 3. *Ius Canon. quale in pacto redimēdi*

Ad l. 4.

Principium relatum est in l.2. suprà eod.

§. sed et Marcellus.

1. *Fundo vendito in diem addicto quid juris, si res ab emptore sit obligata.*
2. *Quid juris eo casu de pacto redimendi.*
3. *Quid si emptor id in arbitrio suo habeat. & num.4.*

PVrè vendito † & in diem addicto fundo, emptor eum quidem pignori obligare potest, sed allatâ conditione meliore, solvitur. *ut hic.& l.3. Quib. Mod.Pign. Solu.* Quod & ita in fundo vectigali obtinet sine voluntate domini pignori data. *l.lex vectigali.31.de Pign.* Perinde igitur, dicimus † de pacto redimendi, ut nimirum pignus non duret amplius quàm jus venditoris. *per hunc text. & d. l.31.* Quod si [illegible] fit ut emptor in arbitrio suo haberet † rem restituendi, quia eo casu venditor juri suo in universum renunciavit: rectiùs dicimus, pignus non infringi. *per d. l.3. in fine. Quib. Mod. Pign. Solut.* ideoque emptorem pignoris causam solvere oportet, perinde ac si redhibere rem vellet quam aut alienasset, aut cuius usumfructum constituisset alteri. *arg. l.bovem.§.pignus. de Ædil. Edicto.* idque actione venditi † effici putandum est, *arg.l.1.§.si res.Depos.vide nostra.lib.5. Subtil.c.14.*

1. 2. 3. 4.

DE HÆREDITATE VEL ACTIONE VENDITA.

TIT. IV.

Ad l. 1.

NVlla est hæreditas viventis eoque illa nec vendi potest. Sed & alia ratione de ea convenire non licet, ne scilicet pacto de successione viventis votum struatur captandæ mortis alienæ. *vide quæ nos latè in stipulatio hoc modo.61. de Verb. Obl.*

Ad l. 2.

Vide quæ posuimus ad l. in omnibus. 41. de Iudic.

Ad l. 4.

SAtis notabile est quod hoc loco refertur, venditorem nominis non præstare debitorem locupletem (id est hoc loco solvendo) esse; debitorem autem esse præstare, nisi aliud actum sit. *ut hic. fac. l. cum ea. 68. §. fin. de Evict.* Atque id obtinet sive sciens sive ignorans cessionarius debitum receperit, debuit enim qualitatem nominis inquisivisse. *l. qui cum alio. de Reg. Iur. gl. in l. 3. de Fidejuss.* nisi dolus adhibitus sit. *d. l. si plus. 74. §. fin de Evict.* vel cessionarius ipse probabili facti ignorantiá lapsus, decipiatur, *l. si cum dotem. 22. §. si mulier. 2. Sol. Matrim. fac. l. si Titius. 48. de Fidejuss.* *Costal. hic. alleg.* Castr. *in d. l. 3.* Planè si qui nomen recepit, existimat eum cuius nomen recepit solvendo esse, is tamen paulò statim post cedat bonis, moribus obtinet id cessionario non prodesse. Nisi fraus ac dolus prioris debitoris accedat. *d. l. 74. §. fin.* Et hoc quotidie in his locis Belgicæ servatur. Denique & sumptu cessionarij nomen exigendum magis est. *per hunc text.* prætequam in specie l. si ut certo. §. nunc videndum. Commod.

Consuetudo quid permittat in argumento huius legis.

Ad l. quod si in venditione. 10.

Vide quæ pluribus ponimus suprà *in l. & ex diverso. de Rei Vind.* ubi hæc allegata est.

DE

DE RESCINDENDA VENDITIONE ET QVANDO LICEAT ab emptione discedere.

Tit. V.

l. Titius. 8.

Relata est suprà in l. Gaius. 39. de Pign. Act. ubi de argumento eius agimus fusè.

DE PERICVLO ET COMMODO REI VENDITAE.

Tit. VI.

Ad l. 1.

1. *Argumentum huius legis.*
2. *Quomodo accipiendum sit. & num. 4.*
3. *Conciliatur l. si vina. 15. infrà eod.*

Quoties de periculo + vini venditi, vel alterius rei degustare cōsuetæ controversia est: videndum principio quid inter contrahentes sit actum. Quod si nihil ea de re liqueat, usque ad degustationem periculum venditoris est, etiamsi emptor vasa priùs signasset; post degustationem verò periculum emptoris est, sive vinum acuerit, sive quid aliud vitij sustinuerit. *tex. hic.* Sed id rectè † ita est 1. 2.
acceptum, si inter partes convenerit ut degustetur. *l. si quis vina. 4. in princ. hic.* Aliàs enim, si modò certa † vina vendita sint, nec ut degus- 3.
tentur actum est, periculum pertinet ad emptorem, nisi tamen venditor quid affirmaverit de eorum bonitate, nive eam non duraturā sciverit, ejusque rei non monuerit emptorem. *l. si vina. 14 infrà eod.*
Nec ad rem facit, † quod in præsenti textu simpliciùs perhibetur, periculum venditoris esse donec degustetur. Hoc enim ita est, quando venditor periculum in se pro tempore recepit, quia hoc casu periculum venditoris ipsius vel ad diem usque præfinitam est, vel ad degustationem factam, *ut hic in textu.* 4.

§. Sed & custodia.) Refertur infrà in l. 7. h. t.

l. si quis vina. 4.

Relata est & explicata in l. 1. suprà. h. t.

Ad

Ad l. id quod. 7.

1. *Incrementum ac decrementum rei empta periculo ac commodo emptoris est.* & 4. & *quare num.* 5.
2. *Quatenus id ita sit.*
3. *Cujacij sententia contraria communi refutata.*
6. *Conciliatur l. lectos.* 12. *cum seq. infrà eod.*
7. *Conciliatur l.* 33. *Locati.*
8. *Africani sententia aliundè probata. ac n.* 9.
10. *Conciliatur l,* 14. §. 1. *infrà eod.*

1. QVod post emptionem fundo † vel accessit vel decessit, emptori commodo vel incommodo cedit, ut & cederet incommodo
2. eiusdem, si totus fundus perisset, *ut hic. & l.* 1. *inf.* Et id quidem † usque adeo est, ut re perempti, nihilominus emptor pretium solvere cogatur. §. *cum autem. Inst. de Empt. & Vend.* Tametsi verò eruditissimus Cujacius id non putat, locumque eum concisæ Institutio-
3. num † brevitati imputet, & ex digestis latioribus dicat interpretandum, *tract.* 8. *ad Afric. in l.* 33. *Locati.* confutatur tamen idem diserto textu, *l. ult.* C. *eod.* Cui adde quod Iulianus perhibet, mortuo homine vendito, perinde venditionem habendam, ac si traditus fuisset, utpote cùm venditor liberetur, & emptori pereat homo, *l. cum em-*
4. *ptor.* §. 1. *de Resc. Vend.* Tutius igitur † est, regulam de periculo rei communem servari, quam ex uno aliquo capite dissimili astruere
5. contrarium. Ratio verò regulæ duplex est, cùm † quia incommoda sequuntur eum quem commoda sequuntur; ideoque emptor incrementi lucrum percipiendo, periculi quoque sustinet onus. *ut hic. & l.* 10. *de Reg. Iur.* tum quia debitor speciei interitu ejusdem
6. liberatur. *l.* 23. *de Verb. Obl.* Non mutat l. lectos. † 12. cum ll. seqq. infrà eod. ubi disponitur, lectos in via publica expositos, & ante traditionem aut moram ab emptore commissam, per ædilem concisos, eosdem perire venditori: hoc enim ideo quia non tam casu fatali, quàm ob omissam debitam custodiam, concisi essent. nam & venditorem ad custodiam teneri multo certissimum est. *l.* 1. §. *sed & cu-*
7. *stodia. sup. eod.* Minusque ad rem † facit l. si fundus. 33. infrà Locati. ubi relatum est, fundi publicati damnum ad venditorem pertinere, adeo ut venditor & pretium perceptum reddere cogatur emptori: hoc enim speciale est in fundo publicato, quia is non perijt sed maneat in rerum natura, eoque quoniam venditor ex causa publica impeditur vacuam possessionem tradere. pretij periculum solum pertinet ad ipsum, rei interim ipsius, & si quid intersit emptoris supra pretium,

pretium, nihilominus respicit emptorem. *ut hic.* Eam verò Africani sententiam † ad casus fortuitos ceteros non pertinere manifestum 8
ex eo est, quod idem author alibi perhibet, mercem emptoris periculo esse quia emptio sit perfecta. *l. si soluturus. 39. in fine de Solut.* Denique illud constat, si post † traditionem fundus publicetur, periculum eius pertinere ad emptorem. *l. Lucius. 11. de Evict.* quod & rursus arguit, publicationis periculum ante traditionem, respicere venditorem. Atque id etiam Guilielmus Rauchinus docuit, *lib. 3. Var. Lect. c. 11.* Planè quod attinet † ad l. quod si neque. 14. §. 1. h. t. quæ ipsa quoque opponi solet, certum est eam agere de materia vendita in genere (non etiam de venditione rei singularis) cùm genus pereat nunquam, *l. in ratione. 30. §. verum ad L. Falc.* 9 10

Ad l. si vendita. 11.

1. *Damnum incendij respicit emptorem.*
2. *Incendia quatenus culpâ inhabitantium fieri censeantur.*
3. *Quid iuris si negligentia servorum acciderint. & n. 4.*
5. *Quid iuris si inhabitans ignem in domo habuerit, contra legem contractus.*
6. *Quando incendia fortuita sint. & num. 7.*
8. *Quomodo accipiendum sit quod Doctores perhibent, incendium culpa inhabitantium factum præsumi. & num. 9.*

INsulæ venditæ & combustæ damnum † pertinet ad emptorem, 1
perinde ut ad eundem pertinet periculum rerum ceterarum. Ac tametsi incendia plerumque fiunt † culpâ inhabitantium, *l. 3. §. 1. de Off. Præf. Vig.* paterfamilias tamen inhabitans ob hoc non aliter tenetur, quàm si id, omissâ per ipsum debitâ diligentiâ contingat. Neque igitur si servorum negligentia † factum sit, dominus statim in culpa est. Quinimo si dominus eam solertiam custodiæ adhibuerit, quàm solent adhibere homines frugi & diligentes, ipse non tenetur. *ut hic, fac. c. cum ad sedem. ex. de Rest. Spol.* Planè si negligens † in eligendis ministerijs fuerit, hoc ipsum domino culpæ imputatur. *l. si servus. 27. §. si fornicarius. & §. proculus. ad L. Aq.* Intelligitur enim tum culpa ipsius præcessisse casum. *tex. in c. un. ex. de Commod. tex. in c. un. de Depos.* maximè si hoc ab initio actum sit ut villam domino restitueret incorruptam. *l. qui insulam. 30. § fin. inf. Loc.* Quemadmodum & ipsi imputatur, si contra legem † contractus, ignem in ædibus habuerit, indeque fortuito casu incendium manarit *l. videamus. 11. §. 1. inf. Locati.* Quando verò fortuitum incendium censeatur, videamus. Baldus putat, † si incendia in civitate 2 3 4 5 6

variora sint, eadem hoc ipso haberi fortuita. *Bald. in l.* 1. C. *Depos.*
7. magis tamen est id in facto constare. Ampliùs enim ego existimo † incendium ita(uti quemcunque casum) fortuitum esse, cum dolus vel culpa venditoris, aut eius qui rem læsam vel perditam tenuit, nulla argui potest. *l. cum duobus.* 52. §. *damna. Pro Soc.* verbi gratiâ, si damnum vel à flumine, vel extrinsecus ab incendiarijs acciderit: etiamsi ea non sint rara. Quid ergo est, quod Doctores ex hoc textu
8. plerumque † astruunt, incendium præsumi culpa inhabitantium factum? *DD. in l.* 3. §. 1. *de Off. Praef. Vig. per hunc text.* id eo pertinet, ut si certissimè constet ac probetur; incendium in ipsis ædibus ortum, culpa inhabitantium saltem levissima præsumatur. *Gail. lib.* 2. *Obs.* 21. *num.* 3. *allegans Ias. in l. si quis ex argentarijs.* §. *praetor ait. num.* 30. *cum seqq. de* Edend. Ita tamen si probetur singulatim, à qua persona ortum habuerit. nam & alius quàm paterfamilias causam incendio dedisse potuit, *ut per hunc text. Gail. d. lo num* 4. Quamobrem si id probari nequeat, reus absolvendus est, *idque ex generali doctrina l. edita.* C. *de* E*den. Ita in specie definit Afflic. decis.* 57. *num.* 4. *&* 5. *& post eum Gail. d. lo. num.* 4. *&* 5. Denique illud prætereun-
9. dum non est, si probetur † incendium à certa persona habuisse originem, nihilominus probationem casus fatalis adversus præsumptionem eam admittendam in contrarium, *arg. l. si quis domum.* 9. §. *imperator. inf.* Locati. *Afflict. d. lo. num.* 2. *post Bald. consil.* 13. *vol.* 1. *incipit factum quaestionis. Gail. d. lo. num.* 22.

Ad l. lectos. 12. l. 13. & l. 14.

Vide quæ superiùs latiusculè disseruimus *ad l. id quod.* 7. *eod. tit.* ubi hæ omnes relatæ sunt & explicatæ.

Ad l. si vina. 15.

Vide quæ posuimus suprà *in l.* 1. *eod. tit. ubi haec relata est & explicata.*

DE SERVIS EXPORTANDIS, VEL SI ITA MANCIPIVM VENIERIT, ut manumittatur vel contrà.

TIT. VII.

l. si venditor. 6. & l. 7.

Allegatæ sunt hæ leges & explicatæ suprà *in l. pen. de Pact.*

LIBER

LIBER DECIMVS-NONVS.

DE ACTIONIBVS EMPTI ET VENDITI.

TIT. I.

Ad l. 1.

1. Si res vendita non tradatur, in id quod interest agitur.
2. Venditorem præcisè ad tradendum cogi posse.
3. Conciliantur diversa argumenta sententiæ diversæ. & num. 4. ac 5.
6. An in actione empti juretur in litem.
7. De Iure Saxonico quid juris sit de tradendi necessitate.

SI res vendita non tradatur, † in id quod interest agitur. *per hunc text.* Atque hoc inter omnes constat. Illud quæsitum est, An non venditor præcisè ad rei traditionem possit † cogi? Ego puto cogi eum rectè, eò quòd alibi relatum est, ex quacunque actione ad rei præstationem condemnatum, officio judicis manu militari ad tradendum compelli. Cujus rei non leve argumentum est, quod alibi refertur donationem ad similitudinem emptionis habere tradendi necessitatem. *§. reficiuntur. Inst. de Donat. adde text. express. in l. ex empto. 11. §. 2. verb. tradere oportet. infrà eod. & l. 6. C. eod. verb. si non ab initio aliud convenit.* Ejusque rei etiam argumentum illud est, quod possessionem quidem vacuam venditor præstare cogitur, non autem rem facere emptoris. *l. 2. §. 1. hic. junc. l. 25. sup. de Contr. Emp.* Nec mutat hic textus, quia is † locum habet, quando mavult emptor id quod interest, quàm rem extrema exsecutione avocare, quia puta vel venditor in mora fuit, ut intersit jam potiùs emptoris, id quod interest recipere quàm rem ipsam, vel quando ipsa res jam tradi ampliùs nequit. Atque ita sensit vetus interpres Martinus, *quem sequuntur DD. communiter Din. Alb. Bart. Bald. Castr. Duar. hic.* Idque & Iure Canonico cautum volunt. *not. in c. cum Ioannes. 10. princ. de Fide Instr. ubi gl. in verb. vacuam. arg. c. Pisanus. 19. de Rest. Spol. Rosbach in tract. diff. Iur. Can. & Civ. lib. 2. cap. 12. num. 2.* Non mutat etiam l. si jactum. 11. infrà eodem. ubi jactu retis † vendito, piscesque reddere nolente venditore, per-

1. 2. 3. *Ius Canonicum quale.* 4.

perhibetur id æstimandum sit extractum.nam & hoc ita accipimus, si jam pisces vel sint corrupti, vel alias intersit emptoris potiùs æstimationem recipere quàm pisces ipsos, atque ita voluntatem eius sequatur libenter. Alij tamen hoc ea in specie singulare statuunt, eò quod magis incertus facti eventus quasi venditus, quàm pisces necdum capti videātur alienati. *Dominus Bronchorst familiaris meus post Alex. & Ias. quos allegat Cent. 2. Assert. 57.* Quod autem nonnulli huic sententiæ opponunt, eum qui † ad factum est obligatus
5. liberari solutione eius quod interest, *l. si quis ab alio, 13. de Re Iud.* proinde & idem esse hoc loco, id non usquequaque expeditum est: Alibi tamen explicabimus accuratè: *vide à nobis posita infrà. in d. l. si*
6. *quis ab alio 13. de Re Iud.* An verò † hîc quoque in litem juretur quæsitum est, sed obtinuit non jurari. *l. 4. C. eod.* vide quæ nos in l. 5.
7. *Ius Saxon.* in princ. suprà. de In Lit. Iur. Illud ex jure Saxoniæ † annotant, si venditor ante rei traditionem moriatur, hæredem ejus ad tradendū præcisè cogi nō posse, sed restitutione pretij & solutione ejus quod interest, liberari, *ex Lantrechtg lib. 1. ar. 9. Reinhar. par. 2. diff. 13.* ubi tamen in fine hoc ita accipit, si hæres tradendi non habeat facultatem. Illud Treutlerus annotat, cautos emptores in terris ubi jus Sax. viget, sibi prospicere solere, ut tempore traditionis filius vel hæres simul renunciet juri suo, & caveat se non contraventurum contractui semel perfecto. *Hieron. Treut. in disp. de Emp. & Vend.*
§. 1.) Vide ad hunc §. quæ posuimus suprà *in l. cum venderes. 59. de Contr. Emp.* ubi materia eius exponitur plenè.

Ad l. ratio. 3.

§. 1.) SI emptor vacuam possessionem dari stipuletur; fructus in hoc judicium non venient, venient tamen in ex empto actionem. nam etsi fundum dari stipulatus sim, vacuam possessionem tradi, stipulatus intelligor: fructus tamen in ex stipulatu actionem non venient. *tex. hic.* Planè si utrumque expresse stipulatione sit cōprehensum, puta & rem dari & vacuam possessionem tradi, perinde ac ipsa empti actione, fructus quoque ex stipulatu condicentur, *l. 4 in princ. de Usur. Bart. & Castr. post. gl. hic.*

§. Si per venditorem.) Hic §. explicatus est suprà in l. vinum. 22. de Reb. Cred. ubi tractavi plenissimè ad quod tempus æstimatio in plerisque judicijs referri debeat.

Ad l. si servum. 4.

1. *Argumentum huius legis.*

2. Quæ

2. *Quæ sit eius ratio.*
3. *Conciliantur diversæ leges.*

SI hoc duplæ stipulatione comprehensum sit, furtis † noxisque 1.
solutum fore, quamdiu nihil abest emptori, hoc nomine ex stipulatu nequit agi, si tamen talem sciens venditor ignoranti vendiderit, emptor judicio empti, aget recte. *per hunc tex.* Quemadmodũ & ex empto tenetur in id quod interest ante rẽ † evictam, qui sciens 2.
vendit rem alienam, idque propter venditoris dolum, quem etiam præstat præter rem emptori habere licere. *l. servus. 30. §. fin. in princ. inf. eod.* Nec mirum, quia & aliàs promisso homine & tradito statulibero, ante adventum conditionis & ablationis, creditor agit recte; *l. cum quis. 38. §. qui hominem.* junge *l. si hominem. 69. de Solut.* Nec † mutat l. 3. C. de Evict. quia ibi agitur de Act. Emp. ob evictio- 3.
nem. Minusque ad rem facit l. 1. de Permut. verb. nihil debet: quia ea ita accepta est, nisi sciens vendiderit alienum. *gl. ibid.*

Ad l. tenetur. 6.

1. *Argumentum principij huius l.*
2. *Pacta adjuncta contractibus bonæ fidei insunt etiam à parte actoris.*
3. *Explicatur l. Labeo. 50. de Contr. Emp.*
4. *Explicatur l. 2. C. de Pact. Inter Emp. & Vend.*

INsulæ venditæ addita pactio fuit ut venditor † mihi aliam insu- 1.
lam reficiat, etiam in hoc ut ex lege contractus aliam mihi venditor reficiat, ex empto actio est. *tex. hic.* Atque id ipsum convenit ei quod alibi relatum † est: Pacta adjuncta contractibus bonæ fidei, 2.
inesse iisdem etiam à parte actoris. *l. jurisgentium. 7. §. quinimo. de Pact. fac. l. fundi. 79. de Contr. Emp.* Et cessat igitur præscriptis verbis actio ijs casibus omnino, *l. 4. in princ. sup. de L. Commiss.* quippe quæ tantùm subsidiaria est actionibus ceteris. *l. 2. & 3. de Præscrip. Verb.* Nec † mutat l. Labeo. 50. de Contr. Emp. ubi cum Vlpianus 3.
ex sententia Labeonis retulisset, ex pacto ejusmodi præscriptis verbis agi, subjungit ipse, etiam ex vendito agi recte: namque hoc ipso quod perhibet eam actionem esse, significat, præscriptis verbis actionem subsidiariam, cessare. Atque ita quoque accipi potest, quod alibi relatum † est: Ex pacto fundi venditioni adjuncto, venditori 4.
quandocunque pretium offerenti, præscriptis verbis vel ex vendito actionem dari. *l. 2. C. de Pact. Inter Empt. & Vendit.* hoc enim priùs

ex sententia Labeonis, quæ emendatur subjunctione actionis ex vendito. Sed & videri potest eius constitutionis species singularis, quia enim pactum ibi relatum magis ad infringendum quàm augendum contractum vergit, dubitari queat utra parata sit, ex vendito an præscriptis verbis, quasi princeps dein' amovendæ dubitationis causa utramvis concedat. Atque ita Alciatus sensit. *lib. 5. paradox. c. 1.* Sed ea fictione vix foret opus.

§. Si vas. 4.

QVæ hic de dolijs emptis statuuntur, similiter obtinent ac de dolijs locatis observatur, quæ vel talia vel tanta non sunt, ac dictum in contractu erat. *ut hic.* Quia igitur id de dolijs locatis infrà pluribus explicuimus, *in l. 19. §. 1. Locati.* benignum lectorem eò remittimus.

Ad l. ex empto. 11.

§. Et in primis. 2.) Relatus est suprà in explicatione l. 1. eod.

1. *Quid consequatur emptor noxali judicio damnatus.*
2. *Conciliatur l 4. suprà h. t.*
3. *An ei qui sciens rem alienam vendidit, etiam denunciandum sit. & num. 4.*
5. *Ob dolum authoris eum etiam id quod interest præstare.*

§. Emptorem.) EMptor noxali judicio damnatus id tantùm con-
1. sequitur quanti minimo damnatione † defungi potest, vel suum authorem liberare. Idemque est, si agat emptor ex stipulatu, idque adeò ita est, ut si manifestum seu notorium sit noxium servum fuisse, nihilominus vel ex stipulatu vel ex empto agere
2. possit. *ut hic.* Nec mutat † l. 4. sup. eod. ubi affirmatur ex stipulatu non ante emptorem agere quàm ei quid abesset. Hoc enim ita intelligimus, nisi causa venditoris manifestè sit iniqua, ut defendi ea sine calumnia non possit. *per hunc textum. vide quæ ponimus inf. in l.*
3. *Herennius. de Evict.* Illud quæsitum est, † An ei qui sciens rem alienam vendidit, etiam oporteat denunciare, Accursius, Bartolus oportere, DD. *hic per l. 1. C. de Per. & Comm. Rei Vend. l. emptor. 8. de Evict.* quod magis est. nam vel maximè injusta existente venditoris
4. causa, facienda denunciatio est. Quia si justa illius causa † sit, eoque iniquè condemnatio interponatur, cessat de evictione actio. *l. si per imprudentiam. 51. de Evict.* Atque hoc inter omnes constat. Modo †
5. illud non omittamus id quod interest emptoris ob dolum authoris ex clausula bonæ fidei quæ hoc contractu continetur, ex empto nihilo-

nihilominus postulari rectè. *per l. servus. 30. §. fin. inf. eod. & l. evicta. 70. de Evict.* Iunge quæ pluribus ponimus ibidem, & præcipuè *in l. Herennius. 63. de Evict.*

Ad l. si jactum. 12.

EXpeditum est, emptionem venditionem non subsistere sine re quæ vendatur, jactum interim retis, perinde ut fructus futuros emi vendi rectè. *l. nec emptio. 8. sup. de Contr. Emp.* Et quidem incertum eius rei æstimandum est ex arbitrio boni viri, *ut hic. vide Vincent. Cabot. lib. 2. Disp. 24.*

Ad l. Iulianus. 13.

QVi pecus morbosum aut tignum vitiosum vendit ignorans, in id tantum ex empto tenetur, quanto minoris emptor illud cōparaturus fuisset, qui verò sciens, etiam id quod interest præstat. *ut hic.* Sed quamobrem per ignorantiam tignum vitiosum vendens non in id quod interest tenetur, cum contrarium responsum de eo sit qui vas aut dolium ignorans vendit? *l. sed addes. 19. §. 1. inf. tit. 1. l. tenetur. 6. §. si vas. suprà eod.* Ratio est quod is qui vas vendit, illud ita vendit ut liquoris aut consimilis rei capax sit, quoniam vas pertusum ne quidem vas sit; quippe quod definitur instrumentum ad aliquid capiendum idoneum, *l. cum aurum. §. argento. de Auro & Arg. Leg.* tignum verò vitiosum etiam tignum est, & ad onera leviora ferenda idoneum, aut ita etiam ut usus aliquis eius in fundo sit. *eleganter Donel. in tract. de Eo Quod Interest. c. 7. in fine. junge quæ ponimus latè in d. l. 19. §. 1.*

§. Offerri.) Expeditum est emptorem agere volentem oportere priùs pretium offerre, nec sufficit partem numerari, sed totum vel offerendum est ipso actu, vel consignandum, *ut hic.* Et hoc usque adeo ita est; ut licet aliàs nomina ipso jure divisa sint, unus tamen hæredum emptoris pretium offerendo nihil agat, *l. fistulas. 78. §. qui fundum. de Contr. Emp.* Perinde & venditor pretium postulando offerre rem tenetur, *Costal. hic. post Bart. per tex. in l. ult. §. fin. de Fundo Dot.* Planè si pretium necdum solutum sit, & quæstio dominij moveatur, rectè dicimus excipi ea de re posse, & satisdandum hoc casu fidejussoribus esse. *l. pen. §. fin. de Pet. & Comm. Rei Vend.*

§. Veniunt.) In actionem venditi non tantùm pretium sed & usuræ veniunt, idque loco fructuum quos percepit emptor. *ut hic. & l. curabit. C. eod.* Per traditionem enim statim in mora constituitur, quam moram ex re vocant. Atque hæ usuræ nec Canonum authoritate infractæ sunt. *gl. & Azo in d. l. curabit. gl. & Panorm. in c. conquestus. de Usur.*

Ad

Ad l. fundi. 17.

1. *Quæ res rei vendita ut affixa sint vel non sint. & n. 3.*
2. *Conciliatur l. 76. de Contr. Emp.*

1. FVndi nihil est, † nisi quod terræ affixum est, ædium tamen multa sunt terræ non affixa, ut claves, feræ, claustra. Sed nec dolia defossa, etiamsi ædificio cohærent, quia magis instrumenti sunt, fundo cedunt. *text. hic.* Non mutat l. dolia. 76. de Contr. Emp. quia ea pro-
2. cedit † in horreo frugibus servandis parato: ejus enim & vasa affixa sunt, uti perpetuo destinata eidem fini cui horreum ipsum.
3. Planè si quæ vasa † & ibidem deprehendantur asportata tantum ut ibi sint, vel pro tempore tantùm eorum usus esset, etiamsi ea terræ cohæreant, contrà dicimus. *per hunc text. Alb. Bart. Bal. Castr. hic.* Quod ita acceptum est, nisi firmiter & immotè terræ sint affixa: tum enim non pro tempore ibi esse, sed ædificio cedere censentur. *l. 1. infrà.*

l. veteres. 19. & l. 20.

Relatæ sunt & explicatæ suprà. *in rubr. tit. de Contr. Emp.*

Ad l. si sterilis. 21.

1. *Si sciens venditor non dicat de tributo, tenetur ex empto, si ignorans non item.*
2. *Quomodo id accipiendum sit. & num. 3.*
4. *Quæ sit eius rei ratio.*
5. *Quid juris sit de Annuis Reditibus remissivè.*

1. §. 1.) AIt hic Paulus, si sciens venditor † non dicat de tributo, teneri eum hoc nomine ex empto, si ignorans, non item. Quorum prius quidem verum est ita, ut ex empto in id quod inter-
2. est agatur. Posterius ita, † ut actio quidem in id quod interest cesset, non tamen putandum est ob hoc cessare actionem quanto minoris. *arg. l. Iulianus. in princ. sup. eod.* Certum enim est, cum minor tributi quantitas quàm prædio incumbebat dicta sit, pro ea quæ postea major est inventa, licet ignorarit hoc venditor, nihilominus actionem quanto minoris esse. *l. si minor. 9. C. de Action. Emp.* & igitur ut eadē actio sit, tributo per ignorantiam penitus cælato, major ratio est.
3. Gravius enim delinquit † qui tributum universum cælat, quā qui partem solam. *Vincent. Cabot. lib. 2. disp. c. 25.* Illud quæri potest,
4. quamobrem † qui sciens prædium tributum debere, in venditione

de

de quantitate mentitus sit, actione modò quanti minoris teneatur, qui verò tributarium esse reticuit in universum, ex empto sit obligatus plenè? Rationem hanc esse puto, quòd pluris intersit emptoris prædium ab omni tributo vacuum, quàm alicui esse subjectum. Non modò quia minoris empturus fuisset si scivisset, verùm etiam quia ob reticentiam tributis forte non præstitis, res commisso obligari & à fisco distrahi queat, cujus rei periculum esse nequit, si prædium aliqua saltem ex parte tributarium esse constet. Quid autem † juris sit in reditibus ex prædio aliquo percipiendis infrà dicemus. *ad l. in venditione. 41. inf. eod.* 5.

§. Quamvis.) Rectius manuscripta: Quamvis suprà diximus, cùm in corpore consentiamus, de qualitate autem dissentiamus, emptionem non esse: malè Florentinus, Emptionem esse. C*ujac. in l. si id quod. 22. de Verb. Obl.* Nihil enim ineptiùs quàm si dicas, quamvis emptio sit, tamen ex empto actio est. *vide Subtil. nostras. lib. 1. cap. 11.*

§. Cum per venditorem.

IN actionem empti venire quod interest, inter omnes constat, *l. 1. sup. eod.* Id verò quod interest tantùm de eo accipi oportet, quod circa rem consistit, non etiam de eo quod remotum est: Quatenus verò in hac & alijs actionibus ita sit, plenè tractamus in Subtil. nostris, *lib. 5. cap. 9. junge qua habet latè Donel. in tract. de* Eo *Quod Interest. c. 11.*

Ad l. si quis servum. 23.

VEnditor qui servum cum peculio vendidit, eundem manumisit, ex empto tenetur in omne id quod emptor haberet per servum, si is manumissus non esset; cum cautione ut quicquid ex hæreditate liberti ad eum pervenerit, præstitum iri: nisi & emptor ipse eum probabiliter denuo vendidisset. Sed quod emptor per servum habere non potuisset, ex empto actione non continebitur. *tex. hic.* Nec ad rem facit quod dicimus, de hæreditate viventis pacisci non licere. *l. ult. C. de* Pact. *l. donari. 29. §. fin. de Donat.* quia id non procedit in pactis initis, causâ conservandæ hæreditatis eius quæ ipso jure competeret. *qua de re vide qua ponimus infrà in l. stipulatio hoc modo. 61. de Verb. Obl.*

Ad l. si servus. 24.

SI servus cujus ego usumfructum habeo, rem quampiam emerit, egoque postea usumfructum eius amiserim, solutione mea post usumfructum perditum factâ, ex empto actionem mihi non paro, verùm solutum ut indebitum condicam. *ut hic.* Ceterùm si usu-

fructu needum perdito ex re mea servus pretium solverit, humaniter mihi actio intelligitur parata, ob id quod servus cujus usufructus meus erat, quique ipse contraxit, ex re mea solvit. *l. sed & si quid. 25. §. 1. de Usufr.*

Ad l. quicquid. 27.

QUicquid rei venditæ accessurum convenerit, integrum ac sanum tradi oportet; veluti si fundo dolia sint accessura, eadem debentur. *text. hic. & l. ex empto. 11. §. si quis rem. 17. suprà eod.* Hoc ita nisi de certo numero qui in fundo sit, convenerit, tum enim venditor qualiacunque præstet, liberatur, *l. pen. in fine. inf. eod.* nisi plura quàm ad eum numerum sint: tum enim ex omnibus venditor quæ vult præstat. *l. comprehensum. 60. sup. de Contr. Emp.* Sed ita ut integra det. *d. l. pen. §. fin. inf. eod.*

Ad l. prædia 28.

LEge venditionis actum erat, ut emptor aliquid faceret, additaque ni fieret, singulari stipulatione pœna fuit. Ex vendito in id quod interest antequam pœnam petat, aget rectè. Quod si ea actione tantùm consequetur quantum pœnæ nomine stipulatus erat, agentem ex stipulatu submovebit exceptio doli. Sin ex stipulatu pœnam sit nactus, ipso jure non ultra ex vendito aget, quàm quatenus receptione pœnæ ei non est satisfactum. *text. hic.* Quod re bene inspecta omni difficultate caret, si modo textum observes, nec ad glossantium errores declines. *ut & Castr. hic annotat.* Competit enim actio quidem ipso jure. *ut hic.* sed per exceptionem doli removetur, ne actio extendatur ultra id quod minus in pœna quàm eo quod interest fuit. *l. apud Celsum. §. Labeo. de Doli Excep.* vide omnino quæ posuimus suprà *in l. 10. §. si pacto. de Pact.* Et igitur vix alibi remotior à vero juris intellectu Accursius est, quàm hoc loco, meritoque à Bart. Bald. Castrens. & reliquis est notatus. Arguit autem hic textus perspicuè, pœnali stipulatione non novari priorem obligationem, quod alibi pleniùs explicui. *vide suprà in l. si quis. 41. & 42. Pro Soc.*

Ad l. si servus 30.

§. Si sciens.) QUod hic dicitur, etiam ex empto in id quod interest, re nondum ablata agi, si sciverit venditor rem venditam alienam esse, id ad evictionis actionem propriam non refertur, *l. qui rem. 3. C. de Evict.* adeoque & aliàs ante rem evictam nihil debet, *l. 1. de Permut. inf.* nisi fuerit in dolo. *per hunc text.* vide quæ ponimus eàdem re latiùs suprà, *in l. 4. h. t.*

Ad

Ad l. si ea res. 31.

§. Vterque nostrum.) Si res una duobus simul vendatur à domino, is ejus dominus fit cui ea primò tradita est. *l. quoties. C. de Rei Vind. fac. l. si ancillam. C. de Act. Emp.* Proinde & si à nō domino res unà vendatur duobus, is à prætore tuendus est qui priùs rem nactus est *ut hic.* In ecclesia tamen ita statuunt, ut ei dominium magis ipso contractu quàm per traditionem quæratur. *not. in l. ult. C. de Sacros. Eccl. Immola & alij in c. veniens. de Iurejur.* Cui consimile ex Iure Canonico annotant, ut in beneficijs ecclesiasticis prima concessio ritè facta præferatur secundæ, licet posteriorem traditio sit secuta. *c. tibi qui. de Rescrip. in 6. c. si tibi absenti. de Preb.* *Ius Canonicum quid hic simile habeat*

Ad l. in venditione. 41.

De annua pensitatione quæ pro aquæducta penditur, nihil in venditione fuit dictum, ex empto hoc nomine actio est; & in ex vendito actione ad pretium instituta ratio inprovisi oneris habetur. *text. hic.* Ceterùm si alia quædam obventio annua ex prædio meo constituta sit, ea emptorem non sequitur. *l. ult. § fin. sup. de Con. Em.* Sed hoc moribus mutatum est, ita ut reditus ferè generali consuetudine prædium sequatur, penitus ad exemplum hujus textus. Hoc ita nisi speciali alicujus regionis consuetudine receptum sit contrarium. Quando igitur de onere reditus in venditione dictum est nihil, justè ob evictum eum in id quod interest agi potest. *vide quæ diximus supra in l. cum venderes. 59.* junge quæ in l. 27. de Vsufr. suprà posuimus, *& l. ult. de Contr. Emp.*

Ad l. Titius 43. l. 44. & l. 45.

Vide an is qui dolo vel sciens rem alienam vendit, ultra duplum in id quod intereſt teneatur, quæ ponimus inf. *in l. 7. l. 19. l. 35. Locatis*

LOCATI, CONDVCTI.

Tit. II.

Ad l. 1.

1. *Locatio Conductio quid.*

2. *Emphyteuseos contractus Constitutionibus separatus à locatione est.*

3. *Locare conducere, locator conductor qui dicantur.*

4. *Doctorum controversia ea de re conciliata.*

5. *In opere locato conducto quis propriè conducere aut locare dicatur.*

1. LOcatio & conductio sicut † Emptio & Venditio duarum vocum contractus unus est. Is autem cum Emphyteusi magnam affinitatem habet, adeo ut ea in perpetuum constituta, dominus rei locasse propria significatione dicatur, & emphyteuta conduxisse. *l. 1.*
2. *Si Ag. Vect. Pet.* Sed constitutione † Zenonis species eius diversa facta est à locatione specifica pro tempore contracta. *l. 1. C. de Iure*
3. *Emph.* Porrò à locare † & conducere, locator & conductor dicti sunt, Locator, qui dat Vtendum, Fruendum, Faciendum, Conductor qui accipit dicitur *tot. tit. hic. & C. eod.* Quamobrem & is qui domum ædificandam vel quod simile opus pro mercede faciendum suscepit, conduxisse, ipseque frequentiori significatione conductor dicitur, qui faciendum dedit locator. *l. item. si 22. §. 1. l. ea lege. 51. §. locavi. & l. ult. inf. h. t.* Doctores tamen eum sæpius qui pecuniam
4. † pro opera seu usu rei dat conductorem, locatorem qui accipit nũcupant. *Hostiens. in sum. ex eod. Moss. de Locato. c. 1. num. 10.* Sed hoc Hotomannus improbat. *& post eum Borcholt. in tit. de Pact. c. ult. num. 18.* Est tamen aliquo respectu Doctorum sententia vera, quia & is qui opus aliquod faciendum conduxit respectu operarum dici potest locator. *l. qui operas. 38. infra eod.* Proinde utrorumque sententia per se vera est & juri conveniens, sed intuitu diverso. *per d. l.*
5. *item si. 22. §. cum insula. infrà eod.* Ferè tamen est ut is faciendæ † rei conductor & redemptor dicatur, cui per aversionem opus aliquod faciendum locatum est. *per l. opus. 36. infrà eod.* Non etiam is qui usum rei per aversionem conduxit, nam & hic solùm conduxisse & ipse conductor dicitur. *per l. ult. §. fin. ad L. Rhod. de Ia.* Sed & conductor rei faciendæ sæpius redemptor, & opus faciendum redemisse dicitur, idque propter summam hujus contractus cum emptione familiaritatem. *vide quæ posuimus suprà in rubr. de Contr. Emp.*

Ad l. 2.

1. *Quando demum Locatio & Conductio intelligatur contracta.*
2. *An merces conductionis necessariò constet in pecunia numerata.*
3. *Conciliatur Doctorum dissensio quæ est ea de re.*
4. *Colonus partiarius quomodo pro socio censeatur.*
5. *Conciliatur l. excepto. C. h. t.*
6. *Conciliatur l. domini* C. *de Ag. & Cens.*

Locatio

LOcatio Conductio ita † contracta intelligitur, si convênerit de mercede pro opera, usu vel fructu danda. Perinde nimirum ut emptio venditio contrahitur, quando convênit de pretio pro re dando. *text. hic.* Quanquam & evenire queat, ut mercede ex causa pro parte aliqua remissa, subsistat nihilominus contractus. *vide quæ ponimus suprà in l si convenerit. 56. de Pact.* Sed quæsitum est, An merces conductionis † necessariò constet in pecunia numerata? magisque est, eam consistere in quacunque re fungibili posse, adeoque & certa fructuum parte. *per l. olei.* C. *eod.* Atque hic Cujacio probatum est, *tract.* 8. *ad Afr in l.* 35. *h. t. sequitur Dominus Bronchorst cent.* 2. *Assert.* 66. Quod & probat l. 35. inf. eod. ubi conductio ea admittitur quâ inter duos qui proprios fundos habent, convênit, ut alter alterius fundum ita conductum haberent, ut fructus mercedis nomine pensarêtur. Si enim fructus mercedis nomine utrimque pensantur, certum est utrimque fructus mercedem recte referre. Contrà tamen DD. disputant. Perperam verò d. l. 1. C. de contractu innominato accipiunt, *gl. & DD. ibid.* quia in specie eius l. pœnitere non licet, quod tamen in contractibus innominatis omnibus, re adhuc integra permissum est disertè: *l si pecuniam. de Condict. Caus. Dat. eleganter Salicet in d. l. olei.* Non mutat quod dicimus, ut in emptione venditione pretium intervenit, perinde in hoc contractu intervenire mercedem: *ut hic; & princ. Inst. eod.* Quia hoc quidem similitudinem arguit, non tamen idem. Neque verò in toto jure relatum est, mercedem hanc necessariò consistere in pecunia numerata, quod tamen de pretio emptionis relatum est locis innumeris. Ac tametsi ipsa pretij vox huic rei interdum tributa sit, *l. ult.* §. *fin. ad* L. *Rhod de Iac.* id tamen eò solummodo fit, quòd merces locationis frequentiori usu consistit in pecunia numerata. Nec ad rem facit l. 5. §. 2 de Præscrip. Verb. ubi dicitur, si pro faciendo de pecunia convenerit, locationem fore, si verò de aliæ re danda convenerit, esse contractum innominatum. hoc enim singulare est in locatione operæ seu facti (modo id tale sit ut hoc contractu admittatur. *vide quæ ponimus infrà in d. l. 5. §. 2. de Præscrip. Verb.*) ut hujus contractus forma servetur separata à contractu innominato. *Greg. Lopes.* 1. *Animad* 15. Quæ ratione Doctorum dissensus pulcrè † conciliatur, nimirum ut Cujacij sententia obtineat in locatione rerum Doctorum vero opinio, qui pecuniam requirunt numeratam, procedat in locatione facti. Denique hoc † omittendum non est, eum qui fundum pro fructuum parte conduxit, quidem esse re ipsa ac dici colonum, contractum tamen eum pro æqualitate partium conventarum ferè censeri jure societatis. *l. si merces.* 25. §. *vis maior. inf. eod.* quantum nimirum ad rationem fructuum dividendorum attinet.

net. Illud quæsitum est: si in ipso contractu non convenerit de pretio disertè, res autem utenda data sit cum pro loci consuetudine de mercede rerum similium constaret, quid juris sit? Locationem fore Castrensis autumat. *in l.1.§.si quis servum.num.4.de Acq. Poss.* quia merces non penitus sit incerta. Accursius contrà, contractum innominatum esse, quia de certo pretio eo casu nec expressè nec tacitè cōvênit, *gl.in l. excepto.C.eod.* Quod magis est, quia quotiescunque non ab initio de quantitate mercedis actum est, sed conventum, ut quod æquum foret, præstetur, toties præscriptis verbis actio est. *l. si tibi polienda.22.inf.de Præscrip.Verb. §.2.Inst.h.t.* Nec mutat quod
6. † *in l.excepto.* C.*eod.* dicitur mercedem secundùm præteritam consuetudinem fore solvendam. hoc enim ita responsum est pro specie ibi proposita, de remissione pensionis pro alicujus temporis sterilitate, nimirum pro reliquo tempore juxta consuetudinem superiorum annorum, pensionem solvendam; intellige cum vel in plures annos locatio esset contracta, vel tacitè renovata. *iuxta l.13.§.fin. inf.h.t.* Atque id textum legenti facillimum visu erit, quippe qui conscriptus est ad quæstionem hanc: An, solita pensio ob interventum sterilitatis non sit minuenda? cui rescriptum est, mercedem solvendam juxta consuetudinem præteritorum annorum (quæ ex partium conventione recepta erat) excepto tempore sterilitatis.
7. Multoque minùs ad rem † facit l.domini.C.de Agr.& Censit. quia ea re ipsa nihil statuit aliud quàm ne dominis prædiorum liceat colonos ipsos locationum contractibus, pensione pecuniaria gravare, nisi hoc consuetudo permiserit. Id autem à quæstione proposita valde alienum est.

Ad l.si tibi alienam.7.& l.8.

1. *Quid juris, si quis sciens alienam insulam locarit.*
2. *Quid si ignorans.*
3. *Argumentum sententiæ authoris in eam rem.*
4. *Venditionis à locatione differentia ex* Cujacij *sententia defensa, non impediente disputatione Antonij Fabri.*

1. QVi alienam insulam † locat, in id tenetur conductori, quanti interest ipsius, perfrui illâ potuisse *.per hunc text.* Quod ita acceptum est, si sciens locaverit alienam. *l. & hac distinctio.35 inf.eod.*
2. *Cujac.tr.8.ad Afr.in l.33.inf.eod.* Nam si ignorans † id fecerit, probabilius est, locatorem solummodo teneri, ad pensionis remissioné. Cujus rei magnum argumentum est, quod is qui alienum fundum locavit cum eo qui suum locavit, usum tamen eius non præstat, in jure

jure nostro comparatur. *l. ex conducto.* 15. *§. penult. inf. eod.* Inde enim consequitur, ut quemadmodum is demum rei suæ locator id quod interest præstat, qui potest vel usum præbere, vel eum qui usum impediat prohibere, cum aliàs solummodo ad remissionem vel restitutionem pensionis teneatur, *l. qui insulam.* 30. *in princ. junc. l. si fundus.* 35. *inf. eod.* ita etiam eum demum qui sciens vel per fraudem alienam rem locavit, id quod interest universum præstare. *per expressum text. d. l.* 35. *inf. eod.* Est igitur hac in re venditionis à locatione differentia, eò quod venditor qui rem alienam vendit, quocunque modo in id quod interest tenetur. *vide Subtil. nostras. lib.* 5. *c.* 9. Quod etsi Antonius Faber disputandi causa in dubium traxit, *lib.* 5. *coniect. c.* 5. tamen expedire se à definitione d. l. 35. non potest, eoque auguratur verba ejusdem hæc, PER FRAUDEM, ab imperitiori glossatore esse. Sed hoc nec stilus Africani, nec speciei propositæ qualitas admittunt. Nec impedit l. 1. inf. quâ perhibetur etiam actionem ex conducto competere, domo locata bonâ fide. hoc enim eatenus accipiendum est, ut pretium restituat vel remittat locator, (nam & in hoc ex conducto actio est. *ut in l.* 33. *inf. eod.*) nisi domum æque commodam, sine damno conductoris præstare sit paratus. *per text. in d. l.* 1. *inf.*

Ad l. si quis domi. 9.

PRincipium huius l. explicatum est in l. præcedenti. ubi plenè tractamus an & quid differentiæ sit inter scientem & ignorantem alienæ rei locatorem.

§. Iulianus. 2.) Hic §. explicatus est infrà *in l. ex conducto.* 15. §. 1.

§. Imperator. 4. & 9. 5.) De periculo rei conductæ dicemus infrà locis diversis. *in l. ex conducto.* 15. §. 1. *& l.* 40. *inf. eod.* Illud durius videtur quod hic dicitur conductori gregis ita pēsionem restitui, si probet sine dolo suo (supplendum autem, vel culpa) gregem latronibus abactum. Obstat enim quod dicimus, ei doli probationem incumbere, qui dolum arguit, sive is agat sive excipiat. *l. quoties.* 18. *de Prob. l. dolum.* 6. C. *eod.* Sed respondemus, dolum malum culpamque abesse, hic nihil aliud designare, quam abactionem gregis violenter & sine culpa conductoris commissam. Fundata enim est ex locato actio ad restituendum gregem in ipso contractu, qui igitur excipit, eum abactum latronum vi, meritò hoc ipsum uti exceptionis medium tenetur probare. *l.* 2. *de Prob. Pac. cent.* 5. *enant. q.* 17.

§. Final.

1. Si quis rem à locatore non domino conduxit, postea dominium eius quæsivit, quid juris.

2. Quid iuris si quis ab initio rem suam conduxit.

Ex

1. EX hoc §. notandum est, si quis à locatore † rei alienæ conduxerit, eaque res postea conductoris vel donatione vel quo alio titulo facta sit, eum quidem ad pensiones præteriti temporis teneri, non etiam ejus temporis quod post acquisitionem dominij effluxit. Ratio est quia res devenit in eum casum unde incipere non posset, quod conductio rei suæ ipso jure nulla sit. *l. qui rem. 20. C. eod.* An
2. autem qui rem conductionis † titulo nactus, postea ejusdem dominium sibi usurpat, eam restituere teneatur? quæsitum est, & obtinuit possessionem priùs restituendam *l. si quis. 25. C. eod. & ibi Salicetus.* nemo enim sibi possessionis causam potest mutare. *l. ad probationem. 33. C. eod.* Quod ita temperandum est, nisi conductor rem suam esse in continenti plenissimè probare queat. tum enim benigniùs est interdicto agentem repelli exceptione doli. *l. dolo. de Doli Excep. junc. l. 3. §. ibid. 13. Ad Exhib.*

Ad l. videamus. 11.

PRincipium huius l. & §. 1. pertinent ad ea quæ de incendio latiusculè disseruimus suprà. *ad l. si vendita. 11. de Per & Com. Rei Vend.* unde qui volet petat.

§. final.) Pertinet & hic §. ad ea quæ suprà de incendio posuimus, *in l. 11, de Peric. & Com. Rei Vend.* ubi vide,

Ad l. ex conducto. 15.

1. *Vim omnem cui resisti non potest quomodo dominus præstet. & num 2.*
3. *Coloni damnum quando sit.*
4. *An restitutio aut remissio mercedis demum fiat propter læsionem ultra dimidium.*
5. *De pacto quo conductor casum fortuitum in se recipit.*
6. *An receptione ea contineantur etiam casus rariores.*
7. *Bartoli doctrina in hac re incerta.*
8. *An in renunciatione casuum fortuitorum, eis singulatim renunciatum esse oportuit.*
9. *Quid si qua culpa domini fiat.*

1. §. 1.) QVæ hic tractantur † de interitu fructuum vel rei ipsius conductæ, rectè plerumque accepta sunt, nimirum, vim omnem cui resisti nequit dominum colono præstare, utputa fluminum, hostium, sturnorum, graculorum, fructuum item tabem graviorem,

viorem, vel uredinem quæ fructus fere consumat. Itaque hîc textus docet non tantùm rei † ipsius locatæ, sed & fructuum damnum 2.
ad dominum pertinere. Quod eatenus verum est, ut mercedis exoneratio fiat, vel solutæ restitutio; damnum verò seminis supra eam, pertineat ad conductorem. *§. ubicunque. inf. eod. gl. & DD. hic.* Exoneratio inquam vel restitutio fiat pro tempore quo calamitas duravit. *l. 9. §. imperator. sup. eod. l. excepto. C. eod.* Planè si vitium ex re ipsa
oriatur, † verbi gratia, vinum acuerit, vel segetes herbis aut raucis 3.
sint corruptæ, damnum coloni erit, *ut hic.* Quod de remissione pen-
sionis dicimus, id ita plerisque † acceptum est, ut conductor priùs se- 4.
men deducat & expensas, deinde consideretur an præstatione pensionis læderetur ultra dimidium. *Cin. Bartol. & Bal. in l. licet. num. 2. C. eod. Pinel. in tr. l. 2. C. de Resc. Vend. p. 1. c. 3. num. 21. & seq.* Quod quidem verum est, modò hoc non tam strictè accipiatur, ut nihilominus & in arbitrio judicis sit, an & paulo minor majórve læsio faciat restitutioni locum. Quando enim id de quo agimus damnum non ex læsione contractus promanat, sed à casu penitus fatali: certum est hanc rem in facto consistere eoque & cognoscentis arbitrio contineri, quando pro qualitate circumstantiarum pensio remitti debeat, vel minùs. Quod in judicando observamus. Ceterùm
quod de periculo casus fortuiti dicimus † locatori ferendo, id ita 5.
est, nisi singulari pacto conductor in se periculum receperit ipse. *l. 9. §. Iulianus. l. item quæritur. 13. §. si gemma. 5. sup. h. t.* Illud quæritur,
An conventione † hac periculum casuum eorum colonus suscepisse 6.
intelligatur, qui rarissimè solent evenire, qua in re variatum est. Negat Bartolus & eum secuti. *Bart. in l. sed si quis. 4. §. quæsitum. nu. 3. in fine Si quis Caut. Jud. Sist. Ias. ibid. num. 33. Fulgos. num. 11. DD. plerique in l. fistulas. §. frumenta. de Contr. Empt. quorum tamen non pauci sibimet ipsis repugnant.* Contra conventione hac etiam de insolitis actum Baldus perhibet. *Bald. Cuman. Immola in §. frumenta. Pinel. latè in rep. l. 2. C. de Rescind. Vend. p. 1. c. 3. num. 29.* Et verò si hypothesin hanc revocemus ad thesin, videbimus quæstionem eam definitu facilimam esse. nam si consideremus casus insolitos vel maximè fortuitos esse, protinus apparet, & his recipientem unà esse subjectum. Proinde Baldi sententia probanda est, maximè quia eadem expresso jure definitur, *per hunc tex. quo damna consueta etiam sine pactione ad colonum pertinere cautum est. Adde d. l. fistulas. 78. §. frumenta. de* Contr. Emp. Qui textus † à plerisque Bartoli hac in re 7.
sequacibus, directè contra sententiam ac verba jurisconsulti est acceptus, cum doceat venditorem qui in se recepit casum fortuitum, etiam ad insolitos teneri. quod supinam patrum commentandi morem arguit palam, eosque non tam juris explicatione quàm Bartoli

aut Accursij implicatione fuisse occupatos. Sed & dubitatum est,
8. † an in casuum fortuitorum renunciatione vel receptione, eos nominatim designatos fuisse oportuit, quod Accursius voluit. *gl. in d. l. si quis domum. §. Iulianus. verb. hoc ei præstari. suprà eod. Costal. in d. l. 4. §. quæsitum. Si Quis Caut. Jud. per illum textum.* Sed hoc ut rationi repugnat, ita & interpretum sententia communi rejectum est. *Alex. in d. l. sed & si. §. quæsitum. num. 12. Iason. ibid. num. 14. Pinel. d. lo. num. 26. & 25.* Auget sententiam, quod quotiescunque huius conventionis authores meminerunt, toties tantùm de periculo casus fortuiti lege contractus recepto, loquuntur, nusquam verò refertur casuum species exprimendas singulatim. Quanquam & aliàs expresso genere, singulæ species expressæ censeantur. *l. si chorus. 79. ubi not. de Leg. 3. l. 5. §. 1. Commod. l. 1. §. sæpe. Depos. d. l. fistulas. §. frumenta. de Contr. Empt. d. l. 9. §. Iulianus. suprà h. t. l. 1. C. Commod.* Nec ad rem facit d. l. sed & si quis. §. quæsitum. Si Quis Caut. Iud. Sist. quia ea non agit de rei periculo in alterum transferendo, sed solummodo hoc affirmat, conventionem generalem de nulla exceptione contra cautionem judicio sisti utendâ, non admitti, nisi exceptionum occasiones singulæ nominatim sint designatæ. Prætorias cautiones nimirum benigniùs ex mente Prætoris explicamus, quia partium conventio in ijs quàm minimum facit. *l. in conventionalibus. 52. de Verb. Obl.*
9. Denique illud † prætereundum non est, si quæ accidentis damni culpa domino queat imputari, ipsum etiam ad id quod interest teneri. *§. pen. inf. hac ead. l.*

1. Modicum damnum prædio accidens coloni est.
2. Grande damnum locatoris est.
3. Quid juris sit, si dominus pensionem remittat.
4. Pensionem propter ubertatem insolitam non augeri, & num. 5.
6. Explicatur l. 2. C. de Alluv.
7. An quid in hac re Iure Canonicum sit mutatum.
8. An inquilino ob grassationem pestis pensio remittenda sit.

1. §. PApinianus. 4. & §. cum quidam. 5.) Modicum damnum prædio † accidens coloni est. *l. 25. §. vis major. inf. eod.* Ideoque ob fructuum paucitatem pensio ipsi remitti non solet; ut nec ob vinearum

aut

aut arborum vetustatem. §.*cum quidam.3.hic.* Sed nimia sterilitas † 2.
quæ plus quàm tolerabile est fructus lædat, locatori quoque damnosa est, & pensio propter eam, uti vim majorem, remittenda. *d. l.* 25.§.*vis major.l.licet.8.& l 18.* C. *eod.* Planè si remittat pensionem
† dominus vel juris necessitate, vel aliàs liberalitate ob fructuum 3.
paucitatem motus, & anni subsequentes multo fuerint uberiores, sterilium annorum pensiones colonus nihilominus solvere cogetur. *ut hic in §. Papinianus.* Verum illud jure nostro † certum est, 4.
pensionem conventam propter ubertatem insolitam necessariò non augeri, ut enim modicum damnum coloni est, ita & immodicum lucrum pertinet ad eundem. *d.l.25.§.vis maior.* Sed id alij cum hoc moderamine acceperunt, si ubertas ut plurimum industria coloni provenerit, contrà tamen fore, si ubertas promanet ex improviso, *gl. Bartol, Costal.* Ceterùm ea distinctio quia nusquam relata est, contra textum hunc non est admittenda, ut rectè Castrensis sensit. *Castrens. in l. si merces. 25. §. vis maior. inf. eod. Fulgos. ibid.* Et meritò igitur id moribus rejectum est. neque enim vel ulla in regione id observatum memini aut legi. Nec mutat quod dicimus, contrariorum † contrariam esse disciplinam, itemque eum qui sentit o- 5.
nus, & commodum sentire: regulæ enim eæ generales sunt, nec aliter receptæ quàm ubi eas jus disertè admittit, aut juris definitio non est expressa, nequaquam igitur admittendæ sunt contra jus disertum. *per l. omnis juris definitio. de Reg. Iur.* Minusque ad rem
† facit l.2. C.de Alluu. quia ibi non agitur de mercede ob auctio- 6.
nes fructuum augendâ, sed de agnoscendo tributo pro terra ea quæ alluvione adjecta est. Alij tamen putarunt id Iure Canonico † om- 7.
nino recipiendum, *per c. quanto ex. de Censib. ubi Canonistæ.* sed ibi non hoc definitur, pensionem augendam ob immodicam fructuum ubertatem, sed id solum, quod procurator cœnobij, crescentibus ecclesiæ facultatibus, etiam ad alendum majorem fratrum numerum teneatur. Quid verò hoc ad correctionem juris civilis in ea re operetur, quivis ratione præditus facilè sentiat. Dicendum itaque est nec hoc quidem Iure Canonico mutatum esse. *per c. 1. de Novi Op. Nunc.* Illud quæsitum † est, an grassatio pestis restitutio- 8.
nem mercedis operetur, quod Panormitano placuit; quia timor mortis justa causa sit domicilij deferendi, *per l. habitatores. 27. §. fin. inf. h. t. Abb. in c. propter sterilitatem. num. 8. ex. eod.* qui tamen hoc difficulter in praxi obtineri posse putat. Baldus contrà, eo quod pestis periculum non usquequaque astrictum loco sit. *Bald. in d. l. licet. num. 5. C. eod.* Ceterùm utraque sententia vera est, at respectu diverso. Remissio enim fiet ex Panormitani sententia, si pestis annum unum vel plures in loco conductæ rei adeo gravis sit,

An Iure Canon. hic aliqua diversitas sit.

ut quàm plurimi municipes ejus metu discedant, quia enim tum timor justus, est & damnum minus tolerabile, id ipsum feret locator. *per l. habitatores. 27. §. fin. inf. h. t.* si verò pestis solummodo grassetur aliquot menses, damnum hoc, quia modicum est, nocebit conductori *l. si merces. 25. §. vis maior. inf. eod.* idque ex sententia Baldi quæ distinctio & Gailio probata est. *lib. 2. Obs. 23. num. 7.*

1. *Qui rem conductam non præstat, non fruitur mercede.*
2. *Conciliatur l. pen. §. nave. inf. eod.*
3. *De salario comitum Cæsaris quid juris.*
4. *Quatuor casus excepti. & num. 5. ac 6.*

1. §. ITem cum quidam.) Nave perdita qui mercedem † oneris trans-
2. vehendi causa acceperat, eandem restituit. *text. hic.* Nec † mutat l. pen. §. navem. inf. eod. quia ibi culpa conductoris ob non solutum vectigal merces commisso ceciderant. Quotiescunque enim culpa vel casus, à quo usus rei impeditur, ex parte ejus accidit, qui mercedem solvit (sive is rei vel operæ conductor aut faciendi operis locator vel redemptor sit) toties is mercedem nihilominus debet. *d. l. pen. §. navem.* satis enim est est per locatorem non stetisse *l. sed addes. 19. §. fin. l. qui operas. 38. inf. eod.* Iunge quæ ponimus inf.
3 in §. ubicunque. & §. planè. hac ead. l. Quod & ita de comitibus † legati Cæsaris responsum est. *l. diem. de Off. Adsess. d. l. 19. §. fin. h. t.* nimirum ut defuncto legato Cæsaris, illis salarium residui
4. quoque temporis solvatur. Planè quemadmodum casus ex parte eius contingens, qui mercedem præstat, mercedis solutionem non impedit, ita & casus accidens ex parte eius qui eam recipit, mercedis restitutionem vel remissionem operatur. *ut hic. l. si fundus. 33. l.*
5 *ult. infra eod.* Ceterùm hoc non † est perpetuum. Principio enim in advocatis speciale est, ut si ante finem causæ decedant, mercedem non restituant, etiamsi casus mortis intervenerit à parte ipsorum. *L. 1. §. Divus. de Extraor. Cog. l. 38. §. fin. inf. h. t.* Dein id non procedit † in salarijs magistratuum, nam & horum hæredibus salarium eius anni debetur in quo obierũt. *not. in l. post duos. 15. §. 1 de Advoc.*
6. *Diverſ. Iudicior. Costal. hic.* Denique id ex † consuetudine etiam ad salaria professorum relatum est.

1. *Quomodo accipiendum sit quod dicimus interdum mercedis remissionem fieri. & num. 2. ac 3.*
4. *Quid juris si conductor in culpa sit.*

§. Vbi

§. VBicunque. & §. Planè.) Cum simpliciter dicimus mercedis † 1.
remissionem vel restitutionem faciendam: id ita accipiendũ est, nisi alterutrius intervenerit culpa. Nam si locator † præstare 2.
possit ut conductor re locatá utatur nec præstet tamen, vel dolo aut culpa eius factum sit, quò minùs id vel vel faciat vel facere possit: verbi gratiá, si vel ipse locator hoc impediat, vel eum qui impedit prohibere possit, id etiam quod suprà mercedem interest conductoris, resarciet. *ut hic. in §. planè. l. si fundus. 33. inf eod.* Nisi fortè necessarió † coactus domum resarcierit, atque ita usum impediat. tum 3.
enim in culpa fuisse non censetur, eoque tantum mercedem restituet, nam si extra casum necessitatis ædificet, etiam unà id quod interest præstat. *l. qui insulam. 30. in princ. inf eod.* Perinde nimirum † 4.
ut conductor, si quid dolo eius vel culpa est admissum, ad id quod interest tenetur actione locati. *l. 2. ff. Quib. Caus. Pign. Tac. Contr.*

Ad l. sed addes. 19.

1. *Qui rem vitiosam locat ignorans, quid præstet. & quare. num. 2.*
3. *An id quod interest hic duplum excedat.*
4. *Conciliatur l. un. C. de Sent. Quæ Pro Eo Quod Interest.*

§. 1.) QVi rem † vitiosam locat ex qua conductori damnum con- 1.
tigit, siquidem locator ignoravit vitium, solam remittit mercedem, si scivit, etiam id quod interest ultra mercedem præstat. Illud speciale est in eo qui vas vitiosum locavit, quod conductori damnum ex eo redundans resarcire tenetur, etiamsi vitium ignoravit. Cur hæc tam varié? quia † is qui vas locat, instrumentum ad 2.
capiẽdum liquorem capax locat: capax autem non est unde vinum effluxit. Quando igitur hoc & scire debuit locator & emendare potuit, perinde in id quod interest tenetur, ac si locasset sciens, *per hũc text.* Quod & in vase vendito obtinet. *l. tenetur. 6. §. si vas. 4. suprà de Act. Emp.* Illud quæsitum † est, an id quod interest in hac re etiam 3.
duplum excedat? quod magis est si duplum simplicis consideremus mercedis. Nihil enim absurdius foret, quàm magni damni æstimationem referri ad exiguam mercedis quantitatem. Ponamus pretiosissimum liquorem ob vasis vitium perijsse, qui fortè vel quinquaginta ducatis constet, in eius quod interest ratione calculum dupli ad mercedem vasis referri quod ipsum vel minoris quàm uno ducato, non dico menses aliquot conducatur, sed ematur facilè totum. Itaque magis est duplum hic non referri ad simplum mercedis. Nec mutat l. un. C. de Sent. † quæ pro eo quod interest prof. ubi 4.

 venditio

venditio locatio referuntur ad casus certos. Hoc enim ita est regulariter, quatenus iis agitur ut res ab una vel pretium ab altera præstetur parte, sed ampliùs his contractibus continetur, & absuturum dolum malum. *l. 1. §. 1. l. Iulianus. 13. §. 4. l. servus. 30. §. fin. de Act. Emp.* Qua ratione & ipsis actionibus his directo, doli actio dicitur contineri. *l. & eleganter. 7. §. 1. in fin. suprà de Dolo, ubi dixi.* Quando igitur dolus nullo legum beneficio juvatur. *l. 2. §. 3. ad SC. Vell. l. Iulianus. 13. princip. l. idque. 45. §. pen. versic. in omnibus, de Act.* Emp. rectè obtinuit dolum malum abesse, certam quantitatem in computatione ejus quod interest non continere. *l. idque Julianum. 45. §. 1. versic. in omnibus, sup. de Act.* Emp. *Bartol. in l. 1.* C. *de* Eo *Quod Interest. Cujac. tract. 8. ad Afr. in l. 35. hic. Donellus in tract. de* Eo *Quod Interest. c. 7.* Quia verò vas vitiosum locatum aut venditum contractui doloso comparatur, rectè dicimus & eandem in his rationem esse. *ut hic. & d. l. 6. §. si vas. de Act.* Em. Ratio est quia qui vas locat, rem capiendo liquori aptam locat, *l. cum aurum. §. argentum. de Aur. & Arg. Leg.* Quando igitur hæc talia non sunt, rectè dicimus eum scienti comparari, *per d. l. Iulianus. 13. §. quid tamen. de Act.* Emp.

§. Illud nobis.) Locator rei non tantum usum rei, sed & quæ usui deserviunt præstabit, *l. legem. 16. C. eod.* Ea autem sunt in primis de quibus contrahentes egerunt. Quod si id non pareat, Vlpianus definire conatur, quæ fundo locato instrumenti nomine à locatore conductori sint præstanda. *ut hic.* nescio an satis apposité. Satius enim est, hac in re, deficiente partium conventione, consuetudinem cujusque regionis inspici. *l. circa. 10. ubi Bald. & Salic. C. eod. arg. l. semper in stipulationibus. de Reg. Iur.* Cû res ea ferè in facto consistat.

§. Si inquilinus. 1.) Ex hoc textu patet, inquilinum quod in domo conducta ædificavit, actione conducti rectè auferre. Quod & ad ea pertinet quæ ipsi ædificio cohærent affixa, ut de ostio responsum est. *hic.* Id enim & ipsarum ædium habetur. *l. fundi. 17. suprà de Act. Empt.* Sed & ad repetendum impensas alias vel necessarias vel utiles, agere conductor potest, etiamsi ea de re convenerit nihil. *l. dominus. 55. §. in conducto. infrà eod.* Nam & si propter pensionem non solutam colonus ejiciatur, impensas doli exceptione opposita deducet. *l. colonus. 61. in princ. ubi Bart. inf. eod.* Verum hoc speciale est in conductore & emphyteuta ecclesiæ, quòd ejectus ob canonem non solutum, emponemata non tollat. *auth. si quis rem. C. de Sacros. Eccl. desumpta ex Novell. 120. c. si verò. 8.*

§. Si inquilinus.) Officio judicis continetur, cogere locatorem ut præstet ad quæ vel partium conventione, vel natura actionis conducti tenetur. *ut hic.*

Ad l. sicut emptio. 20. §. final. & l. 21. & 22.

Res vendita ita locari potest, ut eam emptor interea conductam habeat, donec pretium solvat. Sed pecunia soluta, nihil amplius præstandum est venditori, quàm pro portione temporis quo pretium necdum solutum fuit. *ut hic in l. 21.* Cohærent tamen §. finalis, legis vigesimæ & principium legis vigesimæ-secundæ immediatè, quia utraque ex libro Pauli 34. ad edictum desumpta est. Est autem l. 21. ex Iaboleno declarandæ rei causa interjecta, cui Cujacius aliquid existimat deesse, ut nimirum species sit, quâ teneatur conductor locatori, & non contrà conductori locator. Quod interdum & in emptione venditione potest evenire. *l. Iulianus. §. si quis à pupillo. de Act. Emp.* Vt inquam & hic sit species ejusmodi, nimirum, venditum fundum sub pacto legis commissoriæ, ut, ni certa die pretium exolvatur, fundus sit inemptus, & interea eum emptor habeat conductum. *Cuiac. 16. Ob. 21.*

Ad l. item si. 22.

§. 1. & 2.) QVoties faciendum aliquid datur, locatio est. *text. hic.* Tametsi & is qui faciendum aliquid conduxit, & ipse respectu operarum, locare & locator dicatur. *ut hic. & l. qui operas. 38. infrà eod.* vide in hanc rem quæ ponimus suprà, *in l. 1.*

Ad §. final. & l. & ideo. 23.

1. *In pretio ut venditionis, ita locationis contrahentibus permissum est se mutuo circumvenire, & quatenus.*
2. *Quomodo id accipiendum sit.*
3. *Deceptio ultra dimidium quomodo æstimanda.*
4. *An remedium l. 2. C. de Resc. Vend. locum habeat conductione finita.*

CErtum est in pretio emptionis † & venditionis naturaliter concessum esse contrahentibus se invicem decipere. *l. in causa. 16. sup. de Minorib. ubi vide.* quod & in locatione ac conductione ita est. *ut hic.* Sed hoc ab omnibus ita est acceptum, † ut interim & hic non minùs quàm in venditione læsio ultra mercedis dimidium restitutioni faciat locum. *ex l. 2. C. de Resc. Vend. per hunc text.* Quod magis est, *Pinel. qui ait hos omnes probare. tr. d. l. 2. p. 1. c. 3. n. 17. & seq.* 1. 2.

Dimidium

3. Dimidium autem istud ex † recepta pensionum consuetudine æstimandum est, nisi conductor fortè singulari ex causa suprà duplum pretij consueti solvat, puta, quod vel ipse ex usu rei lucrum solito majus percipiat, vel opus tale exerceat quod ædificium graviùs cõ-
4. sumat. *Pinel.d.lo.* An autem remedium hoc durante solummodo † tempore locationis admittatur, finito autem eo cesset, Decius disputat: eò quod contractus tum non amplius sit in rerum natura, non entis autem nullæ sunt qualitates. *Decius.consf.58. in fine.* Sed hoc meritò rejectum est ex eadem enim ratione & remedium legis secundæ in ipso emptionis contractu cessaret, quàm primùm res tradita & pecunia fuerit soluta. Quoniam igitur hoc absurdum foret, etiam absurdum illud sit oportet unde id ipsum sequeretur. Et amplius ipsa læsio quæ rescissioni causam dat, contractu demum consummato effectum habet. Quando igitur æquitas ejus remedij non tam ex contractus substantia dependet, quàm læsione quæ redundat ex circumventione, rectè Pinellus Decij opinionem mirabilem censuit. *Pinel. d.lo. num.*18.

Ad l. si in lege. 24.

SI lege locationis comprehensum sit, ut arbitratu domini opus adprobetur, perinde est ac si viri boni arbitrium esset electum. *tex. hic.* Igitur si dominus arbitretur iniquiùs, reductio ad arbitriũ boni viri facienda est. *per tex. in l. societatem.76. cum ll. seqq. Pro Soc. ubi omnino vide quæ nos latè in hanc rem.*

§.1.) Si colonus ipse alteri denuo locet fundum, res posterioris conductoris, domino non obligantur, sed fructus in causa pignoris manent, perinde ac si primus colonus eos percepisset. *tex. hic.* Hoc autem intellige de conductore prædij rustici, in locatione enim prædij urbani contrarium obtinet, & invecta inquilini secundi domino obligantur. *l. solutum. 11. § solutam, de Pign. Act. vide Subtil. nostras.*

Ad l. si merces. 25.

SI merces locationis alieno arbitrio relinquatur generatim, idque sine designatione personæ, locatio nulla est. *ut hic.* vide quæ ponimus suprà *in l.76. Pro Soc.*

§. Culpæ, 4.) Notabile est quod hic refertur, culpæ conductoris annumerari, si propter inimicitias eius vicinus arbores exciderit. Quod ita acceptum est, si is cui damnum datum est, sive is conductor sive alius rei possessor sit, ipse dederit inimicitiæ causam. *l. pen. in princ. ubi not. Bal. & Duar. inf. eod.* Namque aliàs nemo est quin in-

vidos

vidos habeat, vel qui dolosam aliorum injuriam prævidere queat, modo talem custodiam adhibeat, qualem ex natura contractus præstare tenetur. *l. de damno. 41. inf. eod. ubi vide.*

§. Ipse quoque. 5.) Conductor prædij si arbores excidat vel quod aliud damnum dederit, non tantùm ex locato, sed ex L. Aquilia & arborum furtim cæsarum tenetur. Quod rectè Cajus ita explicat, ut damni nomine ex una non consequatur, quod ex altera consecutus est. *tex. hic.* Verum & rectè ob damnum datum expelli fundo potest. *l. 3. in fin. C. eod.* Sed & merces quâ dominus ob expulsionem cogitur carere, damnum auget, juxta ea quæ latiùs infrà scribimus. *in L. dominus. 55. §. final. h. t.*

§. Vis major.) Quæ de remissione vel restitutione pensionis ob accidentem sterilitatem vel aliàs juris sint, suprà explicuimus late. *in l. ex conducto. 15. §. Papinianus. sup. eod.*

§. penult.) Qui columnam transportandam conduxit, ad eam diligentiam tenetur quam diligentissimus quisque suis rebus adhibet, idemque obtinet in ceteris rebus quas quis transferendas recepit. *tex. hic.* Ratio est quia res ita transportari conductæ per aversionem receptæ sunt. in quo genere dicimus etiam maximam diligentiam præstandam. *per text. & quæ nos in eum. l. opus. 36. & l. 37. infrà eod.* Hoc autem maximè in ijs rebus obtinet, quæ naturâ suâ exactissimam diligentiam requirunt. *tex. & DD. in §. penult. Inst. eod.* Ceterùm extra hos casus certum est in locatione ac conductione præstandam solummodo culpam levem, nisi nominatim aliud actum sit. *l. 5. §. 2. Commod. ubi dixi l. contractus. 23. de Reg. Iur.*

Ad l. qui insulam. 30.

PRincipium huius l. relatum est suprà *in l. ex conducto. 15. §. planè. h. t.*

§. fin.) Quem concernat periculum rei locatæ incendio exustæ suprà tractavimus plenè. *in l. 11. de Per. & Comm. Rei Vend.*

Ad l. in navem. 31.

1. *Argumentum & paraphrasis huius l.*

2. *An quod hic dicitur confusione mercium in creditum iri, id de mutuo accipiatur.*

3. *An in hoc textu legendum sit pusulatum, an postulatum.*

SI plures negotiatores † uni nautæ frumentum transvehendum commiserint, isque uni soli suam partem reddiderit, posteaq; id pereat, quærit Alfenus, an reliqui oneris aversi actio in nautam sit. 1

Quam quæstionem ut explicet, proponit duo genera rerum locandarum, Primum quo dominium mutatur, ut cũ argentũ fabro datur ex quo poculum faciat, id enim dominij mutationem subit, Alterum quo res polienda datur vel utenda, ut eadem specie recipiatur. Simileque esse perhibet in immixtione quantitatum, quod vel frumentum ita in navem mitti solet, ut nauta confusione plurium quantitatum sibi dominium quærat, seu quod quantitates singulæ separatæ, diversisque vel cupis vel corbibus inclusæ reciperentur, ut singulatim recipiat quisque suam. Et quidem in in utraque specie Alfenus autumat, oneris aversi actionem penitus supervacuam: Priori quidem, quod ea ratione quodammodo in creditum itum, eoque frumentum immissione in navem factum fuerit ipsius nautæ. Neque tenebitur igitur ceteris hoc casu ob id quod uni prius quantitatem suam restituerit, ejusdemque conditionem ita fecerit meliorem (quia in omnem eventum alicui primum restitui oportuit) nisi quæ culpa ejus argui possit, quo casu tamen ex locato actio sufficit, Posteriori verò casu parata est domino in possessorem rei vindicatio, in nautam ipsum, actio furti. Cui tamen quin & ex conducto actio accedat, non est dubitandum. *per l si cui. 48. §. fin.*
a. *inf. eod.* Denique illud prætereundum non est, † quòd hic dicimus, confusione mercium earum in creditum iri, id non de proprio mutuo intelligi, cum & merces operæ interveniat, & res ipsæ sine culpa nautæ pereant, pereant dominis. *ut hic in fine.* Quod & Cujacius observat, *lib. 7. Obs. 39.* Atque id omne est quod confusis periodis
8. Alfenus hoc loco tractat. Sed quæsitum est, An in hoc textu legendum sit † pusulatum, an verò pustulatum vel postulatum, eò quòd diversorum exemplarium diversa hac de re lectio sit. Et recte Turnebus, pustulatum dici argentum, merum quod inter coquendum quasi in pustulas assurgit, *lib. 24. Advers. 2.* Ac tametsi inter voces has differentiam esse putant Budæus *hic.* & Alciatus *lib. 6 parer. c. 4.* probabile tamen est, ipso effectu voces eas non differre, uti Cujacio visum est, *lib. 7. Obs. 39.* Atque eius rei argumentum & lectio diversorum codicum, & Latinorum authorũ suppeditat authoritas.

Ad l. qui fundum. 32.

1. *Successor rei singularis colono non intelligitur obligatus.*
2. *Præterquam in locatione ad tempus longum.*
3. *Quid in locatione prædiorum locatori consultum sit.*
4. *Conciliatur argumentum ex l. 38. §. alteri de Verb. Obl.*

Successor

SVccessor rei locatæ singularis † colono non est obligatus, ut nec è diverso colonus successori, *per hunc. tex.* Attamen si emptor vel legatarius conductorem fundo abigat, in id quod interest locator tenetur, *l. si merces. 25. §. qui fundum. supra eod.* Præterquam † in locatione ad tempus longum, ea enim jus in rem tribuit, & utilē adeo petendæ eius actionem, idque etiam contra dominum ipsum, *l. 1. 2. & 3. sup. Si Ag. Vect. Pet.* In ceteris proinde locationibus, ut sibi venditor prospiciat, † consultum est ut cū emptore præcaveat, ne colonum durante tempore convento expellat. tum enim & emptor pacto contractus stare tenetur. *l. emptorem. C. h. t. d. l. 25. §. qui fundum. sup.* Nec ad rem facit quod † diximus, neminem alteri stipulari posse *l. 38. §. alteri. de Verb. Obl.* quia pactum hoc interponitur respectū eius quod interest locatoris, venditionē potiùs continuari quàm infringi, ut scilicet ipso effectu non tam alteri quàm sibi stipulatus censeatur. Ceterùm, an hæc † omnia in locatione rei dotalis à marito factæ, ita sint, infrà tractabimus. *in l. si filio-familias. 25. §. fin. Sol. Matrim.*

2. 3. 1. *Consuetud. Transitula locatio tamen transit in successorem specialem.* 4. 5.

Ad l. si fundus. 33.

QVoties locator sine culpa sua usum rei præstare nequit, vel impedientem uti prohibere non potest, toties ex conducto actio in hoc solum datur, ut restitutio vel remissio mercedis fiat. *ut hic. vide quæ ponimus suprà in l. 15. §. planè. eod.* Quod & ita est in venditore fundi, qui ante traditionem publicatur. nam & hic solum pretium restituit, *ut hic.* Adde quæ ponimus suprà, *in l. 7. h. t.* ubi hæc quoque lex explicata est. Idque plenè tractamus suprà, *in l. 7. de Per. & Comm. Rei Vend.* Non mutat l. Lucius. inf. de Evict. quia ea procedit in fundo per publicationem post traditionem factam evicto.

Ad l. & hæc distinctio. 35.

DE locatore qui insulam necessariò vel ex abundanti ædificat, itemque eo qui usum rei locatæ impedientem prohibere potest vel nequit, suprà egimus, *in l. ex conducto. 15. §. planè. eod.* De eo verò qui alienam insulam sciens vel ignorans locavit, perinde superiùs egimus. *in l. 7. & 8 h. t.* ubi hæc quoque l. explicata est.

§. 1.) Quæ hic proponuntur de fundo duobus communi, utrimque alternis annis locato, satis perspicua sunt, Illud notandum est, quod si alter sequentis anni fructus, cum exiturus annus ipsius esset, corruperit, damni nomine tam ex conducto quàm communi dividūdo actionē esse. *ut hic.* Nec mutat l. si convenerit Cō. Diu. quia ibi nihil de pretio vel mercede certa proponitur cōvenisse, sed simpliciter de permutato usu fūdi cōmunis, hic autē de locatione certa mercedis agitur, & ut fructus mercedis nomine præstetur. *Cujac. hic. 8. ad Af.*

Ad l. opus. 36. et l. si priusquam. 37.

1. Aversione locari quid dicatur. & num. 2.

3. Quid significet hic periculum.

4. Quod si opus ante approbationem interciderit, cuius periculum sit.

5. Quid juris sit, si soli vitium damno causam det.

6. An qui per aversionem opus conduxit, similis sit qui generali conventione casibus fortuitis renunciat.

7. Quid juris sit, si quis speciali conventione quis periculum omne in se receperit.

1. OPus aversione † locari, non adversione dicitur, idque politioris seculi authores unanimes probant. *Bud. Costal. hic.* Cujac. *lib. 8. Ob. 15. ut hic. & l. 1. §. exercitorem. sup. de* Ex. *Act. l. qui officij. 61.*
2. *§. fin. de Contr.* Emp. Is autem aversione conducere opus † dicitur, qui quid ita faciendum recepit, ut suis sumptibus, suaque vel suorum operâ id conficiat universum, domini interim seu locatoris cura ejusdem sit nulla. Et ut Iabolenus dixit: Cujus universitas conductionis ad conductorem pertinuit. *l. ea lege. 51. inf. eod.* Igitur qui ita, id est, aversione opus conficiendum redemit, periculum in se censetur suscepisse, *ut hic.* Periculum autem hic nihil aliud signifi-
3. cat, quam † casum damni talis quod diligentissima cura potest praecaveri, ut rectè interpretes perhibent. *gl. Bart. Castrens. hic.* Prorsus ut alibi periculum designat damnum quod quidem non levi culpâ contingit, nec tamen in casum fortuitum cadit. *l. 1. §. saepe. 35. Depos.* Cujus rei certissimum argumentum est quod hic subjungitur, Si
4. opus † ante approbationem interciderit vi majore, locatoris periculum esse, *ut hic in vers. si tamen.* modò tale fuerit opus ut approbari debuerit. *l. 1. inf.* Namque periculum ad locatorem ita pertinere responsum est, nisi ipsius operis vitio casus contigerit, *l. ult. inf. eod.* intelligitur enim tum culpa saltem levissima intervenisse. Quod si
5. soli † vitium damno causam dederit, periculum denuo pertinet ad locatorem, *l. 33. sup. d. l. ult. h. t.* Ceterùm illud notandum est, quod Accursius & Bartolus hic in dubium trahunt, An non is qui per a-
6. versionem opus faciendum redemit, similis † sit ei qui generali conventione casum fortuitum in se recepit: Id inquam, hoc loco satis definitur non ita esse. Quoniam qui casum fortuitum lege contractus in se recepit, etiam ad periculum fatale tenetur: *l. si quis domum. 9. §. Julianus, 2. sup. h. t. ubi dixi l. 5. §. 2. Commod.* Quod in eo qui per aversionem conduxit non ita est, quia hic ad periculum vis majoris

non

non tenetur. *ut hic.* Et quod ij viri hac de re erroneè scripserunt, seculi istius ignorantiæ imputandū est, quia non constabat ipsis, quid esset locare conducere per aversionem. Proinde si speciali [7] conventione redemptor periculum omne in se receperit, etiam ad hoc tenebitur quod acciderit vi majore. *per l. item quaeritur. 13. §. si gemma. 5. sup. eod.* etiamsi casus foret insolitus. *per ea quæ ponimus supra in l. ex conducto. §. 1. eod.* Atque id est quod simpliciùs hoc loco Florentinus perhibet, Vim majorem etiam ante approbationem operis nocere locatori: nisi aliud actum sit. Rursus etiamsi operis vitio damnum contigerit, quoties tamen ita locatio facta est, ut domini arbitrio efficeretur, eque arbitrio ipsius sit factum, periculum domini est. Vix enim est ut hoc casu opus aversione locatum intelligatur, eò quod dominus sibi imputare debeat, quod id non aliter fieri curarit. *l. ea lege. 51. in fine. inf. eod.*

Ad l. qui operas. 38.

QVi operas locat si per eum non stet quò minùs illas præstet, nihilominus mercedem accipit. *tex: hic.* Perinde nimirum ut suprà relatum est de eo per quem non stat quò minùs præstet rei locatæ usum: *in l. ex conducto. 15. §. item cum quidam. eod.* Planè quia hic de locatione operarum agitur, commodè hoc textu convincitur famulos & famulas, quos hujus seculi moribus ad certum tempus conducere solèmus, mercedem integram non accipere si ante tempus conventum discedant, percipere autem integram, etiam tum, cum per eos non steterit quò minùs operas præstent. *per hunc text. & l. sed addes. 19. §. cum quidam. penult. sup. eod.* Quod si vel nimia sævitia vel quæ alia culpa fugæ vel discessus domino imputari queat, eundem & supra pensionem, id quod interest colono præstare magis est: ut vice versâ famulus id quod interest præstabit, si vel culpâ suâ vel aliàs sine justa causa discesserit. *arg. l. fundus. 33. suprà eod. Ordin. Maurit. & Aug. Electorum Saxon.* van Hepsegen knechten.

Ad l. non solet. 39.

1. *Locatio non mutat dominium.*
2. *De qua locatione id intelligendum. & 3.*
4. *Accursij observatio non inelegans ad hanc legem.*
5. *Species singularis quibus locatio dominium mutat.*

NOn solet [1] locatio dominium mutare: *text. hic.* Hoc rectè de [2] emphyteusi acceptum [+] est. Dubium movebat quòd eo contractu rei vindicandæ jus quæritur, *tot. tit.* Si *Ag. Vect. Pet.* In rem [3]

verò actio datur ei qui dominium ipsum vel gentium vel civili jure quæsivit. *l. in rem actio. de Rei Vind.* Ceterùm id responsum pro ratione tituli de propria rei vindicatione intelligitur. Sunt enim & aliæ actiones in rem, ut, vindicatio servitutis, hypothecaria in rem, & aliæ plures, de quibus alibi agimus, *lib. 1. Subt. nost. c. 7.* Quod cer-
1. tum argumentum præbet, locatione † ad tempus longum facta dominium non transferri. Cui accedit, quod ne quidem possessione temporis longissimi jus aliquod dominij transferatur, cum conductores ejusmodi ipsis dominis prædiorum possidere censeantur. *l. 2. C. de Præscr. 30. Ann. vide nobis posita infrà in l. locare. 44. eod.* Sed & haud ineptè Accursius hunc textum explicuit, quasi per eum domi-
4. no † caveatur, ne conductione rei suæ, dominio censeatur renunciasse: magis enim est, si res quæpiam suo domino locetur, contrac-
5. tum ipso jure nullum esse. *l. qui rem. 20. C. eod.* Sunt tamen species † singulares, quibus locatione conductione dominium mutatur, veluti cum aurum vel argentum fabro datur ut ex eo annulos vel pocula faciat, & si qui casus sunt similes. *l. 31. sup. eod.*

Ad l. 40. et l 41.

QVi mercedem accipit pro custodia alicuius rei, is hujus custodiæ periculum præstat. *text. hic.* id est periculum præstat, quod propter amissam diligentissimam custodiam accidit. Cum enim depositum recipiens solummodo ex culpa lata depositi teneatur, pretium custodiæ quod locationem constituit, eò ampliùs & culpæ levis seu omissæ custodiæ diligentis damnum resarciri postulat. *l. si ut certo. 5. §. 2. Commod.* Ceterùm quia custodia ferè & aliàs culpam levissimam excludit, summamque diligentiam casui fortuito proximam continet. *ut in l. sæpe. 35. §. 1. Depos.* maximè id hoc casu procedit, quo pecunia nominatim in custodiæ mercedem dari convênit. Proinde & damno ab alio dato custos hic tenetur, modo id tale fuerit, ut queat summâ diligentiâ præcaveri. *ut hic. in l. 41.* nam si præcaveri non possit, res in casum fortuitum cadit, & suo domino perit *l. 19. Commod. ubi dixi.* Atque hoc est quod hic dicitur custodem pretio conductum ad rei periculum esse obligatum.

Ad l. locare. 44.

1. *Servitus non locatur.*
2. *An idem in usufructu sit.*
3. *Vsus quatenus locari nequeat.*
4. *De locatione feudi quid juris.*

5. An

5. *An feudum ad tempus longum locari sine consensu domini possit.*

6. *Moribus quid in hac re sit.*

7. *Quatenus accipiendum sit quod conductor longi temporis actionem in rem habet & an habeat utile dominium.*

Locare servitutem nemo † potest. *hic.* Idque rectè de servitute reali acceptum est, *ut per DD. hic.* In usufructu enim † contrarium obtinet. *l.2.§.1. sup.h.t.l.arboribus,12.§.2. de Vsufr.* Sed hoc in usufructu vestium non est admissum, quia has usufructuarius non aliter locare solet, quàm si scenicæ sint aut lugubres, quæ in scænam vel funus locari consuêrunt. *l.sed & si.15.§.& si vestimentorum.cum.§.seq.de Vsufr.* Denique nec usus quatenus † servitus est, locari potest, *in prin. Inst. de Vsu & Hab.* De feudo quæsitum est, magis tamen † est, rectè locari etiam sine consensu domini posse, præterquam in emphyteusin. *c un § donare.qual.olim feud.pot.alien.* Quamobrem & quæsitum est an locatio ad tempus longum sine † consensu domini sit permissa: quod plerique non putant. *Angel. post Fabr.in §.adeo.in fin. num 1. Inst.eod. Curt. in tract. feud. par.4. num.92.Sonsbek par.12.num.84.* Movet eos quia locatio ad tempus longum species alienationis sit; & dominium utile transferat in conductorem, eò quòd eadem actionem in rem tribuat. *per l.1.& ult. ff. Si Ag. Vect. Pet & l.1.§. quod ait Prætor. de Superf.* itaque hi ipsi feudistæ opinionem hanc restringũt, locationem nimirum diuturnam quidem admitti, si pacto caveatur, ut dominium utile maneat apud locatorem. Ceterùm ùt dominium utile jure nostro penitus ignotum est, ita nec alienationis nomine locationem ad tempus longum venire constat, *per l. 1.in princ.C.de Iur. Emph.ubi ipsa emphyteusis propriè ad alienationis titulos non pertinere, refertur.* itaque rectè moribus † obtinuit, vasallum etiam non requisito domino ad tempus longum fundum feudalé locare, etiamsi clausula de non alienando dominio utili (umbra !) sit omissa. Maximè quia locatio hæc domino non præjudicat, &, si vasallus fortè feudo cadat, quia dominus hoc casu uti quivis successor singularis locationi priori non est obligatus. *l.25.§.1. l.22. hic.* Consuetudine tamen Transisulaniæ successor etiam quivis specialis locationem prioris possessoris continuare tenetur. Sed ad jus Romanum quod attinet, parum ad rem facit quod conductor longi temporis actionem † in rem habet. *ex leg ultim. Si Ag. Vect. Pet.* in rem autem actio ei competit, qui dominus est. *l. in rem. de Rei Vindic.* Redigamus enim argumentum in formam & vitium deprehendetur confestim. Ita nimirum, qui actionem in rem habet, dominium habet, at

verò cõductor temporis longioris utilem actionem in rem haberet: Ergo & utile dominium. In hoc syllogismo principio Propositio non est universalis, eò quòd eadem fundata est in l. in rem actio. de Rei Vind. Ea autem agit non in genere de quavis actione in rem, sed de rei vindicatione proprii, cujus meritò causa dominium est, eò quòd ista ipsa ex sola dominij causa vindicet rē agenti. Est itaque hoc primum vitium formæ, quia syllogismus malè conclusus est in prima figura, cujusmodi omnes propositionem requirunt universalem. Deinde sunt in eodem syllogismo quatuor termini. Nimirum, Dominium, In Rem Actio, Vtile Dominium, Conductor temporis longioris. Quamobrem & ex hoc capite vitium paret. Sed & postremo latet fallacia A Non Causa, ut Causa. Neque enim conductori temporis longioris utilis in rem actio parata est causa vindicandi dominij utilis, sed repetendi usus causa, qui agenti ex contractu conductionis debetur. Quando igitur conductor pro tempore longo, nec dominium utile acquirit, sequitur & penitus inutilem hanc clausulam de præservando emphyteutæ locanti dominio utili esse. Quod studio latiusculè explicui, ut constet quàm futili ratione, subinde interpretes, hanc aut illam doctrinam introduxerint. Quæ tamen per se nullius effectus sit, quàm aut in scholis obruendi juventutem ridicula & inani specie pluris doctrinæ, aut in foro parandarum litium causâ.

Ad l. cum apparebit. 47.

PLures reos locationis vel conductionis in solidum fieri posse cõstat. *hic & l. 13. §. duo. supra eod.* Et si locator singulorum personas in solidum sit intuitus, omnesque solvendo sint, singuli pro parte tenentur, quamvis & æquius est, singulos conveniri posse in solidum, eâ nimirum lege, ut actor adversus correos pro partibus eorundem, actionem suam cedat. *ut hic.* Ceterùm locatione pro partibus factâ, benignius est, singulos modo teneri pro partibus ijsdē. *l. si diversa. 13. C. eod.* Hoc ita si expressè locatio pro partibus sit facta, aliàs enim tenentur singuli in solidum. *l. si ut certo. 5. §. fin. Commod.* Sed hoc Iure Novellarũ ita mutatum est, ut si correi omnes se etiam expressè obligent in solidum, & præsentes sint ac solvendo, singuli modò pro parte conveniantur, præterquam si aliqui sint absentes, vel non solvendo, hoc in præsentes vel eos qui solvendo sunt, redundet. *Novell. 99. de Reis Promitt.*

Ad l. ea lege. 51.

Ad §. 1.) Vide quæ ponimus suprà *in l. 36. & l. 37. eod.*

Ad

Ad l. si decem. 52.

SI ego me minoris locare putem, tu te pluris conducere, valet cōtractus, saltem in quantitatem mercedis eam, in quam utrimque consentimus. Ceterùm si ego me pluris locare putem, tu te minoris conducere, contractus non valet, *text. hic.* Ratio differentiæ est, quia in priori specie neuter contrahentium contractum renuit; eo quod error re ipsa neutrius sententiæ repugnet, neutrique noceat idcirco, in posteriori verò specie præjudicaret error locatori manifestè. Contrarium tamen est in stipulatione qua stipulator plus exigit, promissor minùs spondet. *l. 1. §. si stipulanti & quæ nos ibid. infra. de Verb. Obl.*

Ad l. quæro. 54.

EX principio huius legis constat, fidejussorem qui se obligavit in omnem causam, etiam in usuras non illatarum pensionum teri. Nec mutat l. 8. sup. de eo quod cert. loco: quia ibi fidejussor acceptus erat simpliciter. *ut ibidem latè.*

§. Inter locatorem.) Ex hoc textu palam est, conductorem in solutione pensionis biennium cessantem, à domino rectè expelli. Idemque est in emphyteuta ecclesiæ. *auth. qui rem eiusmodi. C. de Sacros. Eccl.* In emphyteuta tamen privati triennium cessandum est, *l. 2. C. de Jure Emph.* An verò colonus sine authoritate judiciali queat expelli, infrà tractamus, *in l. cum domini. 56. eod.*

Ad l. si dominus. 55.

1. *Dominus horreorum an teneatur ob omissas merces vel res invectas.*

2. *Quando dominus horreorum custodiā recepisse censeatur.*

3. *Quatenus conductor ob effractionem domus conductæ teneatur.*

4. *Ad quid teneatur conductor ex natura huius contractus.*

DOminus horreorum ob amissas merces vel res † invectas conductori non tenetur, nisi lege contractus custodiam earundem in se receperit, *per hunc text.* Custodiam autem ita recepisse censetur, si hoc inter partes sit † actum, vel tacitè vel expresse. Expressè, ut si convenerit ne conductor sed locator invecta custodiat; tacitè ut si fortè ex locorum usu domus quædam in hoc habeantur, ut res in ijs conductorum custodia asserventur. Planè quod hic alij inquirunt, quatenus † conductor ob effractionem domui conductæ fac- 3.

tam teneatur *Azo. Ioan. Martin. ab Accurs. allegati in verbo recẽperit*. id ita explicandum est, ut si prædium per aversionem locatum sit, id autem est ita locatum, ut totius rei curam universam recipiat conductor, is, ipse etiam ob damnum ad culpam levissimam teneatur, eoque & ad maximam diligentiam sit obligatus. *per ea quæ ponimus sup. in l. 36. & 37 eod.* Sed aliàs ex natura huius † contractus, tenetur modò ad culpam levem. *l. 5. §. 2. Commod. l. contractus. 23. de Reg. Iur.* Proinde nec regulariter ob effractionem aliter tenetur, quàm si quid negligentiæ ipsius queat imputari. *ut hic.*

1. *Qui contra legem locationis fundum ante tempus conventum sine ju:a causa deserit, an ad integram pensionem teneatur.*
2. *An idem sit si conductor expellatur, quod malè verse'ur.*
3. *Quatenus accipiendum sit quod dicimus integram pensionem solvendam.*
4. *Conciliatur Novel. 120.*

1. §. final.) QVi contra legem locationis fundum ante † tempus conventum sine justa causa deseruerit, nihilominus ad integram pensionem tenetur, & amplius id quod interest conductoris, unà præstat. *ut hic.* An autem & eo casu colonus ad integras
2. pensiones † teneatur, cum ob id expellitur quod malè in prædio conducto sit versatus? Accursius non putat, eò quod domino ob universum damnum datum agere facultas est. *gl in l. 3. verb. versatus. C. eod. sequuntur Bald. & Sal.* Sichardus contrà, quia ea ratione dominus pensiones amitteret sine sua culpa. *in d. l. 3. num. 10: idemque Castrens. & Cyn. probant.* Sed dissidium hoc re ipsa nullum est; rectè quippe dicimus, Pensionem quà dominus ob expulsionem caret, non supplendam, si in ipsa damni æstimatione ejusdem ratio habeatur, idque ex Accursij sententia, rectè quoque, pensiones amissas insuper præstandas, si in damni æstimatione earum ratio habita non sit, idque ex opinione Sichardi. *per hunc text. ponderando verba: Quatenus locatori pensionibus in id quod eius interest, indemnitas servetur.* Quibus perspicuè convincitur, pensiones non acceptas id quod interest seu damni æstimationem augere. Et verò quamobrẽ is qui sua culpa desertioni seu expulsioni dedit causam, liberaretur,
3. nulla ratio facit. Quod autem dicimus † integram pensionem solvendam, pensionem intelligimus eius anni quo conductor expulsus fuit. Hoc enim quia minimum est, in dubio uti benignius eligendum. nihil enim absurdiùs foret, quàm si emphyteuta aut conductor pro consequentibus annis, quibus non utitur, pensionem solvere

solvere teneatur, *facit*, quod abusu prædij conducti locatio finitur. *l. 54. §. inter. sup. h. t.* Sed totum hoc ita intelligendum est, si dominus prædium alteri denuo locaverit aut locare potuerit. *per l. sed addes. 19. §. pen. & ult. sup. eod. d. l. 3. in fine.* C. *eod.* Plane ijs quæ scripsimus de pensione reliqui temporis nihilominus præstandâ, repugnare † videtur Novella. 120. *c. si vero. 8. de Alien. & Emph.* ubi dicitur, Conductorem seu emphyteutam rei ecclesiasticæ, qui malè in ea sit versatus, expelli posse, & canonem ab eo solummodo inferendum pro præcedenti tempore. Sed is textus principio specialis est in conductore rei ecclesiasticæ. Deinde ibi verba hæc, *pensionem pro præcedenti tempore debitam*, non designant pensionem cuius jam ante cessit dies, sed designant hoc, ut pensio eius quoque anni solvatur pro more præcedenti tempore recepto. 41

Ad l. cum domini. 56.

VT locator conductorem biennio in solutione cessantem, prædio rectè depellit, *l. 54. §. inter. sup. eod*, ita & intra biennium eo nō apparente, dominus audiendus est, ut à publicis personis horreum aut insula locata aperiatur, quæque in ea sunt, describantur, *per hūc text.* Publicas autem personas haud dubiè magistratus municipales, seu locorum judices accipimus. Idque arguit, dominum authoritate sua colonum ob biennij cessationem fundo non expellere. nam si id ita esset, satis quoque foret, privatâ authoritate res in insula existentes, describere testatò. Id verò quia per publicas personas, hoc est locorum magistratus aut secretarios fieri oportet, de expulsione idem multò magis dicimus.

Ad l. cum in plures. 60.

§. Vestimenta.) OBservandum hic, quod domino qui fulloni vestes poliendas dedit, tam contra fullonem quā furem datur actio. Potius tamen ei adversus furem sumptibus fullonis actio decernenda est, si nimirum ab hoc res servari possit. *tex. hic.* Nec mutat l. itaque. 12. in princip. ff. de Furt. & §. item si fullo. Inst. de Obl. Quæ Ex Delic. ubi non domino, sed fulloni contra furem datur actio: quia hoc procedit in ipsa actione furti, quippe quæ ijs maximè datur quorum interest, etiamsi non sint domini. *l. cuius. 10. l. is cuius. 85. de Furt.* Hoc autem loco agitur de Rei Vind. & condictione furtivâ, quippe quæ soli domino dantur. *l. in rem. 23. in princ. de Rei Vind. l. 1. sup. de Condict. Furt.*

DE AESTIMATORIA.

Tit. III.

Ad l. 1.

Contractus de quo hic agitur, & ipse emptioni ac venditioni similis est, non tamen ipse venditio est. Agitur enim eo, ut rem vendam, & æstimationem quam indicasti solvam, aut si vendere nequam, ut ipsam restituam, aut pro pretio mihi retineam: quo posteriori casu, quantum ad effectum attinet, videbor rem emisse. Nomen tamen huic contractui deest, & idcirco præscriptis verbis actio inde oritur, quæ ferè peculiari nomine æstimatoriæ actionis dici consuevit. *ut in §. Actionum. Inst. de Act.*

§. 1.

Æstimatio periculum eius facit qui rem suscepit, aut igitur ipsam rem reddet, aut æstimationem de qua convenit. *ut hic.* Et proinde indistinctè ex simplici contractu æstimatorio, periculum pertinet ad recipientem. Quod tamen temperationem recipit, ut scilicet ita procedat, nisi accipientis gratiâ sit contractum. Si verò in obscuro sit utrius gratiâ contractũ sit, propriùs dicimus omnem quidem culpam ab accipiente præstandam, extra levissimam verò culpam damnum fatale concedentis esse. *l. si gratuitam. 17. §. 1. de Præscrip. Verb.* Sed adde his quæ pluribus ponimus suprà *in l. 4. & l. si tibi. 11. de Reb. Cred.*

DE RERVM PERMVTATIONE.

Tit. IV.

Ad l. 1.

1. *Permutatio propriè quid sit.*
2. *Explicatur §. fin. huius l.*
3. *Vtrum venditio an permutatio sit, si ex parte de pretio, ex parte de re danda pro re, convenerit.*
4. *Cambia mercatorum moribus recepta ad quos contractus referenda.*

5. Quid

5. *Quid juris sit, si pecunia non ut pretium detur.* & *n.* 6.
7. *Quid si ita convenerit, ut alter rem justo pretio haberet.*
8. *Quid si ita, ut periti æstimatores pretium statuerent.*

PErmutationis quoque negotium † simile emptioni ac venditioni est, sed ea demum propriè permutatio est cùm res pro re datur, quemadmodum emptio & venditio est cum de pretio pro re dando convênit, *ut hic.* IGITUR EX ALTERA PARTE † TRADITIONE FACTA, SI ALTER REM NON VELIT TRADERE: NON IN HOC AGEMUS QUOD INTEREST NOSTRA, ILLAM REM ACCEPISSE, DE QUA CONVENIT: SED UT RES NOSTRA NOBIS REDDATUR, CONDICTIONI LOCUS EST QUASI RE NON SECUTA. Quod hic dicitur non in hoc agi posse ut id consequamur quòd interest nostrâ, rem nobis traditam fuisse, id ita accipimus de actione quæ redundat ex contractu nominato, ut de actionibus empti ac venditi constat; nam civilem præscriptis verbis actionem, dari, idque etiam præter condictionem causâ, dati causâ non secuta, inter omnes constat, & ex sequenti titulo palam est. Sed ob conjunctionem † permutationis cum emptione ac venditione, quæsitum est, utrum emptio an venditio sit, si ex parte pretium, ex parte res pro re detur? verùm hoc finiri principio ex eo quod actum est oportet. *arg. l. si quis nec causam. de Reb. Cred.* aut pro ratione rei quam constat prævaluisse, nam si præcipuè permutaverint contrahentes, aliquot saltem nummis in supplementum datis, permutatio erit, si verò rem pretio æstimaverint, & in supplementum eius, rem aliquam addiderint, emptio ac venditio. *vide Mud. in l. 1. de Contr. Emp. num.* 3. & 4. Cambia etiam mercatorum, † quæ hoc tempore plurimum consueta sunt, Mudæus ad contractus innominatos referenda putat. *Mud. ibid.* Quod si rectè fit, eadem ad permutationes pertinent, id verò quia ineptius videatur, lector dispiciat, an non potiùs ad mutuum referantur. Planè & si pecuniam dederim, non † ut quantitatem quâ res danda æstimata est, sed simpliciùs pecuniam certam certo loco contentam, cum nihil de pretio emptionis ac venditionis esset actum, etiam tum permutationem contrahi magis est. *l. ult. de Condic. Caus. Dat. ubi vide nostra.* Sed quæsitum est de contractu tali, Vendo tibi rem † pretio quod in arca habeo? & quidem Accursius putat id in permutationem cadere, eo quòd ibi quantitas naturam corporis induat, *gl. in l. hac venditio. 7. §. hujusmodi. de Contr. Emp.* Movetur diversis locis quibus cautum est, pecuniam ita relictam pro corpore haberi. *l. planè. §. 1. & l. sed si certos. 51. de Leg. 1.* Proinde *in d. l. 7. §. hujusmodi.* Accursius vim faciendam in verbo *quantum*, putat, ut

Margin notes (right): 1. 2. 3. 4. *Cambia mercatorum consuetudine recepta, ad quos contractus referũda.* 5. 6.

differentia sit in voce quod. Hoc tamen ex facto metiri oportet, ut si constet contrahentes de emptione ac venditione egisse, ex vocis unius aut alterius mutatione mutari contractum non dicamus. Quo sensu accipienda est sententia Alberici & Saliceti, *in d.l. hac venditio.* §.1. *Pinel. in Comment.l.2. C.de Resc.Vend.par.1. Rub.c.1. num.*
7. *2.ac.3.* Alia quæstio est, si convenerit ut alter rem justo † pretio haberet, an emptio ac venditio sit, quod aliquibus visum est, *Alber. & Fulgos. in d.l.hac venditio.§.1.* Idque eò, quasi mentio illa justi pretij certitudinem continere videatur, quia arbitrio viri boni sit declarandum. *l.1.§.1.de Leg.2.* Accedit argumentum l. si fundus, *16.§.* fin. de Pign. quâ cautum est, etiam ita rem obligari posse, ut si pecunia intra certum tempus non solvatur, creditor eam justo pretio habeat, tunc æstimandam. Magis tamen est contractum innominatum fore, eò quod de pretio etiamnum non sit certum, & hoc plerisque visum est, *Bald.in l.ult.nu.* 8.C. *de Contr.Emp. Alex. ad Bart. in d. l. hac venditio. & in l.sciendum.*17.*de Verb. Obl. Rom.ibid. num.* 33. Idque satis evincitur argumento d.l.ult.C.de Contr.Emp. ubi nec emptionis contractus subsistit, etiamsi pretij æstimatio incerti alicuius arbitrium sit collata, si is æstimare vel nequeat vel nolit. Erit igitur Præscriptis verbis actio, per l.quoties. inf. tit. 1. Sed ita si res tradita sit à parte actoris. Planè quod Pinellus autumat innominatum contractum non fore, *Pinel.in Comm.l.2.C.de Res.Vend. p.2.Rubr. c.1. num.*12. idque ob hoc quod contrahentes senserunt de venditione, *arg.l.civilibus. verb. Ne Fiat Contra Volunt. de Vulg. & Pup.Subst.* non existimo sententiam hanc mutare: argumentum enim id parum ad rem facit, cùm & aliàs contractus innominatus sit, cum contrahentes emptionis ac venditionis meminerunt. *l. insulam. inf. tit.* 1. Denique ut id solvamus quod venditionem propriam arguere videbatur, *ex d.l.16. §. fin. de Pign.* Respondemus, ibi negotium subsistere ex pacto pignoris. Minùs verò ad rem facit l. 1. de Leg. 2. quia in proposito de arbitrio alicuius certi non convênit, & mutatio etiam ea de re in proposito accidit. *per d.l.ult. C.de Con. Em.* Denique & illud tractari potest, an emptio sit, si convene-
8. rit † de pretio æstimando à peritis rerum æstimatoribus? & hoc plerisque visum est, quia ea ratione certorum hominum arbitrium electum sit, ideoque si illi arbitrari nolint, venditio non subsistat. *per d.l.ult. C.Bart. & Castr in l.si merces. Locati. Corn. lib.* 1. *Consil.* 50. *Dec.Consil.648.* sed Pinellus non putat, quia & hic de pretio certo non constet, & personæ nullæ nominatæ sint. Verum sententia prior ac communis in foro obtinet, & consuetudine hujus seculi potissimùm inter mercatores viget.

DE

DE PRÆSCRIPTIS VERBIS ET IN FACTVM ACTION.

TIT. V.

Ad l. 1. 2. 3. & 4.

HIs legibus nihil aliud docetur quàm varietate negotiorum effici, ut plura negotia quàm vocabula sint, unde & evênit ut jurisconsultorum authoritate paulatim & actio in factum civilis oreretur, & accommodaretur negotijs ijs quæ æquitate constarent, quorum certum nomen jure proditum non est.

Ad l. 5. §. 1.

SI tibi pecuniam dem ut rem recipias, emptio & venditio est. *ut hic.* Quod intellige si de pecunia tanquam pretio convenerit. nam si pecunia pro specie corporis accipiatur aut detur, magis contractus innominatus erit. *l. ult. princ. de* Condict. Caus. Dat. Caus. Non Sec. *ubi vide nostra.* Denique illud hic notandum est, toties permutationem esse quoties res pro re datur. *ut hic. verb. quia non placet permutationem rerum emptionem esse.* Quod igitur nonnulli autumant, permutationem tum esse, cum species datur pro specie, cum verò genus pro genere, vel species pro genere, aut contrà datur, contractum do ut des esse, atque illam actionem bonæ fidei dare, hanc stricti juris, *gl. & alij. hic.* id nusquam relatum est. Neque etiam evincitur id ex eo, quod de permutatione specifica priùs titulo singulari, deinde hoc titulo, rursus de actione præscriptis agitur: quia priori titulo simpliciùs differentia emptionis & venditionis à permutatione relata est, & unà de actione quæ ex ea provenit, sequenti verò de actione in factum civili generatim tractatur, *vide plurib. Subtil. Nostras. lib. 2. c. 4. per tot.*

§. Quod si faciam. 3.

PLeraque huius tractatus expedita sunt, sed præsentis §. verba summam difficultatem peperere, cum alibi quoque relatum sit, servo manumisso ut res detur, præscriptis verbis actionem esse, *l. 7. §. 2. de Pact.* quemadmodum & alibi relatum est de facto præstito pro re danda. *l. si tibi polienda. 22. inf. h. t.* Et hoc quidem expeditum foret, nisi hoc loco diceretur solam de dolo actionem esse, *ut hic.* & alibi, in simili quidem specie præscriptis verbis agi posse, nisi accesserit dolus. *l. solent. 15. in fin. infrà. eod.* Igitur ut hanc difficultatem

cultatem tolleret, plerique ita sensere, in d.l.7.§.2. de actione in factum prætoria agi, cum qua actio de dolo regulariter concurrit, *ut not. in l.10. & 11. de Dolo.* & proinde illa verba, *præscriptis verbis civilem.* putarunt abundare, maximè cum ibi de actione in factum à prætore danda agatur. Sed videamus an id ita sit. Illud igitur constat, quoties præscriptis verbis actio est, toties de dolo actionem cessare, & ita demum ad actionem de dolo deveniri, si præscriptis verbis actio inanis sit. *l. si quis adfirmaverit. 9. §. Labeo. de Dolo.* Rursus constat, etiamsi feceris quid ut darem, tibi in me præscriptis verbis actionem esse. *d. l.7.§. 2. & l. si tibi. 22. infrà eod.* amplius idem esse, etiamsi accesserit dolus. *d.l. 15. & l. permisisti. 16. princip. inf. eod.* Respondemus paucis, ex negotio innominato duplicem actionem esse, vel ad causam præstitam condicendam, vel negotium ab altera parte conventum, præstandum. Prima nimirum ex pœnitentia condictionem refert causâ dati causâ non secutâ. Hanc si instituere velit qui factum præstitit, non potest, quoniam facti nulla repetitio est, igitur doli actio est. Atque eodem sensu intelligenda est l. cum proponas C. de Dolo. Quòd verò ait nullam civilem eo casu actionem esse, id solùm in specie repetendi facti accipiendum est, nam si ad complendam causam agere velim, aut incerti eo nomine: præscriptis verbis actionem esse, ex suprà relatis constat. Cuius mentionem hic omittit juris author, quasi ex præmissis omnino claram. Nec mirum, quod hoc loco dicat nullam esse civilem actionem, cum idem author & in specie do ut des, eo respectu dicat, nullam esse civilem actionem quâ id quod interest prosequamur, sed tantùm condictionem. *l.1.§. fin. sup. tit. 1.* Fit hoc gravitate orationis quâ Paulus utitur plerumque. Denique & eodem sensu legem 15. accipimus, ut scilicet doli actio sit, si pœniteat nos facti. Nisi ea verba ibi abundare, ac scriptorum festinatione irrepsisse, dicere malimus. Rationem verò eius rei esse puto, quod Iure Civili condictioni ad repetendum, olim & ante usitatam præscriptis verbis actionem, fuit locus. Ad l.7.§.2. de Pact. quod attinet, consequenter dicemus, ibi rectè & ex juris authoris sententia de præscriptis verbis actione responsum esse. Nec ad rem facit quod ibidem mentio fit de actione danda à Prætore. quia certum est actiones quascunque omnes à prætore aut magistratu dari solere, quod postea sublatum est. *tit. C. de Form. & Imp. Subl.* Iunge his quæ pluribus posuimus lib. 2. Subtil. nostrarum, c. 4.

L. Insulam. 6.

Relata est in l. 1. suprà de Permut.

Ad

Ad l. partis. 10. & quia actionum. 11.

AGitur hic de actione in factum prætoria, quàm scilicet prætor introduxit, supplendi ferè juris civilis causâ, *ut hic.* Eaque ipsa interdum etiam utilis dicitur, quod utilitatem ex beneficio prætoris peculiarem ferat, & quidem talem quæ alia actione non offeratur. *l. quoties. 21. inf. eod.* De hujus verò causis, & propriâ qualitate pleno tractatu egimus lib. 2. Subtil. c. 6.

Ad l. solent. 15.

Vide quæ pluribus posuimus suprà in l. 5. §. quod si faciam. h. t.

Ad l. permisisti. 16.

VIde quæ posuimus suprà in l. 5. §. quod si faciam. eod.

§. final.) Species huius §. talis est ut non civilem, sed in factum actionem prætoriam admittat, vel de dolo, si is concurrat, *ut hic.* Cum certum sit prætoriam actionem in factum, de dolo, actionem admittere regulariter. *ut not. in l. 10. & 11. de Dolo.*

Ad l. rogasti. 19.

ROgasti me mutuam pecuniam, cum non haberem, rem tibi dedi vendendam ut precio utereris, mutuum non intelligitur contractum, sed præscriptis verbis actio erit. *ut hic.* Postea tamen obtinuit, & brevi manu mutuum contractum intelligi, quod alibi pluribus explicui. *vide quæ nos in l. rogasti. 11. de Reb. Cred.*

Ad l. quoties. 21.

Vide quæ obiter posuimus suprà *ad l. quia actionum. 11. eod.* & latius alibi. *lib. 2. Subtil. Nostr. c. 6. per tot.*

Ad l. si tibi polienda. 22.

Hæc l. relata est in ijs quæ posuimus latiusculè suprà in l. 5. §. quod si faciam. eod.

Ad l. 23.

HÆ lex quâ ob annulum amissum relatum est in proposita specie actionem in factum esse: de actione in factum prætoria accipienda est. Nisi & præscriptis verbis actionem esse, quasi ex commodato ad modum precarij dicamus, *l. 2. §. penult. de Precar.*

Ad l. Titius. 24.

EX specie hujus legis collegeris, actionem præscriptis verbis etiam extra speciem æstimati ac permutationis, bonæ fidei esse, cum hic ex pacto adjuncto negotio innominato in usuras agi permittatur. Et verò magis est toties præscriptis verbis actionem ex omnium contractuum innominatorum genere bonæ fidei esse, quoties incertum est, num ipsa ex nominato aut innominato contractu oritur. Quod aliàs Coloniæ Agrippinæ publicè defendimus, & rursus docuimus, *lib. 2. Subtil. c. 5.*

Ad l. penult.

OPeræ præstitæ condictione indebiti repeti non possunt, præscriptis tamen verbis agi potest, ad præstandas eas de quibus præstandis vice mutua convenerat. *ut hic.* Et id argumentum præbet ad confirmationem sententiæ quàm suprà pluribus tractamus. *in l. 5. §. quod si faciam. de Præscrip. Verb.* ex pœnitentia scilicet operas quidem vel factum condici non posse (modo tales non sint quæ manifestam æstimationem habeant. *vide nostra in l. 26. §. libertus. de Condict. Indeb.*) sed de dolo eo casu agendum, nisi quod præscriptis verbis actio est eo casu quoad præstandam conventionem ex parte alterius, aut id quod interest eo nomine, agitur.

FINIS.

Errata sic corrigito.

Vitia quæ inter cudendum, vel ab inerti correctione, me absente acciderunt, non adeò multa sunt, nonnulla tamen ex ijs notatu necessaria.

Pag. 47. *pro qua illi penitus fuere destituti*, lege, *illi non penitus fuere*. &c. pag. 77. pro *non excusari*, lege, *non excusari si alio venire queat*. pag. 97. pro conventiones *aut facilè*, l. *aut tacitè*. p. 223. pro quæratur, l. queratur. p. 227. pro interpretandæ, l. impetrandæ, p. 224. pro *jurejurando*, l. *jurisjurandi*. pro *plerisque*, l. *plerique*. pro *censentur*, l. *censetur*, pro *restitutione*, lege. *restitutioni*. p. 229. l. *quo sensu interdum responsum est*. p. 231. l. *si quis affirmaverit*. §. *pen*. p. 236. pro *prabet*, l. *probet*. p. 238. dele omnino ista verba, *non mitigatio videtur*. p. 240. dele omnino vocem *Quia*. ib. lege, *in proposito pro iam nato*. p. 242. pro *majoribus*, l. *moribus*. p. 246. l. *intra annum utilem amoto*. p. 248. pro *semel*, l. *simul*. *inf*. p. 246. dele ut. & pro *damnatus*, l. *damnatum*. p. 254. dele *&*. p. 256. pro *rei vindicatæ*. lege, rei judicatæ. p. 264. pro *idem*, l. *item*. p. 329. lege *gestor donatarij pertinet*. p. 352. pro *dominus*, l. *domino*. ibid. pro *Qua*. l. Qui p. 419. dele *non*. p. 623. pro *scilicet*, l. *solet*. ibid. pro *id opponitur*, l. *& opponitur*. p. 627. pro condictio, l. conditio. ibid. pro *si, fidejussor exceptione procuratoriâ solverit*, l. si fidejussor omissâ exceptione, &c. Quorum tamen pleraque sub prælo emendata sunt, ut vitia ista in paucis remanserint.

Reliqua vitiosa si quæ sint vel literæ aut commatis alicuius mutati aut omissi, benivolus Lector ipse deprehendet, cum vel nulla sint, vel talia ut nihil obsint Lectori.